BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
41 - F
7

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14 - 11. h. 19

48
f
5.

Digitized by Google



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

8.41. F. E. 2
2

SCHOLÆ PHILOSOPHICÆ SCOTISTARUM, SEU CURSUS PHILOSOPHICI

AD MENTEM

DOCTORIS SUBTILIS JOANNIS DUNS SCOTI.

AUTHORE

P. F. BERNARDO SANNIG
Ordinis Minorum S. FRANCISCI Reformatorum, SS. Theologiæ Lectore Jubilato, Scriptore Religionis, Provinciæ Bohemiæ & Totius Ordinis Patre Ex-Commiſſario Generali Ciſmontano, & iterato Miniſtro Provinciali Provinciæ Bohemiæ S. WENCESLAI.

IHS · COLL. ROM. SOC. JESU

TOMUS II.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

CONTINENS

Tractatum in Octo Libros Phyſicorum.
Tractatum de Fabrica Mundi, & Cœli.
Tractatum de Elementis.
Tractatum de Generatione, & Corruptione, aliiſque Motibus.

NEO-PRAGÆ
Typis JOANNIS NICOLAI HAMPELII. Anno M. DC. LXXXV.

[illegible]

Digitized by Google


Sereniſſimus et Reueren-
diſſimus D.D. FRANCISCus
LUDOVICUS D.G. Comes
Palatinus Rheni, Bauariæ, Iuliæ
Cliuiæ et Montium Dux,
Comes in Veldentz, Sponheim,
Marchiæ, Rauenſperg et Möers, Dominus
in Rauenſtein &c.
etc etc.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

SERENISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRINCIPI
AC
DOMINO DOMINO

FRANCISCO LUDOVICO

D. G. COMITI PALATINO RHENI,
Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, &
Montium

DUCI,

BIBLIOTHECA ...

Comiti in Veldenz, Sponheim, Marchiæ,
Ravenſperg, & Möers, Domino in Rabenſtein &c. &c.

EPISCOPO
WRATISLAVIENSI,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
Supremo per Ducatum Utriuſque
Sileſiæ
CAPITANEO, &c. &c.

Conventûs Noſtri Niſſenſis B. Virg. MARIÆ in Roſis
FUNDATORI.

Munificentiſſimo, ac Domino Domino Patrono
Colendiſſimo.

Sere-

SERENISSIME, & REVERENDISSIME DUX, ac PRINCEPS. Inter publicos applauſus, ac complures Sileſiticæ Notationis honores, quos hôc annô SERENITAS VESTRA excipit occaſione captæ Poſſeſſionis Celeberrimi Epiſcopatûs Wratislavienſis, ac Supremi Capitaneatûs totius Sileſiæ, præſumit quoque comparere Tomus hic meus Philoſophicus, tanquam honorarium tributum, quod pendit Author Vaſallus de Niſſa SERENISSIMO Suo DOMINO ac PRINCIPI CLEMENTISSIMO, in Symbolum debitæ venerationis ac affectuoſi homagij. Felix Sileſia! quæ tam celebrem, & numeris omnibus abſolutum Principem, Antiſtitem, Gubernatoremque de Sereniſſima Styrpe Palatina es nacta; utpote quæ inter Vetuſtiſſimas, Nobiliſſimas, ac Celeberrimas Europæ Familias ſuſpicitur, veneraturque. De hac enim SERENISSIMA DUCALI DOMO PALATINA prodiere nonnulli Potentiſſimi Romanorum Imperatores, RUPERTUS, & SIGISMUNDUS; ac Imperatrices complures; ſignanter hôc noſtrô tempore ELEONORA MAGDALENA TERESIA NEOBURGICA, Auguſtiſſimi LEOPOLDI I. Cæſaris Auguſta Conjux, & Soror Germana SERENITATIS VESTRÆ. Ex hac ortum duxêre plures Reges, ut Sveciæ, & per Lineam Fœmineam

quoque

quoque Poloniæ, Daniæ, Ungariæ, Hiſpaniæ, Burgundiæ, Norvegiæ, Galliæ Francorum, Luſitaniæ, Angliæ, Bohemiæ: item innumeri Sac. Rom. Imp. Electores: plurimi Duces Bavariæ, Neoburgici, Cliviæ, Julij, Montium: infiniti Potentiſsimi Comites Palatini Rheni, & in Valdenz, Sponheim, Ravenſperg, Marchiæ, & Möers, &c. De hac quoque ſuccreverunt plures Purpurati Eccleſiæ Romanæ Patres: plurimi Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi nominatiſſimi Europæ. De eadem germinârunt plus quam ſexaginta Divi, mediante propagine B. Brichezæ Palatinæ Rheni, & Poloniæ Reginæ, teſte Theodorô Rhay *in Animabus Illuſtribus Juliæ, Cliviæ, Montium, &c.* De ipſa pullulârunt pariter quidam invicti Agonothetæ, qui pro Fide Chriſtiana ſanguinem fuderunt; inter quos maximè eluxit Beatus Reinoldus Martyr, Sanguinis Palatini, multarum victoriarum, & virtutum Dux, qui poſtquam Coloniæ in Sancti Pantaleonis Cœtu Purpuram cum Ordinis Habitu permutâſſet; tandem Martyr occubuit. De eadem Glorioſiſſima Styrpe Palatina geniti ſunt innumerabiles fortunatiſſimi, & ſagaciſſimi belli Duces, Magiſtri Supremi Sacrorum Ordinum Militarium. Ejuſdem denique Sereniſſimæ Caſæ Illuſtriſſimus Sanguis Palatinus in diverſis Ramis partitur, maximô etiam alienæ Nobilitatis accrementô unitus fuit cum præcipuis Sereniſſimis Europæ Proſapijs, ac mirificè dignificatus per

Legitima Matrimonia, cum Sereniſſima Domo Auſtriaca, cum Byzantina, cum Domo Regum Galliæ, Poloniæ, Portugalliæ, Bohemiæ, Burgundiæ, Daniæ, Angliæ, Scotiæ, Norvegiæ, Græciæ, Hungariæ, Sveciæ, & Francorum; cum primarijs quoque Europæis Archi-Ducibus Auſtriæ, & Ducibus Sabaudiæ, Lotharingiæ, Hetruriæ, Lithuaniæ, Cliviæ, Julij, Montium, Geldriæ, Saxoniæ, Maſſoviæ, Parmenſis, Schleſwicenſium, &c. Cum Nobiliſſimis Marchionibus Padenſibus, Mantuanis, Landgravijs, Haſſiæ, & Thuringiæ, &c. Principibus Zolleranis, Fürſtenbergicis; cum Comitibus Holandiæ, Montispeſſulani, Schavvenburgicis, Lippenſibus, Ciſonienſibus, Clivienſibus, Campaniæ, ac infinitis alijs Eminentialibus Stemmatibus, quibus variæ hujus SERENISSIMÆ DOMÛS PALATINÆ Lineæ, maximè Neoburgica, Bavarica, Heidelbergenſis, & aliæ copulatæ fuêre, mutuoque eorum Nobilitatis, antiquitatis, famæque jubare reſperſæ. Felix inquam Sileſia! quæ tam Illuſtris, tamque conſpicui Sanguinis PRINCIPEM ſortita es incolam, in Sacris quidem MAGISTRUM, & EPISCOPUM; in profanis verò SUPREMUM RECTOREM, ac CAPITANEUM; quem natura ipſa efformavit ſuaviſſimum, clementiſſimum, gratioſum, ac elegantiſſimum DUCEM: quem benigniſſimus Author Naturæ ſublimibus ſanè, rariſque inſtruxit, dotavitque talentis; perſpicacis ſcilicet ingenij, memoriæ

moriæ fœcundæ, prudentiæ maturæ, activitatis expeditæ, penetrationis ſubitæ, judicij ſolidi & recti: quem ars, ac bonæ litteræ excoluêre in omni facultate: quem denique probitas vitæ, affabilitas, morumque compoſitio, & elegantia gratiſſimum nuper in Urbe effecêre Sanctiſſimo Domino Noſtro INNOCENTIO XI. Summo Pontifici (uti mihimet ipſi in Urbe eodem tempore commoranti pro Ordinis mei Vicario Generali apprimè innotuit) ac AUGUSTISSIMO IMPERATORI LEOPOLDO I. DOMINO DOMINO D. NOSTRO CLEMENTISSIMO; ut proinde Is jure meritò SERENITATI VESTRÆ Supremum totius Sileſiæ Capitaneatum, ac Gubernium contulerit. Sub tanti itaque PRINCIPIS (qui profectò ſortitus eſt cum Salomone tam Nobilem Animam, ac Corpus bonum) Glorioſo Nomine in lucem publicam emitto *Opus hoc Phyſicum de Corpore naturali*, ut ampliorem ab eo mutuet perfectionem, æſtimationemque. Dignetur SERENITAS VESTRA pro more ad ejus Authorem Vaſallum (qui nomine Provinciæ Bohemiæ pro tempore ſibi iteratò concreditæ in humillimæ ſuæ venerationis argumentum, perpetuum communis gratitudinis titulum, & ſupremæ obligationis conteſtationem Tomum hunc Scholaſticum cum omni dedicat ſubmiſſione) CLEMENTIÆ SUÆ extendere virgam auream, ac ſummitatis ejus contactu gratioſam indigitare annuentiam, ut ſub SERENISSIMIS AUSPICIIS NEO-

BUR-

BURGICIS in publicum prodeat, Gratioſumque SERENITATIS VESTRÆ conſpectum tanquam FUNDATORIS Conventûs noſtri Niſſenſis Munificentiſſimi, ac PATRONI Gratioſiſſimi ſubire valeat. Quod votis omnibus exoptat cum jugi ad DEUM oratione

SUÆ SERENITATIS

Dabam PRAGÆ in Conventu S. MARIÆ
ad NIVES An. 1685. die 15. Febr.

Humillimus & obſequentiſſimus
Vaſallus

Fr. Bernardus Sannig Provincialis
PP. Franciſcanorum in Provincia Bohemiæ.

FACUL-

FACULTAS
REVERENDISSIMI P. MINISTRI GENERALIS.

FRater PETRUS MARINUS Sormannus de Mediolano, Lector Jubilatus, Ex-Guardianus Jeroſolymitanus, ac Totius Ordinis Seraphici S.P.N. FRANCISCI Miniſter Generalis, & Servus. Dilecto Nobis plurimùm in Chriſto P. F. BERNARDO SANNIG, SS. Theologiæ Lectori Jubilato, Provinciæ Bohemiæ, ac Totius Ordinis Patri, & Scriptori, Salutem in Domino ſempiternam.

Cùm juxta Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones reviſum, & approbatum fuerit quoddam Opus Scholaſticum, cui Titulus eſt, SCHOLA PHILOSOPHICA SCOTISTARUM, ſeu CURSUS PHILOSOPHICUS COMPLETUS, *à Te compoſitum: Idcircò tenore præſentium cum ſalutaris Obedientiæ merito facultatem Tibi impertimur, quatenus ſervatis ſervandis illud typis mandare poſſis, ac valeas, vale. &c. Datum Romæ in Conventu Noſtro Ara-Cœlitano, Die 13. Aprilis, An. 1683.*

Fr. PETRUS MARINUS
Miniſter Generalis.

De Mandato ſuæ Reverendiſſimæ Paternitatis

Fr. Clemens Caprettus à Mediolano
Secretarius Generalis Ordinis.

MANDATUM
Ejuſdem Reverendiſſimi P. Generalis.

De prælegenda Schola Philoſophica, & Theologica Fratris Bernardi Sannig, in Scholis Provinciæ Bohemiæ.

CUm, ſicut Nobis relatum eſt, in omnibus Studijs Scholaſticis noſtræ Provinciæ Reformatæ Bohemiæ ab omnibus Lectoribus per Decretum Capitulare ejuſdem Provinciæ, introducta fuerit prælectio Scholæ Philoſophicæ, & Theologicæ, ſeu Curſûs Philoſophi, & Theologici, *editi à P. Bernardo Sannig, cum maximo commodo, & progreſſu Studentium: Idcirco Nos Fr. Petrus Marinus Sormannus, Miniſter Generalis Totius Ordinis Seraphici S. P. N. Franciſci certò ſcientes, ſuprà dictam Lecturam iiſdem ſtudijs eſſe, & fore omnibus maximè idoneam, & proficuam; utpote conſonam doctrinæ Noſtri Doctoris Subtilis, & clariſſimâ methodò traditam; præſenti Decretò decernimus; ut in ſuprà dictis Scholis ejuſdem Provinciæ Bohemiæ perpetuò continuetur ab omnibus Lectoribus, tam Philoſophicis, quàm Theologicis Lectio ſuprà dicta Curſus Philoſophici, & Theologici, à memorato P. Sannig Typis mandati. Et ita ſtatuimus, ac declaramus. Datum Romæ in Conventu Noſtro Ara-Cœlitano, die 13. April. An. 1684.*

Fr. Petrus Marinus Miniſter Generalis.

CENSURA
Theologorum Ordinis Fratrum Minorum Reformatorum.

TOmum II. Scholæ Philoſophicæ Scotiſtarum, *Authore Adm. R. P. Bernardo Sannig Ordinis Minorum Reformatorum, Lectore Jubilato, Ordinis Patre, Ciſmontonæ Reformatæ Familiæ Ex-Commiſſario Generali, & hoc tempore iteratò Miniſtro Provinciali Provinciæ Bohemiæ, Superiore noſtro digniſſimo, ſingulari animi voluptate, atque magnò noſtrò fructu, legimus, & relegimus; continet enim doctrinam ingenioſam, ad mentem Doctoris Subtilis, non minùs ſubtiliter, quàm clarè elaboratam: affert Author ſolidas Authorum contrariæ ſententiæ rationes; ſed acie ſui ingenij ſic reddit liquidas & ſolutas, ut ſuæ efficaces eſſe pateant.*

teant. Hinc iſta Schola Philoſophica Scotiſtarum *ſolidabit acutè Scholæ Scotiſticæ Lectores, & illuminabit ſubtiliter Tyrones. Et quoniam nihil continet, quod aut Fidei Orthodoxæ (cujus pedibus humiliter ſubſternit omnia) aut bonis moribus diſſonum eſſet; proinde digniſſimum, & utiliſſimum cenſemus, ut juris fiat publici. Datum Pragæ in Conventu S. Mariæ ad Nives Ord. FF. Minorum Fran. Reformat. die 4. Octob. 1684.*

Fr. Bernardinus Ungar Provinciæ Bohemiæ Diffinitor, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, ejuſdemque in Studio Generali ad Nives Profeſſor actualis.

F. Sebaſtianus Schambogen Provinciæ Bohemiæ Diffinitor, SS. Theologiæ Lector Generalis, ejuſdemque Facultatis ad Nives actualis Profeſſor.

F. Antonius Hartmann SS. Theologiæ Lector Jubilatus, ejuſdemque Facultatis ad Nives Profeſſor actualis.

CENSURA

Theologi Conſiſtorialis Pragenſis ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium.

Tomum Secundum, Complectentem Octo Libros Phyſicorum, Tractatum de Cœlo & Mundo, Elementis, nec non de Generatione, & Corruptione, ex Schola Philoſophica Scotiſtarum, *Authore Reverendiſſimo Patre Bernardo Sannig, Ordinis Minorum S. Franciſci Reformatorum, SS. Theologiæ Lectore Jubilato, Religionis Scriptore, Provinciæ Bohemiæ, & Totius Ordinis Patre, nec non Ex-Commiſſario Generali Ciſmontanæ Familiæ accuratè perlegi, in quo cùm nihil invenerim contra Fidem Catholicam, aut bonos mores; ſed omnia bene fundata; & erudita, cenſeo publicâ luce dignum. In quorum fidem dabam Pragæ in Conventu S. Jacobi die 7. Decemb. An. 1684.*

Fr. Blaſius Antonius de Comitibus â Mediolano Minor Conventualis.

APPROBATIO ORDINARII.

Tomum Secundum Scholæ Philoſophicæ *Scotiſtarum, abſque omni nævo morali, uti ex legitimis Cenſuris mihi exhibitis conſtat, elaboratum & compoſitum à Patre Bernardo Sannig Ordinis S. Franciſci Reform. Provinciæ Bohemiæ approbo; & juxta Concilij Tridentini Canones facultatem impertior, ut*

PRAGÆ die 7. Decemb. An. 1684.

Imprimatur

Wenceslaus Bilek à Bilenberg Officialis.

PRI-

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Super impreſſione Librorum Auctorum Ord. S. Franciſci Regularis & Strictioris Obſervantiæ.

PRivilegiô Cæſareæ Majeſtatis cautum eſt; nè quis per univerſum Imperium Libros â Patribus Ordinis S. Franciſci Regularis, & Strictioris Obſervantiæ editos, aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos, intra Sacri Imperij, Regnorumque, ac Dominiorum hæreditariorum Domûs Auſtriacæ fines adducat, vendat, diſtrahat, abſque conſenſu, & facultate eorundem Patrum ſub pœna confiſcationis Librorum, & mulcta viginti Marcharum auri puri. Ita ſancitum & decretum eſt in Civitate Ratisbonenſi, pridie nonas Decembris, Anno 1636. Signatum.

FERDINANDUS.

Infrà
Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

Joannes Walderode.

à latere: P. H. A. Stralendorff.

INhærendo Decreto Cæſareo FERDINANDI III. Auguſti, edito ſuper impreſſione Librorum, ab Authoribus Regularis & Strictioris Obſervantiæ edendorum, conſenſum & facultatem do Domino Joanni Nicolao Hampelio Typographo Neo-Pragenſi, faciendi primam editionem Tomi mei Secundi Scholæ Philoſophicæ Scotiſtarum. Datum Pragæ in Conventu S. MARIÆ ad NIVES die 1. Octobris, Anno 1684.

Fr. Bernardus Sannig.

INDEX

INDEX QUÆSTIONUM IN HOC TOMO SECUNDO CONTENTARUM.

TRACTATUS PRIMUS.

In Octo Libros Phyſicorum.

DISTINCTIO I. PROOEMIALIS.

De Prolegomenis Phyſicæ.

Quæſtio I. De notione, quidditate, reſtauratione, dignitate, & utilitate Phyſicæ. pag. 3.
Quæſtio II. An, & qualis ſcientia ſit Phyſica? 4.
Quæſtio III. De objecto Phyſicæ. 6.

DISTINCTIO II.

De Principijs rerum naturalium in communi.

Quæſtio I. De exiſtentia, & definitione principiorum corporis naturalis. pag. 11.
Quæſtio II. De numero Principiorum corporis naturalis; eorumque contrarietate, & univocatione. 13.

DISTINCTIO III.

De Materia primo principio Corporis naturalis.

Quæſtio I. De Acceptionibus, Exiſtentia, & quidditate Materiæ primæ. pag. 16.
Quæſtio II. Num Materia prima ſit aliquod ex quatuor Elementis; vel numerus; ubi etiam de ejus realitate, ſubſtantialitate, & diſtinctione. 18.
Quæſtio III. De Creatione, Incompletione, & Actu entitativo Materiæ. 20.
Quæſtio IV. De Exiſtentia, & ſubſtantia Materiæ primæ. 21.
Quæſtio V. Num Materia ſublunaris, & cæleſtium ſit una, ingenerabilis, & incorruptibilis. 24.
Quæſtio VI. An Materia ſit aliquomodo activa; radix omnis corruptionis, & cognoſcibilis? 26.
Quæſtio VII. De potentia Materiæ primæ. 27.
Quæſtio VIII. De appetitu Materiæ primæ. 31.
Quæſtio IX. Num materia prima per aliquam potentiam poſſit exiſtere abſque omni forma; & quâ ratione? 34.
Quæſt. X. Varia quæſita circa Materiam reſolvuntur. 37.

DISTINCTIO IV.

De Privatione altero principio corporis naturalis.

Quæſtio I. De Exiſtentia & quidditate Privationis. pag. 39.
Quæſtio II. De multiplicitate, diſtinctione, & oppoſitione Privationis. 41.

Quæſtio III. An, & quâ ratione Privatio ſit principium generationis naturalis in fieri. 42.

DISTINCTIO V.

De Forma tertio principio Corporis naturalis.

Quæſtio I. De Eſſentia, & quidditate Formæ. pag. 44.
Quæſtio II. De Eductione Formarum ſubſtantialium de potentia materiæ. 46.
Quæſtio III. De Eductione Formarum accidentalium de potentia materiæ. 50.
Quæſtio IV. Utrùm una Forma ſubſtantialis poſſit ſimul informare plures materias. 53.
Quæſtio V. Num plures Formæ ſubſtantiales poſſint ſimul informare eandem materiam. 55.
Quæſtio VI. An, & quo pacto Formæ conſerventur abſque omni materia. 59.

DISTINCTIO VI.

De Unione formæ, & materiæ.

Quæſtio I, De deſcriptione, & exiſtentia Unionis, ejuſque diſtinctione ab extremis. pag. 62.
Quæſtio II. In quo formaliter conſiſtat Unio phyſica materiæ & formæ ſubſtantialis. 64.
Quæſtio III. Num duplex Unio phyſica intercedat inter materiam & formam ſubſtantialem, & quâ ratione? 67.

DISTINCTIO VII.

De Compoſito Phyſico.

Quæſtio I. Num Compoſitum phyſicum ſubſtantiale importet eſſentialiter tam materiam quàm formam? ubi etiam de ejus unitate. pag. 69.
Quæſtio II. Utrùm Compoſitum totum eſſentiale phyſicum ſit tertia entitas, realiter à partibus unitis diſtincta. 71.
Quæſtio III. Quid ſentiendum de diſtinctione Totius integralis, & per accidens à ſuis partibus. 75.
Quæſtio IV. Utrùm Compoſitum phyſicum ſubſtantiale ſit proximum ſubjectum accidentium, & quædam alia quæſita de Compoſito. 77.

DISTINCTIO VIII.

De Natura Phyſica, & Arte.

Quæſtio I. De varia acceptione Naturæ, ejuſque deſcriptione. pag. 82.
Quæſtio II. Utrùm Natura conſtituatur per principium activum, vel paſſivum motûs, ac quietis. 83.
Quæſtio III. Quibus rebus, & quô pactô conveniat Natura. 86.
Quæſtio IV. De acceptionibus; & quidditate Artis; ejuſque differentia à Natura. 89.
Quæſtio V. Num Ars poſſit moliri opera Naturæ effective, aut ſaltem eam imitari, & perficere. 90.
Quæſtio VI. De Arte Chymica confectrice auri. 92.
Quæſtio VII. De Arte Magica, & inveſtigatoria metallorum auri, argenti &c. 93.

DISTINCTIO IX.

De Cauſis corporis naturalis in communi.

Quæſtio I. De acceptione varia, & vera definitione Cauſæ phyſicæ ut ſic. pag. 98.
Quæſtio II. De cauſalitate Cauſæ phyſicæ. 99.
Quæſtio III. De variis diviſionibus Cauſæ. 101.
Quæſtio IV. Utrùm Cauſa phyſica ſit perfectior, & prior ſuo effectu. 104.
Quæſtio V. Varia circa Cauſas in communi reſolvuntur. 106.

DISTINCTIO X.

De Cauſis phyſicis in particulari.

Quæſtio I. Num reverâ exiſtat aliqua Cauſa Efficiens creata immediatè productiva effectûs phyſici. pag. 107.
Quæſtio II. De definitione, diviſione, & cauſalitate Cauſæ Efficientis. 109.
Quæſtio III. Utrùm duæ Cauſæ Efficientes totales, & adæquatæ poſſint producere eundem numerô effectum. 111.
Quæſtio IV. Utrùm Cauſa Efficiens ſubſtantialis ſit productiva immediatè alterius ſubſtantiæ? 114.
Quæſtio V. An Cauſa Efficiens ſubſtantialis ſit etiam immediatè productiva accidentium? 116.
Quæſtio VI. De Efficientia Cauſarum efficientium accidentalium. 118.
Quæſtio VII. Utrùm Cauſa Efficiens naturalis poſſit agere in paſſum diſtans. 119.
Quæſtio VIII. Utrùm ſubſtantia ſit Cauſa efficiens reſpectu paſſionũ, quantitatis, accidentium, connaturalium, & relationum. 122.
Quæſtio IX. De potentia obedientiali in Cauſa Efficiente creata. 123.
Quæſtio X. An Cauſa Efficiens creata habeat potentiam obedientialem activam ad creandum? 125.
Quæſtio XI. An, & quô pactô DEUS cooperetur, ac concurrat cum Cauſis Efficientibus ſecundis, eaſque conſervet. 127.
Quæſtio XII. Quid ſit illa cooperatio, & concurſus DEI cum Cauſis ſecundis Efficientibus, & an is ſit determinatus. 130.
Quæſtio XIII. An Cauſæ ſecundæ Efficientes naturales phyſicè præmoveantur, vel prædeterminentur à Cauſa Prima. 134.
Quæſtio XIV. An Cauſæ ſecundæ Efficientes liberæ præmoveantur, vel prædeterminentur à Cauſa Prima, ubi de concurſu communi DEI. 135.
Quæſtio XV. Num à Cauſa Prima oriatur determinatio effectûs creati quoad ſpeciem, & individuum? 138.
Quæſtio XVI. Utrùm DEUS ſupplere valeat cauſalitatem cujuſcunque Cauſæ Efficientis creatæ reſpectu effectûs, & facere ut idem ſeipſum efficiat. 140.
Quæſtio XVII. De Cauſa inſtrumentali. 141.
Quæſtio XVIII. De Cauſa exemplari ſeu ideali. 143.
Quæſtio XIX. De Cauſa materiali. 146.
Quæſtio XX. De Cauſa formali. 147.

Quæ-

Digitized by Google

Quæſtio XXI. De deſcriptione, exiſtentia, diviſione Cauſæ finalis ſeu finis. 148.
Quæſtio XXII. Num finis ſit vera Cauſa, & quæ ejus ratio conſtitutiva, cauſalitas, ac effectus. 150.
Quæſtio XXIII. Num omnia agentia agant propter aliquem finem? alia etiam circa finalem Cauſam reſolvuntur. 153.
Quæſtio XXIV. De Caſu & Fortuna, ut Cauſis per accidens. 156.
Quæſtio XXV. De Fato & Monſtro. 158.

DISTINCTIO XI.
De Motu.

Quæſtio I. De exiſtentia, quidditate, & diviſione Motûs. 162.
Quæſtio II. In quo conſiſtat Motus phyſicus. 165.
Quæſtio III. De diſtinctione unitate, & contrarietate Motûs. 167.
Quæſt. IV. Varia quæſita circa Motum reſolvuntur. 170.
Quæſtio V. De proprietatibus Motûs. 171.
Quæſtio VI. An indiviſibile ſeparatum poſſit moveri localiter, & Motus localis fieri in inſtanti? 172.
Quæſtio VII. Num idem poſſit moveri à ſeipſo, ubi etiam de Motu naturali gravium & levium. 173.
Quæſtio VIII. De Motu violento projectorum, & reſilientium, deque primo Motore. 175.

DISTINCTIO XII.
De Continuo.

Quæſtio I. De definitione, diviſione, partibus, & indiviſibilibus Continui permanentis. 178.
Quæſtio II. Oſtenditur Continuum permanens non componi ex meris indiviſibilibus. 181.
Quæſtio III. Oſtenditur Continuum componi ex partibus, & indiviſibilibus ſimul, ubi etiam de ejus partium finitate, & aliis. 185.
Quæſtio IV. De Terminis Continuorum naturalium. 186.

DISTINCTIO XIII.
De Infinito.

Quæſtio I. De definitione, diviſione, & affectionibus Infiniti. 189.
Quæſtio II. Num de facto detur Infinitum per eſſentiam, vel creatum Categorematicum, vel Syncategorematicum. 191.
Quæſtio III. Utrùm ſaltèm ſupernaturaliter poſſit creari Infinitum Categorematicum, vel Syncategorematicum in eſſentia. 192.
Quæſtio IV. An ſupernaturaliter dari poſſit Infinitum Categorematicum, vel Syncategorematicum in magnitudine, ſeu quantitate continua. 195.
Quæſtio V. An ſupernaturaliter poſſit dari Infinitum Categorematicum, vel Syncategorematicũ in multitudine ſeu numero. 198.
Quæſtio VI. Utrùm ſupernaturaliter poſſit dari Infinitum Categorematicum, vel Syncategorematicum in intenſione. 200.

DISTINCTIO XIV.
De Loco.

Quæſtio I. De acceptione, exiſtentia, & diviſione Loci. pag. 203.

Quæ-

Quæſtio II. De quidditate, & definitione Loci. 204.
Quæſtio III. De Loci immobilitate ac attributis ejus. 208.
Quæſtio IV. An omnes res ſint in aliquo Loco? 210.
Quæſtio V. Utrùm plures res poſſint ſimul locari in eodem Loco? 212.
Quæſtio VI. Utrùm eadem res poſſit eſſe ſimul in pluribus Locis adæquatis? ubi etiam de natura actionis replicativæ. 215.
Quæſtio VII. Utrùm poſſit aliqua creatura produci abſque ullo Loco? & de Locis imaginariis. 220.

DISTINCTIO XV.

De Vacuo.

Quæſtio I. De quidditate, & poſſibilitate Vacui, ac mediis illud naturaliter impediendi. pag. 222.
Quæſtio II. An datô Vacuô poſſit in eo exerceri aliquis motus? 226.

DISTINCTIO XVI.

De Duratione rerum.

Quæſtio I. De quidditate Durationis, & duabus ſpeciebus ejus æternitate ſcilicet, & ævo. pag. 227.
Quæſtio II. De tertia ſpecie Durationis ſcilicet tempore. 230.

DISTINCTIO ULTIMA.

De Inceptoone, & Deſitione rerum.

Quæſtio I. An DEUS potuiſſet condere aliquam creaturam æternam? pag. 232.
Quæſtio II. De temporali Inceptione & Deſitione rerum. 234.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Fabrica Mundi, & Cœli.

DISTINCTIO I.

De Mundo.

Quæſtio I. De quidditate & unitate Mundi. pag. 236.
Quæſtio II. De Architecto Mundi, ejuſque coordinatione, perfectione & figura. 238.
Quæſtio III. De temporanea creatione Mundi. 240.
Quæſtio IV. De tempore inceptionis, & immutationis Mundi. 242.

DISTINCTIO II.

De Cœlo.

Quæſtio I. De quidditate & natura Cœli. pag. 245.
Quæſtio II. De forma Cœli, ejuſque diverſitate ab Elementis. 247.
Quæſtio III. De incorruptibilitate, perfectione, & ſoliditate Cœli. 249.

DISTINCTIO III.

De Aſtrologia.

Quæſtio I. De Numero Cœlorum. pag. 253.
Quæſtio II. De vero ſyſtemate, & ſitu Cælorum reſpectu terræ. 256.
Quæſtio III. De circulis excentricis, & epicyclis Cœlorum Planetarium. 260.
Quæſtio IV. De Periodis motuum cœleſtium. 262.

Quæſtio V. De vero principio efficiente motuum Cœlorum. 265.
Quæſtio VI. Varia circa motus Cœlorum, & eorum diſtinctionem expenduntur. 267.
Quæſtio VII. De numero, differentia, quantitate, & varietate Stellarum fixarum. 268.
Quæſtio VIII. De proprietatibus, & effectibus duodecim Signorum Zodiaci. 271.
Quæſtio IX. De Stellis erraticis, ſeu Planetis. 274.
Quæſtio X. De maculis Solis, Lunæ, & aliorum Planetarum, Eclypſibus, ſcintillatione Stellarum, Noviluniis, ac Pleniluniis. 277.
Quæſtio XI. De Luce, Lumine, & aliis accidentibus Cœlorum. 280.
Quæſtio XII. De compoſitiore cœleſtis Sphæræ. 283.
Quæſtio XIII. De influxibus veris Cœlorum & Aſtrorum in ſublunaria. 286.
Quæſtio XIV. In quæ ſublunaria in ſpecie directè influant Planetæ & Aſtra? 287.
Quæſtio XV. De influxu Planetarum, & Aſtrorum in animam rationalem, & per quid influant. 290.
Quæſtio XVI. De Aſtrologiæ judiciariæ circa libera damnatione, & incertitudine. 293.
Quæſtio XVII. De Aſtrologiæ circa naturalia permiſſione, & extenſione. 295.

TRACTATUS TERTIUS.

De Elementis.

DISTINCTIO I.

De Elementis in Communi.

Quæſtio I. De quidditate, numero & forma conſtitutiva Elementorum. pag. 298.
Quæſtio II. De figura, præſtantia, & puritate Elementorum. 301.
Quæſtio III. Qua ratione Elementa remaneant in mixtis. 303.
Quæſtio IV. De generatione, corruptione, & converſione Elementorum. 305.
Quæſtio V. De definitione, exiſtentia, & natura primarum qualitatum activarum Elementorum. 308.
Quæſtio VI. De definitionibus ſingularum primarum qualitatum, & eorum inexiſtentia in Elementis. 310.
Quæſtio VII. Utrùm aliquæ qualitates primæ, vel ſecundæ contrrriæ poſſint eſſe ſimul in eodem ſubjecto. 312.
Quæſtio VIII. De qualitatibus motivis Elementorum. 315.

DISTINCTIO II.

De quatuor Elementis in particulari.

Quæſtio I. De Terra. pag. 317.
Quæſtio II. De Aqua. 319.
Quæſtio III. De Aëre. 322.
Quæſtio IV. De Igne. 323.

TRA-

TRACTATUS QUARTUS.

De Generatione & Corruptione, aliiſque Motibus.

DISTINCTIO I.

De Generatione & Corruptione.

Quæſtio I. De quidditate; & exiſtentia Generationis ſubſtantialis. 325.
Quæſtio II. De ſubjecto, & termino Generationis ſubſtantialis. 328.
Quæſtio III. An Generatio ſubſtantialis inanimatorum peragatur in inſtanti. 330.
Quæſtio IV. De diſtinctione Generationis ſubſtantialis â Corruptione, Converſione, & Alteratione. 332.
Quæſtio V. De illo axiomate, Generatio unius eſt Corruptio alterius, & ècontra, deque prioritate eorum. 334.
Quæſtio VI. De Generatione viventium, ſeu animatorum ut ſic. 336.
Quæſtio VII. De Generatione ſpeciali viventium, quæ fit per propagationem, ubi de ſemine. 337.
Quæſtio VIII. De peculiari hominis procreatione, & concurſu activo parentum. 339.
Quæſtio IX. De particulari organizatione, animatione hominis; aliiſque Generationem ejus concernentibus. 341.
Quæſtio X. Anatomia de ſingulis partibus corporis humani in particulari. 344.
Quæſtio XI. De Generatione viventium è putri. 352.

DISTINCTIO II.

De Corruptione.

Quæſtio I. De quidditate, exiſtentia, ſubjecto, termino, ſucceſſione, & aliis Corruptionis ſubſtantialis. pag. 353.
Quæſtio II. Utrùm in Corruptione compoſiti fiat reſolutio uſque ad materiam primam. 355.
Quæſtio III. Utrùm compoſitum ſemel corruptum poſſit idem numerô reparari. 357.

DISTINCTIO III.

De Nutritione viventium.

Quæſtio I. De quidditate, & exiſtentia Nutritionis viventium. 361.
Quæſtio II. De vero nutrimento, potentia nutritiva, & modo, quo. 363.
Quæſtio III. An, & quô modô vivens alitum totô tempore vitæ idem numerô perſeveret. 366.

DISTINCTIO IV.

De Augmentatione, & Diminutione.

Quæſtio I. De quidditate, exiſtentia, & ratione formali Augmentationis. pag. 368.
Quæſtio II. De diſtinctione, ſucceſſione, & terminatione Augmentationis. 370.
Quæſtio III. De diminutione, & interitu viventium. 371.

DISTIN-

DISTINCTIO V.

De Alteratione.

Quæſtio I. De quidditate, exiſtentia, diviſione, diſtinctione, & ſucceſſione Alterationis. pag. 373.
Quæſtio II. An, & qua ratione in Alteratione fiat intenſio, & remiſſio qualitatis. 375.
Quæſtio III. An gradus qualitatis intenſæ & remiſſæ ſint homogenii? ubi etiam alia quæſita expediuntur. 378.

DISTINCTIO VI.

De Rarefactione, & Condenſatione.

Quæſtio I. De quidditate, & exiſtentia Rarefactionis, & Condenſationis. pag. 380.
Quæſtio II. Varii modi Rarefactionem, & Condenſationem ſuadentes reijciuntur. 381.
Quæſtio III. Stabiliuntur duo modi magis probabiles, quibus fit Rarefactio, & Condenſatio. 384.

DISTINCTIO VII.

De Mixtione, & Mixto.

Quæſtio I. De quidditate & exiſtentia Mixtionis. pag. 389.
Quæſtio II. De Mixto & Mixtorum temperamento. 391.

DISTINCTIO VIII.

De Actione phyſica, Reactione, & Antiperiſtaſi.

Quæſtio I. An detur Actio ſimilis in ſimile, & in ſeipſum? pag. 393.
Quæſtio II. De Actione per Antiperiſtaſim, per reflexionem. & de Reactione. 395.

PHYSICA

PHYSICA

SEU

DE ENTE NATURALI.

Digitized by Google

TRACTATUS PRIMUS.

IN OCTO LIBROS PHYSICORUM.

PRÆFATIO.

P*Hyſica eſt vaſtiſſima totiùs Philoſophiæ pars, utpote complectens complures Tractatus de rebus naturalibus compoſitos ab Ariſtotele, videlicet octo Phyſicorum libros; item quatuor de fabrica Cæli, & Mundi, ac de Elementis: item duos de Ortu, & interitu: item duos de meteoris: item tres de anima: & pluresalios, in quibus diſſerit de natura, & proprietatibus animalium, de ſomno ſcilicet, & vigilia; de ſenectute & juventute: item de mineralibus: de plantis &c. Præſenti Tractatu exordiar hujus amenæ, & curioſæ facultatis traditionem à Tractatu in octo Phyſicorum libros, quos Ariſtoteles appellat libros Acroamaticos, id eſt* Auſcultatorios; *& coñuniter* de auditu phyſico *inſcribuntur; quia continent materiam auditoribus in ſchola dictatam, & auſcultatam; & quidem valdè ſubtilem, ac obſcuram; ut proinde rectè à Latinis libri auſcultatorij vocentur, id eſt tales, quæ auſcultatione Magiſtri Ariſtotelis explanantis egent, ut advertunt Galenus in fragm.* de ſubſtantijs natural. facultat. *Et Plutarchus* in vita Alexandri, *Ammonius, Simplicius, Aulus Gellius, & alij AA. Priuſquam autem hoſce libros iſtò meò Tractatu illuſtrem, more conſuetò præmittam Diſtinctionem unam Prologeticam in univerſam Phyſicam, utpote cujus præliminaris doctrina præſupponi debet ad omnes tractatus phyſicos. Unde eſto*

DISTIN-

DISTINCTIO I. PROOEMIALIS
DE PROLEGOMENIS PHYSICÆ.

QUÆSTIO I.
De notione; quidditate; reſtauratione; dignitate; & utilitate Phyſicæ.

1. *Quid nominis Phyſica.*

NOta primò: Si notionem nominis ſpectes, hoc vocabulum *Phyſica* eſt Græcum, derivatum â ly *phyſis* id eſt natura; eò quòd facultas Phyſica naturam, ſeu corpus naturale contempletur, ut ſuum objectum; unde etiam ſolet vocari *Phyſiologia*, id eſt, *Sermo de natura*, item *Philoſophia naturalis*; in cujus indagine, & rerum naturalium cognitione toti quanti erant veteres Philoſophi, ante Socratem Philoſophiæ moralis, ſeu Ethicæ primum publicum cultorem, & ante Platonem Dialecticæ Inſtitutorem; utì teſtatur Laërtius *in Plat.* Circa ejus quidditatem

2. *Definitio Phyſicæ.*

Dico primò: bene deſcribitur Phyſica, quòd *ſit ſcientia ſpeculativè tractans de corpore naturali, quà tali.*

Probatur: hæc deſcriptio adæquatè exprimit quidditatem Phyſicæ, eámque diſtinguit â quacunque alia ſcientia: Ergo &c. Ly *Scientia* eſt genus: reliqua ſubeunt rationem differentiæ: dicitur autem Phyſica eſſe *Scientia*, ut obvietur quibuſdam priſcis AA; qui eam opinionem ſtatuebant; cùm tamen ipſa de ſuo objecto, id eſt, de corpore naturali demonſtret paſſiones; ut quòd ſit diviſibile; quòd conſtet partibus; quòd ſit mobile; quòd habeat in ſe principium receptivum motûs &c. ut ampliùs ſequenti quæſtione dicam. Dicitur *Scientia ſpeculativè tractans*, ut Phyſica diſcriminetur à ſcientijs practicis; cujuſmodi eſt Ethica. Dicitur *de corpore naturali*, ut exprimatur objectum materiale Phyſicæ, quod eſt corpus naturale, id eſt, quod conſtat naturâ; eſt autem natura principium motûs, & quietis, quô corpus per naturam conſtitutum movetur ad terminum ſibi ex vi ſuæ nativitatis, & eſſentiæ debitum, ſeu convenientem, ſéque ſub eodem naturaliter conſervat; talia principia ſunt materia prima, & forma ſubſtantialis reſpectu corporum mixtorum. Additur *quà tali*, ut oſtendatur objectum formale Phyſicæ, quod eſt naturalitas corporis naturalis; unde Phyſica ut conſiderat corpus naturale ſub hac ratione formali naturalitatis differt à Medicina, quæ etſi etiam corpus naturale conſideret; ſub alia tamen ratione hoc facit, puta ſub ratione formali curabilitatis: quare etſi iſtæ duæ facultates ſint valde affines; nam *ubi deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus*; realiter tamen diſcriminatæ ſunt per præfatas rationes formales.

3. *Quis reſtaurator Phyſica.*

Nota ſecundò: primarium reſtauratorem Phyſicæ, olim in multis jam obſoletæ, & extinctæ: maximè in Europa, & Græciæ partibus ob diluvium, quod ſub Deucalione Græciam totam inundavit; fuiſſe Thaletem Mileſium, unum ex ſeptem Græciæ Sapientibus, ut habet Philoſophus *1. Met. cap. 3.* & qui vixit tempore Ezechielis, ac Danielis Prophetarum; ut ſcribit D. Auguſtinus *8. de Civit. 2.* quam deinde limavit, & ſuis numeris abſolutam reddidit Ariſtoteles.

4. *Phyſicæ dignitas.*

Nota tertiò: inter ſcientias naturales ſpeculativas poſt Metaphyſicam eſſe digniorem omnium Phyſicam; ut habet Ariſtoteles *6. Met. cap. 1.* Et Scotus in idem cap. *tex. 3.* Et eſt ratio; quia dignitas ſcientiæ deſumitur ab objecto: ſed Phyſica differit de objecto digniori, quàm aliæ ſcientiæ naturales ſpeculativæ: Ergo &c. Prob. min. Phyſica differit de corpore animato, quod eſt dignius quàm quantitas, quæ eſt objectum Mathematicæ, & quodcunque aliud objectum alterius ſcientiæ poſt Metaphyſicam: Ergo &c.

5. *Phyſicæ utilitas.*

Nota quartò: Phyſicam afferre ſingulare emolumentum alijs ſcientijs; nam adju-

adjuvat Dialecticam, offerendo pluri-mas primas intentiones phyſicæ conſi-derationis, utpote cognitas per cognitio-nem ſenſibilium, & materialium, ut ſu-per eas titè fundare poſſit ſuas intentio-nes ſecundas. Eſt utilis ad diſciplinas Mathematicas; quia offert quantitatem cum materia conjunctam, ejúſque paſſio-nes evolvit; ex quantitatis autem con-junctæ cognitione aptiùs Mathematica deinde penetrat naturam quantitatis ab-ſtractæ à materia. Aſtrologiæ præſentat ſcientiam luminis, coloris, ac eorum quæ attinent ad aſpectum; opitulatur quoque Medicinæ; quia naturas rerum, herba-rum, plantarum, animalium &c. expen-dit; quorum notitia utilis eſt Medico. Metaphyſicæ inſervit; nam in Phyſica de primo motore agitur; ex cujus notitia ſcientia intelligentiarum deprehenditur, quæ ad Metaphyſicam pertinet. Patroci-natur Ethicæ; quia potentias liberas, ea-rúmque actus & habitus examinat, quod proficuum eſt Ethico. Inſuper Theolo-giæ adminiculatur; nam ut ait D. Auguſt. *8. Civit. cap. 6. ex mobilibus ad unum immo-bile; ex mutabilibus; ad DEUM immutabi-lem; ex corporeis ad ſupremum incorporeum; & ex viſibilibus creatis ad inviſibilem Crea-torem cognoſcendum pervenimus.* Et quia in Geneſi, Eccleſiaſtico, Job, & Pſalmis plura commemorantur phyſica, quæ ſi ignoret Theologus, facilè errabit Theo-logizando.

QUÆSTIO II.

An; & qualis Scientia ſit Phy-ſica?

1. *Phyſica eſt ſcientia.*

Dico primò: Phyſica eſt ſcien-tia cum omni proprietate. Ita Scotus *q. 3. Univerſ.* Et *3. diſt. 22. q. unic.* & com-munis Peripatet, contra A-cademicos.

Probatur: Tum authoritate Ariſto-telis; qui *6. Phyſ. cap. 1.* diviſit ſcientiam ſpeculativam ut ſic in Phyſicam, Meta-phyſicam, & Mathematicam: & conſe-quenter rationem ſcientiæ attribuit Phy-ſicæ tanquam ſpeciei contentæ ſub ſcien-tia ut ſic. Tum ratione: Phyſica eſt cogni-tio certa, & evidens; & demonſtrat de ſuo objecto videlicet corpore naturali, veras paſſiones: Ergo eſt ſcientia cum o-mni proprietate. Conſequentia tenet; quia ſcientia habetur per demonſtratio-nem. Prob. ergo Ant. Phyſica demon-ſtrat corruptibilitatem, dum ſic arguit; omne corpus conſtans ex elementis eſt corruptibile quia ex contrarijs conſla-tur: ſed corpus humanum eſt hujuſmodi: Ergo eſt corruptibile: item dum ſic ſyllo-gizat; corpus conſtans materia prima eſt corruptibile: quia radix corruptibilitatis eſt materia prima ex Scoto *citat.* ſed cor-pus naturale conſtat materiâ prima: Ergo eſt corruptibile: Ergo Phyſica demon-ſtrat paſſiones de ſuo objecto videlicet corpore naturali. Tum quia omnes con-ditiones ſcientiæ propriæ conveniunt Phyſicæ, quas in Logica *Tract. 1. diſt. 1. quæſt. 2. not. 7.* adduxi, ut patet diſcurrenti per ſingulas: Ergo &c.

Objicies: ut aliqua notitia ſit ſcien-tia cum omni proprietate, requiritur, ut ſit de objecto, noto, determinato, & ne-ceſſario, ut habet Philoſophus *1. Poſter. 2.* ſed Phyſica non eſt de objecto noto, ſed ignoto, indeterminato, & contingenti: Ergo &c. Prob. min. Phyſica eſt de mate-ria prima ut objecto: ſed hæc eſt ignota *7. Met. 35.* item eſt indifferens ad omnes formas, & contingens; quia ex eodem Philoſopho *cit. text. 22.* materia eſt, quâ res poteſt eſſe, vel non eſſe: Ergo &c. Re-ſpondeo neg. min. ad ejus probat. gloſſo Philoſophum *quoad primum locum*, & di-co, eum non loqui de materia, ut capitur pro parte ſubſtantiali Phyſica, de qua hic; ſed de materia ut capitur pro differentia individuali, quæ non cognoſcitur cogni-tione ſcientifica, ut obſervat Scotus *3. ci-tat.* Ad *ſecundum locum* dico, materiam primam non obſtante ſuâ indifferentiâ quoad formas recipiendas eſſe in ſe ens determinatæ entitatis, & eſſentiæ. Simili-ter *ad Tertium* dico, eandem materiam quoad prædicata ſua eſſentialia eſſe neceſ-ſarium quid; & non contingens.

2. *Quædam objecta dilucidantur.*

Dico ſecundò: Phyſica eſt de nu-mero ſcientiarum ſpeculativarum. Ita Scotus *3. diſt. 34. quæſt. unic.* & communis Scotiſtarum; conſentit quoque Plato apud Alcinonem *lib. de Doct. Platonis cap. 7.*

3. *Phyſica eſt ſcientia ſpeculativa.*

Probatur. Tum authoritate Ariſto-telis, qui concluſionem aſſerit *2. Met. text. 3.* Tum authoritate D. Auguſtini *8. Civ. cap. 4.* dicentis, naturalem Philoſo-phiam (quo nomine venit Phyſica) con-templationi deputari, id eſt ſpeculationi: Ergo eſt de numero ſcientiarum ſpecula-tivarum. Tum ratione; objectum Phy-

ſicæ

ſicæ puta corpus naturale eſt objectum ſpeculabile; quia ab Ariſtotele *6. Met. cap. 1.* ſtatuitur unum de tribus objectis contemplativis: Ergo ſcientia Phyſicalis ab eo ſpecificatur in ratione ſcientiæ ſpeculativæ. Tandem Phyſica in nulla ſui parte dirigit praxim; neque intellectus phyſicè philoſophando ſeſe extendit: Ergo &c.

4. *Objectiones contra ſpeculativi rationem in Phyſica.*

Objicies *primò*: Phyſica ordinatur ad praxim: Ergo eſt ſcientia practica. Prob. Ant. Phyſica ordinatur ad amorem DEI ut cauſæ primæ ex cognitione cauſarum naturalium; ut patet ex Apoſt. *ad Rom. 1.* illis verbis, *inviſibilia enim DEI à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*: Ergo Phyſica ordinatur ad praxim. *Secundò* Ariſtoteles adverſatur Concluſioni; Ergo &c. Prob. Ant. *1. de part. animalium cap. 2.* ait, Phyſicam habere modum demonſtrandi, & certitudinis rationem diverſam ab illa, quæ reperitur in ſcientijs ſpeculativis. Ergo &c.

5. *Diſſolvuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Ant. Phyſica ordinatur ad praxim per accidens Conc. Ant. per ſe Neg. Ant. Itaque finis Phyſicæ per ſe non eſt praxis, puta DEI amor, reſultans ex cognitione creaturarum; ſed eſt ſpeculatio corporis naturalis: & per accidens eſt, quod aliquis Phyſicus ex cognitione creaturæ mundi ad inviſibilis Dei amorem ceu praxim quandam inflammetur. *Ad Secundum* Neg. Ant. & ad Probat. ejus dico, Ariſtotelem tantùm velle, quòd Phyſica non habeat tam facilem, ac evidentem modum demonſtrandi, ſicut diſciplinæ Mathematicæ, de quibus loquitur *cit. loco*; eò quòd Phyſica contempletur res materiæ immixtas, ad quarum acquiſitionem longâ experientiâ indigemus; non ſic ſcientiæ Mathematicæ, quæ contemplantur res ut abſtractas â materia ſenſibili; quæ proinde faciliùs attinguntur, & ideo modum magis ſpeculativum induere videntur.

6. *Phyſica non eſt una unitate ſimplicitatis.*

Dico tertiò: Phyſica non habet unitatem alicujus ſimplicis qualitatis; ſed unitatem aggregationis, & Ordinis. Prima pars colligitur ex Scoto *6. Met. quæſt. 1.* & eſt Scotiſtarum communiter; contra Thomiſtas, & Ruv. Henri. Ferr. Secunda eſt contra P. Columb. Pro intellectu concluſionis remitto Lectorem ad ea, quæ dixi in Logica *Tract. 1. in proœmilia Logicæ; diſt. unic. quæſt. 8. notab. 1.* de varijs ſpeciebus unitatis.

Probatur prima pars: Tum à paritate Logicæ, quæ non eſt una ſimplex qualitas: Ergo nec Phyſica. Tum quia actus ſcientifici diverſi generant ſcientiam diverſam; habitus enim diverſificantur & ſpecificantur ab actibus: ſed in Phyſica ſunt plures actus ſcientifici diverſi: Ergo generant habitus ſcientificos diverſos; ac proinde totus habitus Phyſicæ non eſt una ſimplex qualitas. Prob. min. objecta Phyſicalia ſunt ſpecie diverſa, v. g. materia prima, cælum, elementum, anima &c. Ergo & actus ſcientifici, & demonſtrativi de ipſis ſunt diverſi; quia actus ſpecificantur per objecta. Tum quia ſunt diverſæ difficultates ad aſſentiendum omnibus Concluſionibus Phyſicalibus; adeoque poni debent habitus facilitantes diverſi.

Nota itaque primò: Phyſicam in ſua totalitate conſideratam coaleſcere ex pluribus habitibus ſpecie diſtinctis, qui geniti ſunt ab actibus ſeu concluſionibus ſpecie diſtinctis, & habentibus ſpecie diſtinctas difficultates; hujuſmodi porro actus, & concluſiones frequentatæ, ac repetitæ natæ ſunt ſibi proportionatos habitus gignere; quibus intellectus phyſicè facilitatur ad ſimiles actus rurſus promptè eliciendos. 7. *Sed aggregationis plurium habituum.*

Probatur ſecunda pars: Phyſica ex dictis continet plures ſpecie diſtinctos habitus, propter objecta ſpecie diſtincta: ſed ejuſmodi habitus non habent inter ſe aliquam unionem, & unitatem phyſicam per ſe: Ergo tantùm unionem, & unitatem aggregationis, ſeu ordinis. Prob. min. quivis habitus ſpecialis phyſicus eſt ſpecies completa qualitatis, directè in prædicamento collocabilis: Ergo non poteſt facere unionem, & compoſitionem cum alio ſimiliter completo; & conſequenter omnes ſimul ſumpti non habent inter ſe unionem, & unitatem phyſicam per ſe; adeoque tantùm unionem aggregationis, & ordinis, quatenus omnes iſti habitus in intellectu ſimul conſtituuntur cum aliquo ordine; ordinantur enim omnes ad rectè philoſophandum de corpore naturali, ejuſque ſpeciebus.

Nota ſecundò: poſſet tamen Phyſicæ concedi etiam aliqua unitas generica, & ſpecifica: *Generica* quatenus videlicet habet objectum unum puta corpus naturale; cujus proinde unitas redundat 8. *Aliqua tamen unitas generica, & ſpecifica phyſicè concedi poteſt.*

BIBLIOTECA ... ROMA ...

etiam in ſcientiam phyſicalem: *Specifica* etiam illi concedi poteſt; quia Phyſica eſt vera ſpecies ſcientiæ ut ſic; adeoque aliquam unitatem ſpecificam habet. Verùm quia unitas ſcientiarum, quæ deſumitur ab objectis, eſt extrinſeca, & impropria; idcirco & hæc unitas generica, & ſpecifica Phyſicæ extrinſeca, ac impropria erit. Deinde quod propriè dictam genericam unitatem habet, eſt proximè collocabile in prædicamento: ſed Phyſica ut importat pluralitatem habituum ſpecie diſtinctorum non eſt proximè collocabilis in prædicamento: quia eſt ens per accidens, puta aggregatum ex pluribus entibus completis: Ergo non habet unitatem genericam propriam.

9\. *Phyſica non ſubalternatur ulli ſcientiæ.*

Dico quartò: Phyſica non ſubalternatur propriè Metaphyſicæ; nec ulli alteri ſcientiæ. Ita colligitur ex Scoto *q. 3. Prol. ¶. ad primum argum.* Et ſequuntur Trombet. Colum. Canonic. eſt contra Complut. & alios apud Fonſec. Pro intellectu concluſionis remitto Lectorem ad ea quæ dixi fuſiùs in Logica *Tract. 8. in lib. Poſt.* de conditionibus ſcientiæ ſubalternatæ.

Probatur: Phyſicæ non conveniunt conditiones ſcientiæ ſubalternatæ: Ergo &c. Prob. Ant. una ex conditionibus eſt, *quod objectum ſubalternatæ contineatur ſub objecto ſubalternantis*: ſeu ut habeant idem objectum: ſed Phyſica non habet idem objectum cum Metaphyſica, aut ulla alia ſcientia; quia Metaphyſicæ objectum eſt ens; aliarum verò alia; Phyſicæ verò corpus naturale quà tale: Alia conditio eſt, *ut objectum ſubalternatæ addat differentiam accidentalem*: ſed objectum Phyſicæ non accidentali; ſed eſſentiali differentiâ, quæ eſt naturalitas, contrahitur: Tertia eſt, *ut principia ſubalternatæ ſint Concluſiones probatæ & demonſtratæ in ſubalternante*: ſed Phyſica non habet ejuſmodi principia; ſed ſua propria, per ſe evidentia, & per ſe nota; v. g. hæc & ſimilia; *datur motus; datur natura &c.* quæ nec â Metaphyſica, nec ab ulla alia ſcientia demonſtrantur, aut pendent: Ergo Phyſicæ non conveniunt conditiones ſcientiæ ſubalternatæ.

10\. *Phyſica ſolùm impropriè ſubalternatur Metaphyſicæ.*

Obijcies: Philoſophus *1. Poſt. 8.* ait, Metaphyſicam ſuppeditare principia cæteris diſciplinis, eáque probare, & corroborare: Ergo etiam ſuppeditat Phyſicæ principia, eáque demonſtrat, & probat, & conſequenter Phyſica Metaphyſicæ ſubalternatur. Reſpondeo; ex dicto Philoſophi ſolùm haberi, quòd Phyſica impropriè, & ſecundùm quid ſubalternetur Metaphyſicæ; quatenus Metaphyſica aliquomodo principia Phyſicæ probat, ejus quidditatem, & eſſentiam in communi limpidiùs perſpiciendo; quia tamen Phyſica pollet proprijs principijs per ſe notis, & independentibus â Metaphyſica; inſuper quia reperitur differentia eſſentialis alia in objecto Phyſicæ, quàm in objecto Metaphyſicæ, idcirco Phyſica non ſubalternatur propriè Metaphyſicæ.

QUÆSTIO III.

De Objecto Phyſicæ.

HIc recolendæ erunt â Lectore variæ diviſiones objecti ut ſic, quas tradidi & explicui in Logica *tract. 1. in Proœmiali Logicæ diſt. un. quæſt. 5.* tres itidem conditiones objecti adæquati ibidem propoſitæ. Deinde pro intellectu dicendorum.

1\. *Quid corpus Mathematicum, animatum, & phyſicum.*

Nota primò: triplex communiter commemorari corpus in Phyſica, ſcilicet Mathematicum, animatum, & phyſicum ſeu naturale. *Corpus Mathematicum* eſt quod conſtat trina dimenſione, videlicet longitudine, latitudine, & profunditate. *Corpus animatum* eſt illa pars viventis, quæ ab anima informatur. *Corpus phyſicum ſeu naturale* eſt ſubſtantia aliqua corporea completa, coaleſcens ex materia, & forma ſubſtantiali.

Nota ſecundò: Ly *naturale* ſecundùm Scotum 4. diſt. 43. q. 4. eſſe vocem æquivocam; ac proinde varias pati uſurpationes. *Primò* enim uſurpatur pro eo, quod contradiſtinguitur â ſupernaturali; hoc ſenſu dicimus aquam calefieri naturaliter, id eſt ſinè ſpeciali DEI auxilio, etſi aliàs violenter calefiat. *Secundò* accipitur pro eo, quod diſtinguitur â violento; hoc ſenſu dicimus naturale eſſe igni calefacere, quia juxta ejus nativam exigentiam eſt. *Tertiò* pro eo, quod alicui â nativitate convenit; hoc ſenſu Æthiops niger â nativitate, dicitur naturaliter niger. *Quartò* pro eſſentia alicujus rei, quæ natura appellatur; hoc ſenſu dicimus, homo eſt naturaliter diſcurſivus. *Quintò* pro eo, quod opponitur libero; hoc ſeſu iraſci ſubitò, & omnia facta motu primo, ac in- 2.

Variæ acceptiones hujus vocis naturale.

deli-

deliberatè dicimus eſſe naturaliter facta. *Sextò* tandem ſumitur pro eo, quod opponitur artificiali, id eſt facto per motum extrinſecum artificis: unde hoc ſenſu omne id eſt naturale, quod habet in ſe principium motûs & quietis; cùm autem ſolum compoſitum ex materia & forma poſſit eſſe principium motûs & quietis, idcircò omne tale propriè naturale dicendum eſt; tale eſt homo, planta &c. & de naturali in hac acceptione loquar in præſenti quæſtione.

3. *Corpus mobile, & naturale differunt.* Nota tertiò: Etſi nonnulli DD. ſynonimè accipiant ly ens mobile, corpus mobile, & corpus naturale: Synonima tamen non ſunt; quia ens mobile eſt quid communius, & abſtractius, quàm corpus mobile, & corpus naturale: Angelus enim eſt ens aliquô modô mobile, & tamen eſt incorporeus. Intelligitur autem per ens mobile illud ens, quod habet naturam talem, quæ poteſt moveri; talem habet homo, leo, &c.

Dico primò: Ens mobile quà tale non ſtatuitur bene pro objecto materiali

4. *Ens mobile non benè ſtatuitur objectum adæquatū Phyſicæ.* adæquato, & attributionis Phyſicæ. Ita Scotus *1. Met. q. 1.* & *6. Met. q. 1.* & cum eo Mont. Leal. Columb. & communis Scotiſtarum; contra Thomiſtas, Conimb. Fonſec.

Probatur *primò*: Ens mobile quà tale conſideratur in gratiam alterius: Ergo non ſtatuitur bene pro objecto materiali adæquato, & attributionis Phyſicæ. Conſequentia tenet; quia una ex conditionibus objecti adæquati, ac attributionis eſt, ut omnia in gratiam ipſius conſiderentur, & attribuantur aliquomodo; ipſum verò non conſideretur in gratiam alterius, neque alteri attribuatur. Prob. ergo Ant. ens mobile quà tale ſupponit aliquod naturale, ſeu naturam, ex qua mobilitas phyſica pullulat; quia ut ens moveatur phyſicè debet habere principium talis motûs phyſici; tale autem eſt natura, de qua dicit Philoſopus, quòd ſit principium motûs & quietis: Ergo ens mobile conſideratur in gratiam naturæ, ſeu alicujus entis naturalis, puta materiæ, vel formæ. *Secundò*: mobilitas eſt paſſio tantùm; ſcientia autem non conſiderat per ſe primò paſſionem; ſed quidditatem & eſſentiam rerum naturalium, ex quibus oriuntur proprietates. *Tertiò*: Ens phyſicum non ſolùm eſt mobile; ſed etiam quieſcibile; cùm natura phyſica utrumque æquè importet, *eſt enim principium motûs & quietis*: Ergo ens non ſolùm ut mobile; ſed etiam ut quieſcibile deberet eſſe objectum adæquatum Phyſicæ. *Quartò*: vel per mobilitatem Adverſarij intelligunt paſſionem fluentem à corpore naturali; vel radicem talis paſſionis: ſi primum, nequit ens ſub hac ratione eſſe objectum adæquatum; quia ut bene obſervat Scotus *6. Met. q. 1.* eſt paſſio valde remota; ſupponit enim quantitatem, & alia, quæ requiruntur ad mobilitatem proximam: deinde ſequeretur Phyſicam eſſe ſubordinatam Metaphyſicæ, quia ad Metaphyſicam pertinet conſiderare non ſolùm ens; ſed etiam paſſiones entis, cujuſmodi eſt mobilitas: Ergo &c.

Nota quartò: ijſdem argumentis refutari poſſunt illæ opiniones, quæ aſſignant pro objecto Phyſicæ, corpus mobile; vel ſubſtantiam mobilem, utì facit Avicennas, Albertus Mag. &c.

Objicies primò: Philoſopus aſſignat ens mobile pro objecto Phyſicæ: Ergo &c. Prob. Ant. nam propterea definit motum *3. Phyſic. tex. 6.* quòd ſit actus entis in potentia. *Secundò 6. Met. cap. 1.* docet Philoſophiam naturalem occupari circa ens. *Tertiò 5. Met. text. 1.* ait, quòd *Phyſica ſit ſpeculativa circa tale ens, quod eſt poſſibile moveri*: Ergo &c.

Reſpondeo *ad primum* Neg. Ant. & 5. *Quædam objecta expediuntur.*
gloſſo Philoſophum, dicoque eum primo loco nomine *entis*, non intelligere ens tranſcendentaliter ſumptum, ut eſt quid latè patens; ſed ens particulare phyſicum, id eſt ſubjectum motûs, quod eſt corpus naturale, ut colligitur ex eodem *6. Met. text. 15.* *Ad ſecundum* locum pariter dico, eum loqui *cit. 6.* de ente ut coincidit cum corpore naturali; unde ipſemet ibidem ait, Phyſicam ſpeculari ſubſtantiam naturalem, ut bene advertit Scotus, id eſt corpus naturale. *Ad tertium* eſt eadem gloſſa in eundem Philoſophum adhibenda.

Objicies ſecundò Scotum; quì *queſt.* 6. *Quo ſenſu Scotus corpus mobile ſtatuat pro objecto Phyſicæ.*
3. & 35. Univerſ. ſtatuit pro objecto Phyſicæ corpus mobile: Ergo &c. Reſpondeo *primò*: Scotum *locis citatis* non loqui de ſua mente; ſed in ſententia aliorum, uti etiam facit Ariſtoteles *cap. de quantitate*; præſertim quia gratiâ exempli duntaxat illud dictum affert Doctor *loc. cit.* in exemplis autem dandis non ſemper AA. detegunt ſuam mentem. Reſpondeo *ſecundò* interpretando Doctorem, & dico eum *cit. loco* & alibi loqui tantùm circumloquutivè

quutivè

quutivè, ſumendo mobile pro corpore naturali, hoc eſt proprietatem pro ſubjecto ejus; ſicut facit Philoſophus *5. Met. cap. de quanto*, ubi definit quantum per diviſibilitatem, quæ eſt ejus prima paſſio.

7. *Nec corpus generabile bene ponitur pro objecto adæquato Phyſicæ.*

Dico ſecundò: ſimiliter corpus ut generabile, & corruptibile non rectè ponitur objectum adæquatum Phyſicæ. Colligitur ex Scoto *6. Met. q. 1.* & tenet communis Scotiſtarum; contra Galen. Georg. Rag. &c.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui non ſolùm corpora corruptibilia; ſed etiam incorruptibilia, cujuſmodi eſt cælum, ſub objecto Phyſicæ vult comprehendi, *2. Phyſ. text. 7.* & propterea de cælis agit ſtatim poſt tractatum *8. lib. Phyſic.* Et *1. Cæl.* & *1. Met.* docet, quod omnia, quæ habent naturam, & ſunt mobilia, ad phyſicam conſiderationem pertineant; ſed talia ſunt etiam incorruptibilia multa: Ergo non ſolùm corpus corruptibile eſt objectum Phyſicæ. *Secundò* ratione: non tantùm corpora generabilia, & corruptibilia; ſed etiam incorruptibilia, cujuſmodi ſunt corpora cœleſtia, conſtant verâ naturâ phyſicâ, ut patebit *tract. de fabrica Cæli*: Ergo etiam pertinent ad objectum Scientiæ Phyſicalis; ac proinde priora malè aſſignantur pro objecto adæquato Phyſicæ.

8. *Objectio reſolvitur.*

Objicies: Philoſophus *in 8. Lib. Phyſic.* tantùm tradit principia corporis generabilis & corruptibilis, puta materiam primam, formam ſubſtantialem, & privationem: Ergo ſignum eſt, quòd corpus tale præfigat pro objecto Phyſicæ. Reſpondeo Neg. conſeq. quia etſi in hoc opere *8. librorum Phyſic.* non agat de corporibus incorruptibilibus, eorúmq; principijs; hoc tamen præſtat in alijs, puta in *lib. de Cæl.*

Dico tertiò: neque ſubſtantia ſenſibilis bene collocatur pro objecto adæquato Phyſicæ.

9. *Neque ſubſtantia ſenſibilis aptè collocatur pro objecto Phyſicæ.*

Probatur: Tum quia ſubſtantia ſenſibilis non eſt ens unum per ſe: cùm ſenſibilitas ſit accidens; ex accidente autem, & ſubjecto fit unum per accidens *6. Met. text. 4.* Ergo nequit collocari pro objecto Phyſicæ. Tum quia ſubſtantia ſenſibilis nequit definiri; ſicut debet poſſe definiri objectum adæquatum Phyſicæ: Ergo &c.

Dico quartò: neque ſubſtantia finita naturalis, ut intelligentias comprehendit, debitè locatur pro objecto adæquato Phyſicæ, etiam in ſua latitudine conſideratæ. Deducitur ex principijs Scoti *6. Met. q. 1.* Et tenet Lealis, Monturſ. Columb. & alij Scotiſtæ; contra Maſtr. & Bellut. ac Canonic. Trombet. alioſq; nonnullos Scotiſtas.

10. *Neque ſubſtantia finita naturalis continens Angelos.*

Probatur *primò* authoritate Philoſophi, & Doctoris; qui, ut *in probat. ſequentis concluſionis* patebit, non ſubſtantiam finitam naturalem; ſed corpus naturale aſſignant pro objecto adæquato Phyſicæ: Ergo &c. Et fruſtra ſanè Maſtrius ac Bellutus diſtinguunt de Phyſica ut tradita ab Ariſtotele, & de moderna in ſua latitudine; cùm in nullo eſſentiali tractatu moderna Phyſica ſit ita ampliata ab illa veteri Ariſtotelica, ut novô objectô adæquatô indigeat.

Probatur *ſecundò* ratione: Tum quia ſubſtantiæ finitæ, ut Angelos comprehendit, non conveniunt conditiones objecti adæquati, quas adduxi in Logica *tract. in proœmial. Log. diſt. unic. q. 5. notab. 7.* non prima; quia de ſubſtantia finita naturali, ut comprehendit Angelos non præſupponitur, *an ſit*, & *quid ſit*; quia in nullo Phyſicæ tractatu probatur ejus exiſtentia; neq; adducitur definitio ejus: neq; ſecunda conditio ei convenit; quia nuſquam pariter demonſtrantur ullæ ejus paſſiones per conceptum quidditativum ejus: Ergo &c. Tum quia ſubſtantiæ finitæ naturali, ut comprehendit Intelligentias, non convenit principalis paſſio objecti phyſici, puta mobilitas phyſica ſenſibilis; aliàs etiam conveniret ipſis intelligentijs; quod falſum eſt. Tum quia objectum Phyſicæ eſt pro hoc ſtatu à nobis cognoſcibile naturaliter, & demonſtrabile: ſed ſubſtantia finita naturalis Intelligentias comprehendens non eſt cognoſcibilis naturaliter; aliàs etiam Intelligentiæ ipſæ naturaliter cognoſcerentur, & eorum exiſtentia poſſet demonſtrari; quod falſum eſſe patet ex Scoto *Quodlib. 7.* Ergo &c.

11. *Fundamenta P. Maſtrij.*

Objicies pro Maſtrio *primò*: prima & communiſſima paſſio, quæ in Phyſica conſideratur, eſt mobilitas: Ergo illud ſubjectum, quod habet ejuſmodi paſſionem, erit objectum adæquatum Phyſicæ. Subſumo; ſed ſubſtantia finita naturalis, ut comprehendit Intelligentias, eſt tale ſubjectum; quia Angeli verè ſunt mobiles; cùm poſſint mutari de uno ubi definitivo ad aliud; item de una operatione ad aliam: Ergo &c. *Secundò*: ideo Ari-

ſtoteles

ſtoteles removet à ratione Objecti Phyſicæ intelligentias; quia arbitrabatur eas eſſe immobiles: ergo ſi eas cognoviſſet eſſe mobiles, uti eas reverà eſſe mobiles probat Scotus *2. diſt. 2. q. 9.* utique eaſdem incluſiſſet ſub Objecto Phyſicæ: ſuppoſitâ autem tali incluſione neceſſariò ſubſtantia finita naturalis, ut comprehendens intelligentias, aſſignari deberet Objectum Phyſicæ: quia ſub corpore naturali intelligentiæ comprehendi nequeunt, ob ſui ſpiritualitatem. Idem dicendum de animabus ſeparatis. *Tertiò*: Scotus *6. Met. q. 1.* docet expreſſè, quòd *ſubſtantia ſeparata* (cujuſmodi ſunt intelligentiæ) *ſit ſubjectum ſcientiæ ſecundæ ſpeculativæ* (id eſt Phyſicæ) *poſſibilis intellectus cognoſcentis ipſam ſub propria ratione; ſed non nobis.*

12. *Diſſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Ant. prima, & communiſſima paſſio, quæ in Phyſica conſideratur, eſt mobilitas ſenſibilis Conc. Ant. mobilitas inſenſibilis, & ſpiritualis, qualis eſt in intelligentijs, ſeu Angelis Neg. Ant. Itaque Phyſica conſiderat tantùm mobilitatem ſenſibilem; quia hæc ſola eſt paſſio ſequens conditionem ſubjecti phyſici à cujus principijs fluit, id eſt natura materiæ ſcilicet, & forma phyſica; ex hujus enim principijs fluit ſola mobilitas ſenſibilis: cùm ergo Angeli careant materiâ, & formâ phyſicâ, idcirco mobilitas eorum ſpiritualis inſenſibilis, & à materia ſeparabilis, à Phyſica non conſideratur; ſed à Metaphyſica, quæ res à materia abſtractas expendit. *Ad ſecundum* Diſt. ſimiliter conſeq. ſi eas cognoviſſet mobiles mobilitate ſenſibili, conc. conſeq. mobilitate inſenſibili, & ſpirituali Neg. Conſeq. Itaq; ſi Ariſtoteles cognoviſſet intelligentias eſſe mobiles mobilitate duntaxat ſpirituali, & inſenſibili, eas non incluſiſſet ſuo Objecto Phyſicæ; quia *12. Met. cap. 2.* docet, ſolam ſubſtantiam ſenſibilem, ejuſque motum ad naturalem Philoſophiam (id eſt Phyſicam) attinere. Subſtantiam verò inſenſibilem, & à materia ſeparabilem ad Metaphyſicam; ut etiam habet clariſſimè *2. Phyſic. Text. 26. Ad Tertium* interpretor Scotum, & dico, eum per ſcientiam ſecundam ſpeculativam non intelligere Phyſicam, quæ aliàs in diviſione ſcientiæ ſpeculativæ ut ſic collocatur ſecunda; ſed intelligit Metaphyſicam (cujus eſt conſiderare, & cognoſcere ſubſtantias ſeparatas) quæ quoſdam gradus ſuæ conſiderationis habet; nam in primo gradu conſiderat omnia entia ſecundùm paſſiones communes entis ut ſic; in ſecundo deinde conſiderat determinata entia, cujuſmodi etiam eſt ſubſtantia ſeparata, ſecundùm proprias rationes, & paſſiones de ipſis demonſtrabiles, pro ſtatu iſto nobis incognitas; quare hac ratione Metaphyſica dicitur ſcientia ſecunda ſpeculativa, diſtincta tantùm gradualiter à prima.

Dico quintò: Corpus naturale ut naturale debet ſtatui pro Objecto adæquato, & attributionis Phyſicæ; ita ut naturalitas ſit ratio formalis adæquata, ſecundùm quam determinatur objectum materiale adæquatum ejus. Eſt ad mentem Scoti *6. Met. q. 1.* & ſequuntur Mont. Columb. Lealis, Fuente, Faber. Ant. Andreas, Fraſſen &c. contra Maſtr. & alios Scotiſtas, 13. *Corpus naturale ut tale benè aſſignatur pro objecto adæquato Phyſicæ.*

Probatur primò authoritate Philoſophi; *qui 1. Cœli* in principio ait, *Scientia de natura* (ſubaudi Phyſica) *videtur circa corpora, & magnitudines verſari; cùm natura conſtent*: Sed corpus naturale quà tale eſt naturâ cõſtans: ergo &c. Deinde *6. Met. 1.* docet, quòd ſcientia naturalis, id eſt, Phyſica, ſpeculetur ſubſtantiam corpoream, in qua eſt motûs, & quietis principium: ſed talis ſubſtantia eſt corpus naturale, quà tale: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: corpori naturali quà tali conveniunt omnes conditiones Objecti adæquati, & attributionis: Ergo &c. Prob. Ant. convenit ei prima; quia Philoſophus *2. Phyſic. text. 4.* aſſignat corporis naturalis *quid eſt* ſeu definitionem; & præſupponit, *quia eſt*; cùm non entis non ſit definitio, ſeu *quid eſt*; ſecunda etiam ei convenit; quia idem Philoſophus de corpore naturali demonſtrat paſſiones in *3.* & *4. Phyſic.* per moveri, & eſſe in loco; tertia tandem pariter ipſi convenit; quia omnia in Phyſica conſiderata habent attributionem ad corpus naturale quà tale, vel ut principia tùm in fieri, tùm in facto eſſe, ut patet in *1.* & *2. Phyſic.* vel ut partes eſſentiales, ut ſunt materia, & forma; vel ut ſubjectivæ, cujuſmodi ſunt corpora animata, & inanimata, ſenſibilia & inſenſibilia; vel ut paſſiones, cujuſmodi ſunt mobilitas, generabilitas, & corruptibilitas, uti patet *in lib. de anima, de cœlis, de ortu & interitu, & alijs: Ergo &c.*

Quòd autem *naturalitas* ſit illa ratio formalis adæquata determinans corpus

B natu-

naturale ad eſſe ſimul Objectum formale Phyſicæ, inde ulteriùs patet: tùm quia nulla alia formalitas congruentiùs aſſignari poteſt, quàm hæc: non enim mobilitas, ut ſuprà *Concluſ. 1.* oſtenſum eſt: nec generabilitas, & corruptibilitas; *Concluſ. 2.* doctum eſt: nec ſenſibilitas; quia hæc non eſt prima radix in corpore naturali: nec corporeitas ſubſtantialis; quia hæc etiam à Mathematica conſideratur, ut notat Scotus *6. Met. q. 1.* Ergo remanet, quòd ſola naturalitas ſit illa ratio formalis determinans adæquata. Tùm quia naturalitas eſt principium originativum, & radix omnium affectionum, ac paſſionum phyſicarum, puta quantitatis, qualitatis, loci, temporis, motûs, & aliarum quæ fiunt per motum, & emanant, quæque nomine quietis intelliguntur, uti ſunt omnes paſſiones, formæ, & accidentia phyſica.

14 Naturalitas eſt ratio formalis ſeu Objectum formale ejus.

Obijcies: Metaphyſica etiam conſiderat corpus naturale ut tale; unde Philoſophus definit naturam *5. Met. 5.* ſimiliter Aſtrologia illud idem contemplatur, ut patet ex eodem Philoſopho *10. Met. 4.* Et tandem etiam Medicina illud conſiderat: Ergo non ſtatuitur bene pro Objecto adæquato, & formali Phyſicæ.

15. Satisfit objectionibus.

Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Ant. Metaphyſica conſiderat corpus naturale ut tale penes attributa tranſcendentalia, & communia Conc. Ant. penes rationes proprias, & naturalitatem Neg. Ant. Itaque Metaphyſica, cùm ſit ſcientia generalis, conſiderat quidem etiam corpus naturale; ſed ſecundùm rationes communes duntaxat, probando ejus principia contra negantes ea; non autem ſecundùm hanc formalitatem naturalitatis, ſub qua ſola Phyſica corpus naturale conſiderat. *Ad Secundum* pariter dico; quòd Aſtrologia conſideret corpora naturalia ſub diverſa ratione, id eſt, ſub ratione Mathematica, inveſtigando eorum menſuram, ordinem, ſitum, æqualitatem, figuram, & ſimilia; Phyſica verò contemplatur eorum motum prout eſt actus entis in potentia; item naturam, & accidentia ſeparabilia, quæ à natura originantur.

DISTINCTIO II.

DE PRINCIPIIS RERUM NATURALIUM IN COMMUNI.

Proloquium.

OPus Acroamaticum, ſeu Auſcultatorium Ariſtotelis à Commentatore in 8. diſtinguitur libros, qui paſſim Libri Phyſicorum *appellantur; in quorum primo agitur de Principijs rerum naturalium in fieri; in ſecundo de natura, & cauſis; in tertio de motu, & infinito; in quarto de loco, vacuo, & tempore; in quinto, & ſexto de ſpeciebus motûs; in ſeptimo de proportionibus motuum; in octavo de motu Cæli, ac de primo Motore: quos libros multi DD. per ordinem tradunt; ego propter majorem claritatem, ac meliorem materiarum connexionem non diſtinguam tractatum præſentem modò Ariſtotelicò in octo libros; ſed promiſcuè procedam per varias Diſtinctiones: & quoniam ſuprà corpus naturale ſtatutum eſt Objectum Phyſicæ; ideo primò de Principijs corporis naturalis in communi agam. Unde eſto*

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Exiſtentia, & Definitione principiorum corporis naturalis.

Dico primò: Extant in mundo Principia aliqua rerum naturalium, ſeu corporum naturalium. Ita communis veterum, & recentium Philoſophorum.

1. *Dantur principia corporis naturalis.* Probatur: Tum quia res naturales, ſeu corpora naturalia oriuntur, & intereunt: ſed dum oriuntur, tota eorum ſubſtantia non producitur; quia ex nihilo nihil fit: Ergo oriuntur ex aliquo, quod proinde erit Principium eorum; quale eſt materia: ſimiliter dum pereunt, tota eorum ſubſtantia non deſinit; v. g. dum lignum corrumpitur, & in ignem vertitur, tota ligni ſubſtantia non deſinit; aliàs ibi daretur annihilatio, & non ligni in ignem tantùm mutatio: Ergo remanet aliquod Principium, puta materia prima.

2. *Multiplex uſurpatio principij.* Nota autem primò: Nomen *Principij* varias ſubire acceptiones. *Primò* enim accipitur impropriè pro initio alicujus rei, in quam nullatenus influit influxu phyſico; hoc ſenſu primus numerus dicitur principium numeri; & primum inſtans horæ dicitur principium horæ. *Secundò* capitur propriè pro eo, quod influit in productum, & dicitur origo unius ab altero; hoc ſenſu Pater in Divinis dicitur Principium Filij; & hoc dicitur principium extrinſecum; talia ſunt cauſa efficiens & finalis. *Tertiò* ſumitur proprijſſimè pro eo, quod eſt primum, *unde aliquid aut eſt* (ut loquitur Ariſtoteles *5. Met. cap. 1.*) *aut fit, aut cognoſcitur:* hoc ſenſu, materia prima eſt Principium compoſiti ſubſtantialis; & de Principio in hoc ſenſu (quod principium intrinſecum corporis naturalis dicitur) procedit quæſtio præſens.

3. *Definitur principium.* Dico primò: bene definiuntur Principia phyſica intrinſeca corporis naturalis ſunt *illa, quæ neque ex ſe invicem, neque ex alijs, ſed omnia alia ex ipſis fiunt.* Ita communis Philoſophorum, cum Ariſtotele *1. Phyſic. cap. 6.*

Probatur: hæc definitio aptè explicat naturam Principiorum phyſicorum corporis naturalis: Ergo &c. Ly *illa* (ſubaudi principia) ponitur loco quaſi generis: dico *quaſi generis*; quia quæ ſunt partialia, nequeunt ſimpliciter participare genus: reliquæ voces ponuntur pro quaſi differentia. Dicitur, *quæ neque ex ſe invicem*, ut oſtendatur de ratione veri Principij phyſici intrinſeci corporis naturalis eſſe, ut unum ex alio non fiat; quia ut ait Ariſtoteles hìc *cap. 5.* Principia ſunt contraria; & quia aliàs unum eorum non eſſet Principium; ſed Principiatum; per hanc particulam principia phyſica differunt ab elementis, quæ ex ſe invicem fiunt. Additur *neque ex alijs*, ut oſtendatur principia phyſica definita eſſe Prima, & non præſupponere alia Principia, ex quibus hæc fierent; Et per hanc particulam excluduntur corpora cœleſtia à ratione Principij phyſici; quia ipſa ex alijs fiunt, id eſt, ex materia, & forma. Apponitur *ſed omnia alia ex ipſis fiunt*, ſubaudi; per generationem; per hoc datur intelligi, principia prima eſſe univerſaliſſima, cùm principient omnia alia phyſica: & per hoc excluduntur cauſæ extrinſecæ, v. g. efficiens, & finalis, quæ licet Principia extrinſeca ſint; nõ tamen omnia fiunt ex eis; ſed ab eis; id eſt, ab efficiente, & â finali cauſa fiunt. Circa hanc definitionẽ.

Nota ſecundò: Principia Phyſica vocantur *prima*, non quòd à nullo producantur; quia materia, & forma phyſica â DEO producitur; ſed dicuntur prima in genere ſuo determinato; ita ut forma ſit primum principium in genere principij formalis, & materia in genere principij materialis &c. Omnia enim fiunt ex forma, tanquam ex parte formali; & ex materia tãquam ex parte materiali; & ex privatione tanquam ex termino â quo; ſed materia non fit ex alio tanquam ex parte materiali; idem eſt de alijs. 4. *Cur principia dicantur prima.*

Objicies *primò*: forma fit ex materia; quia educitur de potentia materiæ: Ergo Principia phyſica fiunt ex ſe invicem. *Secundò*; materia prima fit ex ſuis partibus integrantibus: Ergo Principia phyſica fiunt ex alijs. Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Ant. forma fit ex materia in eodem determinato genere principiandi, Neg. Ant. in diverſo Conc. Ant. Itaq; forma non fit ex materia in genere principij formalis, in quo eſt forma Principium; ſed in alio genere puta principij materialis: ſed quãdo Ariſtoteles dixit, unum Principium phyſicum nõ fieri ex alio; hoc intellexit in eodem genere. *Ad ſecundum* eſt eadẽ reſponſio; quòd ſcilicet materia fiat quidẽ ex ſuis partibus integrantibus; ſed in alio genere prin- 5. *Objecta expediuntur.*

Principij, quàm ipſa materia principiat; principiat autem materia prima per modum ſubjecti communis materialis; pars verè integrans per modum partis integrantis: unde quando Ariſtoteles dixit Principium phyſicum non fieri ex alijs, hoc pariter intellexit in eodem determinato genere. Pro ſequentibus concluſionibus

6. *Varietas quæſtionum hic.* Nota tertiò: circa præmiſſam definitionem Philoſophi varia poſſe afferri quæſita; *primò*; an præfata definitio conveniat ſolis principijs intrinſecis, id eſt cauſæ efficienti, & finali. *Secundò*, an præmiſſâ definitione definiantur Principia generationis corporis naturalis, ut præcisè generatio eſt; an verò ut mutatio eſt: duo enim præſefert generatio in creatis, productionem ſcilicet, & mutationem: *productio* reſpicit formaliter productum, id eſt compoſitum 7. *Met. 26.* quatenus fit à cauſis extrinſecis, cui per accidens eſt, quòd fiat cum aliqua mutatione alicujus partis ipſius compoſiti: *mutatio* verò eſt formaliter actus mutabilis alicujus, quod de privatione formæ tranſit ad formam, & fit à cauſis intrinſecis. *Tertiò* hic quæri poteſt; an dicta definitione Philoſophi definiantur Principia intrinſeca in fieri corporis naturalis, ſeu generationis ejus tantùm; vel an etiã Principia in facto eſſe, ſeu rei genitæ aut corporis geniti. *Quartò* tandem inquiri poteſt; datô, quòd definiantur per dictam definitionem Principia generationis ſeu in fieri tantùm; num generationis ſubſtantialis tantùm, an verò etiam accidentalis.

7. *Principia generationis in ratione mutationis definiuntur.* Dico ſecundò: præmiſſa definitione Ariſtotelica definiuntur duntaxat Principia generationis corporis naturalis, ut ipſa mutatio eſt, non ut productio eſt; ac proinde hìc non definiuntur principia extrinſeca, puta cauſa Efficiens, & Finalis. Ita Scotus *2. diſt. 12. q. 1.* & ſequitur Columb. Maſtrius, &c. contra Averſam, & Hurtad.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *8. Phyſic. text. 57.* & alibi definiens generationem, in ejus definitione ſemper ponit mutationem: Ergò vult ejus Principia definire etiam præmiſſa definitione, ut ipſa mutatio eſt. *Secundò* ratione; generatio ut quædam mutatio eſt, reſpicit agens, ſeu Principium efficiens, & finale, ſeu cauſam efficientem, & finalem; ut autem generatio quædam mutatio eſt, reſpicit materiam, formam & privationem; quia ut talis eſt formaliter actus ſubjecti mutabilis, quod de privatione tranſit ad formam: ſed Ariſtoteles præmiſſa definitione definit Principia generationis, quæ reſpicit materiam, formam, & privationem; his enim ſolis illa particula definitionis *ex quibus* convenit: Ergo præmiſſa definitione definiuntur duntaxat Principia generationis, ut ipſa mutatio eſt. Ex hoc patet, quod cauſa Efficiens, & Finalis, quæ ſunt Principia extrinſeca, non definiantur præmiſſa definitione; quia ipſis propriè non convenit illa particula definitionis datæ *ex quibus*.

8. *Et quidem in fieri tantum.* Dico tertiò allegata definitione Ariſtotelis definiuntur Principia generationis in fieri tantùm; non verò in facto eſſe. Ita colligitur ex Scoto *1. Diſt. 5. q. 2.* & tenet Maſtrius, Bellutus &c. contra Ruv. Conimb. Zab. &c.

Probatur: Tum quia ita colligitur ex Ariſtotele *1. Phyſ. Tex. 68.* Tum quia expendendo totum *1. Phyſicorum* Ariſtotelis apparet, materiam ubique conſiderari ut ſubjectum tranſmutationis, & formam ut terminum ad quem ejuſdem; per ejuſmodi autem habitudines exprimuntur cauſalitates in fieri, & non in facto eſſe: ſed materia & forma ſunt Principia generationis: Ergo principia generationis in fieri tantùm conſiderantur *in 1. Phyſic.* Ergo ut talia pariter tantùm definiuntur definitione Ariſtotelis allegatâ, quæ in eodem *1. Phyſic.* proponitur.

9. *Definiuntur principia generationis tam ſubſtãt: quàm accidentalis.* Dico quartò: eâdem definitione definiuntur Principia generationis, ne dum ſubſtantialis; ſed etiam accidentalis. Colligitur ex Scoto *2. Diſt. 12. q. 1.* & *1. Diſt. 5. q. 2.* Eſt autem *generatio ſubſtantialis* tranſitus ſubjecti de non eſſe ſubſtantiæ ad eſſe ſubſtantiæ. *Accidentalis* verò tranſitus ſubjecti de non eſſe accidentis ad eſſe accidentis.

Probatur: Tum quia ita conſtat ex Philoſopho *1. Phyſic. 57.* dicente, ſe velle inquirere omnis generationis Principia; ac proinde etiam accidentalis. Et propterea deinde *text. 62.* affert utramque generationem, tam ſubſtantialem, quam *ſimplicem* appellat; quàm accidentalẽ, quã *ſecundùm quid* vocat; & utramque explicat: Ergo utriuſque principia definit illa generali definitione *in Concluſ. 1.* allegatâ, etſi principaliùs ſubſtantialis. Tum quia tam in mutatione ſubſtantiali, quàm acciden-

cidentali ferri v. g. quando ex frigido fit calidum reperiuntur ſuo modo Principia hæc, materia, forma, & privatio; nam cùm ferrum ex frigido fit calidum non minùs ferrum tanquam ſubjectum mutatur ex privatione frigoris, & tranſit ſub formam caloris; quàm in mutatione ſubſtantiali materiæ, quæ eſt ſub forma ligni mutatur, & tranſit ſub formam ignis.

QUÆSTIO II.

De numero Principiorum corporis naturalis; eorúmque contrarietate; & univocatione.

1. *Quid ſit corpus naturale in fieri, & in facto eſſe.*

NOta primò: duobus modis poteſt conſiderari corpus naturale in fieri, & in facto eſſe. *In fieri* eſt corpus naturale, quando eſt ſub generatione, factione, compoſitione, unione, ſeu in via ad terminum. *In facto eſſe*, eſt corpus naturale, quando jam eſt generatum, factum, compoſitum, & exiſtens, ac in termino: Corporis naturalis in utraq; conſideratione numerus Principiorum hic inveſtigatur; & quidem intrinſecorum duntaxat: Principia corporis naturalis in fieri vocantur *principia generationis*, eò quòd neceſſaria ſint ad totius corporis factionem, ſeu generationem, quamvis in ipſo toto corpore non remaneant omnia; ſicut non remanet privatio. Principia verò corporis naturalis in facto eſſe vocantur *principia compoſitionis*; quia ad totum corpus componendum requiruntur tanquam partes ejus intrinſecæ componentes, & remanent in corpore jam generato.

2. *Varietas opinionum circa principia phyſica.*

Nota ſecundò: circa numerum hujuſmodi Principiorum corporis naturalis, ſeu rerum naturalium varia diſparata fuêre ſentimina veterum Philoſophorum, quæ Ariſtoteles *1. Phyſic.* eruditè refutat; ut proinde opus non ſit hìc novam eorum texere impugnantiam: Opiniones porro omnium ad tres claſſes reducit idem Philoſophus; prima eſt eorum, qui ponebant tantùm unum Principium: ſecunda eorum, qui ponebant plura, numerò tamen finita: tertia eorum, qui adſtruebant numero infinita.

Nota tertiò: In prima claſſe erat Meliſſus, qui unicum ponebat Principium, quod eſſet immobile & infinitum. Et Parmenides illud affirmabat quidem immobile; ſed finitum. Diogenes dicebat illud eſſe infinitum, ſed mobile. Thales aſſerebat quoque tale Principium unum eſſe mobile, & hoc eſſe aquam; Heraclitus ignem; Hæſiodus terram. In ſecunda claſſe erat Plato, qui poſuit duo Principia, magnum, & parvum; magnum ajebat eſſe materiam, parvum formam. Pythagoras quoque duo admittebat, par, & impar; nomine *par* intellexit materiam, quæ eſt diviſibilis; & nomine *impar* formam, quæ eſt indiviſibilis. Empedocles ponebat quatuor, ignem ſcilicet, aërem, & aquam ut materiam, & terram ut formam, ob ejus ſoliditatem. Democritus poſuit calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum, plenum, & vacuum. In tertia claſſe fuit Anaxagoras, qui Principia rerum naturalium dixit eſſe infinitas particulas, quas vocabat athomos, ex quibus primum erat compoſitum chaos, id eſt, totum confuſum; & ex hoc per Mentem, id eſt, DEUM, omnia poſtea fuiſſe diſtincta. Econtra Anaxagoras admiſit quidem eaſdem infinitas particulas; at negavit ex illis chaos compactum fuiſſe; ſed eas potiùs ex chao promanâſſe. Democritus aſſeruit infinita principia individualia ejuſdem generis; ſed diſtincta ſpecie, & figurâ eò quòd alia eſſent calidæ, alia frigidæ, alia rotundæ figuræ &c, & ex illis putavit res omnes eſſe compoſitas. Sed

3. *Sola materia, forma & privatio ſunt principia in fieri.*

Dico primò: Principia corporis naturalis in fieri, ſeu quæ ad generationem naturalem ejus intrinſecè concurrunt, ſunt tantùm numerô tria, puta materia prima, forma, & privatio. Ita Ariſtoteles *1. Phyſic. cap. 7.* Et Scotus *2. Diſt. 12. q. 1.* & alibi: eſtque communis Peripatet.

Probatur *primò:* Tot ſunt Principia intrinſeca corporis naturalis in fieri, quot exprimuntur in definitione generationis corporis naturalis: ſed ſola materia prima, forma, & privatio exprimuntur in definitione generationis corporis naturalis: Ergo &c. Prob. Min. generationis definitio eſt, quòd *ſit tranſitus ſubjecti de non eſſe ſubſtantiæ* (quando generatio eſt ſubſtantialis) *ad eſſe ſubſtantiæ*: ſed in hac definitione per ly *ſubjecti* exprimitur materia prima; per ly *de non eſſe ſubſtantiæ* exprimitur privatio formæ generandæ; & per ly *ad eſſe ſubſtantiæ* exprimitur forma generata: Ergo &c. *Secundò*: illa ſunt

Principia generationis naturalis, ſeu corporis naturalis in fieri, ſinè quibus generatio nec eſſe, nec concipi poteſt: ſed ſinè materia, forma, & privatione generatio naturalis nec eſſe, nec concipi poteſt: Ergo &c. Prob. Min. generatio ut hìc conſideratur, eſt mutatio; mutatio autem neceſſariò tria requirit, ſcilicet, ſubjectum in quo fit, terminum à quo incipit, & terminum ad quem deſinit: primum eſt matèria, ſecundum eſt privatio, & tertium forma genita: Ergo ſinè his generatio nec eſſe, nec concipi poteſt.

Nota quartò: me ſignanter dixiſſe in concluſione *generationis naturalis*; ut excludatur Creatio, quæ eſt tranſitus à non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter; unde in creatione non præſupponitur materia carens formâ; ſed utraque ſimul producitur; ac proinde ibi nulla adeſt privatio propriè dicta; & conſequenter nec generatio ſub ratione mutationis phyſicæ. Similiter per eandem particulam excluditur generatio Verbi in Divinis; quæ pariter non eſt generatio ſub ratione mutationis, cujus principia hìc aſſignantur; quia in tali generatione Verbi nil acquirit Natura Divina, quô priùs caruerit; ſed ab æterno Verbum Patri extitit coævum.

4. *Objectiones quædam diluuntur.*

Objicies *primò*: Privatio non eſt ens: ergo non benè ſtatuitur pro Principio intrinſeco corporis, ſeu generationis naturalis. *Confirm.* Privatio non eſt quid poſitivum: ergo nequit eſſe principium conſtitutivum corporis naturalis, quod eſt poſitivum quid. Reſpondeo ad *Primum* Neg. Ant. quia privatio eſt revera aliquid reale; etſi non ſtrictè & rigoroſè; & conſequenter eſt aliquod ens, ſcilicet negativum; unde ſuo modo poteſt eſſe principium, non quidem influens, & componens generationem; ſed terminans; cùm ſit terminus *à quo*. *Ad Confirm.* dico privationem non eſſe Principium conſtitutivum corporis naturalis; quia ut tale deberet eſſe quid poſitivum; ſed eſt Principium privativum; quia cùm generatio ſit mutatio de non eſſe ad eſſe, ſemper reſpicit ut terminum *à quo* proximum, non entitatem poſitivam; ſed privationem formæ introducendæ.

5. *Aliæ rurſus oppoſitiones evacuantur*

Objicies rurſus: generatio non tendit per ſe ſed ad formam; ſed ad compoſitum, ut docet Philoſophus *1. Phyſic. cap. 7.* Ergo forma non benè ſtatuitur Principium generationis naturalis. *Secundò*; etiam diſpoſitio ex parte materiæ requiritur ad recipiendam formam: Ergo ipſa erit quoque Principium corporis naturalis. *Tertiò*: Corpus naturale generatur ex quatuor elementis: ergo dantur alia quoque Principia præter enumerata in concluſione. *Quartò*; ideo privatio dicitur Principium generationis, quia eſt terminus *à quo* fit forma: ſed etiam præcedens forma in materia, v. g. forma ligni in generatione ignis eſt terminus *à quo*; quia ex forma ligni fit ignis: Ergo talis forma etiam erit principium corporis naturalis.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam tam ad compoſitum, quàm ad formam tendit generatio, ſub diverſis tamen rationibus; quia forma eſt terminus generationis quô compoſitum eſt tale: compoſitum verò eſt terminus factus per talem formam. Quare interpretor Ariſtotelem *loc. cit.* & dico, quod quando docet, generationem tendere ad compoſitum, loquitur de termino *quod*, ſeu de fine generantis, quod intendit producere non formam, ſed compoſitum; quia præter formam producit compoſitum. *Ad ſecundum* Neg. Conſeq. Diſpoſitio enim ad genus cauſæ materialis reducitur; cùm ex parte recipientis ſe habeat: unde non conſtituit Principium diſtinctum à materia prima. *Ad Tertium* Diſt. Ant. corpus naturale generatur ex elementis ut principijs primis Neg. Ant. ut ex principijs ſecundis Conc. Ant. Hìc autem inveſtigantur Principia prima rerum naturalium; qualia non ſunt quatuor Elementa; quia & ipſa componuntur ex materia prima, ut ſuo loco dicetur. *Ad Quartum* Diſt. Min. ſed etiam forma præcedens eſt terminus â quo per accidens concedo Min. eſt terminus per ſe Neg. Min. Itaque privatio ſemper eſt generationis terminus *à quo* per ſe; quia nullatenus fieri poteſt generatio propriè dicta, & Phyſica, de qua hìc, abſque præcedenti privatione in materia: ſed bene abſque forma præcedenti; nam ſi nulla eſſet forma præcedens in materia (ſicut DEO ita agente fieri poſſet) adhuc tamen eſſet generatio; quare talis forma præcedens eſt tantùm terminus *à quo* per accidens; & conſequenter non debetur ei ratio Principij intrinſeci, ſicut privationi.

6. *Sola materia & forma ſunt principia in facto eſſe corporis.*

Dico ſecundò: corporis verò naturalis in facto eſſe, ſeu rei genitæ, ſunt duo duntaxat Principia intrinſeca, materia ſcilicet,

ſcilicet, & forma. Ita Philoſophus *1. Phyſic. cap. 7.* Et Scotus ibidem in expoſitione textûs *67.* & *Met. q. 10.* eſtque pariter communis Peripat.

Probatur: illa ſunt Principia intrinſeca corporis naturalis in facto eſſe, quæ intrinſecè illud Corpus conſtituunt, & componunt, atque in eo perdurant: ſed ſola duo Principia, materia ſcilicet, & forma ſunt, quæ conſtituunt, & componunt Corpus naturale, inque eo perdurant: Ergo hæc duo tantùm ſunt ejus Principia intrinſeca in facto eſſe. Componunt autem hæc duo Principia ſic corpus naturale, ut videlicet materia ſit pars eſſentialis communis, & determinabilis; forma verò pars particularis, & determinativa.

7. *Unio non eſt Principium phyſicum.*

Objicies: etiam unio reperitur in Corpore naturali in facto eſſe: ſimiliter partes integrantes; & elementa: Ergo hæc quoque erunt ejus Principia in facto eſſe; & conſequenter dabuntur plura, quàm duo Principia. Reſpondeo Neg. Conſeq. nam unio in Corpore naturali eſt tantùm accidens relativum; ac proinde ſubſtantiam, cujuſmodi eſt corpus naturale, intrinſecè ſub ratione Principij componere, & conſtituere nequit. Similiter partes integrantes, & elementa tantùm ſecundariò conſtituunt Corpus naturale; unde ejus Principia prima vocari nequeunt. Circa contrarietatem Principiorum.

Nota quintò: materiam, & formam non eſſe ſibi contraria; ratio eſt, quia contraria ſe mutuò expellunt: ſed materia & forma non ſe expellunt mutuò; imò materia appetit conſortium formæ; & forma in ſinu quaſi materiæ fovetur. Sed

8. *Privatio & forma contrariantur.*

Dico tertiò: illa duo Principia Corporis naturalis privatio, & forma habent contrarietatem inter ſe, ità Ariſtoteles *1. Phyſic. cap. 7.* & Scotus *2. diſt. 1. q. 2.*

Probatur: illa habent contrarietatem, quæ ſimul in eodem ſubjecto ſubſiſtere nequeunt, ut habet Ariſtoteles *5. Meta. cap. 10.* ſed forma, & privatio formæ ſimul in eodem ſubjecto ſubſiſtere nequeunt; unde recedit â materia privatio accedente formâ; & econtrà: Ergo &c. Deinde terminus *à quo*, & terminus *ad quem* mutationis ſunt contrarij; uti patet in terminis motûs à quo, & ad quem, qui ad invicem ſunt incompoſſibiles ex Philoſopho *5. Met. tex. 26.* aliàs mobile non moveretur de uno loco ad alium locum, niſi relinqueret unum ubi, â quo motus incipit, & acquireret aliud ubi, in quo ejus motus deſinit: ſed privatio eſt terminus *à quo*, & forma terminus *ad quem*: Ergo &c. Circa univocationem Principiorum.

9. *Materia, & forma purè univocantur in principio.*

Dico quartò: hæc duo Principia materia, & forma univocantur purè in ratione Principij; omnia verò tria materia ſcilicet, forma, & privatio univocè analogicè tantùm conveniunt in dicta ratione. Prima pars eſt Philoſophi *12. Met. text. 22. & 23.* & ſequitur communis Scotiſtarum: altera colligitur ex Scoto *1. diſt. 29. q. unic.* & ſequuntur noſtri Formaliſtæ communiter, cum Columb. Leal. &c. contra Fuente, & quoſdam alios Scotiſtas.

Probatur prima pars: illa duo Principia materia & forma ambo purè conveniunt in ratione naturæ; quia ambo ſunt natura ex *2. Phyſic. text. 11.* & ambo ſunt ſubſtantia incompleta; & partialis ex eodem *2. Phyſic. text. 21.* & ambo ſunt duo Principia intrinſeca componentia, & perſeverantia in corpore naturali; unde tota definitio principij intrinſeci ipſi convenit: Ergo univocantur purè in ratione communi Principij.

10. *Materia verò, forma & privatio analogantur in ratione principij.*

Probatur ſecunda pars: etſi Principium ſecundùm idem nomen dicatur de materia, forma, & privatione; de materia tamen, & forma Principium perfectiùs, priùs, & propriè dicitur; quod quamdam analogiam inter ea invehit: Ergo materia, forma, & privatio tantùm univocè analogicè conveniunt in ratione Principij. Deinde enti poſitivo, & non enti poſitivo nihil eſt commune univocum, ut ex Scoto diſcurrunt noſtri Formaliſtæ: ſed materia, & forma ſunt Principia realia ſtrictè & poſitivè; privatio verò non eſt tale ex *1. Phyſic. text. 78.* Ergo purè univocè non conveniunt; & conſequenter conveniunt tantùm univocè analogicè.

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTIO III.

DE MATERIA PRIMO PRINCIPIO CORPORIS NATURALIS.

Prænotatio.

POſt datam doctrinam de Principijs corporis naturalis in communi ; meritò examen eorundem in particulari inſtituendum venit : inter quæ primò occurrit principium materiale, ſeu Materia prima ; de qua agit Ariſtoteles 1. Phyſic. à text. 69. *uſque ad finem primi Libri Phyſic. eámque appellat primum , & commune ſubjectum formarum omnium , ac privationum earum* 1. Met. 82. *item natura , & naturalium omnium fundamentum* 1. Met. 17. *elementum, ex quo omnia naturalia componuntur* 12. Met. cap. 4. *Hyle* 1. Phyſic. 56. *Hyle , quia recipit formas , eáſque appetit* 1. Phyſic. 81. *ab alijs appellatur mater , fœmina, Luna , ſylva , origo , radix , chaos , Protheus, & baſis rerum omnium naturalium. Plato eam vocat divinitatis diſſimilitudinem , Ægyptij fæcem vitæ &c. De hac ſit*

QUÆSTIO I.

De Acceptionibus ; exiſtentia ; & quidditate Materiæ primæ.

1. *Materia variè uſurpatur.* NOta primò : hoc vocabulum *Materia* diverſas habet acceptiones. *Primò* enim accipitur pro differentia individuali, ut habet Scotus *3. diſt. 12. q. unic.* hoc ſenſu locutus eſt Ariſtoteles *1. Cœl. 92.* dum ait, cùm *Cœlum dico, dico formam ; cùm dico hoc cœlum,* id eſt cœlũ ut eſt differentiâ individuali affectum, *dico materiam. Secundò* capitur pro ſubjecto alterius, ſive ſit ſubſtantia, ſive accidẽs, hoc ſenſu unũ accidens poteſt eſſe materia alterius accidẽtis, id eſt ſubjectum receptivũ ejus ; ſic quantitas eſt ſubjectum aliorum accidentium. *Tertiò* uſurpatur pro craſſitie ſive groſſitie alicujus ; hoc ſenſu culter vehementer groſſus , & malè elaboratus dicitur valdè materialis. *Quartò* ſumitur pro materia , ex qua aliquid componitur ; ſic ligna, lapides, & calx dicuntur materia conſtruendæ Eccleſiæ. *Quintò* tandem accipitur ad propoſitum cum Scoto *3. diſt. 22. quæſt. un.* pro ſubjecto ſubſtantiali communi , quod eſt receptivum formarum ſubſtantialium, & expers omnis corruptionis , ex quo fiunt omnia phyſica corpora prædicamenti ſubſtantiæ.

Nota ſecundò : varias extare Materiæ partitiones apud AA. quos hìc breviter occaſione hujus quæſtionis pro intellectu librorum adducam. *Primò* namque dividunt materiam in remotam, & proximam. *Remota* dicitur illa, ex qua res mediatè fit ; ſic ex ferro fit circulus. *Proxima* dicitur , ex qua immediatè conficitur res , ſic ex ſemicirculo immediatè conficitur circulus, ut habet Scotus *loc. cit. Secundò* partitur in primam , & ſecundam. *Materia prima* eſt pars compoſiti , de qua præſens procedit quæſtio. *Secunda* eſt totum compoſitum , quod recipit , & ſubjectat accidentia , ac operationes ; dicitur ſecunda , quia ſupponit primam. *Tertiò* ſecatur in permanentem , & tranſeuntem. *Permanens materia* dicitur illa, quæ remanet , etiamſi compoſitum diſſolvatur v. g. ligni in cinerem. *Tranſiens eſt* , quæ non remanet, ſed in aliud abit , uti fit in oppoſitis ; 2. *Multiplex materia diviſio.*

fitis; quando v. g. ex aëre fit ignis. *Quartò* in materiam ex qua, in qua, & circa quam, quæ diviſio oritur ex diverſis habitudinibus. *Materia ex qua* dicitur materia phyſica, quatenus dicit habitudinem ad agens, educens ex ea formam. *Materia in qua* dicitur illud ſubjectum inhæſionis, in quo recipitur forma; hoc ſenſu intellectus dicitur materia, in qua recipitur ſcientia. *Materia circa quam* dicitur illud ſubjectum, circa quod ſcientia aliqua occupatur; v. g. corpus naturale eſt materia circa quam Phyſicæ. *Quintò* diſcriminatur in metaphyſicam, & phyſicam. *Metaphyſica* eſt genus cujuslibet rei. *Phyſica* eſt illud ſubjectum commune formarum phyſicarum, & de hac in præſentiarum erit ſermo: circa quam

3. *Extat materia prima.* Dico primò: extat in rerũ natura materia prima. Ita Ariſt. *1. Phyſic.* & alibi paſſim. Et Scotus *2. diſt. 12. q. 1.* & *7. Met. q. 5.* & *1. Phyſic. q. 19.* item Magiſter ſententiarum *2. diſt. 12.* & communis Philoſophorum, non tantùm Peripateticorum; ſed etiam plurium antiquorum; contra Recentes quoſdam Gallos, citatos à P. Poncio hic, & contra Valeſium, Torrexon Doctorem Complutenſem &c.

Probat. primò authoritate SS. PP. exiſtentiam materiæ primæ affirmantium, ut videre eſt apud D. Baſilium, Auguſtinum, Ambroſ. Chryſoſtom. Bedam, & alios relatos à Maſtrio hic *diſp. 2. q. 1.* Ergo &c.

Probatur ſecundò ex uſu Eccleſiæ Catholicæ, quæ concedit cultum reliquiarum, quæ fuerunt aliquid Sanctorum: Ergo cenſet remanere aliquid de Sanctis olim viventibus; & conſequenter etiam eorum materiam. Præterea niſi detur materia prima, Corpus Chriſti in triduo in ſepulchro jacens non fuiſſet dignum aliquo honore; nam ibi non fuit anima; cùm ad inferos deſcenderit; nec materia; quia talis negatur remanere ab Adverſarijs: Ergo &c.

Probat. tertiò ratione: quia niſi daretur, & exiſteret Materia prima ſequeretur, quòd omnes res fierent ex nihilo; quod negat Ariſtoteles *1. Phyſic. 33.* ſtatuens pro axiomate generali, quod *ex nihilo nihil fit.* Rurſus ſequeretur, quòd omnia in nihilum redirent, & ſic omnis productio eſſet creatio, aut tranſubſtantiatio; & rurſus omnis corruptio eſſet annihilatio: ſed hæ ſequelæ omnes ſunt falſæ: ergo extat in rerum natura Materia prima, quæ ſit ſubjectum primum, ex quo omnia fiant, & in quod tanquam in ultimum reſolvuntur, ut loquitur Ariſtoteles *1. Phyſic. 82.* Prob. prima ſequela Maj. quando v. g. ex ligno fit ignis, aut aliquid, quod antea erat in ligno, remanet quoque in igne, aut nihil remanet: ſi nihil remanet; ergo ignis fit ex nihilo, & ex toto de novo creatur; & ſic omnes productiones ignium ſunt creationes: ſi autem aliquid remaneat: hoc nequit eſſe forma ligni; quia aliàs adhuc in igne eſſet lignum poſt deſtructionem ligni; ſupereſſet enim forma lignum conſtituens: ergo remanet Materia prima. Probat. etiam ſecunda ſequela Maj. rurſus quando v. g. lignum corrumpitur in ignem, aut in igne remanet aliquid, quod erat ante in ligno; vel nihil remanet: ſi nihil remaneat: ergo lignum in nihilum redit; & conſequenter omnis corruptio eſſet annihilatio naturaliter: ſi autem aliquid remaneat, hoc utique non eſt forma ligni; aliàs rurſus in igne eſſet lignum ob permanentiam formæ ligni: ergo remanet ſola Materia prima; atque ita extat Materia prima. Tum quia principia aliqua corporis naturalis ſunt contraria, puta forma, & privatio, ut *diſt. 2. q. 2. concluſ. 3.* oſtendi: ſed contraria petunt commune ſubjectum, in quo ſuas contrarietates exerceant, ut habetur *1. Phyſic. tex. 56.* tale autem ſubjectum commune eſt Materia prima: ergo extat materia prima. Tum quia ars poſtulat neceſſariò materiam aliquam, ex qua conficiat ſua artefacta: ergo etiam natura exigit materiam, ex qua perficiat, & generet ſua opera naturalia, id eſt corpora naturalia *1. Phyſic. 69.*

Objicies primò ex Ariſtotele *5. Phyſic.* ſubjectum generationis eſt non ens: ſed Materia prima, ſi talis exiſteret, & daretur, eſſet ſubjectum generationis: ergo eſſet non ens: hoc autem non dicunt Peripatetici, qui Materiæ primæ entitatem veram aſſignant: ergo &c. *Secundò*: ſi daretur Materia prima, eſſet in omnibus rebus, etiam quæ corrumpuntur: ſed non eſt in omnibus, non enim eſt in ſpeciebus Euchariſticis, quæ corrumpi poſſunt, & vermes inde generari: ergo &c. *Tertiò*: Ariſtoteles omne ens reduxit ad aliquod ex decem prædicamentis: ſed Materia prima ex *eodem 7. Met.* neque eſt quid, neque quale, neque quantum, aut aliquid cæterarũ categoriarum, ſeu prædicamentorum: ergo &c. 4. *Varia argumenta contra exiſtentiam materiæ.*

5. *Reſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Maj. ſubjectum generationis eſt non ens completum, & perfectum Conc. Maj. eſt non ens incompletum, & imperfectum Neg. Maj. Itaque ſubjectum generationis ideo tantùm vocatur non ens, quia non eſt ens completum, ſed incompletum, quale etiã eſt Materia prima, dum fungitur munere ſubjecti generationis; quia eſt tantùm pars compoſiti; quod dicitur ens completum. Et ſub iſta explicatione Peripatetici concedunt Materiam primam eſſe nõ ens, ſubaudi, completum. *Ad Secundum* Neg. Min. & ad ejus Probat. dico cum Scoto *4. diſt. 12. q. 2.* etiam in ſpeciebus Euchariſticis, dum corrumpuntur per generationẽ vermium, adeſſe Materiam primam; quia Deus in tali mutatione ſeu corruptione ſpecierum producit illicò aliquam ſubſtantiam completam, conſtantem Materiâ primâ, & forma ſubſtantiali, cui ſubſtantiæ talia accidentia ex ſe convenire poſſunt, & quæ eam ſubitò in inſtanti corruptionis afficiunt; quare hæc corruptio fit in ſubjecta aliqua materia. *Ad Tertium* gloſſo Philoſophum, & dico, eum ſolùm velle, quòd Materia prima non ſit aliquid eorum prædicamẽtorum, quibus ens determinatur; unde ſolùm negat materiam eſſe actum actuantem, & diſtinguentem, qualis eſt forma prædicamẽtalis ſubſtantialis, vel accidentalis de genere prædicamentorũ, cujuſmodi ſunt quantitas, qualitas, relatio &c. materia enim eſt indifferens, & indeterminata ad recipiendam quamcunque formam: cum quo ſtat, quòd Materia ſit verum ens, & aliquid exiſtens.

6. *Deſcriptio Materiæ primæ.* Dico ſecundò: rectè deſcribitur Materia prima, *eſt ſubjectum primum uniuſcujuſque, ex quo aliquid fit, cùm inſit primò, & per ſe, & non ſecundùm accidens; & ſi corrumpitur aliquid, in hoc abit ultimum.* Ita in terminis Philoſophus *1. Phyſic. c. 9.* quam paſſim recipiunt Scholaſtici.

Probat. explicando dictam deſcriptionem: Ly *ſubjectum* ponitur locô generis; in quo Materia prima convenit cum ſubjectis completis, quibus accidentia inhærent, & differt â forma; reliqua pro differentia. Dicitur *primum*, ut materia differat a dictis ſubjectis accidentium, quæ cùm fiant ex materia, non ſunt prima; ſed ſecunda ſubjecta: ſub ly *uniuscujuſque*, ſubaudi formæ ſubſtantialis. Per ly *ex quo aliquid fit*, ſubaudi compoſitum, differt Materia prima à cauſis extrinſecis; quia hæ non ſunt, ex quibus componuntur res; ſed à quibus efficiuntur res. Per ly *cùm inſit* excluditur privatio, quæ non ineſt, id eſt non remanet in compoſito. Per ly *primò* oſtenditur materiam eſſe primam partem compoſiti: Per ly *& per ſe, & non per accidens* denotatur, compoſitum quod fit ex Materia prima tanquam ſubjecto, non eſſe unum per accidens; ſed unum per ſe; per quod excluduntur quæcunque ſubjecta accidentium. Ly *& ſi corrumpitur aliquid, in hoc abit ultimum* apponitur ad denotandum, quòd Materia prima ſit commune ſubjectum generationis & corruptionis; omnia enim naturalia ex materia generantur, & in eammet reſolvuntur; & propterea dicitur ingenerabilis, & incorruptibilis; & per hoc rurſus differt à forma.

Nota tertiò: Materiam primam clariùs ſic bene poſſe definiri, *eſt ſubſtantia phyſicè incompleta, à forma ſubſtantiali determinabilis ad faciendum corpus naturale.* 7. *Alia ejuſdem.*

QUÆSTIO II.

Num Materia prima ſit aliquod ex quatuor Elementis; vel numerus; ubi etiam de ejus realitate; ſubſtantialitate; & diſtinctione.

DIco primò: Materia prima non eſt entitativè ullum ex quatuor elementis. Ita colligitur ex Scoto *com. in 1. Metaph. ad text. 15.* & tenet communis Peripatec. contra Empedoclem. 1. *Materia prima non eſt elementum ullum.*

Probat. primò ratione communi: Materia prima eſt ingenerabilis & incorruptibilis; cùm ſit commune ſubjectum generationis, & corruptionis; ut explicat Doctor *1. Report. diſt. 5. q. 2.* elementa verò ſunt corruptibilia; quia ad invicem tranſmutabilia: ex aqua enim fit aër, & ex aëre ignis, & ſic de cæteris habentur perennes generationes, & perpetuæ corruptiones *3. Cæl.* & *2. de generat.* Ergo Materia prima non eſt ullum ex quatuor Elementis.

Probat.

Probat. ſecundò diſcurrendo per ſingula: materia prima non eſt Elementum terræ, ut putavit Heſiodus; terra enim eſt improportionata ad eſſe materiam; quia eſt nimìs denſa, ſpiſſa, ſicca, aliáſque tenens qualitates, quæ eam ineptám reddunt ad recipiendas formas, quod proprium eſt munus materiæ primæ: Ergo materia prima non eſt terra.

Non eſt etiam Elementum aquæ, ut arbitratus eſt Thales Mileſius; quia aqua eſt corpus quoddam præſupponens materiam, & compoſitum ex materia & forma: inſuper eſt tranſmutabilis; cùm ex ea fieri poſſit ignis: quæ omnia materiæ primæ non conveniunt: Ergo &c. unde quando D. Auguſt. *1. de Geneſ. ad litt. cap. 1.* approbat placitum eorum, qui nomine aquæ in S. Geneſi ſpecificatæ, intelligunt materiam informem; ſolùm vult dicere, quòd ipſa ſit quædam materia ſecunda; quatenus ipſa in principio creationis rerum adfuit pro alendis mixtis tanquam fomentum quoddam, & pabulum eorum; quò forſitan reſpexit Eccleſia, quando cecinit in Hymno feriæ V. ad Veſperas: *Magne DEUS potentiæ, qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim levas in aëra.*

Nec eſt etiam Elementum aëris, utì tenuit Anaximander: tum quia & hoc elementum eſt transmutabile: tum quia aër eminet aquæ & terræ; quod autem ſuperius eſt, activius eſt inferiore; utì patet de igne, qui cùm ſit omnium ſuperius, eſt omnium activius: materia prima autem eſt omnium infima, & paſſiva: Ergo non eſt aër.

Nec tandem eſt ignis, ſicut aſſeruit Hippaſus, & Heraclitus: quia ignis ob ſui ſiccitatem, & caliditatem, non eſt aptus ad componendas omnes res naturales; utì facere debet materia prima: nam imprimis animata ab eo facilè extinguerentur: item ignis ob ſui nobilitatem omnibus elementis præponitur; materia prima autem ſubijcitur omnibus; ignis eſt omnium maximè activus; materia verò eſt paſſiva: Ergo &c. Circa ſecundum articulum quæſt.

2. *Nec eſt numerus.*

Dico ſecundò: materia prima non ſunt numeri. Ita Ariſtoteles *1. Met. 5.* & Scotus ibidem *in com.* contra Pythagoricos, qui omnia in numeris conſtituebant.

Probat. materia ponitur in prædicamento ſubſtantiæ; numeri verò in prædicamento quantitatis, quia unitas, & numerus ſunt accidentia quantitatis: Ergo materia prima non ſunt numeri. Deinde numerus ſupponit rem numerandam; quia enim res præexiſtit, ideo numerari poteſt: Ergo in re numeranda jam eſt materia; & conſequenter talis non conſiſtit in numero. Tandem numerus etiam convenit rebus immaterialibus v. g. Angelis, qui utique numerari poſſunt, ſicut corpora materialia: Ergo &c. Circa tertium articulum quæſt.

3. *Sed ens reale.*

Dico tertiò: materia prima eſt ens omnino reale. Colligitur ex Philoſophò *8. Met. tex. 3.* & tenet communis Peripateticorum.

Probat. ſi materia prima non eſſet ens omnino reale, ſequeretur quòd formæ ſubſtantiales omnes crearentur: ſed hoc eſt falſum: Ergo &c. Prob. ſequela Maj. in hoc diſtinguitur creatio ab eductione, & generatione, quòd eductio & generatio fiat ex præſuppoſito ſubjecto reali: Ergo ſi materia prima, quæ eſt ſubjectum reale eductionis & generationis, non eſſet ens reale, omnes res crearentur; quia fierent ſinè præſuppoſito ſubjecto reali. Deinde nemo dat, quod non habet, ut ait commune proloquium: Ergo ſi materia prima non eſſet ens reale, nullum eſſe reale communicaret formæ eductæ; & conſequenter neque compoſito; quod eſt falſum. Circa quartum articulum

4. *Subſtantiale*

Dico quartò: materia prima eſt ens ſubſtantiale. Ita Ariſtoteles *2. de animal. cap. 1.* & Scotus *3. diſt. 22. q. 1.* & *1. Phyſic. q. 20.* ac communis Peripatet.

Probat, *primò*: materia prima eſt pars intrinſeca compoſiti ſubſtantialis: Ergo nequit eſſe accidens, ſed ſubſtantia quædam. *Secundo* materia prima informatur à forma ſubſtantiali: Ergo eſt quid ſubſtantiale. Conſequentia tenet; quia ſubſtantia nequit informare accidens. Circa quintum articulum

5. *Diverſum à forma.*

Dico quintò: materia prima realiter diſtinguitur à forma, & ambo ſunt primò diverſa. Ita Scotus *2. diſt. 12. q. 1.* & communis Scotiſt.

Probatur ratione Scoti *cit. loc.* quam ſic format: *Actus, & potentia, quæ ſunt principia entis, ſunt primò diverſa: ſed materia, & forma ſunt hujuſmodi:* Ergo &c. *Si enim forma eſſet ejuſdem rationis cum materia, non competeret ſibi dare eſſe; & ſi materia eſſet ejuſdem rationis cum forma, non competeret ſibi recipere eſſe. Si etiam aliquid forma includeretur in materia, forma quantum ad*

hoc non eſſet apta recipi; ſed magìs recipere; & ſic forma non eſſet primum receptum; ſed aliquid ejus eſſet receptivum; eodem modo ſi aliquid materiæ eſſet incluſum in forma, ipſa non eſſet primò receptiva, ſed recepta quantum ad aliquid ſui: ſic igitur ſunt omninò alterius rationis, & primò diverſa inter ſe; & conſequenter materia realiter diſtinguitur à forma.

QUÆSTIO III.

De Creatione; Incompletione; & Actu entitativo materiæ.

1. *Materia prima eſt creata.*

DIco primò: Materia prima eſt à DEO creata, Creatione propriè dicta. Ita Scotus *7. Met. q. 10.* & *2. diſt. 12. q. 1.* & communis Scholaſt. contra Ariſtotelem, qui materiam putat eſſe ingenitam, & increatam.

Probat. *primò* authoritate D. Auguſtini concluſionem aſſerentis; nam *lib. Confeſſ. cap. 8.* ait; *Tu enim Domine feciſti mundum de materia informi, quam feciſti de nulla re*: res autem facta de nulla re, dicitur propriè creata: Ergo materia prima eſt creata propriè. *Secundò* ratione; ſi materia prima non eſſet creata propriè, eſſet facta ex præſuppoſito ſubjecto; & conſequenter non eſſet primum ſubjectum: eſt autem primum ſubjectum ex ipſomet Ariſtotele *1. Phyſic. cap. 9.* Ergo &c. Quòd autem à DEO ſit creata, inde patet; quia, ut alibi oſtendetur, nulla creatura poteſt creare Creatione propriè dictâ; ſed ſolus DEUS eſt cauſa principalis Creationis omnis, ut notat Scotus *2. diſt. 18.*

2. *Quoddã objectum enervatur.*

Objicies: juxta commune axioma Philoſophi *11. Met. cap. 5.* & alibi, ex nihilo nihil fit: Creatio autem eſt factio ex nihilo: Ergo materia non eſt creata. Reſpondeo, illud axioma tantùm intelligi de efficientia agentium naturalium; ut ſenſus ſit, quòd agentia naturalia ex nihilo non poſſint aliquid efficere; eò quòd agentia naturalia quà talia dependeant à ſubjecto; non autem intelligitur de efficientia agentis Divini, quale eſt DEUS, qui utramque de nihilo condidit naturam ſpiritualem, & corporalem, ut loquitur Conc. Lateran. *Cap. Firmiter.*

3. *Materia prima eſt incõ-* *pletum quid.*

Dico ſecundò: Materia prima eſt ſubſtantia creata incompleta. Ita Scotus *2. diſt. 12. q. 1.* & communis Scholaſticorum, contra Albert. Mag. & Aureol.

Probat. Tum quia Materia prima eſt pars intrinſeca ordinata ad componendum corpus naturale *7. Met. cap. 3.* Ergo ipſa eſt ſubſtantia quædam incompleta. Tum quia omne illud, quod actuatur, informatur, & in ſuo eſſe perficitur, non eſt completa ſubſtantia, ſed incompleta: ſed Materia prima actuatur, informatur, & perficitur à formis ſubſtantialibus: Ergo non eſt completa, ſed incompleta ſubſtantia, & quà talis à DEO creata.

4. *Materia nõ habet coævã aliam formam.*

Objicies cum Albert. Mag. & Aureolo: Materia prima eſt creata cum aliqua forma coæva illi, quæ dici poteſt forma corporeitatis, ſeu radix ſeminalis, ſeu inchoatio formarum; quia ex illa tanquam ſeminario quodam & radice educuntur omnes formæ: Ergo ab hac forma dici poteſt ſubſtantia quædam completa. Reſpondeo Neg. Ant. hæc enim doctrina Alberti eſt contra D. Auguſtinum *3. de Trinit. cap. 7.* & Greg. Nyſſen. *Orat. 3. de Reſurr.* & alios PP. qui materiam primam ens incompletum adſtruunt: eſt etiam contra experientiam, quia nullum effectum experimur, ex quo talem formam materiæ coævam colligere poſſemus: eſt etiam contra rationem; quia ſicut perfectior forma generatur ab agente; ita etiam iſta ſeminalis imperfectior ab eodem generabitur; atque ita ipſa ſinè fundamento aſſeritur, ut in materia præexiſtens. Circa articulum tertium quæſt.

5. *Quid ſit potentia objectiva, & ſubjectiva.*

Nota primò: Scotus *2. diſt. 12. q. 1.* inquirens, num Materia prima ſit ita pura potentia, ut nullum actum entiativum includat, ante reſolutionem aſſignat duplicem potentiam, unam objectivam, alteram ſubjectivam. Per *Potentiam objectivam* (quæ & Logica dicitur) intelligitur illa, ſecundùm quam res, quæ nondum eſt in rerum natura, poteſt exiſtere; in hac potentia dicitur hodie eſſe Anti-Chriſtus, & roſa in vere proditura, quæ duo, licèt nondum producta ſint, & exiſtant extra ſuas cauſas; poſſunt tamen exiſtere: unde ſunt objecta poſſibilia produci, habentia potentiam objectivam. Per *potentiam verò ſubjectivam* intelligitur capacitas alicujus rei exiſtentis in ordine ad formam, quâ poteſt in aliquo genere actuari, & perfici: talem potentiam habet paries v. g. reſpectu albedinis, quæ ipſum poteſt accidentaliter actuare. Huic duplici potentiæ correſpondet duplex

actus,

6. *Quid Actus entitativus, & formalis.*

actus, ſcilicet potentiæ objectivæ *Actus entitativus*; & eſt idem quod actualitas rei exiſtentis, ſeu quô res habet eſſe exiſtens extra ſuas cauſas, id eſt, quô res jam eſt cauſata ab efficiente. Potentiæ ſubjectivæ correſpondet *Actus formalis*, id eſt, ipſa forma actuans materiam v. g. albedo reſpectu parietis. Nunc

7. *Materia prima non eſt pura potentia objectiva.*

Dico tertiò: materia prima non eſt pura potentia objectiva; ſed verè includit aliquem actum entitativum. Ita Scotus *7. Met. q. 5:* & *2. diſt. 12. q. 1.* Rada Fuente, Lamaz, Faber, Columb. & communis Scotiſtarum: & ex Neutr. Suar. &c. ex Thomiſtis Tolet. & Peret. ex Nominalibus Murcia, Plaza &c.

Probat. primò fundamentis Scoti, quæ *loc. cit.* affert; Ariſtoteles *1. Phyſic.* dicit, quòd *materia ſit per ſe principium rerum naturalium.* Et *2. Phyſic. 7.* quòd *ſit natura.* Et *7. Met. 28.* quòd *ſit pars ſubſtantiæ compoſitæ.* Et *1. Phyſic 82.* quòd *ſit ſubjectum formarum.* Et *1. Met. 17.* quòd *ſit fundamentum naturæ*: ſed ſimilia prædicta materiæ primæ non convenirent, niſi includeret aliquem Actum entitativum, ſeu actualitatem, ratione cujus eſſet actu ens reale: ergo &c.

Probat. ſecundò aliis rationibus: Tum quia quod terminat dependentiam actualem alicujus entis actualis, debet habere actum entitativum, ſeu eſſe ens actu exiſtens: ſed materia prima terminat dependentiam actualem entis actualis, puta formæ; quia ex ea educitur, & in ea ſubjectatur: ergo materia prima habet Actum entitativum: Tum quia materia fuit terminus Creationis Divinæ: ergo habet eſſe aliquod actuale, ſeu Actum entitativum. Tum quia materia ſecundùm ſe conſiderata vel eſt aliquid in rerum natura; vel nihil: non poteſt dici, quòd ſit nihil; quia ex Ariſtotele *1. Phyſic.* eſt principium rerum in fieri, & ſubjectum omnium mutationum: inſuper ſi eſſet nihil, compoſita ſubſtantialia phyſica penderent ex nihilo, ſeu non ente exiſtente Actu: ſi autem eſt aliquid; certè debet eſſe ſubſtantia; cùm ſit ſubjectum formarum ſubſtantialium, & pars eſſentialis conſtituens ſubſtantiam, puta corpus naturale: ergo eſt entitas de genere ſubſtantiæ exiſtentis; ac proinde habet Actum entitativum, ſeu gradum talem, qui tribuit eſſe actuale. Tum tandem materia eſt receptiva formæ: ergo habet aliquem Actum entitativum.

8. *Thomiſtarũ rationes in oppoſitum.*

Objiciunt Thomiſtæ *primò*: Ariſtoteles adverſatur concluſioni; quia *5. Met. tex. 3.* dicit, materiam non eſſe ens in actu; ſed potentia tantùm: ergo &c. *Secundò*: ex eodem Philoſopho *7. Met. tex. 29.* ex duobus entibus in actu non fit ens unum per ſe: ſed ſi materia prima haberet Actum entitativum, eſſet ens in actu, ſicut forma: ergo ex eis non fieret ens per ſe; quale tamen eſt omne compoſitum ſubſtantiale cauſatum ex materia, & forma. *Tertiò*: materia exiſtit per exiſtentiam totius: ergo non habet actũ exiſtentiæ propriæ.

9. *Refelluntur.*

Reſpondeo *ad Primum* cum Scoto ibidem gloſſando Ariſtotelem, & dico, eum velle, quòd materia ſecundùm ſe conſiderata non ſit in actu informante, & dante eſſe ſpecificum; ſed quòd ſit in potentia ſubjectiva tantùm: cum quo ſtat, quòd habeat Actum entitativum. *Ad Secundum* cum Scoto *3. diſt. 22. q. unic.* gloſſo illud axioma *7. Met.* ex duobus entibus in actu completo, & perfecto non fit ens unum per ſe Concedo; ex duobus entibus in actu incompleto non fit ens unum per ſe, Nego. Itaque materia primá, etsi ſit in actu entitativo; eſt tamen incompleta ſubſtantia; unde una cum altero ente in actu incompleto, puta forma ſubſtantiali poteſt concurrere ad componendum ens unum per ſe, ſcilicet compoſitum ſubſtantiale. *Ad Tertium* Neg. Ant. nam, ut ſequenti concluſione patebit, materia habet exiſtentiam propriam. Deinde pertranſitô Ant. Neg. conſeq. nam in ſententia adverſ. etiam forma exiſtit exiſtentiâ totius; & tamen adhuc habet proprium partialem actum entitativum, ſecundùm quem poſſit eſſe extra ſuas cauſas, & actuare materiam: Ergo pariter materiæ concedi debet actus aliquis entitativus, etſi is minimus ſit; quia metaphyſicus, & omni phyſicâ carens actualitate; ſufficiens tamen, ut ſit terminus creationis, genetationis, & corruptionis.

QUÆSTIO IV.

De Exiſtentia; & Subſiſtentia materiæ primæ.

NOta primò: per *Exiſtentiam* intelligi illud, quô formaliter res habent eſſe in actu in rerum natura extra cauſas,

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

1. *Quid exiſtentia?*

ſas, & intellectum: hujuſmodi exiſtentia, ut dicetur fuſiùs in Metaphyſica, eſt eadem realiter cum eſſentia actuali rei; inſuper de mente Scoti coincidit cum actu entitativo rei; unde quia *priori quæſt.* cōcluſ. 3. probatum eſt, materiam primam habere actum entitativum; idcirco ſequitur, eandem quoque habere exiſtentiam. Sed hìc oritur controverſia inter Scotiſtas, & Thomiſtas, num hujuſmodi exiſtentia ſit diſtinctum quid ab exiſtentia formæ: qua in re Thomiſtæ aſſerunt, exiſtentiam materiæ non eſſe diſtinctam ab exiſtentia formæ. Sed

2. *Materia prima habet propriam exiſtentiam, à forma exiſtentia diſtinctam.*

Dico primò: materia prima habet exiſtentiam propriam partialem, omnino diſtinctam ab exiſtentia formæ. Ita Scotus *2. diſt. 12. q. 2.* & communis Scotiſtarum; quibus adhæsêre plures RR. Ariaga, Auers. &c. ac Nominales; contra Thomiſt. Complut. &c.

Probatur primò ratione Scoti: quæ diſtinctis actionibus producuntur, diſtinctam habent exiſtentiam: quia quælibet actio productiva terminatur ad exiſtentiam rei, quam producit: ſed materia prima, & forma ſubſtantialis diſtinctis actionibus producuntur, videlicet materia prima per actionem DEI creativam; forma verò per generationem naturalem agentis naturalis: ergo hæc duo habent diſtinctas exiſtentias.

Probat. ſecundò: ſi materia prima non haberet propriam partialem exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtentia formæ, plura abſurda ſequerentur in ſchola Peripatetica: ergo &c. Prob. Ant. *primò* ſequeretur, agens creatum creare, & annihilare: *crearet*; quia creatio eſt productio rei ex nihilo ſecundùm omnes ſuas partes, id eſt ſecundùm materiam, & formam: ſed ſi materia, & forma habeant eandem exiſtentiam, quoties producitur de novo exiſtentia formæ novæ, toties producitur, & exiſtentia materiæ: ergo quoties fit generatio, toties materia & forma producitur; atque ita fit creatio; quia productio rei ex nihilo ſecundùm omnes partes eſt creatio. *Annihilaret* etiam; quia annihilatio eſt corruptio rei ſecundùm omnes ſuas partes: ſed ſi materia, & forma habeant eandem exiſtentiã, quando per corruptionem deſtruitur forma, deſtrüeretur pariter materia; & conſequenter fieret annihilatio. *Secundò* ſequeretur; quòd materia prima non ſit principium primum rerum naturalium; omne enim quod principiat, debet prius exiſtere; cùm exiſtentiam communicare debeat ſuo principiato: ſed materia prima non exiſtit propriâ exiſtentiâ: ergo eſt principium rerum naturalium, maximè formæ, quam principiat. *Tertiò* ſequeretur, quòd cauſa mutuet ſuam exiſtentiam ab effectu; materia namque eſt cauſa phyſica formarum materialium; cùm ex ejus ſinu educantur: ergo mutuat à formis ut effectu ſuo exiſtentiam. Subſumo; ſed abſurdum eſt quod cauſa mutuet exiſtentiam ab effectu; aliàs eſſet ejus cauſa; & non eſſet: Ergo &c.

Probat rurſus tertiò Scotus *cit.* concluſionem ex variis muneribus phyſicis, quæ materia exercet, ad quæ prorſus inepta foret ſinè propria exiſtentia: *primò* enim materia eſt ſubjectum mutationis, & recipit formas, ex Philoſopho *1. Phyſic. 82.* eſt cauſa materialis earum; eſt pars altera compoſiti ex eodem *5. Met. text. 2.* eſt fundamentum naturæ *1. Met. 17. Secundò:* manet ſub utroque termino mutationis; unde dicitur ingenerabilis, & incorruptibilis: Ergo &c.

3. *Thomiſtarũ oppoſitiones contra exiſtentiam materiæ.*

Objiciunt *primò* Thomiſtæ: Philoſophus, & PP. adverſantur concluſioni: ergo &c. Prob. Ant. Philoſophus *5. Met. text. 15.* dicit, quòd forma det eſſe rei. Et S. Dionyſius *lib. de Div. Nominibus cap. 3.* ait exiſtere eſt perfectiſſimus actus, qui videtur eſſe effectus formæ: Ergo &c. *Secundò*, Exiſtentia eſt ultimus actus naturæ: ergo hic non materiæ, ſed toti ſubſtantiæ completæ, ſeu toti compoſito cōvenit. *Tertiò*, ex duabus exiſtentiis partialibus, quales eſſent exiſtentia materiæ, & exiſtentia formæ, nequit fieri una totalis in compoſito generato; niſi aliqua earum habeat rationem potentiæ, & altera rationem actûs: ſed neutra iſtarum partialium exiſtentiarum materiæ, & formæ habet rationem potentiæ: Ergo non dantur: *Quartò* ſi materia prima haberet propriam exiſtentiam, poſſet aliquid operari ſinè forma; quia eſſe eſt propter operari ex Philoſophò *2. Cæl. text. 17.* ſed materia nequit aliquid operari ſinè forma; cùm ſit tantùm paſſiva, & receptiva: Ergo &c.

5. *Rejiciuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad probat. ejus gloſſo Ariſtotelem, & S. Dionyſium; dicoque eos non loqui de eſſe, & exiſtere entitativo, ac partiali incompleto; de quo loquitur concluſio;

ſed

ſed de eſſe ſpecifico & completo in determinata ſpecie prædicamentali: deinde conceſſo etiam, quod D. Dionyſius loquatur de exiſtere entitativo; dico tamen, quòd ideo ſolùm illud vocet perfectiſſimum actum, quia inter omnia attributa eſſentiæ rei convenientia hoc exiſtentiæ videtur præſtantius; cùm ſit ejus ultima actualitas. *Ad ſecundum* Diſt. Ant. exiſtentia completa, vel incompleta eſt ultimus actus naturæ Conc. Ant. completa tantùm Neg. Ant. Itaque etiam exiſtentia incompleta, & partialis eſt actus ultimus Materiæ ut talis. *Ad Tertium* Neg. Min. ſicut enim eſſentia materiæ eſt in potentia phyſica reſpectu formæ, â qua determinatur ad componendum totum compoſitum; ita pariter exiſtentia materiæ eſt in potentia reſpectu formæ, â qua debet determinari ad faciendam exiſtentiam completam compoſiti. Unde admitto exiſtentias partiales materiæ, & formæ, quarum una eſt potentialis, altera actualis, ex quibus reſultat una exiſtentia completa totius cõpoſiti. *Ad quartum* Neg. Maj. & explico Philoſophum dicendo, eum tantùm velle, quòd eſſe ſpeciei completæ ſit propter operari, non verò eſſe ſpeciei incompletæ, qualis eſt Materia prima cum ſua partiali exiſtentia. Circa alterum punctum quæſtionis

6. *Triplex acceptio ſubſiſtentia.* Nota ſecundò: ex Scoto *Quodlib. ſ. de ſecundo* triplex datur acceptio, & uſurpatio hujus vocabuli *ſubſiſtentia. Primò* accipitur pro per ſe exiſtentia, quæ negat inexiſtentiam in alio; unde hoc ſenſu omne illud ſubſiſtens dicitur, quod non eſt actu in altero, etſi habeat aptitudinem ad eſſendum in alio; unde etiam accidentia actu nõ inhærentia v. g. quantitas Euchariſtica non inhærens actu, dici poteſt habere ſubſiſtentiam. *Secundò* uſurpatur pro per ſe exiſtentia, quæ negat actualem, & aptitudinalem inhærentiam in ſubjecto; hoc ſenſu omnis ſubſtantia tam completa, quàm incompleta dicitur habere ſubſiſtentiam; quia licèt forma ſubſtantialis ut ſubſtantia incompleta ſit in ſubjecto aliquo; non eſt tamen ibi per inhærentiam; ſed per informationem; cùm ſit actus ſimpliciter. *Tertiò* capitur pro exiſtentia incommunicabili alteri, ut Quo, & ut Quod, ut loquitur Scotus *1. diſt. 23. quæſt. unic.* ratione cujus res non eſt ordinabilis ad alterum actum ſimpliciter; cùm ſit ultima rei actualitas; hæc ſubſiſtentia vocatur in natura irrationali *ſuppoſitum*; in intellectuali autem *perſona*; & dicitur ſubſiſtentia propriè dicta, ut habet Scotus *Quodlib. 4. & 5.* convenitque ſolùm toti compoſito completæ ſubſtantiæ, qualis eſt homo v. g.

Dico ſecundò: Materia prima dici poteſt habere ſubſiſtentiam primô, & ſecundô modô uſurpatam; non item tertiô modô, ſeu propriùs ſumptam. Eſt ad principia Scoti; & tenetur communiter â Scotiſtis. 7. *Materia prima aliquo ſenſu habet ſubſiſtentiã.*

Probat. prima pars: Materia prima per DEI potentiam poteſt exiſtere abſque omni conſortio formæ; ut infrà dicetur uberiùs: Ergo dici poteſt habere ſubſiſtentiam primô modô, id eſt per ſe exiſtentiam, ratione cujus non neceſſariò inexiſtit actu in altero.

Probat. ſecunda pars: Materia prima eſt de genere ſubſtantiæ: ſed omnis ſubſtantia ſecundô modô habet ſubſiſtentiam; quia omnis ſubſtantia dicit per ſe exiſtentiam, ratione cujus nec actualiter, nec aptitudinaliter inhærere poteſt; utì patet de homine, lapide, forma ſubſtantiali: ergo & Materia prima habet hôc ſecundô modô talem ſubſiſtentiam.

Probat. tertia pars: Materia prima non eſt penitùs incommunicabilis; cùm venire poſſit in compoſitionem totius; 8. *Et aliquo non.* cùm ordinabilis ſit ad alium actum, puta ad formam actuantem, & informantem: ergo dici nequit habere ſubſiſtentiam tertiô modô, quæ importat omnimodam incommunicabilitatem ut Quo, & Quod. Deinde ſubſiſtentia tertiô modô uſurpata â PP. Græcis & Latinis citatis hìc â Vaſq. ſolis naturis compoſitis & completis ex materia & forma attribuitur: ergo eâ gaudere nequit Materia, quæ eſt natura incompleta.

Nota itaque tertiò: quòd ſubſiſtentia materiæ vocari poſſit ſubſiſtentia partialis, & incompleta; quia ulteriùs ordinatur ad ſubſiſtentiam completam, ac totalem, quæ in toto compoſito reperitur, & rigoroſè ſubſiſtentia vocatur â Scoto *Quodlib. 9.*

QUÆSTIO V.

Num Materia ſublunaris, & cæleſtium ſit una; ingenerabilis, & incorruptibilis?

1. *Eſt una ſpecie Materia in omnibus ſublunaribus corporibus.*

Dico primò: omnium corporum ſublunarium eſt una ſpecie Materia; ſed numerò diſtincta in numerò diverſis corporibus ſimul exiſtentibus. Ita Scotus *2. diſt. 14. q. 1. & 4. diſt. 11. q. 3.* & Scotiſtæ communiter, cum Suar. Arriag. Hurtad. contra Henr. Gandau. Zimar. Ægid. &c.

Probatur prima pars: tum ex Ariſtotele *1. Phyſic. text. 66.* tum ratione; quia nullum apparet veſtigium diſtinctionis ſpecificæ in materijs corporum ſublunarium; omnes enim ſunt æqualiter potentiæ receptivæ formarum: ergo &c. Tum quia eadem Materia ſpecie colligitur ex transmutatione mutua corporum; Materia namque quæ priùs erat ſub forma panis, tranſit in animali ad formam ſanguinis; & ex hac ad formam animalis; deinde ad formam cadaveris, poſtea ad formam terræ, ulteriùs in formam plantæ; hinc in formam fructûs, & iterum in formam animalis, quod fieri non poſſet, ſi materia iſtorum omnium non eſſet ejuſdem rationis ſpecificæ: ergo &c.

2. *Non verò una numerò.*

Probatur ſecunda pars authoritate Philoſophi *12. Met. 26.* dicentis, *alia eſt materia tua, alia mea, ratione univerſali eadem*: ubi per ly, *tua* & *mea* inſinuat materias ſingulares, eſſe numerò diſtinctas, etſi ſpecie convenientes, quod per ly *ratione univerſali eadem* indicatur: ergo &c. Deinde illa diſtinguuntur numerò, quorum unum corrumpi poteſt, alterò incorruptò: ſed Materia hujus calami exiſtentis corrumpi poteſt, non corruptâ manu ſcribente, etiam exiſtente: ergo &c. tandem idem numerò nequit exiſtere in diſtinctis, & diſparatis locis: ſed ſi Materia prima eſſet una numerò in omnibus ſublunaribus, eſſet ſimul in diſtinctis, & diſparatis locis: ergo &c.

3. *Sublunaria differũt quidem genere, ſed metaphyſico; nõ phyſico.*

Objicies contra primam partem: Philoſophus videtur aſſerere, materiam non tantùm ſpecie diverſam in compoſitis ſublunaribus; ſed etiam genere diverſam: ergo non eſt una ſpecie in omnibus Prob. An. *12. Met. 27.* docet, ſi principiata differunt genere, ſpecie, & numerò; eorum quoque principia different ſecundum genus, ſpeciem, & numerum: ſed quædam compoſita ſublunaria ut principiata differunt genere; uti patet de planta, homine, & lapide; & quædam ſpecie, ut homo & brunellus, & quædam numerò, ut Plato, & Socrates: ergo & eorum principia; & conſequenter Materia eorum, quæ eſt unum ex principijs ſic differentium. Reſpondeo Neg. Ant. ad ejus Probat. Diſt. Min. quædam compoſita ſublunaria differunt genere metaphyſico Concedo Min. differunt genere phyſico Neg. Min. Itaque hæc & his ſimilia compoſita, planta, homo, & lapis, etſi genere metaphyſico ſint diverſa; non tamen genere phyſico; puta materiâ primâ; hæc enim ejuſdem ſpeciei eſt in eis.

Objicies contra ſecundam partem: Philoſophus *1. Phyſic. tex. 60.* ait, quòd omnium, quæ tranſmutantur, ſit unum ſubjectum numerò: unde vult quòd eadem numerò materia ſit in genito, & corrupto: ergo Materia non eſt numerò diſtincta in diſtinctis numerò corporibus. Reſpondeo Neg. Conſeq. nam præfata authoritas Philoſophi loquitur tantùm de omnibus corporibus ſublunaribus ſibi ſuccedentibus in eadem Materia per transmutationem, quæ reſultant ex ſolarum formarum novarum inductione: nõ autem loquitur de corporibus diſparatis numerò diſtinctis ſimul exiſtentibus, qualia ſunt corpus Platonis, & Socratis ſimul exiſtentia, in quibus numerò diſtincta Materia adeſt. 4. *Philoſophus reconciliatur.*

Dico ſecundò: ſimiliter omnium corporum cæleſtium eſt una ſpecie Materia prima, ejuſdem prorſus rationis cum Materia ſublunarium. Secunda pars eſt Scoti *2. diſt. 4. q. 1.* & Scotiſtarum communiter, quibus conſentiunt D. Bonavent. Aureol. Ægid. &c. contra Thomiſtas, P. Alenſ. Svar. Amic. &c. 5. *Cæleſtia omnia corpora conſtant eâdem ſpecie materia.*

Probatur prima pars: Tum quia nulla ratio urget diſtinctionem plùs quàm ſpecificam Materiæ primæ in omnibus Orbibus, & ſphæris cæleſtibus, earumq́ aſtris, & Planetis infixis: ergo una ſpecie Materia eſt in omnibus corporibus cæleſtibus. Prob. Ant. varij effectus, operationes, & accidentia plùs quã ſpecie forſitan diſtincta, quæ in Orbibus, ſphæris, aſtris, & Planetis obſervantur, refundi debent in formas cælorum; quæ taliter & taliter operativæ, & activæ ſunt; & non in Materiam, quæ paſſivè ſe habet: ergo &c. Tum

quia

quia in omnibus corporibus ſublunaribus etſi diverſiſſimis una ſpecie Materia adeſt: Ergo idem dicendum de Cæleſtibus.

6. *Quà conſtat ſublunaria.* Secunda pars concluſionis, quòd Materia omnium cæleſtium corporum ſit ejuſdem rationis ſpecificæ cum Materia ſublunarium, ex profeſſo oſtendetur in *Tract. de fabrica mundi, & cæli diſt. 2. q. 1. concluſ. 2.* quò remitto lectorem. Addo tamẽ interim ſequentes rationes pro corroboratione dictæ ſententiæ. *Primò*: Non ſunt multiplicanda entia ſinè neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas multiplicandi Materiam cæleſtem ſpecie diſtinctam â ſublunari; quia ſublunaris continet omnem perfectionem poſſibilem in genere cauſæ Materialis; adeoque ex eadem quoque componi potuit tota machina corporum cæleſtium: Ergo &c. *Secundò* munus Materiæ cæleſtis eſt recipere immediatè formas cæleſtes, & cum eis componere compoſitum ſubſtantiale: ſed hoc idem præſtat Materia prima ſublunaris cum ſuis formis ſublunaribus: Ergo hæ duæ Materiæ ſunt ejuſdem rationis. *Tertiò*: Div. Auguſtinus *lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 7.* adſtruit Materiam ejuſdem rationis ſpecificæ in cæleſtibus, & ſublunaribus: Ergo &c. Objectiones Thomiſt. vide ſolutas *in eodem Tract. de fabrica mundi, & cæli cit. diſt. & quæſt. cit.* Circa alterum punctum quæſtionis.

7. *Quid ſit eſſe generabile, & corruptibile ſubjectivè, & terminativè.* Nota primò ex Scoto *7. Met. quæſt. 10.* aliquid dici generabile, & corruptibile dupliciter; terminativè ſcilicet, & ſubjectivè. *Terminativè* (quod hic idem eſt, ac objectivè) *generabile* dicitur illud, quod eſt objectum, & terminus generationis, id eſt, quod tranſit de non eſſe ad eſſe, talis terminus eſt forma ſubſtantialis plantæ v. g. vel propriùs tota planta, quæ generatur: ſimiliter *terminativè corruptibile* eſt illud, quod eſt terminus corruptionis, ſeu tranſit de eſſe ad non eſſe. *Subjectivè generabile* eſt illud, quod ſubijcitur generationi; taliter ſubijcitur Materia, in qua fit tranſitus de non eſſe ad eſſe. *Subjectivè corruptibile* eſt pariter illud, quod ſubijcitur corruptioni; hôc modô eadem Materia ſubijcitur, in qua fit tranſitus de eſſe ad non eſſe.

8. *Materia prima eſt generabilis, & corruptibilis ſubjectivè.* Dico tertiò: Materia prima dici poteſt generabilis, & corruptibilis ſubjectivè. Ita Scotus *7. Met. q. 10.* & ſequuntur Canon. Pariſien. Ant. Andre. Joannes de Magiſt. & communis Scotiſt. reliquorum.

Probat. *primò* authoritate Philoſophi; qui *8. Met. Text. 4.* & alibi aſſerit Materiam ſublunarium generabilem, & corruptibilem; quod utique de generabilitate, & corruptibilitate ſubjectiva tantùm intelligi poteſt, non terminativa; ut *ſequenti Concluſ.* patebit: Ergo &c. Prob. *Secundò* ratione; Materia prima eſt ſubjectum commune omnium generationum naturalium, & corruptionum; quia tranſit de non forma ſub formam; & de forma hac ad privationem ejuſdem: ſed hoc eſt eſſe ſubjectivè generabilem, & corruptibilem; ut ex mox *præmiſſo notabili* conſtat: Ergo &c.

Dico quartò: Materia prima tamen eſt ingenerabilis, & incorruptibilis terminativè. Ita Scotus *2. diſt. 1. q. 3.* cum quo etiam communis Scotiſtarum. 9. *Non tamen terminativè*

Probat. *primò* authoritate Ariſtotelis; qui hanc ingenerabilitatem, & incorruptibilitatem adſcribit Materiæ primæ *1. Phyſic. text. 82.* & propterea *1. Phyſic. text. 60.* dixit eandem manere perpetuò in genito, & corrupto: Ergo &c. *Secundò* ratione; illud quod eſt terminus creationis & annihilationis, eſt terminativè ingenerabile, & incorruptibile; utì patet de Angelo, & anima rationali: ſed Materia prima eſt terminus creationis; quia â DEO eſt creata; eſt etiam terminus annihilationis: Ergo &c. Præterea Materia nullum contrarium naturale habet, imò ipſa eſt contrariorum receptiva libenter: Ergo cenſenda eſt ingenerabilis, & incorruptibilis terminativè. Tandem Materia prima nequit accipere eſſe per generationem, quia aliàs fieret ex aliquo ſubjecto, quòd eſſet priùs ipsâ, & ſic ipſa non eſſet ſubjectum primum, contra Philoſophum *1. Phyſic. 82.* Neque poteſt corrumpi, aliàs deſineret eſſe aliquô ſubjectô remanente in corporibus aliquibus, quòd eſſet rurſus priùs ipsâ: Ergo Materia prima non eſt generabilis, & corruptibilis terminativè.

Objicies *primò*: Si Materia prima eſſet terminativè incorruptibilis, ſequeretur quòd redderet totum compoſitum incorruptibile terminativè; ſicut quia corporea eſt, & materialis, reddit illud corporeum, & materiale: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. *Secundò*: quod eſt cauſa corruptionis, eſt in ſe etiam corruptibile; quia ut habet illa maxima *1. Poſt. cap. 2.* *propter quod unumquodque tale, & illud magìs*: ſed Materia eſt cauſa corruptionis cõ- 10. *Objectiones quædam.*

D po-

poſiti: Ergo ipſa quoque eſt terminativè corruptibilis.

11. *Reſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. ſequelam Maj. quia totum compoſitum non eſt terminus creationis, ſicut eſt Materia prima: deinde totum compoſitum habet plura contraria naturalia, quæ ejus exiſtentiam impugnant, & finaliter deſtruunt, cujuſmodi ſunt calor, & frigus, humiditas, & ſiccitas, quæ quandoque per exceſſum afficiunt compoſitum phyſicum, & ſic tandem corrumpunt. Ad rationem Majoris à pari indictam de corporeo dico, quod cum corruptibile, & incorruptibile conveniant rei per ordinem ad Efficiens, proinde etſi materia communicet compoſito corporeitatem, nequit tamen dare incorruptibilitatem; quia hanc non efficit, cùm ſit terminus creationis Divinæ, dat tamen corporeum; quia ſecundùm hoc ſe communicat compoſito. *Ad Secundum* Neg. Ant. & ad illud axioma Philoſophi dico, illud duntaxat verificari in cauſis univocis, & efficientibus v. g. ſi manus eſt frigida propter gelu, ipſum gelu debet eſſe magìs frigidum; non verificatur autem in cauſis æquivocis; non enim ſequitur homo eſt ebrius propter vinum: Ergo vinum eſt magìs ebrium.

QUÆSTIO VI.

An Materia ſit aliquomodo activa; radix omnis corruptionis; & cognoſcibilis.

1. *Materia cauſat activè paſſiones* Dico primò: Materia prima exercet aliquam activitatem, cauſando ſuas paſſiones. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 1. q. 1.* & *4. diſt. 12. q. 3. §: dico ergo.* Sunt autem paſſiones præcipuæ Materiæ ſequentes, ingenerabilitas, incorruptibilitas, perpetuitas, paſſibilitas, appetibilitas formarum, & cognoſcibilitas per earum analogiam.

Probat. aliæ naturæ ſpecificæ exercent aliquam activitatem in cauſando, originando, & principiando ſuas paſſiones; utì patet de rationalitate, â qua per quamdã activitatem promanant riſibilitas, admirativitas &c. Ergo & Materia prima cauſando ſuas paſſiones.

2. *Quo ſenſu Materia dicatur paſſiva.* Objicies: Materia prima paſſim â Philoſopho vocatur paſſiva, ut patet *ex 1. de generat. text. 55.* Ergo non eſt activa reſpectu ſuarum paſſionum. Reſpondeo gloſſando Ariſtotelem, & dico eum loqui de Materia, ut dicit ordinem ad formas ſubſtantiales recipiendas, reſpectu quarum non eſt activa, ſed paſſiva tantùm; quia patitur eas recipiendo, cum quo ſtat, quod reſpectu ſuarum paſſionum, quas efficit cauſalitate Metaphyſicâ, ſit ſuo modo activa; ſicut, ut exempló Scoti *2. diſt. 25. q. unic.* utar, Medicus dici poteſt activus, & paſſivus; activus dum arte medica in corpus ſuum ægrum inducit ſantitatẽ; paſſivus verò, dum eandem recipit.

Dico ſecundò: Materia prima quoq; activa eſt reſpectu formæ educendæ de ſui potentia, utì & reſpectu totius compoſiti generandi. Prima pars colligitur ex Scoto *loc. cit.* & ex *4. Met. in com. tex. 20.* & tenetur à P. Mayrone, Columbo, &c. Secunda deducitur ex eodem Doctore. *3. diſt. 2. q. 2.* & ſequuntur Scotiſtæ. 3. *Eſt quoque activa reſpectu formæ, & compoſiti.*

Probat. prima pars: Materia prima cooperatur concurſu ſuo materiali ad eductionem formæ ſubſtantialis è gremio educendæ; & forma dependet in eſſe & fieri à Materia: Ergo eſt aliquomodo activa reſpectu ejuſdem educendæ. Conſequentia tenet, ideo forma eſt activa reſpectu compoſiti componendi, quia ipſa cooperatur ſuo concurſu formali ad ejus conſtitutionem, & quia compoſitum in eſſe & fieri â forma dependet: Ergo idem à pari dicendum de Materia.

Probat. Secunda pars *primò* authoritate Philoſophi, qui *5. Met. cap. 2.* ait, cõpoſitum cauſari ex Materia, & forma: Ergo ſicut forma dicitur activa reſpectu totius compoſiti, ita & Materia dici poteſt activa reſpectu ejuſdem generandi. *Secundo:* Materia recenſetur inter quatuor genera cauſarum phyſicarum *2. Met. tex. 28.* Ergo ei concedenda eſt vera cauſalitas, & conſequenter activitas reſpectu totius compoſiti generandi.

Dico tertiò: Materia non cenſetur exercere aliquam peculiarem activitatem reſpectu operationum totius, cujuſmodi ſunt in homine v. g. ſcribere, texere, fabricare &c. Eſt contra P. Ponc. 4. *Non autem reſpectu operationum totius.*

Probatur: ſi Materia prima reſpectu ſimilium operationum totius exerceret aliquam peculiarem activitatem, & cauſalitatem, utique ipſa cognoſceretur ex ſimilibus operationibus; ſicut forma cognoſcitur ex operationibus, ad quas activè concurrit: ſed Materia prima nullatenus cognoſcitur ex operationibus totius; ſed per analogiam tantùm ad formas, ut infrà dicetur: Ergo &c. Circa alterum articulum quæſt.

Dico

5. *Materia prima eſt radix corruptionis.* Dico quartò: Materia prima privatione formæ affecta meritò prima radix corruptionis omnium rerũ naturalium perhibetur. Ita Scotus *2. diſt. 12. q. 1.* & *3. diſt. 12. q. un.* & comunis Scotiſt. cum D. Thoma, & Alenſi; contra Canonic. & Joan. de Magiſtris, qui formam facit radicem omnis corruptionis.

Probatur *primò* authoritate Ariſtotelis; qui *1. Phyſic. text. 80.* docet, quòd Materia privata forma machinetur maleficium, id eſt corruptionem compoſiti, ut gloſſant ibidem Commentatores: Ergo &c. *Secundò* ratione: Materia eſt contrariorum receptaculum commune *1. Phyſic. tex. 66.* Ergo unum alterius corruptionem machinatur; ac proinde in Materiam refundi debet prima radix corruptionis. Deinde Materia etſi ſit ſub forma aliqua; adhuc tamen etiam appetit aliam, quæ induci nequit ſinè corruptione prioris inexiſtentis: Ergo ipſa machinatur corruptionem prioris; & conſequenter eſt intrinſeca radix, ac origo omnis corruptionis, quæ contingit in rebus naturalibus.

6. *Objecta quædam eliduntur.* Objicies *primò*: forma eſt cauſa mutationis, *1. Phyſic. tex. 68.* quando ſcilicet ſe ſeparat à Materia, quo caſu corrumpitur compoſitum: Ergo ipſa potiùs eſt radix corruptionis omnium naturalium. *Secundo*: Materia prima nullum habet contrarium: ergo nequit eſſe cauſa corruptionis. Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Ant. forma eſt cauſa primaria, & radicalis mutationis Neg. Ant. ſecundaria, & per accidens Conc. Ant. Itaque Materia eſt prima, & radicalis cauſa mutationis; ſecundaria verò eſt forma. *Ad Secundum* Neg. Conſeq. nam ex illo Antecedenti tantùm ſequitur, quòd Materia non ſit cauſa extrinſeca corruptionis rerum naturalium, quæ oritur à contrarijs: cum quo ſtat, quòd ſit cauſa, & radix intrinſeca omnis corruptionis; in quo ſenſu procedit concluſio quarta. Circa ultimum articulum quæſtionis

7. *Materia eſt in ſe cognoſcibilis.* Dico quintò: Materia prima eſt quidem in ſe, & ſinè habitudine ad aliud cognoſcibilis; pro hoc tamen ſtatu à nobis non cognoſcitur, niſi per ordinem, habitudinem, & analogiam ad formam. Ita Scotus *2. diſt. 12. q. 1. & 2.* tenet communis Scotiſtarum, Paris: Faber, Columb. Tartaret, &c. Prima pars eſt contra Averr. & alios.

Probatur prima pars: omne ens poſitivum, & abſolutum eſt in ſe, & ſinè ordine ad aliud cognoſcibile; quia cognoſcibilitas eſt paſſio entis *2. Met. text. 4.* ſed Materia prima eſt ens poſitivum; cùm ſit ſubſtantia *12. Met. c. 2.* Ergo eſt in ſe cognoſcibilis. Deinde Materia habet actum entitativum; ergo ſecundùm hunc eſt cognoſcibilis. Item eſt definibilis: ergo & cognoſcibilis.

8. *Non tamen à nobis pro iſto ſtatu.* Probatur ſecunda pars: intellectus noſter pro hoc ſtatu non poteſt cognoſcere, niſi quæ ſunt ſenſibilia, propter ordinem potentiarum inter ſe; juxta illud vulgare, *nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu*: nihil autem eſt in ſenſu, niſi ſenſibile: ergo cùm Materia prima nullis accidentibus ſenſibilibus afficiatur, conſequenter non eſt cognoſcibilis à nobis pro hoc ſtatu. Ut itaque cognoſcatur, debet conſiderari cum quadam habitudine, & ordine ad formam, quatenus videlicet conſideratur ut ſubjectũ quoddam commune mutationis formarum, ſecundùm quem effectum redditur ſenſibilis; ſentimus enim Materiam ſuſtentare formam, & modò habere unam, modò mutari ſub aliam; ex quo fit, quòd cognoſcatur quidem Materia; ſed cum analogia ad formas, quæ ratione mutationis ſupponunt commune ſubjectum, ſeu Materiam.

Objicies: Ariſtoteles docet *7. Met. tex. 35.* Materiam eſſe ignotam: ergo non eſt in ſe cognoſcibilis. Reſpondeo gloſſando Philoſophum, & dico, eum ſolùm velle, quòd Materia non ſit prima ratio cognoſcendi; ſed forma, quæ eſt nobis cauſa cognoſcendi Materiam pro hoc ſtatu.

QUÆSTIO VII.

De potentia Materiæ primæ.

Communiter conceditur ab omnibus Philoſophis, maximè Peripateticis, Materiam primam concedentibus, quòd ipſa habeat potentiam quamdam tam reſpectu formæ, cujus eſt ſubjectum receptivum; quam reſpectu totius compoſiti, cujus eſt pars potentialis; inquiritur autem quid ſit, qualis ſit, & quotuplex ſit &c.

1. *Quid ſit potentia.* Nota autem primò: nomine potentiæ in communi intelligi habilitatem quamdam, ſive aptitudinem: quæ ſi ſit habilitas operãdi, pertinet ad ſecundam ſpeciem qualitatis; & de ea non inquiritur hic: ſive-

ſi verò ſit habilitas importans principium agendi, vel patiendi, ſpectat ad propoſitum: & eſt duplex potentia activa, & potentia paſſiva. *Potentia activa* eſt illud principium, quô agens dicitur agere; talis eſt potentia ignis ad comburendum; talis quoque eſt intellectus ad intellectionem eliciendam; & de hac in præſenti quæſtione non inquiritur. *Potentia paſſiva* eſt illud principium, quô ſubjectum aliquid recipit; verbô, eſt aptitudo Materiæ ad recipiendam formam, & communiter vocatur *potentia receptiva* ac *ſubjectiva*; & hujus naturæ multiplicitas etiã hic perſcrutatur.

2. *Quid potentia remota, & proxima.*

Nota ſecundò: potentia paſſiva ſeu receptiva alia poteſt conſiderari remota, alia proxima. *Remota* dicitur illa aptitudo, quâ Materia eſt indifferens indeterminata ad omnes formas. Unde dicitur *potentia communis*; quia nullas habet diſpoſitiones ad hanc, vel illam recipiendam proximè. *Proxima* verò dicitur illa aptitudo, quâ Materia eſt determinata ad hanc, vel illam in particulari formam; unde hæc dicitur potentia particularis; quia jam habet particulares diſpoſitiones ad hanc, vel illam recipiendam.

3. *Quid naturalis, violẽta, & neutra.*

Nota tertiò: rurſus potentia paſſiva, ſeu receptiva ſecundùm Scotum *q. 1. Prol.* ſi conſideretur per ordinem ad formam, dividitur in naturalem, violentam, & neutram. Tunc dicitur *naturalis*, quando forma, quam recipit, eſt juxta ſuam naturalem inclinationem: tunc *violenta*, quando forma eſt contra inclinationem naturalem: tunc *neutra* quando forma nec eſt contra, nec ſecundùm inclinationem naturalem; talis eſt in cælis reſpectu motûs circularis.

4. *Quid fundamentalis, & formalis.*

Nota quartò: iterum potentia paſſiva conſiderari poteſt, vel fundamentaliter, vel formaliter. Potentia paſſiva *fundamentaliter* (ſeu radicaliter) conſiderata eſt principium potentiale, ſeu radix potentialitatis, â qua emanat potentia formalis ſuſceptiva; ſicut rationalitas eſt radix riſibilitatis; verbô, eſt ipſa entitas Materiæ abſolutè conſiderata. *Formaliter* conſiderata eſt relatio Materiæ ad formas, vel aptitudinalis, vel actualis: primô modô eſt relatio receptivi ad receptibile, â qua Materia dicitur apta recipere formas: ſecundô modô eſt relatio informati ad informans.

5. *Quid naturalis, & obedientialis.*

Nota quintò: tandem potentia paſſiva comparari poteſt ad varium agens; ex quo rurſus reſultat varia ejus diviſio: nã ſi comparetur ad agens, quod inducit formam juxta leges naturæ, tunc dicitur *potentia naturalis*; ſi comparetur ad agens, quod præter leges naturæ inducit formã, dicitur *potentia ſupernaturalis*, & obedientialis, ut loquuntur Thomiſtæ. His prænotatis

6. *Potentia paſſiva fundamentalis eſt de eſſentia materiæ.*

Dico primò: potentia paſſiva remota Materiæ fundamentaliter, & radicaliter conſiderata, eſt de eſſentia Materiæ primæ. Ita Scotus *4. diſt. 43. q. 3. §. ad aliud*, & ſequuntur Montur. Columb. & Joan. de Magiſt. contra Thomiſtas.

Probat. potentia paſſiva remota Materiæ fundamentaliter conſiderata eſt entitas Materiæ primæ, ut eſt fundamentum illius ordinis, ſeu relationis, quam dicit ad formas: ſed in entitate rei conſiſtit ejus eſſentia: ergo talis potentia eſt de eſſentia Materiæ primæ. Deinde radix paſſionum eſt de eſſentia rei, quæ habet paſſiones, ſicut patet in rationalitate, quæ ut radix paſſionum riſibilitatis, flebilitatis, & admirativitatis, eſt de eſſentia hominis: Ergo idem dicendum de potentia paſſiva remota Materiæ radicaliter accepta.

7. *Non verò formalis.*

Dico ſecundò: potentia paſſiva remota Materiæ formalis, ſeu formaliter conſiderata ut importat relationem aptitudinalem receptivi ad receptibile, eſt tantùm paſſio Materiæ primæ, realiter identificata; & formaliter diſtincta ab ea. Ita Scotus *2. diſt. 12. q. 1.* & *4. diſt. 11. q. 3.* & *diſt. 43. q. 3.* Et ſequitur Montur. & Columb. cum aliis: contra Thomiſtas, & Hurtad. docentes, hanc potentiam prorſus coincidere cum eſſentia Materiæ.

Probatur prima pars: nulla relatio eſt de eſſentia rei abſolutæ; cùm prædicamenta ſecundùm Ariſtotelem *1. Poſter. c. 25.* ſint impermixta: ſed potentia paſſiva remota Materiæ formaliter conſiderata, ut importat relationem aptitudinalem receptivi ad receptibile, eſt relatio, & Materia eſt res abſoluta: Ergo talis potentia non eſt de eſſentia Materiæ primæ: Ergo tantùm paſſio ejus. Deinde iſta potentia fluit pro poſteriori ab eſſentia Materiæ primæ: ergo nequit eſſe de ejus eſſentia.

8. *Sed eſt ejus paſſio identificata realiter.*

Probat. ſecunda pars: omnis paſſio identificatur realiter ſuo ſubjecto: Ergo & hæc paſſio potentiæ paſſivæ eſt identificata realiter Materiæ. Deinde omnis relatio tranſcendentalis identificatur realiter ſuo fundamento: ſed hæc potentia paſſiva remota formalis, prout importat aptitudinem

tudinem

tudinem receptivi ad receptibile, eſt relatio quædam tranſcendentalis, ut habet Scotus *4. diſt. 43. q. 3.* Ergo realiter identificatur ſuo fundamento, quod eſt Materia.

Probat. tertia pars: potentiæ paſſivæ remotæ formali, ut importat relationem aptitudinalem receptivi ad receptibile, & Materiæ conveniunt prædicata contradictoria formalia: ergo formaliter diſtinguuntur. Ant. patet; Materiæ ſecundùm ſe conſideratæ convenit eſſe radicem, à qua emanant paſſiones ejus: & potentiæ præfatæ hoc nõ convenit: ergo eis conveniunt prædicata contradictoria formalia.

9. *Formaliter tamen diſtincta.*

Dico tertiò: potentia paſſiva remota Materiæ formaliter conſiderata, ut importat relationem actualem informati ad informans, eſt accidens ſeparabile à Materia, & realiter ab ea diſtinctum. Ita Scotus *4. diſt. 43. q. 3.* & ſequitur Montur. & Columb. contra Thomiſtas.

10. *Potentia ut dicit relationem informati ad informans realiter diſt.*

Probatur: illud eſt accidens ſeparabile, quod poteſt abeſſe, vel adeſſe ſinè ſubjecti corruptione, ut definit Porphyrius *in Iſag. cap. de accidente*: ſed potentia paſſiva remota formalis, ut dicit relationem actualem informati ad informans, poteſt abeſſe ſinè Materiæ corruptione, ſaltèm divinitùs; quia Materia poteſt exui divinitùs omni formâ: ergo eſt accidens ſeparabile à Materia.

Dico quartò: Materia prima habet potentiam paſſivam remotam univerſalem, & indeterminatam, quæ indifferenter reſpicit omnes formas recipiendas, quæque eſt naturalis ad eas, tam ſecundùm gradùm ſpecificum; quàm individualem earundem. Prima pars eſt Scoti *4. diſt. 43. q. 3.* & eam tenet Lychetus, Orbellus, Vigerius &c. ſecunda ejuſdem D. *2. diſt. 18. q. un.*

11. *Potẽtia materiæ eſt univerſalis & indifferens ad omnes formas.*

Probatur prima pars: tum Authoritate Philoſophi, qui *1. Phyſic. c. 9.* definiendo Materiam, eam appellat *ſubjectum primum omnium formarum*: Ergo ſupponit eam habere potentiam remotam receptivam univerſalem omnium formarum. Similiter *7. Met. text. 8.* eam vocat *ſubjectum indifferens, & indeterminatum ad quamcunque formam ſuſcipiendam*: Ergo ei attribuit potentiam indifferentem ad omnes formas recipiendas. Tum ratione; entitas Materiæ eſt indeterminata, univerſalis, & indifferens; cùm ſit una ſpecie in omnibus corporibus naturalibus: Ergo & ejus paſſio potentiæ fluens de eſſentia Materiæ erit ſic indeterminata, communis, indifferens.

Probat. ſecunda pars: quia formæ tam ſecundùm gradum ſpecificum, quàm ſecundùm individualem perficiunt Materiam: Ergo potentia Materiæ ad eos eſt naturalis. Conſequentia tenet; quia unumquodque naturaliter propendet in ſui perfectionem naturalem. 12.

Tam quoad gradum ſpecif. quàm generic.

Dico quintò: potentia paſſiva remota Materiæ eſt ad omnes prorſus formas, ſive poſſeſſas, ſive poſſidendas; ſive etiam corruptas. Ita Scotus *4. diſt. 23. q. 3.* & ſequuntur Lamazar. Maſtr. Baſſ. Tartar. & alii Scotiſtæ, quibus ſeſe adjungunt Ruv. Hurtad. Racc. &c. contra Averr. & alios aſſerentes, potentiam Materiæ non ſe extendere ad formas corruptas. 13.

Reſpicit omnes formas, etiam corruptas.

Probat. Tum quia potentia paſſiva remota eſt paſſio identificata Materiæ: ergo manet in Materia reſpectivè ad quaſcunque formas, ſive poſſeſſas, ſive poſſidendas; ſive etiam corruptas. Et licèt corruptas non recipiat naturaliter ampliùs; hoc tamen non oritur ex parte Materiæ, quæ ſemper habet capacitatem corruptas formas recipiendi; ſed oritur ex parte formæ, quæ ſuppoſitâ ſuâ deſtructione nequit redire ampliùs; quia *à privatione ad habitum non fit naturaliter regreſſus*, ut habet commune Proloquium Philoſophi: quod exemplificatur in vaſe aliquo, quod ſemper habet capacitatem recipiendi vinum, etiam corruptum; ſed non recipit illud; quia vinum corruptum non poteſt redire. Tum quia quævis forma ſubſtantialis, etiam corrupta, eſt ex ſe perfectiva Materiæ; & potens cum ea facere ens unũ per ſe, ſi rurſus producatur; ſimiliter Materia à quavis eſt perfectibilis, & actuabilis: Ergo potentia paſſiva remota Materiæ ad omnes prorſus ſeſe extendit. Tũ quia potentia activa eſt in Materia, etſi corrumpatur, & tranſeat ejus actus: Ergo ſimiliter potentia paſſiva remanet in Materia, etſi corrumpatur ejus actus, id eſt, aliqua forma informans; ac proinde ad eundem actum adhuc ſeſe extendit.

Objicies: potentia paſſiva remota Materiæ reſpectu formæ corruptæ nunquam redigetur in actum: Ergo eſt fruſtranea; & conſequenter non adſtruenda; quia nil adſtrui debet, niſi neceſſariũ; quia natura nõ deficit in neceſſariis, ideo quando alicui tribuit propenſionem ad aliquem finem, ſimul elargitur inſtrumenta neceſſaria ad ejus conſecutionem; qua de cauſa Ariſtoteles *2. de Cœlo cap. 8.* 14.

Objectio quædam eliditur.

 con-

concludit, aſtra non habere vim progreſſivam; eò quia natura non dedit eis inſtrumenta ad motum progreſſivum peragendum. Reſpondeo Neg. Conſeq. quia ſufficit, quòd ab agente ſupernaturali poſſit deduci in actum. Et Ariſtoteles *loc. cit.* loquitur ſolùm de potentia ordinata à natura naturaliter ad motum progreſſivum, quæ eſt organica, de qua concedo, quòd cui talis potentia datur, detur & organum ad actum, ut poſſit produci: ſed hinc, inquit Doctor, non eſt trahenda univerſalis conſequentia in omnibus potentiis; quia non omnes ſunt organicæ.

15. *Potẽtia proxima materia eſt multiplex.* Dico ſextò: potentia proxima, & particularis Materiæ eſt multiplex, juxta formarum multiplicitatem; remota verò eſt unica ad omnes. Prima pars colligitur ex Scoto *4. diſt. 43. q. 3:* & *Rep. 2. diſt. 12. q. 1.* & *2.* & eſt communis Scotiſt. cum Pariſienſibus, Averſa, Zabarella &c.

Probatur prima pars: hæc potentia particularis & proxima Materiæ convenit, quatenus per accidentia diſponitur ad certam formam: Ergo cum variæ, & multiplices ſint diſpoſitiones pro varietate formarum; ita etiam potentia hæc variabitur, & multiplicabitur.

16. *Remota autem eſt unica.* Probat. ſecunda pars: una potentia univerſalis eſt ſufficientiſſima ad omnes formas recipiendas; ſicut in homine ſufficit una inclinatio ad multos actus ridendi; & in uno gravi una propenſio ad multos deſcenſus: Ergo &c. Et hac ratione Materia dicitur *potentia contradictionis*; quia ſcilicet per eandem potentiam reſpicit ſucceſſivè plures formas, incompoſſibiles ſimul.

17. *Objectionibus ſatisfit.* Objicies contra ſecundam partem ex *9. Met. 7.* habetur, quod actus, & potentia ſint ejuſdem generis, & ſpeciei: ergo cùm formæ tanquam actus ſint ſpecie diverſæ, debent & potentiæ remotæ in Materia eſſe plures, & diverſæ. Reſpondeo cum Scoto, illam authoritatem intelligi debere de potentia, & actu prout ſunt differentiæ Entis; non de potentia activa, & paſſiva, & actu eis correſpondente; nõ enim potentia ad quantitatem eſt quantitas; nec potentia ad Ubi, eſt Ubi &c.

Objicies ſecundò ad idem; ſi eſſet una tantùm potentia remota, eſſet infinitæ virtutis in genere cauſæ materialis; ſicut DEUS dicitur infinitæ virtutis in genere cauſæ Efficientis; quia infinitos effectus ſyncathegorematicè poteſt producere. Reſpondeo Neg. ſequelam; quia juxta Scotum *3. diſt. 14. q. 2.* in calce, capacitas Materiæ ad infinitas formas ſucceſſivè nõ concludit infinitam virtutem receptivi; quia potentia paſſiva à toto genere nullam importat perfectionem; potentia autem activa, qualis eſt in genere cauſæ Efficientis, perfectionem dicit. Pro intellectu ſequentis Concluſionis

Nota ſextò: certũ eſſe, Materiã formas corruptibiles non tantùm in ſe recipere; verùm etiam eaſdem ſuſtẽtare; per quod munus explicari ſolet ejus cauſalitas materialis erga formas; quod non exercet circa animam rationalem, quam utique in ſe recipit; ſed non ſuſtentat: item certum eſt, Materiam aliqua in ſe recipere accidentia: quæritur ergo an ſit eadem potentia Materiæ, quæ recipit, & ſuſtentat; item quæ recipit formas ſubſtantiales, & quæ accidentales.

Dico ſeptimò: potentia ſuſtentativa in Materia eſt ex natura rei formaliter diſtincta à potentia receptiva. Colligitur ex Scoto *3. diſt. 1. q. 1.* & in *4. diſt. 13. q. 1.* ubi unionem, & receptionem, quæ eſt actus correſpondens potentiæ receptivæ ponit reſpectum extrinſecùs advenientem; eductionem verò quæ eſt actus correſpondens potentiæ ſuſtentativæ ponit intrinſecùs advenientem; ubi ex tali diverſitate actuum colligi debet diverſitas potentiarum. Et contra Svar. Averr. Amicum &c. 18. *Potentia ſuſtentativa materia eſt alia à receptiva.*

Probatur: modus ſuſtentationis eſt ex natura rei diſtinctus à modo receptionis: Ergo & potentia ſuſtentiva à receptiva; quia diſtinctio formalis potentiarum colligitur ex diſtinctione ſpecifica & formali actuum maximè adæquatorum: *Secundò*; hi duo modi inveniuntur ſeparati; Materia ſiquidem animam rationalem recipit; non verò ſuſtentat. *Tertiò*: potentia receptiva dicit neceſſariò imperfectionem, ſcilicet potentialitatem; potentia verò ſuſtentativa dicit perfectionem in ſe ſuſtentante, quatenus ſuſtinendo perficit illam, aut ad minus nõ dicit imperfectionem: Ergo hæ duæ potentiæ ſunt diſtinctæ formaliter in Materia.

Objiciunt *primò* Adverſarij, in accidente non ponuntur duo modi ex natura rei diſtincti, unus informationis, & alius inhærentis, quæ eſt dependentia à ſubjecto; ſed per unum, & eundem modum informat, & dependet: Ergo à pari idem hic. *Confirm.* ſi verbum hypoſtaticè aſſumeret naturam irrationalem, non idcircò 19. *Rationes oppoſita afferuntur.*

talis

talis natura diceretur perſonari; ſed tantùm ſuppoſitari: quia hæc unio denominat naturam juxta modum illius; unde cùm irrationalis natura perſonabilis non ſit, non diceretur per talem unionem perſonari: Ergo à pari etiam unio Materiæ cum forma eſt ſemper eadem in ſe, & tantùm variam accipit denominationem, juxta varietatem formarum; puta ſi ſit ad formam curruptibilem dicitur ſuſtentatio; ſi ad ſubſiſtentem, dicitur ſimplex receptio: & ita etiam dici poteſt de potentia, quòd ſit ſemper eadem; ſed relata ad formas corruptibiles dicetur ſuſtentativa; relata ad animam dicetur receptiva.

20. *Et reſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Aſſumptum; alius enim eſt modus, quò accidens informat ſubjectum, & eſt reſpectus extrinſecùs adveniens; & alius, quô dependet ab eo, & eſt intrinſecùs adveniens; qui modi etiam ſeparari poſſunt ab invicem. *Ad Confirm.* Neg. parietatem; quia perſona ultra ſuppoſitum nil dicit formaliter; ſed tantùm connotat naturam rationalem; unde juxta diverſitatem naturæ aſſumptæ eadem hypoſtatica unio dicetur perſonatio, & ſuppoſitatio; at ſuſtentatio ultra unionem dicit etiam dependentiam, & cauſalitatem Materiæ; quare arguit potentiam diſtinctam.

21. *Amico obviatur.* Objicit ſecundò Amicus: unitas potentiæ non tollitur ex qualibet diſtinctione actuum, & objectorum; ſed tantùm formalium, & adæquatorum: ſed receptio cum dependentia, quæ denotat potentiam receptivam ſuſtentativam, & receptio ſinè dependentia, quæ arguit ſolam potentiam receptivam, licèt ſint actus ſpecie diſtincti; tamen ſunt inadæquati reſpectu potentiæ receptivæ: Ergo &c. Maj. patet, quia velle, & nolle ſunt actus ſpecie diſtincti; & tamen non tollunt unitatem potentiæ; quia ſunt inadæquati reſpectu illius. Prob. ergo Min. quia potentia receptiva adæquatè reſpicit utrumque genus formarum; nam omnibus convenit communis ratio informativa, & ſuſtentiva: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Min. cum ſua Probatione; quamvis enim potentia receptiva, & ſuſtentativa reſpiciant formam; eam tamen reſpiciunt ſub diverſa ratione formali; informativa nimirum, ſub ſuſtentabili ac proinde ſingulæ in ſuo genere ſunt potentiæ completæ, & adæquatæ; & ſingulæ ſpecificantur à diverſis rationibus formalibus.

22. *Alia eſt potentia pro formis ſubſtant: & alia pro accidentalibus recipiendis.* Dico octavò: Potentia receptiva formæ ſubſtantialis in Materia, eſt ex natura rei formaliter diſtincta à potentia receptiva formæ accidentalis. Ita Maſtrius, & alij Scotiſtæ; contra Amic. &c.

Probatur: quando plura attributa conveniunt rei, ſed unum alio mediante, tunc illa cenſentur inter ſe diſtincta attributa ex natura rei: ſed ita ſe habent hujuſmodi potentiæ in Materia, quod receptiva accidentium conveniat Materiæ ob receptivam ſubſtantialium; quia Materia priùs eſt receptiva aliquarum diſpoſitionum accidentalium ante formam, ut forma meliùs introducatur: Ergo &c. *Secundò:* potentia Materiæ reſpectu formarum ſubſtantialium talis eſt, ut ratione ipſius conſtituat cum forma ſubſtantiali Ens unum per ſe; talis autem non eſt potentia receptiva accidentium: Ergo &c.

23. *Reſpondetur inſtantiæ.* Objicies: ſi debeant multiplicari potentiæ receptivæ reſpectu ſubſtantialiũ, & accidentalium formarum, debebunt & multiplicari potentiæ ſuſtentativæ reſpectu earundem à pari: ſed hoc eſt contra aliam concluſionem: Ergo &c. Reſpondeo Neg. ſequelam Maj. quia tam formæ ſubſtantiales & corruptibiles carent ſubſiſtentiâ, prout excludit indigentiam ſubjecti ſuſtentantis, quam accidentales; ac proinde æque omnes conveniunt in ratione communi formæ ſuſtentabilis; quæ ſatis eſt ad ſpecificandam unam tantùm potentiam ſuſtentativam ex parte Materiæ, quæ non variatur per formas ſubſtantiales, & accidentales: at in propoſito eſſe per ſe actum, & eſſe actum per accidens ſunt rationes, quæ formaliter variant potentiam receptivam correſpondentem, ita ut potentia per ſe conſtituatur per actum ad ſe, & non in ordine ad actum per accidens.

QUÆSTIO VIII.

De Appetitu Materiæ primæ.

NOta primò: *appetitus* deſcribitur rectè ex Scoto *1. Phyſic. q. 22. eſt quædam propenſio, & inclinatio ad bonum conveniens, & proportionatum.* Hæc propenſio eſt quædam paſſio fluens à Materia, cui identificatur; ſicut fluit potentia paſſiva remota.

Nota

1. *Quid ſit appetitus innatus, & elicitus.*

Nota ſecundò: duplex communiter aſſignatur appetitus, elicitus, & innatus. *Appetitus elicitus* (qui & intentionalis dicitur) eſt illa propenſio, & pronitas, quâ natura fertur, & tendit in bonum ſibi cõveniens, cum prævia cognitione ejus: quia autem duplex datur cognitio, ſcilicet ſenſitiva, & intellectiva, quas vide explicatas *in Tract. in libros de anima*; ideo duplex pariter appetitus elicitus reperitur; *unus ſenſitivus* (qui & animalis dicitur) ſequens cognitionem ſenſitivam; talis eſt in equo, dum appetit avenam; *alter intellectivus* (qui & rationalis dicitur) ſequens cognitionem intellectivam; talis eſt in homine, dum appetit honores, dignitates, & divitias. *Appetitus innatus* (qui & naturalis) eſt illa inclinatio, & pronitas, quâ naturâ fertur in bonum ſibi conveniens, abſque ulla prævia cognitione; talis eſt in lapide, quâ propendet ad centrum terræ; & in igne, quâ tendit ſurſum. Et de iſto appetitu potiſſimè procedit quæſtio.

2. *Quid deſiderij, & complacentiæ.*

Nota tertiò: Appetitus rurſus alius eſt deſiderij, alius complacentiæ. *Appetitus deſiderij* eſt, qui fertur in rem abſentem, ut habet Scotus *3. diſt. 26. q. 31.* *Appetitus complacentiæ* (qui & gaudium dicitur) eſt qui fertur in rem præſentem, quâ jam fruitur natura: utrumque expreſſit D. Auguſtinus *in Pſal. 118.* dicens; *Deſiderium eſt rerum abſentium concupiſcentia: Gaudium verò, ſeu complacentia de re præſente, & poſſeſſa, quâ quis fruitur, & potitur.*

3. *Extat in Materia appetitus innatus ad formas.*

Dico primò: extat in Materia prima verus appetitus innatus ad formas. Ita Scotus *4. diſt. 49. q. 10.* & communis Peripat. contra Avic. & Juſtinum Mart. *in confutatione dogmatum Ariſtotelis.*

Probat. *primò* authoritate Philoſophi; qui appetitum innatum in Materia ad formas paſſim adſtruit; ſignanter *1. Phyſic. text. 81.* ubi ait; *Quòd Materia appetat formam, ſicut turpe appetit pulchrum, & fœmina virum.* *Secundò* ratione; unumquodque ens propendet in ſui perfectivum naturaliter: Ergo & Materia propendet appetitu innato ad formas, quæ ſunt ſui perfectivæ. Præterea Materia eſt pars compoſiti naturalis, & quidem incompleta: Ergo appetit naturaliter unionem ſuæ compartis, ſeu formæ, quæ eam complet.

4. *Hic eſt ad omnes formas.*

Dico ſecundò: appetitus innatus Materiæ eſt univerſalis, & indeterminatus, qui ſe extendit univerſaliter ad omnes formas ſubſtantiales, etiam corruptas. Ita Scotus *1. diſt. 1. q. 1.* & ſequuntur Lamaz. Columb. Maſtr. Leal. Fraſs. & communis Scotiſt. contra Ariag. Avic. &c.

Probatur *primò* authoritate Ariſtotelis; qui *1. Phyſic. text. 81.* loquens de appetitu Materiæ, indefinitè loquitur: Ergo is ſe extendit ad omnes formas ſubſtantiales. *Secundo* ratione; tum quia appetitus innatus Materiæ eſt ipſa potentia paſſiva remota formalis, ut importat aptitudinem receptivi ad receptibile: ſed hæc ſe extendit ad omnes formas univerſaliter & indeterminatè *ut priori quæſt. concl. 5.* oſtendi: Ergo & appetitus Materiæ. Tum quia quælibet forma ſubſtantialis naturaliter perficit Materiam, & cum ea facit unum per ſe compoſitum ſubſtantiale, & quælibet eſt bonum conveniens, ac proportionatum Materiæ: Ergo ejus appetitus innatus ſeſe extendit univerſaliter ad quamlibet. Tum quia nulla forma ſatiat totum appetitum innatum Materiæ primæ totaliter; cùm nulla contineat virtualiter perfectionem aliarum formarum: Ergo remanet is ſemper univerſaliter ad quaſcunque. Tum tandem Materia prima eſt ſubjectum primum cujuſcunque formæ, *1. Phyſic. 82.* Ergo habet capacitatem univerſalem, ſeu inclinationem, & appetitum innatum communem ad omnes formas.

Probatur ſpecialiter *de corruptis formis*: etiam in formis corruptis adeſt ratio formæ, actûs perfectivi, ac boni convenientis: Ergo appetitus innatus Materiæ etiam ad has ſeſe extendit. Ant. patet; quia forma corrupta eſt ejuſdem rationis cum nõ corrupta, quantùm ad eſſentialia. Deinde apud Ariſtotelem nuſquam forma corrupta excipitur â ratione appetibilis: Ergo etiam poteſt appeti à Materia.

5. *Oppoſitiones contra appetitum univerſalẽ Materiæ.*

Objicies *primò*: appetitus innatus Materiæ non ſe extendit ad formam abſentem, cùm Materia eſt ſub poſſeſſa, ſeu præſenti: Ergo &c. Prob. Ant. quia aliàs Materia appeteret deſtructionem compoſiti; abſens enim forma nequit induci, niſi poſſeſſa, ſeu præſens expellatur; ſi autem expellatur, deſtruitur compoſitum: Ergo &c. *Secundò*: ſi appetitus Materiæ eſſet indifferens ad omnes formas etiam abſentes, ſequeretur quòd Materia eſſet in ſtatu violento ſub forma præſente: ſed hoc dici nequit: Ergo &c. *Tertiò*: formæ corruptæ nequeunt reproduci: Ergo ad eas non ſe extendit appetitus innatus Materiæ. *Quartò*: appetitus nequit eſſe ad oppoſita:

poſita: ſed multæ formæ ſunt oppoſitæ ſibi: Ergo ad omnes non eſt appetitus Materiæ.

6. *Refelluntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad ejus Probat. dico Materiam per accidens tantùm appetere deſtructionem compoſiti; per ſe enim appetit, & tendit in formam inducendam, quæ quoddam bonum conveniens eſt Materiæ; quia tamen agens eam inducere nequit, niſi cum deſtructione prioris; ideo per accidens hoc Materiæ convenit. *Ad Secundum* reſpondet Scotus *1. diſt. 1. q. 1.* Neg. ſequel. Maj. quia, inquit, quies violenta nuſquam eſt, niſi quieſcens determinatè inclinetur ad oppoſitum: Materia autem ad nullam formam determinatè inclinatur; & ideo ſub nulla quieſcit violentè; ſed naturaliter: *Ad Tertium* Diſt. Ant. formæ corruptæ nequeunt reproduci ab agente naturali Conc. Ant. ab agente Supernaturali, ſcilicet DEO, Neg. Ant. ut itaque Materia cenſeatur verè appetere etiam formas corruptas, ſufficit eas eſſe reproducibiles â DEO. *Ad Quartum* Diſt. Ant. appetitus nequit eſſe ad oppoſita ſimul habenda, tranſeat Ant. ſucceſſivè habenda, Neg. Ant. nunc Materia appetit formas ut ſui ſucceſſivè perfectivas.

Dico tertiò: appetitus innatus Materiæ univerſalis propendet in omnes formas, non tantùm ſecundùm gradum genericum; ſed etiam ſecundùm ſpecificū & individualem earum. Ita Scotus *1. diſt. 1. q. 1.* & *7. Met. q. 7.* quem ſequuntur Pariſienſes, Maſtr. Columb. & alij Scotiſtæ, ac Ruvi.

7. *Appetitus Materiæ etiam gradū ſpecif. & gener. reſpicit.* Probat. Formæ non ſolùm ſecundùm gradum genericum; ſed etiam ſpecificū, & individualem, ſeu ſingularem ſunt perfectivæ Materiæ, ejuſque bonum conveniens: Ergo in hos omnes gradus propendet appetitus Materiæ. Deinde Materia eſt ſubjectum uniuscujuſque formæ ex *1. Phyſic. text. 82.* Ergo etiam omnium in particulari, ſecundum gradus generis, ſpeciei, & individui.

8. *Iſtque unicus Univerſalis.* Dico quartò: appetitus innatus Materiæ univerſalis, & indeterminatus eſt unicus, quô reſpicit omnes formas ſubſtantiales; determinatus verò, ac proximus ſeu particularis actualis, eſt multiplex, juxta formarum multiplicitatem. Ita Scotus *1. diſt. 1. q. 1. n. 6.* quem ſequuntur Fuente, Maſtrius, &c.

Probat. prima pars: Tum quia appetitus innatus univerſalis, & indeterminatus Materiæ eſt idem, quod potentia paſſiva remota Materiæ: ſed hæc eſt unica, reſpectu omnium formarum recipiendarum, ut *quæſt. præcedente Concl. 5.* oſtendi: Ergo etiam appetitus iſte innatus univerſalis, & indeterminatus Materiæ eſt unicus, quô Materia reſpicit omnes formas. Tum quia unicus appetitus innatus ſufficit ad omnes formas; ſicut in homine ſufficit unica aptitudo ridendi ad multos actus: Ergo appetitus innatus eſt unicus ad omnes formas: & propterea dicit Scotus, ſalvari quietem naturalem Materiæ ſub omnibus, & ſingulis formis, ob ſcilicet appetitum, & inclinationem univerſalem unicam; nam ſi plures adeſſent in Materia ad plures formas, ſequeretur, quòd dum Materia eſſet naturaliter ſub una forma mediante unô appetitu, eſſet violẽter ſub alia, ſpectatô appetitu alterô.

Probat. ſecunda pars ratione Scoti *loc. cit. non quæcunque forma ſatiat appetitum* (verba ſunt Doctoris) *Materiæ totaliter extrinſecè; tot enim ſunt appetitus Materiæ ad formas* (ſubintellige proximi, determinati, & particulares) *quot ſunt formæ receptibiles in Materia*: Ergo debet appetitus proximus determinatus, & particularis Materiæ multiplicari juxta formarū multiplicitatem. Ant. poteſt probari ſic; ut aliqua forma ſatiaret appetitum Materiæ, deberet eſſe forma perfectiſſima; quæ contineret virtutes aliarum formarum: at nulla forma creata perfectiſſima eſt dabilis, quæ contineret virtutes aliarum formarum; ſed ſolus DEUS ſic eas continet: Ergo non quæcunque forma ſatiat appetitum Materiæ. 9. *Multiplex verò particularis.*

Dico quintò: appetitus innatus Materiæ nô reſpicit æqualiter omnes formas in particulari; ſed nobiliores magis. Colligitur ex Scoto *4. diſt. 49. q. 10.* ubi ait, appetitum Materiæ ad majorem perfectionem eſſe majorem; & ad maximam, uti eſt beatitudo, eſſe maximum. Doct. ſequuntur Maſtr. Columb. Leal. Lamaz. &c. contra Fuente, Monturſ. Ponc. & alios Scotiſtas; ac contra Tolet. Ruvi. &c. 10. *Appetitus Materiæ nô eſt æqualis ad omnes formas.*

Probatur *primò*: appetitus innatus Materiæ eſt ordinatus, & rectus; quia â Deo inditus Materiæ, cujus opera ſunt recta, & ordinata: ſed appetitus ordinatus magis appetit nobiliora; cùm hæc ſint perfectiora, & magis appetibilia: Ergo appetitus innatus Materiæ magis appetit formas nobiliores, quæ ſunt perfectiores. *Secundò*: Materia â nobiliori forma magis perficitur,

tur, quàm ab ignobiliori: Ergo ejus appetitus magis reſpicit nobiliorem: Conſequentia tenet; quia natura tēdit ad melius, & perfectius *2. de generat. tex. 59. Tertio:* majus bonum, & magis perfectum eſt magis appetibile; quia appetibilitas eſt boni proprietas: ſed formæ nobiliores ſunt majus bonū, & perfectum: quia magis perfectionant, & complent Materiam: Ergo ſunt magis appetibiles; & cōſequenter appetitus innatus magis in eas fertur.

11. *Afferuntur & enervantur objectiones.*

Objicies *primò* cum oppoſitis Scotiſtis: appetitus innatus ex ſupradictis eſt appetitus univerſalis, & indifferens ad omnes formas: Ergo æqualiter omnes reſpicit; & nō magis nobiliores. *Secundo:* ideo appetitus elicitus magis fertur in formas nobiliores; quia agens, quod fruitur tali appetitu, agit liberè, & ex delectu; unde præfert nobiliorem ignobiliori: ſed Materia, quæ fruitur appetitu iñatô, non eſt libera, & ex delectu operans; & conſequenter nō prætert nobiliorem ignobiliori: Ergo ejus appetitus innatus non magis fertur in nobiliores; ſed æqualiter in omnes.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. nam cū univerſalitate, & indifferentia appetitûs innati adhuc ſtat, quòd is magis appetat nobiliores; utpotè magis perfectivas, cōpletivas, & ſaturativas Materiæ; ſicut, etſi lux Solis apta, & indifferens ſit ad illuminandas omnes partes aulæ; magìs tamen illuminat viciniores. *Ad Secundum* Neg. Maj. quòd ideo præcisè; ſed & quia propendet quadam pronitate majori ad nobiliores formas appetēdas: cùm ergo etiam Materia, ut ſubſtat appetitui iñato, gaudeat pronitate majori ad nobiliores appetendas; ideo magìs in eas fertur.

12. *Materia ſub forma nobiliori adhuc appetit ignobiliorem.*

Dico ſextò: tametſi Materia ſit informata formâ nobiliori; adhuc tamen ejus appetitus innatus fertur etiam ad ignobiliorem, eam verè appetendo. Colligitur ex Scoto *1. diſt. 1. q. 1. ad quartum*, ubi docet, quòd nulla unquam forma, quantumcunq; perfecta, ſatiet appetitum Materiæ; niſi includat omnes formas inferiores; quia autem nulla talis datur, ideo nunquā deſinit appetere etiam imperfectiores. Doctorem ſequuntur Leal. Columb. Maſt. Fuente, & alij Scotiſtæ.

Probatur *primò*: tametſi Materia ſit informata formá nobiliori; adhuc ejus appetitus manet indifferens etiam ad alias; quia eſt ipſa potentia paſſiva Materiæ identificata, quæ non variatur ex adventu formæ nobilioris informantis: Ergo mediante tali appetitu adhuc fertur ad ignobiliorem, eam appetendo. *Secundo:* etiam forma ignobilior eſt quædam perfectio Materiæ: Ergo in eam quoque fertur, etſi ſuſtentet formam nobiliorem. *Tertiò;* niſi Materia informata formá nobiliori adhuc haberet appetitum ad formam ignobiliorem, ſequeretur, quòd ceſſaret perennis generatio, & corruptio rerum ſublunarium; quia totum compoſitum ex Materia, & forma nobiliori foret perpetuū; ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c.

Dico ſeptimò: data hypotheſi, quòd Materia informaretur aliquâ formâ perfectiſſimà continente reliquas omnes, tunc ejus appetitus innatus non ferretur ulteriùs ad ullam formam; ſed terminaretur, & ſatiaretur. Ita Scotus *1. diſt. 1. q. 1.* & ſequitur Columb. Leal. &c. contra Ponc. 13. *Non verò ſub perfectiſſima.*

Probat. Intellectus Beati videns DEUM, qui eſt objectum perfectiſſimum, continens omnia formaliter, vel virtualiter, ſatiatur, juxta illud *Pſal. 16. Satiabor cùm apparuerit gloria tua:* ſimiliter & voluntas Beati, fruendo Eſſentiâ Divinâ ſatiatur: Ergo idem dicendum de Materia, ſi informaretur perfectiſſimá formâ. Deinde perfectiſſima forma, continens reliquas omnes perfectiſſimè perficit, & complet Materiam: Ergo ejus appetitus ad ulteriores meritò non terminatur.

QUÆSTIO IX.

Num Materia prima per aliquam potentiam poſſit exiſtere abſque omni forma; & quâ ratione?

NOta primò: Rem aliquam poſſe fieri per duplicem potentiam, ordinariam ſcilicet, & extraordinariam. 1. *Quid ſit potentia ordinaria, & extraordinaria.* Tunc ſit res *per potentiam ordinariam* (quod idem eſt ac naturaliter, ſeu naturali virtute) quando fit ſecundùm legem ordinariam, ſeu penes ordinem à lege communi ſancitum; ſic ignis de potentia ordinaria comburit ſtupam ſibi applicatam. Tunc verò fit *per potentiam extraordinariam* ſeu abſolutam (quod idem eſt ac ſupernaturaliter; & divinitùs) quando fit miraculosè, ſeu præter, aut contra legem ordinariam, vel ordinem communem ſtatutum; Sic ignis Babylonicus per po-

potentiam extraordinariam non combuſſit tres pueros miſſos in fornacem ardentem; ſic etiam Sol tempore Joſue per potentiam extraordinariam ſtetit fixus longo tempore abſque omni motu locali.

2. *Materia prima nequit eſſe abſq; omni forma.* Dico *primò:* Materia prima de potentia ordinaria nequit exiſtere abſque omni forma. Ita Scotus *2. diſt. 12. q. 2.* & *1. Phyſ. q. 19.* & *20.* & *24.* quem ſequuntur Trombeta, Baſſolius, Lychetus, Tartaretus, &c. Et communis Scotiſt. quibus adhærent quoque Molin. Gregor. Bannez, Sotus, Vaſq. &c. contra Thomiſtas.

Probatur *primò:* hoc univerſum ab Authore naturæ ita diſpoſitum eſt ſuâ lege communi, ut agentia naturalia ſic operentur, ut dum corrumpunt unam formã, introducant aliam; unde natum eſt illud axioma Philoſophi; *corruptio unius eſt generatio alterius. 1. de generat. tex. 17.* Ergo Materia prima de potentia ordinaria, ſeu ſpectatâ præſenti lege, & diſpoſitione Univerſi nequit exiſtere abſq; omni forma.

Probatur *ſecundò:* Agens naturale ſecundùm potentiam ordinariam, & legem DEI pro Univerſo poſitam non agit niſi per motum, & mutationem: ſed in quolibet motu, & mutatione ſemper reperitur defactò aliquod ſubjectum materiale, quod tranſit de una forma in aliam, vel de oppoſito in oppoſitum, ut probat Ariſtoteles *1. Phyſic.* à textu 60. uſque ad 63. Ergo principium materiale ſemper eſt ſub aliqua forma: illud autem eſt Materia prima: Ergo Materia prima nequit exiſtere abſque omni forma.

Probat. *tertiò:* ſubjectum nequit de potentia ordinaria exiſtere abſque omni accidente: Ergo neq; Materia abſq; omni forma. Deinde Materia eſt perfectibilis à forma: Ergo ſemper petit exiſtere ſub ea, ut ſuo actu perfectivo. Tandem Materia, & forma ſunt ſubſtantiæ incompletæ, ordinatæ à DEO ad componendum tertiũ: Ergo ambiunt mutuum conſortium, & maximè Materia, quæ eſt ordinata pro ſubjecto formæ, ejuſque ſuſtentaculo.

3. *Thomiſtis objicientibus* Objiciunt Thomiſtæ *primò:* Secundùm Scotiſtas Materia prima habet proprium actum entitativum, ſeu exiſtentiam partialem, ac ſubſiſtentiam partialem: Ergo ratione talium poteſt per potentiam ordinariam exiſtere abſque omni forma. *Secundò:* anima rationalis poteſt exiſtere abſque corpore, & Materia prima, quam in corpore informat: Ergo & Materia ſinè forma. *Tertiò* Materia, & forma ſunt primò diverſa, etiam juxta Scotum *2. diſt. 12. q. 1.* Ergo poſſunt exiſtere ſinè ſe invicem. *Quartò* Materia prima in exordio creationis Mundi fuit informis, id eſt ſinè forma producta; unde dicitur Gen. 1. *terra autem erat inanis & vacua*, quem locum expendens S. Auguſt. *lib. de gen. ad litt. c. 4.* dicit, per terram intelligi Materiam primam; & per inanitatem ejus informitatem: Ergo &c.

4. *Reſpondetur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. nam etſi Materia prima ratione proprij actûs entitativi, ſeu exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ exiſtere poſſet abſque omni forma; de potentia tamen ordinaria id vetat præſens ordo, & diſpoſitio Univerſi, â DEO conſtituta. *Ad Secundum* Neg. Conſeq. Diſparitas eſt; quia anima eſt à DEO creata immortalis; ac proinde â Creatore ſuo accipit modum exiſtendi, etiam independenter à corpore; at Materia â Creatore ſuo accepit modum exiſtendi ſemper ſub aliqua forma; cùm ſit ſubjectum commune formarum; & agens naturale de lege præſenti Univerſi ita circa eam agit, ut expellendo unam rurſus inducat aliam. *Ad Tertium* Neg. Conſeq. nam etiam ſubſtantia, & quantitas ſunt primò, & eſſentialiter diverſa, & tamen nulla ſubſtantia reperietur abſque aliqua quantitate: Itaque etſi Materia, & forma ſint primò diverſa; ob conditionem tamen Univerſi, quod petit perpetuum earum conſortium, & propter ordinem agentium naturalium ſemper induentium novam formam corruptâ antiquâ, Materia petit ſemper eſſe ſub aliqua forma. *Ad Quartum* Neg. Ant. & ad ejus Probat. ex S. Scriptura & D. Auguſtino dico, etſi concedatur per *terram* intelligi Materiam primam; & per *inanitatem* informitatem; attamen hoc ſic accipiendum eſt, ut Materia pro aliquo priori originis fuerit ſinè forma, eò quòd eſſet origo omnium formarum corporalium; non autem pro aliquo inſtanti reali temporis.

5. *Divinitùs poteſt Materia eſſe ſinè omni forma abſoluta.* Dico ſecundò: attamen Materia prima de potentia extraordinaria & abſoluta DEI poteſt exiſtere abſque omni forma abſoluta, & relativa prædicamentali; non tamen ſinè tranſcendentali. Prima pars eſt Scoti *2. diſt. 12. q. 2.* & ſequitur Fuente, Montur. Mayron. & alij Scotiſtæ; contra Thomiſtas & S. Bonavent. Hanc concluſionem quoad primam partem Scotus *loc. cit.* plurimis efficaciſſimis comprobat rationibus, ex quibus ſeligo ſolas duas ſe-

quentes, eas in clariori forma proponendo: Secundam habet quoque Doct. *2. diſt. 1. queſt. 5. & 6.*

Probat. prima pars *primò*: quod non implicat contradictionem, poteſt de potentia extraordinaria & abſoluta DEI fieri: ſed nõ implicat contradictionem Materiam exiſtere abſque omni forma abſoluta: Ergo dicendum eſt, quòd ſic poſſit exiſtere. Prob. Min. á Scoto *cit.* omne abſolutũ prius realiter diſtinctum â ſuo poſteriori poteſt eſſe ſinè poſteriori: ſed Materia prima eſt ens abſolutum prius; quia formæ educũtur de ejus potentia; eſt etiã ens realiter diſtinctum ab omni forma poſteriori abſoluta; quia à qualibet ſucceſſivè eſt ſeparabilis: Ergo non implicat contradictionem eam exiſtere abſq; omni forma abſoluta.

Probat. *ſecundò*: quidquid DEUS poteſt immediatè creare, poteſt immediatè etiam conſervare ut exiſtat abſque alio, quod non eſt de ejus eſſentia: ſed DEUS creavit immediatè Materiam, de cujus eſſentia non eſt forma: Ergo eandem immediatè poteſt conſervare ut exiſtat abſque forma. Maj. patet; quia ejuſdem potentiæ eſt creare, & conſervare. Min. probata eſt ſuprà *quæſt. 3. concluſ. 1.*

Probat. rurſus alijs rationibus *primò*: magìs pendent accidẽtia â ſubjecto; quia dependent à priori; quàm Materia â forma; quæ ſolùm pendet â poſteriori: ſed accidentia de factò conſervantur â DEO ſinè ſubjecto in Euchariſtia: Ergo etiam Materia ſinè omni forma conſervari poteſt â DEO. *Secundò* quidquid creatur â DEO poteſt exiſtere ſinè illo, quod non creatur, ſed tantùm cauſatur: ſed Materia prima creatur ex D. Auguſtino *lib. 13. Confeſſ.* & forma tantùm cauſatur à natura per generationem: Ergo &c. *Tertiò* Materia habet propriam exiſtentiam: Ergo de potentia DEI abſoluta poteſt per eam
6. exiſtere ſinè forma.

Thomiſtarũ rationes in oppoſitum.

Objiciunt *primò* Thomiſtæ: Materia exiſtit exiſtentiâ formæ; quia exiſtentia eſt actus ſecundarius formæ: Ergo implicat Materiam exiſtere abſque forma, etiam de potentia abſoluta. *Secundò*: omne ens exiſtens eſt ſub aliqua ſpecie: ſed Materia prima exiſtens abſque omni forma, nullius eſſet ſpeciei; quia ratio ſpeciei deſumitur à forma, quæ hìc nulla adeſt: Ergo &c. *Tertiò*: quo aliqua ſunt magìs unum, tantò minùs ſunt ſeparabilia ab invicem: ſed Materia & forma ſunt magis unum, quàm ſubjectum, & ejus paſſio, quæ nec etiam per potentiam abſolutam DEI poteſt eſſe ſinè ſuo ſubjecto: Ergo magìs erit inſeparabilis Materia â forma. 7.

Reſolvuntur.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. quod poſt tot ſæculorum, & annorum periodos necdum efficaciter probârunt Thomiſtæ: Materia itaque habet propriã exiſtentiam, ut ſuprà *q. 4. concl. 1.* pluribus oſtendi; unde exiſtentia rectiùs dici debet actus ſecundarius eſſentiæ; cùm autem Materia habeat eſſentiam diſtinctam ab eſſentia formæ; conſequenter etiam exiſtentiam habebit diſtinctam. *Ad ſecundum* Diſt. Min. Materia exiſtens ſinè omni forma eſſet nullius ſpeciei completæ phyſicæ Conc. Min. ſpeciei incompletæ metaphyſicæ Neg. Min. Itaque tunc Materia non eſſet quidem ſpecies completa phyſica; hæc enim deſumitur à forma phyſica; eſſet tamen quædam ſpecies incõpleta metaphyſica; unde ſpecie differret ab alijs; ſicut Angeli, etſi careant formâ phyſicâ ſpecificante phyſicè, adhuc tamen ſunt veræ ſpecies. *Ad Tertium* reſpondet Scotus *2. diſt. 12. q. 2. n. 1.* Majorem eſſe veram, & procedere de unitate identitatis, quando ſcilicet aliqua ſunt unum, quia identificantur inter ſe; non verò procedit de unitate unionis, quâ aliqua ſiunt unum in tertio; qualiter ſe habet Materia, & forma, quæ faciunt unũ tertium compoſitum, quæ non obſtante tali unione poſſunt ſaltèm divinitùs ſeparari. 8.

Etiam ſinè omni forma relativa prædicamẽtali poteſt eſſe Materia.

Probatur ſecunda pars concluſ. *de forma relativa prædicamẽtali*: Materia prima, & quæcunque relatio prædicamentalis, cujuſmodi eſt v. g. relatio informati ad informans, ſunt realiter diſtincta inter ſe, nullam eſſentialem connexionem dicunt inter ſe; cùm forma informans poſſit mutari à Materia: Ergo poteſt Materia ſaltèm de potentia extraordinaria DEI exiſtere ſinè omni forma relativa prædicamentali. 9.

Non tamen ſinè tranſcẽdentali.

Probatur tertia pars *de forma relativa tranſcendentali*: formæ relativæ tranſcendentales, cujuſmodi eſt in Materia aptitudo receptivi ad receptibile, & appetitus Materiæ ad formas, ſunt realiter identificatæ Materiæ; & conſequenter etiam divinitùs inſeparabiles: Ergo Materia prima ſinè talibus formis nequit exiſtere etiã per potentiam extraordinariam DEI.

Dico tertiò: Si Materia prima divinitùs ſpoliaretur omni formá, non propte-

reà

rea acquireret novum eſſe, neque egeret ſpeciali influxu DEI conſervativo. Ita Scotus *2. diſt. 12. q. 2.* & ſequuntur Baſiol. Columb. Maſtr. Fuente, Tartar. & Scotiſtæ, ac Ruv. Hurtad. & Ariag. contra Henric. ac Conimbric.

10. *Materia ſeparata à forma non acquireret novum eſſe.*

Probat. prima pars: Tum quia Materia prima habet propriam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam partialem: ſed tale eſſe etiã retinet in ſtatu ſpoliationis ab omni forma; ſicut anima rationalis in ſtatu ſeparationis retinet ſuam exiſtentiam, ſubſiſtentiam, ac eſſe partiale: Ergo &c. Tum quia accidentia Euchariſtica, quando ponuntur ſinè ſubjecto peractâ Conſecratione, non acquirunt novum eſſe; ſed retinent illud, quod habuerunt in ſubjecto, ut eruditè oſtendit Scotus *4. diſt. 12. q. 1.* Ergo hoc idem dicendum de Materia, quando ſpoliatur omni formâ.

Objicies *primò*: quando aliqua pars integralis ſeparatur a toto, acquirit novum eſſe, ſeu modum totalitatis: Ergo hoc idem dicendum de Materia, dum ſeparatur divinitùs ab omni forma. *Secundo*, quando contingit aliquod miraculũ, producitur aliquid de novo in re, circa quam contingit miraculum: ſed dum Materia ſpoliatur divinitùs omni formâ fit miraculum: Ergo in Materia tunc producitur aliquod eſſe de novo.

11. *Satisfit objectionibus.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. diſparitas eſt; quia pars integralis eſt ens completum, ideoque ſeparata ab alijs, acquirit novum modum totalitatis; ſed Materia prima eſt ens incompletum, etiam dum ſeparatur ab omni forma; quare nullum novum eſſe poſitivum acquirit: ſed ſolum modum negativum, ſcilicet unionis cum alia comparte. *Ad Secundum* Neg. Maj. quia contingere poteſt miraculum per ſolam ſubtractionem concurſûs; ut patuit in fornace Babylonica; & ita fieret in caſu, quô Materia ſpoliaretur omni formâ.

Probat. ſecunda pars *primò*: invariatô principiô, & terminô non variatur actio: ſed in caſu concluſionis nõ variatur principium, id eſt DEI voluntas ad influxum applicata; nec variatur terminus, id eſt entitas Materiæ: Ergo manet eadem actio DEI, ſeu influxus prior; & conſequenter Materia in caſu ſpoliationis ab omni forma, non eget ſpeciali influxu DEI; talis enim eſſet actio nova. *Secundò*: dum Materia ſpoliatur omni formâ, manet ejuſdem rationis ſicut fuit, dum informatur â forma: Ergo non eget ſpeciali influxu DEI conſervativô. *Tertiò*: talis ſpecialis influxus DEI ſuperflueret; cùm prior, quò conſervabatur ſub formis, abundanter ſufficiat; eſt enim actus Divinæ Voluntatis ad opus conſervationis applicatæ ſub quocunque modo, vel ſtatu invenerit Materiam: Ergo &c.

12. *Materia exuta omni formâ non eget novo influxu Dei.*

Nota itaque ſecundò: quod idem prorſus ſecundùm entitatem, & rem ſit influxus DEI, quô in ſtatu conjunctionis, & quô in ſtatu ſeparationis conſervat Materiam, & ſecundùm modum tantùm variatus; quia videlicet DEUS in ſtatu conjunctionis Materiæ cum forma aſſumebat ſubjectum ad ſecum concauſandum conſervationem; in ſtatu verò ſeparationis Materiæ ab omni forma, eodem concurſû ſe ſolô conſervat Materiam.

QUÆSTIO X.

Varia quæſita circa Materiam reſolvuntur.

Quæres primò: An in Materia prima ſit revera aliqua ſeminalis ratio ipſi coæva? Affirmabãt olim Albertus, Aureolus, Henricus, Canonic. &c. docentes in Materia latere aliquid, vel actuale, vel poſſibile formæ, quod coagit generanti extrinſeco ad generandum compoſitum. Sed

1. *Non dantur ullæ rationes ſeminales in Materia.*

Dico primò: nullæ præexiſtunt rationes ſeminales formarum in Materia, coagentes ad generandum compoſitum. Ita Scotus *7. Met. q. 12.* S. Bonavent. Anton. Andre. &c.

Probat. Tum quia, ut ſuprà *q. 3. in reſolutione objectionis contra Concl. 2.* dixi, hæc opinio eſt contra SS. PP. Auguſtin. Gregor. Niſſen. &c. Adverſantur etiam experientiæ; quia nullum effectum experimur, ex quo hujuſmodi rationes ſeminales formarum in Materia præexiſtentes colligeremus. Tum quia ſi præexiſterent in Materia aliquæ rationes ſeminales formarum, hæ eſſent ingenitæ, & ex quibus alia fierent: ſed Ariſtoteles *1. Phyſic. tex. 82.* ſolam Materiam facit ingenitam, & primum ſubjectum, ex quo omnia fiunt: Ergo nullæ tales rationes præexiſtunt.

Quæres ſecũdò: an Materia ſit de eſſentia compoſiti, ſeu corporis naturalis? Negant Zabar. Averr. & Richard &c. Sed

 Dico

2. *Materia prima eſt de eſſentia compoſiti.*

Dico ſecundò: Materia prima ingreditur eſſentiam compoſiti. Ita Scotus *7. Met. q. 16.* & tenent Alenſ. Faber. Columb. & communis Scotiſtarum.

Probat. Tum quia ita colligitur ex Philoſopho *7. Met. tex. 24.* ubi dicit, Materiam & formam eſſe partes compoſiti: cùm ergo forma ut pars ingrediatur eſſentiam compoſiti, etiam Materia ut altera pars ingredietur eandem. Et *2. Phyſic. tex. 28.* vocat Materiam cauſam intrinſecam cōpoſiti: Ergo vult eàm eſſe de eſſentia cōpoſiti. Tum quia in artificiatis, & Sacramentis non ſolùm forma, ſed etiam Materia ingreditur eorum eſſentiam: Ergo hoc idem dicendum de naturalibus corporibus, ſeu compoſitis. Tum quia ſi forma eſſet tota eſſentia compoſiti, ut prætendunt Adverſarij, anima rationalis, quæ eſt forma hominis, eſſet tota ejus natura, nempe humanitas; ſicque ſequeretur, quòd mortuus homo, cùm perſiſtat anima rationalis, quæ eſt immortalis, eſſet quoque humanitas: & cùm homo humanitate ſit homo, veluti paries albedine eſt albus, ſequeretur, hominem non mori; quia non perit ejus natura, quæ eſt humanitas in ſola anima eſſentialiter conſiſtens ſecundùm adverſ. ſed hæ omnes ſequelæ ſunt falſæ: Ergo forma non eſt tota eſſentia compoſiti, ſed eandem etiam ingreditur Materia.

3. *Diluuntur objectiones.*

Objicies *primò*: Ariſtoteles dicit *7. Met. tex. 35.* quòd anima ſit ſpecies, & ratio, & quod quid eſt animati: anima autem eſt forma: Ergo ſola forma eſt de eſſentia compoſiti. *Secundò* compoſita diſtinguuntur eſſentialiter per formam, & non per Materiam; cùm in Materia conveniant: Ergo Materia non eſt de eſſentia compoſiti. Reſpondeo *ad Primum* gloſſando Philoſophum, & dico eum ſolùm velle, quòd anima & quævis alia forma, ſit principalis, ac præcipua pars eſſentialis completiva; non verò tota eſſentia, unde eodem *7. Met. tex. 37.* dixit idem Philoſophus, quòd anima non ſit animal; ſed pars animalis: cum quo ſtat, quòd etiam Materia ſit pars eſſentialis, etſi minùs principalis. *Ad Secundum* dico, compoſita phyſicè loquendo nec diſtingui præcisè per formam, neque per Materiam; ſed per tertiam entitatem ex utroque reſultantem; quia differentia eſſentialis rei ſumitur à tota entitate ipſius rei. Vel dic compoſita diſtingui quidem eſſentialiter per formam; non tamen totaliter, ſed etiam per Materiam hanc, formâ informatam.

Quæres tertiò: an in Materia ſint dimenſiones interminatæ? pro reſponſionis intelligentia adverte ex Doctore *2. diſt. 3. q. 4.* per *quantitatem interminatam* intelligi aptitudinalem extenſionem; per *terminatam* verò actualem extenſionem, quæ habet in actu certum, & determinatum ſuæ extenſionis terminum. Reſpondeo ad quæſitum; Materiam ex ſe, & ſecluſô quovis accidente, carere omni dimenſione tam interminatâ, quàm terminatâ. Ratio eſt; quia Materia ex ſe ſolùm habet partes entitativas, nec occupantes locum, nec menſurabiles; hæc enim eſt proprietas quantitatis, quam nullus participiat, niſi ejus virtute, & inhæſione. 4. *In Materia non ſunt dimenſiones interminatæ.*

Quæres quartò: an ſaltèm quantitas ſit Materiæ coæva, ita ut omnes formas ſubſtantiales Materiæ advenientes antecedat? Affirmant Averroiſtæ. Sed

Dico tertiò: Materia prima ante adventum formæ ſubſtantialis nullam habet formalem quantitatem coævam, ſeu illas dimenſiones Averroiſticas longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Ita Scotus *2. diſt. 3. q. 4.* D. Thomas, & utriuſq; Doctoris ſchola, ac multi RR. 5. *Neque quantitas coæva.*

Probat. Tum authoritate Philoſophi, qui *7. Met. tex. 4.* docet ſubſtantiam ordine naturæ præcedere omne accidens ratione, naturâ, & tempore: loquitur autem de ſubſtantia prædicamentali, quæ eſt compoſita: Ergo altera pars componens puta Materia ante adventum formæ ſubſtantialis nullum habet accidens coævum; & conſequenter nec quantitatem, ſeu illas tres dimenſiones. Tum quia omnia accidentia ſubjectantur in cōpoſito, ut habet Ariſtoteles *cap. de ſubſtantia*: Ergo & quantitas; & conſequenter Materia, antequam adveniat forma, cum qua facit compoſitum, non eſt ſubjectum ullius quantitatis.

Objiciunt Averroiſtæ *primò*: Si Materiæ non ſit coæva quantitas, non videtur quomodo compoſitum reddatur quātum; nam nemo dat quod non habet: Ergo &c. *Secundò*: ſi quantitas non ſit coæva Materiæ, nequit aſſignari cauſa efficiens ejus in compoſito: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. quia à partibus compoſiti ſimul pullulat quantitas ſicut propria paſſio; quæ proinde formaliter reddit quantum ipſum compoſitum; ſicut riſibilitas pullulans ab eſſentia ho- 6. *Satisfit objectis Averroiſtarum.*

minis

Digitized by Google

minùs reddit hominem formaliter riſibilem: ex quo ſequitur, quod Materia ut conjunctâ formæ virtualiter præcontineat quantitatem; ac proinde dat, quod aliquomodo habet. *Ad Secundum* Neg. pariter Ant. quia Materia ut conjuncta formæ eſt cauſa efficiens quantitatis: unde etiam à Philoſopho *6. Phyſic. tex. 2.* vocatur affectio Materiæ; non quidem Materiæ tantùm, cùm quantitas ab utraque pullulet; ſed quia Materialitas compoſiti, cum qua quantitas conformatur, & quam ſupponit ut magnificet ſubjectum, principaliùs provenit à Materia, quàm à forma.

DISTINCTIO IV.

DE PRIVATIONE ALTERO PRINCIPIO CORPORIS NATURALIS.

Procemium.

Rectè ante examen Formæ phyſicè principiantis proponitur diſcuſſio Privationis, cùm hæc in materia præcedat formam, ut rectè obſervat Scotus 3. Diſt. 3. q. 1. *tanquam terminus à Quo generationis. De hoc principio corporis naturalis in fieri afferam ſelectiora dogmata Philoſophi, & Doctoris noſtri ſequentibus paucis quæſtionibus. Unde ſit.*

QUÆSTIO I.

De exiſtentia, & quidditate Privationis.

1. Acceptiones Privationis

Nota primò: Privatio generice accepta eſt quædam remotio, ſeu carentia formæ: Scotus autem *1. diſt. 28. q. 2.* affert ex mente Phil. *5. Met. cap. 22.* quatuor acceptiones ejus. *Primò* enim accipi ſolet pro carentia formæ in ſubjecto, quod alias ſecundùm gradum ſuum ſuperiorem tranſcendentalem entis eſt aptum habere talem formam: talis Privatio eſt in Talpa privata viſu, quæ tamen eſt apta habere ſecundùm gradum entis; hæc Privatio vocatur Privatio *extra genus*; quia ens eſt extra omnia genera. *Secundo* capitur pro carentia formæ in ſubjecto, quod aptum eſt habere illam ſecundùm ſuum gradum genericum; talis rurſus eſt in Talpa privata viſu, quem nata eſt habere ſecundùm gradum ſuum genericum animalis; hæc vocatur Privatio *in genere*. *Tertiò* uſurpatur pro carentia formæ, quam ſubjectum aptum eſt habere pro tali tempore, non tamen ſecundùm ſpeciem ſuam; talis eſt in Catulo cæco per novem dies. *Quartò* tandem accipitur pro carentia formæ, quam ſubjectum poteſt habere, & ſecundùm ſpeciem ſuam, & ſecundùm tempus à natura ſtatutum: talis eſt Privatio viſûs in homine; & Privatio frigoris in aqua. Et de Privatione in hac quarta acceptione procedit præſens diſtinctio.

Nota ſecundò: eſſe communem doctrinam Philoſophorum, & Scoti *1. diſt. 23. q. unic.* quòd Privationes ſumant ſuam diſtinctionem à formis, quarum ſunt Privationes; unde ſi formæ diſtinguantur numerò, ut forma Platonis, & forma Socratis, ſimiliter Privationes numerò diſtinguuntur; ſi verò diſtinguantur ſpecie, aut genere, ut formæ hominis & aſini; & formæ quantitatis, ac ſubſtantiæ, pariter & Privationes ſpecie, vel genere diſtinguuntur. Ratio eſt; quia Privationes ſumunt ſuam unitatem à formis: Ergo & diſtinctionem. Ex qua doctrina *2. Privationes ſumunt diſtinctionem à formis.*

Infertur *primò*: quòd ſicut in formis dantur rationes generis, ſpeciei, & individui; ita ſuo modo debent etiam ordinari Privationes. Infertur *ſecundò*: quòd ſicut Privationes non poſſunt cognoſci, niſi per habitus oppoſitos; ita nec ſine illis poſſunt definiri.

Nota

3. *Privatio variè conſideratur.*

Nota tertiò: Privationem quamlibet poſſe conſiderari pro formali, pro connotato, & pro fundamentali. *Pro formali* importat carentiã formæ: *pro connotato* verò ex Scoto *2. diſt. 37.* importat aptitudinem ad recipiendam formã oppoſitam tali carentiæ; v. g. cæcitas pro formali importat carentiam visûs; pro connotato verò aptitudinem in oculo ad viſum oppoſitum tali carentiæ. *Pro fundamentali* importat ipſum ſubjectum, quod dicitur privari.

4. *Eſt diſtinctio inter Privationem, & negationem.*

Nota quartò: Privationem in rigore non coincidere cum negatione rigoroſa; Privatio enim in rigore eſt carentia formæ in ſubjecto apto illam habere; negatio verò eſt carentia formæ in ſubjecto inepto illam habere; quare hæc duo penes aptitudinem diſtinguuntur: quam, ſi utrumque reſpiciat, pro ſynonimis accipi poſſunt; ut ſæpè ea ſic ſumunt Philoſophi.

5. *Extant Privationes.*

Dico primò: extant in ſubjectis naturalibus nemine cogitante intellectu Privationes. Ita Philoſophus *5. Met. 22.* Et Scotus *1. diſt. 23. q. unic.* & alibi, & ſequuntur Maſtrius, Fuente, Mayr. Pariſ. & communis Scotiſt. contra Soncin. & quoſdam alios Thomiſtas, qui putant Privationes pendere ab intellectu.

Prob. *primò* authoritate S. Script. quæ Privationes quaſdam commemorat; ut *Gen. 1.* ubi dicitur, *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, per quas P. Lyranus & alij Interpretes intelligunt Privationes. *Secundo* authoritate SS. PP. eaſdem Privationes adſtruentium; unde D. Auguſtinus *lib. de 10. categor. cap. 18.* & imperf. opere *de Gen. ad litt. cap. 5.* dicit, *aliud eſt lux, aliud illæ privationes lucis, quas in contrarijs tenebris ordinavit DEUS.* Vide etiam Damaſcenum *cap. 2. ſuæ Philoſophiæ*; & S. Anſel. *lib. de caſu Diab. cap. 41.* &c.

Probat. etiam ratione *primò*: nemine cogitante intellectu in oculo Tobiæ exiſtit cæcitas, & in aëre tenebræ: ſed iſtæ ſunt Privationes: Ergo &c. *Secundò*: Privatio â Philoſopho enumeratur inter principia corporis naturalis *1. Phyſic. 75.* quod nemine cogitante intellectu fit: Item eandem enumerat inter entia realia *4. Met.* non quia eſſet quid poſitivum; ſed quia ſinè intellectûs opere ponitur in rebus: Ergo exiſtunt Privationes in ſubjectis naturalibus nemine cogitante intellectu.

6. *Deſcriptio Privationis*

Dico ſecundò; bene deſcribitur Privatio, ut eſt principium corporis naturalis in fieri, *eſt carentia formæ in materia apta ſecundùm naturam ſuam habere illam.* Elicitur ex Scoto *in Report. diſt. 28. q. 1.* & Philoſopho *5. Met. 25.*

Probat. hæc deſcriptio ritè explicat naturam Privationis, ut habet rationem principij corporis naturalis: Ergo &c. Ly *carentia* eſt genus: reliqua collocantur pro differentia. Dicitur *carentia formæ*, id eſt ſubſtantialis, per quod innuitur, Privationem principiare ut terminum *à Quo* generationis formæ, & compoſiti; ac proinde formam generandam neceſſariò præſupponere ſui carentiam in materia prima. Additur *in materia prima* ut explicetur ſubjectum, in quo reperitur Privatio phyſicè principians, quod eſt materia prima, quæ eſt ſubjectum commune tam Privationis formæ, quàm ipſiusmet formæ. Apponitur *apta ſecundum naturam ſuam habere illam*, ut oſtendatur materiam primam habere capacitatem, aptitudinem, & potentiam ad recipiendam formam, cum qua debet principiare corpus naturale.

Dico tertiò: Privatio pro formali eſt aliquod ens reale; non quidem poſitivũ; ſed privativum. Ita Scotus *in Report. 1. diſt. 41. q. 2.* & communis Scotiſt. prima pars eſt contra Soncin. ſecunda contra S. Thomam, Sghemam, Ariag. &c. qui Privationes facit entia poſitiva. 7. *Privatio eſt quid reale.*

Probat. prima pars: Tum authoritate Philoſophi, qui *4. Metaph.* Privationes recenſet inter entia realia: Ergo &c. Tum quia Privatio eſt terminus *à Quo* mutationis realis in generatione corporis naturalis: Ergo debet eſſe quid reale. Conſequentia tenet; quia termini mutationis realis debent eſſe quid reale.

Probat. ſecunda pars; tum authoritate Philoſophi, qui *1. Phyſic. tex. 75.* vocat Privationes *non ens*, id eſt, ut gloſſant Interpretes ejus, non ens poſitivum. Tum ratione: Privatio eſt remotio entis poſitivi v. g. cæcitas eſt remotio visûs poſitivi, tenebræ ſunt remotio lucis Poſitivæ: Ergo Privatio pro formali non eſt ens poſitivum. 8. *Non quidem poſitivum.*

Probat. tertia pars: Tum authoritate Philoſophi; qui *4. Met. tex. 2.* vocat Privationes entia: non ſunt autem entia poſitiva: Ergo remanet, quòd ſint entia privativa. Tum ratione; Privatio eſt principium corporis naturalis: Ergo eſt aliquod ens; non poſitivum: Ergo privativum. Tum quia tenebræ dicuntur factæ Luc. 23. 9. *Sed privativum.*

Tenebræ

Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram. Ergo ſunt aliquid reale; non poſitivum: Ergo privativum.

10. *Ad objectiones reſpondetur.*

Objicies contra ſecundam partem; Privationes percipiuntur a ſenſu; uti patet de tenebris: Ergo ſunt quid reale poſitivum. Item Privationes quædam, puta tenebræ *in Cantico trium puerorum* excitantur ad benedicendum DEUM: benedicere autem ſolis rebus poſitivis convenit: Ergo &c. Item Privatio determinat ſubjectum; unde dicitur cæcus ambulare: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad ejus Rationem dico, tenebras nō percipi ſenſu; ſed quia ſenſus non percipit lucem, ideo intellectus judicat adeſſe tenebras. *Ad Secundum* Neg. Min. nam etiam Privationes aliquô modò ad benedicendum DEUM inſerviunt; quia ut habet S. Auguſtinus *lib. de nat. & grat.* in Canticis, & harmonijs etiam ſilentiorum certæ interpoſitiones, & moderata intervalla, quæ quædam Privationes ſunt, ſuavitati Cantici conducunt; quare hæc etiā ad benedicendum DEUM apta ſunt. *Ad Tertium* Diſt. Ant. Privatio determinat ſubjectum poſitivè Neg. Ant. privativè Conc. Ant.

QUÆSTIO II.
De multiplicitate; diſtinctione; & oppoſitione Privationis.

1. *Privationes multiplicantur juxta formarum oppoſitarum pluralitatem.*

Dico primò: Privationes multiplicantur juxta formarum oppoſitarum multiplicitatem. Ita Scotus *2. diſt. 12. q. 2.* & *Quodlib. 18. §. ex iſto*, & conſentiunt Scotiſtæ.

Probat. *primò* authoritate Philoſophi *1. Periherm. cap. 5.* dicentis, quod numerus negationum (idem eſt de Privationibus) petatur â numero affirmationum, quæ denotant formas poſitivas, quibus immediatè opponuntur Privationes ipſarum juxta Scotum *2. diſt. 2. q. 1. §. hic, dicitur:* Ergo Privationes multiplicantur, ſeu numerantur juxta formarum oppoſitarum multiplicitatem. *Secundò* ratione: alia eſt Privatio cæcitas, & alia ſurditas: & idem eſt de alijs: Ergo multiplicantur Privationes juxta formarum oppoſitarum multiplicitatem. *Tertiò* ſi eſſet una Privatio univerſalis omnium formarum ſpecie diſtinctarum, ſequeretur Privationem manere ſimul cum forma, ſicut manet potentia: ſed hoc dici nequit; alias in facto eſſe tria eſſent principia corporis naturalis: Ergo &c.

2. *Objectio reſp.*

Objicies: in materia eſt unica potentia ad omnes formas: Ergo etiam unica Privatio. Reſpondeo Neg. Conſeq. diſparitas eſt; quia potentia materiæ dicit formaliter aptitudinem, quæ poteſt eſſe una ad omnes formas; Privatio autem formaliter dicit non eſſe formæ, quod neceſſariò multiplicari debet ad multiplicationem formarum.

3. *Adeſt diſtinctio realis inter privationem materiam, & formam.*

Dico ſecundò: inter Privationem, ac materiam, & formam vertit diſtinctio realis; non quidem poſitiva ſtricta, ſed privativa. Ita Scotus *2. diſt. 37. §. ex iſta ſolutione.* Et ſequitur Fuente, Columb. Monturs. ac communis contra Ocham, Soto &c.

Probat. prima pars: inter Privationem, ac materiam, & formam reperitur manifeſtum ſignum diſtinctionis realis, puta mutua ſeparabilitas: Ergo &c. Deinde Privatio & forma ſunt contraria: Ergo diſtincta realiter. Tandem ens negativum nequit eſſe idem cum poſitivo: Ergo neque Privatio cum materia, & forma.

Probat. ſecunda pars: diſtinctio realis poſitiva eſt inter extrema poſitiva: ſed Privatio non eſt quid poſitivum: Ergo inter eam, & materiam, ac formam non eſt diſtinctio realis poſitiva; & conſequenter tantùm privativa.

4. *Elidìtur oppoſitio.*

Objicies: nec quidem divinitùs poteſt materia prima ſeparari ab omni Privatione; quia materia aquæ v.g. eſt privata infinitis formis, quæ non poſſunt ſimul, & ſemel in materiam induci: Ergo ex ſigno ſeparabilitatis non bene infertur diſtinctio realis inter Privationem, & materiam. Reſpondeo Neg. Conſeq. quamvis enim materia non poſſit ſeparari ab omnibus collectivè Privationibus; poteſt tamen ſeparari ab omnibus diſtributivè, id eſt modò ab hac, modò ab illa; quod ſufficit pro diſtinctione reali invehenda.

5. *Privatio immediate opponitur formæ.*

Dico tertiò: Privatio immediatè opponitur formæ; non autem ſuæ Privationi: Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 2. q. 1.* & eſt communis Scotiſtarum; contra Arriag. Hurtad. &c.

Probat. negatio negationis eſt affirmatio poſitionis, ſecundùm Scotum; v.g. ne-

v.g. negatio negationis entitatis eſt ipſa entitas; & Privatio Privationis tenebrarum eſt ipſa lux, & univerſaliter nil privat Privationem, niſi ſit formaliter poſitivum: Ergo Privatio immediatè opponitur formæ, quâ privat.

6. *Qua veritas illius dicti, à Privatione ad habitum non datur regreſſus.*

Quæres primò: an univerſaliter verificetur illud axioma Philoſophi in prædicamentis *cap. de oppoſitis allatum, à Privatione ad habitum non datur regreſſus*? per habitum hìc intelligitur forma, quâ Privatio privat. Reſpondeo, verificari quidem in aliquibus; non tamen in omnibus. Ratio primi eſt; nam quando forma, quæ opponitur Privationi, provenit à principio intrinſeco, eſtque rei innata, & congenita, ut viſus homini, cujus Privatio eſt cæcitas, in hoc, & ſimilibus verum eſt allegatum axioma; ſic de cæcitate ad viſum non datur regreſſus; nec de calvitio ad comam; quia non reperitur agens naturale, quòd formam, ſcilicet viſum & pilos ſemel totaliter deperdita poſſit in oculo, & coma reparare. Ratio ſecundi; quia quando forma oppoſita oritur â principio extrinſeco, v.g. lux â Sole in aëre, â Privatione tenebrarum datur regreſſus ad habitum lucis; quia datur agens partiale, quod eam poteſt reducere, v.g. Sol, qui poteſt aërem tenebroſum rurſus illuminare.

7. *An Privatio ſuſcipiat magìs, & minùs.*

Quæres ſecundò: an Privatio ſuſcipiat magìs, & minùs? Reſpondeo cum Scoto *2. diſt. 37. q. unic.* Privationem formæ ſubſtantialis non ſuſcipere magìs & minùs; quia nec ipſa forma hæc ſuſcipit: Privatio tamen formæ accidentalis ſuſcipit magìs, & minùs; ſicut & forma accidentalis eadem ſuſcipit.

QUÆSTIO III.

An, & quâ ratione Privatio ſit principium generationis naturalis in fieri.

NOta primò: Scotus *2. diſt. 1. q. 2.* ad propoſitum duplicem aſſignat prioritatem, naturæ ſcilicet, & durationis. *Prioritas durationis* eſt illa, quâ unum præcedit aliud tempore. *Prioritas* verò *naturæ* dicitur, quâ unum aliud non præcedit tempore, ſed aliâ ratione; quæ rurſus duplex eſt, poſitiva, & negativa. *Prioritas naturæ poſitiva* eſt illa, quâ unum aliud præit actu, & ponitur priùs in ordine rerum; talis eſt in *animali*, quod eſt priùs natura poſitivè *rationali*; talis etiam eſt in *rationali*, quod eſt ſic priùs riſibili; & generaliter in cauſa, quæ hoc ſenſu eſt prior ſuo effectu. *Prioritas naturæ negativa* eſt, quâ unum præceſſiſſet aliud, niſi ab agenti impeditum fuiſſet; talis eſt in Privatione, quæ tempore creationis Mundi infuiſſet materiæ, niſi â DEO creante illicò formam concreata fuiſſet. 1. *Quid prioritas naturæ, & durationis.*

2. *Privatio eſt principium corporis naturalis.*

Dico primò: Privatio omnino eſt verum principium generationis naturalis, ſeu corporis naturalis in fieri. Ita Scotus *in Com. 1. Phyſ. tex. 67.* Et communis Peripatetic.

Probat. *primò* authoritate Philoſophi, concluſionem aſſerentis *cit. 1. & 12. Met. tex. 12. & 22. Secundò* ratione; illud eſt verum principium per ſe alicujus, ex quo ut priori aliquid oritur, & incipit, etſi in principiatum nihil influat; utì patet in puncto initiante, quod lineam principiat, etſi nihil in ipſum influat: ſed ex Privatione oritur generatio naturalis, ſeu corpus naturale; etſi in illud nihil influat; v.g. ex Privatione equi oritur equus, etſi Privatio nihil influat in equum, ut bene arguit Philoſophus contra veteres Philoſophos *1. Phyſ. 79.* Ergo Privatio eſt verum principium generationis naturalis, ſeu corporis naturalis.

3. *Nonnullæ objectiones.*

Objicies *primò*: Philoſophus dicit, *1. Phyſic. tex. 81.* quòd Privatio ſit principium per accidens: Ergo non eſt verum principium corporis naturalis. *Secundò*: principia ſunt, ex quibus omnia naturalia fiunt: ſed ex Privatione nihil fit; quia eſt non ens ſecundùm Philoſophum *1. Phyſic. tex. 75.* Ergo &c. *Tertiò*: principium eſt nobilius principiatô, ſicut cauſa effectu, ut habet Philoſphus *3. de anima 19.* ſed Privatio non eſt nobilior corpore naturali, quod eſt ſuum principiatum: Ergo &c.

4. *Reſolventur.*

Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Ant. cum Scoto *in Com. 12. Met. tex. 12.* Privatio eſt principium per accidens corporis naturalis jam geniti, Con. Ant. corporis naturalis in fieri Neg. Ant. Itaque Philoſophus *loc. cit.* loquitur de Privatione comparata ad corpus naturale jam genitum, cujus eſt principium per accidens; quia nec in eo exiſtit, nec in eo permanet. *Ad ſecundum* Diſt. Min. ex Privatione nihil fit tanquam ex termino â Quo Neg. Min.

tan-

tanquam ex parte intrinſeca componente Conc. Min. Itaque Privatio (ut mox dicam) principiat inſtar termini â Quo, & per modum originis, ex qua oritur corpus naturale; quod ſufficit ad eſſe principium. *Ad Tertium* Diſt. Maj. principium eſt nobilius ſuô principatô ſimpliciter, & univerſaliter Neg. Maj. ſecundùm quid, & indefinitè Conc. Maj. Itaque ſufficit, ut principium ſecundùm quid ſit nobilius ſuô principiatô; ſic v. g. ut materia dicatur verum principium, ſufficit ipſam eſſe nobiliorem ſecundùm quid, puta in ratione principij; etſi compoſitum ſit ſimpliciter præſtantius ipſâ.

5. *Privatio principiat ut terminus à Quo.*

Dico ſecundò: Privatio principiat inſtar termini â Quo, & per modum originis, ſeu ut paſſim dicitur per ſuum non eſſe. Ita colligitur ex Scoto *12. Met. in Com. textûs 11. & 12.* & ſequitur communis Peripatetic.

Probat. tunc Privatio principiat, quando educitur forma de potentia materiæ; tunc enim incipit generatio naturalis, & principiatio corporis naturalis, quæ abſq; principio principiari nequeũt: ſed quando forma educitur de potentia materiæ, Privatio concurrit inſtar termini â Quo, & per modum originis, ſeu per ſuum non eſſe; quia tunc deſinit ineſſe materiæ, & cedit formæ advenienti; ſicut tenebræ fugiunt accedente luce: Ergo Privatio principiat inſtar termini â Quo, & per modum originis, ſeu per ſuum non eſſe.

6. *Satisfit objectioni.*

Objicies: nullum principium principiat, quando non eſt: Ergo nec Privatio principiat per ſuum non eſſe. Reſpondeo Diſt. Ant. nullum principium poſitivè influens in principiatum principiat quando non eſt Conc. Ant. nullum principium privativè influens in principiatum Neg. Ant. Itaque Privatio principiat privativè per primum ſui non eſſe, qua ratione habet rationem termini â Quo.

7. *Sola Privatio particularis principiat.*

Nota autem ſecundò: dum dicitur, privationem verè principiare per modũ termini â Quo, hoc intelligendum eſt, non de Privatione remota; ſed de proxima, & particulari. Ratio eſt; quia illud non eſt terminus â Quo generationis, quod non expellitur per terminum ad Quem: ſed Privatio remota non expellitur per terminum ad Quem; nam dum ex ligno generatur ignis, materia ligni, quæ informatur formâ ignis, retinet adhuc Privationem formæ lapidis, auri &c. Et iſtæ Privationes remotæ nil prorſus conferunt ad generationem ignis; cùm remaneant etiam in genito: Ergo dum dicitur, Privatio verè principiare per modum termini â Quo, hoc intelligendum eſt de Privatione proxima, & particulari v. g. de Privatione formæ ignis in dato exemplo.

Dico tertiò: ut Privatio dicatur verè principians in principijs Ariſtotelis, ſemper in materia debet duratione præcedere formam educendam per generationem de genere mutationis. Ita Scotus *3. diſt. 7. q. 2.* & *4. diſt. 43. q. 5.* Et ſequuntur Columb. Maſtrius, &c. contra Averſ. & Hurtad. 8. *Privatio principians debet duratione præcedere formâ.*

Probat. *primò* authoritate Philoſophi; qui *1. Phyſic. 43.* aſſerit concluſionem. *Secundò* ratione: Ariſtoteles aſſignavit *in libris Phyſ.* Privationem pro principio generationis ſub ratione mutationis ſolitæ fieri ab agente naturali: ſed in tali generatione Privatio principians ſemper in materia præcedit duratione formam: Ergo &c. Prob. Min. agens naturale nõ agit inſtantaneè, ſed ſucceſſivè; cùm ſit virtutis finitæ & limitatæ; unde diſponit primò ſubjectum prævijs idoneis qualitatibus expulſivis qualitatum contrariarum formæ antiquæ; deinde expellit priſtinam formam, ut in idem ſubjectum inducat novam formam; hic autem proceſſus requirit durationem temporis, quô Privatio jam ſupponitur præeſſe in materia, â qua tandem ſit tranſitus ad formam novam: Ergo in generatione ſub ratione mutationis Privatio principians ſemper in materia præcedit duratione formam educendam de materia.

Objicies: poteſt fieri vera generatio, etſi in ea tantùm pro aliquo priori naturæ præceſſiſſet Privatio; ſi v. g. forma generaretur in inſtanti ſimul cũ materia; uti factum fuit in creatione materiæ primæ, cui ſtatim concreata fuit aliqua forma abſque ulla Privatione prævie inexiſtente materiæ: Ergo &c. Reſpondeo talem generationem non eſſe de genere mutationis phyſicæ, de qua loquitur concluſio, & quâ naturalia de facto producuntur, quam ſolam inveſtigavit in *1. Phyſ.* Ariſtoteles; ac proinde neque talis generationis principium ſtatui poteſt Privatio. Itaque talis generatio inſtantanea eſſet tantùm de genere productionis, cujus principia Ariſtoteles hìc non aſſignavit. 9. *Inſtantia quædam repellitur.*

DISTINCTIO V.

DE FORMA TERTIO PRINCIPIO CORPORIS NATURALIS.

Præfatio.

T*Ertium, & cæteris nobilius principium corporis naturalis eſt Forma, quæ ob præclara diverſa munia, quæ exercet, ab Ariſtotele & alijs Philoſophis varias quoque accipit appellationes, & epitheta. Nam ab omnibus Peripateticis & eorum Principe* 7, Met. 27. *dicitur* ſpecies, *ex eo quòd naturam ſpecioſam, & venuſtam reddat. Ab eodem vocatur* 1. Phyſ. text. 81. pulchrum *ob eandem rationem: Item ibidem dicitur* Divinum, bonum, & appetibile; *quia eſt ſimilitudo DEI, & bonitatis: Item* proles Divina *à Platone, ob eandem rationem: Item* exemplar, *ab Ariſtotele* 2. Phyſic. cap. de cauſis; *quia ut obſervat Simplicius, Themiſtius, & Alexander efficiens producit effectum ſimilem ſuæ formæ: Item ab alijs dicitur* character, *quia materiæ imprimit notam; & quia per illam cognoſcitur materia. Et à Philoſopho tandem* actus, *quia actuat materiam;* terminus, *quia terminat; &* ratio, *ac* quod quid erat eſſe; *quia ab ea ſumitur eſſentia. De hoc itaque principio ſit*

QUÆSTIO I.

De exiſtentia, & quidditate Formæ.

1. *Quid Forma naturalis, artificialis, ſubſtans. & accident.*

NOta primò: ſecundùm Philoſophum *2. Phyſic. text. 11. Forma* dicitur *à formando;* quia deformitatem materiæ format, politque ejus ruditatem. Eſt autem *Forma* ſecundùm Ariſtotelem *1. Phyſic. tex. 69.* alia naturalis, alia artificialis. *Naturalis* eſt, quæ per naturam educitur ex ſinu materiæ; talis eſt forma plantæ. *Artificialis* eſt, quæ per artem producitur, talis eſt forma cathedræ. *Naturalis* rurſus ſubdividitur ſecundùm eundem Philoſophum *7. Met. text. 7.* in ſubſtantialem, & accidentalem. *Subſtantialis* eſt actus quidam primarius de genere ſubſtantiæ, unà cum materia conſtituens corpus narurale: talis eſt anima bovis. *Accidentalis* eſt actus quidam ſecundarius de genere accidentis, unà cum ſubjecto faciens ens unum per accidens; talis eſt color albus, conſtituens hominem album.

2. *Quid aſſiſtens & informans.*

Nota ſecundò: rurſùs Forma ſubſtantialis partitur in aſſiſtentem, & informantem. *Forma ſubſtantialis aſſiſtens* eſt, quæ extrinſecè tantùm movet ſubjectum; tales ſunt Intelligentiæ motrices orbium cæleſtium. *Forma ſubſtantialis informans* eſt, quæ movet ſubjectum ſuum quod informat intrinſecè; talis eſt anima rationalis informans, & movens corpus hominis. *Informans* ſubdividitur in formam conjunctam cum materia; & ſeparatam à materia: primæ ſortis eſt anima bovis viventis; ſecundæ eſt anima rationalis Platonis ſuperſtes poſt mortem ejuſdem. Præſens diſtinctio principaliter procedit de forma naturali, ſubſtantiali, informante, quæ ſola conſtituitur comprincipium intrinſecum corporis naturalis, ſeu compoſiti ſubſtantialis; etſi de accidentibus etiam aliqualis tractatio ſit futura.

Dico

3\. *Dantur Formæ ſubſtantiales informantes.*

Dico primò: extant Formæ ſubſtantiales naturales, informantes & conſtitutivæ corporis naturalis, diſtinctæ à temperamento primarum qualitatum. Ita Scotus *4. diſt. 11. q. 3.* & communis Peripatet. contra Galenum, qui formam ſubſtantialem dicit conſiſtere in temperamento certo primarum qualitatum, certaque accidentium ab eis dependentium combinatione; eſt etiam contra omnes veteres Philoſophos, qui uſque ad Pythagoram (qui primus Formas ſubſtantiales agnovit) eam ignorârunt.

Probat. prima pars *primò* authoritate Conc. Vienn. ſub Clemente V. celebrati; ubi anima rationalis definitur eſſe Forma ſubſtantialis corporis humani; cujus proinde exiſtentiam ſupponit; definitio ſic ſonat; *ſi quiſquã deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis ſeu intellectiva non ſit Forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus*; ſed eadem eſt ratio de exiſtentia aliarum Formarum ſubſtantialium in alijs compoſitis: Ergo exiſtunt Formæ ſubſtantiales informantes.

Probat. ſecundò authoritate Philoſophi; exiſtentiam Formarum ſubſtantialium pluribi aſſerentis, ſignanter *1. Phyſ. tex. 65.* & *2. de gener. & corrupt. cap. 9.* & *lib. 2. de anima cap. 1.* & *7. Metaph. cap. 4.* Ergo &c.

4\. *Variæ rationes ad idem.*

Probat. tertiò rationibus: exiſtentia Formarum ſubſtantialium naturalium informantium, & conſtitutivarum corporis naturalis patet ex pluribus capitibus: Ergo omninò extant. Probat. *primò*: hujuſmodi exiſtentia patet ex generatione, & corruptione corporum; experientiâ enim conſtat res aliquas generari, & corrumpi; ſic Sol, & homo generant hominem juxta Philoſophum *2. Phyſ. 26.* ſic etiã ex receſſu Solis, & alijs cauſis, herbæ plantæ, & animalia ex putri nata corrumpuntur: ſed hujuſmodi generationes & corruptiones non contingunt ſinè productione novarum Formarum ſubſtantialium, & interitu priſtinarum: Ergo ex generatione & corruptione corporum patet exiſtentia Formarum ſubſtantialium.

Secundò patet eadem exiſtentia Formarum ex diſtinctione corporum: quia quædam corpora ſubſtantialiter diſtinguuntur inter ſe; v. g. lapis, & homo: Ergo per aliquid ſubſtantiale diſtinguuntur; illud autem non eſt materia prima; cùm hæc ſit communis utrique: Ergo eſt aliqua forma ſubſtantialis: & conſequenter extat hujuſmodi Forma ſubſtantialis.

Tertiò: eadem exiſtentia patet ex operationibus: quia variæ operationes à diverſis agentibus elicitæ arguunt diverſas Formas ſubſtantiales extare; ſicut mutationes variæ arguũt materiam aliquam extare in rerum natura: Ergo &c.

Quartò patet hoc idem ex compoſitione corporum naturalium: corpora naturalia v. g. homo, bos &c. ſunt vera compoſita phyſica per ſe, ut habet Ariſtoteles *8. Met. 2.* & alibi: Ergo in eis præter materiam adeſt aliqua alia pars exiſtens, & actu componens: hæc autem eſt Forma ſubſtantialis; quia ſi eſſet accidentalis, reſultaret ens non per ſe; ſed per accidens: Ergo extat Forma ſubſtantialis informans.

5\. *Formæ ſubſtãtiales diſtinguuntur à temperamento.*

Probatur ſecunda pars contra Galenum; contra quem, etſi etiam faciant rationes primæ partis: attamen ſpecialiter adduco ſequentia argumenta. *Primò*: temperamentum primarum qualitatum non ſufficit animantibus; ut ſuas operationes vitales exercere valeant, v. g. audire, videre, ſe movere &c. Ergo ad eas ulteriùs requiruntur Formæ ſubſtantiales informantes; & conſequenter hæ à temperamento primarum qualitatum diſtinguuntur. *Secundò*: immutari poteſt temperamentum primarum qualitatum, & tamen manere ſubſtantia rei immutata; uti patet de aqua calefacta: ſed res immutari non poteſt immutatâ Formâ ſubſtantiali: Ergo Forma ſubſtantialis eſt aliquid diſtinctum à temperamento qualitatum. *Tertiò* tandem; quia aqua reddita fervida, & ſibi relicta, iterum redit ad nativam ſuam frigiditatem: non per frigiditatem; quia hæc erat remota per calorem, neque per alia accidentia combinata, quæ aſſignari nequeunt; neq; per primas qualitates attemperatas; quia hæ erant diſtemperatæ per calorem: Ergo per principium diſtinctum intrinſecum ab eis, quod eſt Forma ſubſtantialis.

6\. *Veterum oppoſitiones reſolvuntur.*

Objicit Galenus: illa eſt Forma rerum naturalium, quâ poſitâ res naturales ponuntur: ſed hæ ponuntur poſitô temperamentô: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Maj. quia etiam poſitâ unione Formæ ad materiam ponitur res naturalis, ſeu compoſitum naturale; & tamen ipſa non eſt Forma rerum naturalium.

Objiciunt veteres Philoſophi: ſuperfluit Forma ſubſtantialis pro generandis corporibus naturalibus: Ergo non datur. Probat. Ant. ſufficit unicum principium pro ipſis generandis, puta materia cum Formis accidentalibus; quia ex ea omnia fiunt; in eam quoque omnia reſolvuntur; ipſa ſola remanet cæteris pereuntibus, & incipientibus: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. uti & Ant. Probat. ejuſdem; ad ejus Rationes dico; ex his muneribus materiæ primæ ſolùm ſequi, ipſam eſſe primum principium; quia eſt ſubjectum primum Formarum; ac perdurare ſemper: cum quo ſtat, quòd aliud quoque principium pro generandis corporibus naturalibus, quod Forma dicitur, neceſſarium ſit, ut in ratione compoſiti ſubſtantialis per ſe generentur; nam ſi ex materia & Forma accidentali generarentur, non eſſent compoſita per ſe; ſed per accidens. Circa quidditatem, & definitionem Formæ

7. *Varia definitiones Formæ ſubſtantialis.*

Nota tertiò: Philoſophum duas dare definitiones Formæ ſubſtantialis informantis; unam *2. Phyſic. 28. Forma eſt ratio ipſius quod quid erat eſſe*, id eſt, eſt ratio quidditatis compoſiti: alteram dat *2. de generat. & corrupt. text. 31. Forma eſt ratio uniuſcujuſque ſubſtantiæ.* Nonnulli Scotiſtæ eam ſic definiunt, *eſt actus materiæ, unius compoſiti conſtitutivus*: alij ſic, *eſt actus primarius materiæ unum de per ſe conſtituens cum materia.* Sed clariùs, & expeditiùs

8. *Author ſuã affert.*

Dico ſecundò: Forma ſubſtantialis informans, ut eſt principium corporis naturalis, bene definitur; quòd *ſit ſubſtantia phyſicè incompleta, materiæ primariò determinativa ad faciendum corpus naturale.*

Probatur: hæc definitio conſtat genere, & differentia; cæteriſq; conditionibus bonæ definitionis: Ergo eâ bene definitur Forma ſubſtantialis informans. Ly *ſubſtantia* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia: dicitur *ſubſtantia phyſicè incompleta* ad differentiam aliarum ſubſtantiarum completarum, cujuſmodi eſt corpus naturale; additur *materiæ determinativa* per quod differt Forma ab ipſamet materia; & indigitatur ejus munus, quod eſt primariò determinare, & actuare materiam; unde & actus primarius materiæ dicitur: apponitur *primariò*, ut diſtinguatur à forma accidentali, quæ determinat tantùm ſecundariò materiam; unde & ejus actus ſecundarius dicitur: dicitur tandem *ad faciendum corpus naturale*, ut oſtendatur primarius effectus Formæ ſubſtantialis informantis, qui eſt facere ſeu conſtituere corpus naturale; & oſtenditur diſcrimen Formæ ſubſtantialis à proprietatibus, quæ etſi afficiant; non tamen conſtituunt, aut faciunt corpus naturale.

QUÆSTIO II.

De eductione Formarum ſubſtantialium de potentia materiæ.

1. *Varia uſurpatio eductionis.*

NOta primò: *Eductionem* multipliciter poſſe uſurpari: vel *pro actione inductiva*, quâ Forma educta recipitur in materia, & ei unitur; vel *pro actione infuſiva*, quâ ab agente naturali inſtantaneè producta diffunditur per ſubjectum, quod eam ſuſtentat, & recipit; talis eſt productio luminis in aëre: vel *pro actione expreſſiva*, quæ eſt productio ſpeciei expreſſæ, ſeu actus vitalis â potentia ſenſitiva, vel intellectuali; talis eſt viſio, auditio, intellectio &c. vel *pro actione factiva*, ſeu effectiva, quæ eſt productio alicujus Formæ artificialis; talis eſt efformatio ſtatuæ D. Franciſci. Vel tandem *pro dependentia Formæ* in eſſe, fieri, & conſervari à materia, ita ut ſinè influxu materiæ Forma neque conſervari, neque produci valeat naturaliter: & de eductione in hac uſurpatione procedit præſens quæſtio. Unde

2. *Deſcribitur eductio Formarum è potentia materia.*

Dico primò: rectè deſcribitur eductio alicujus Formæ è potentia materiæ, *eſt dependentia Formæ à materia ut ſubjecto ex quo, & in quo, in eſſe, fieri, & conſervari.* Colligitur ex Scoto *2. diſt. 18. q. un.*

Probat. eductio Formæ è potentia materiæ non poteſt meliùs explicari, quàm præſenti deſcriptione factum ſit: Ergo &c. Ly *dependentia* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia: dicitur *dependentia Formæ à materia, ut ſubjecto*, ut oſtendatur eductionem Formæ præſupponere materiam, & materiam verô concurſu materiali in ratione ſubjecti concurrere ad educendam Formam; additur *ex quo*, quo datur intelligi, Formam quaſi ex viſceribus materiæ extra adduci (hoc enim ſonat ly *ex*) & materiam eſſe originem talis Formæ; & per hoc diſtinguitur eductio à creatione; quæ non ex ſubjectio;

ſed

ſed ex nihilo productio eſt: apponitur *& in quo*, ad denotandum, quòd forma educta rurſus in materia recipiatur, & inducatur: per ly *in eſſe, fieri, & conſervari*, inſinuatur modus, & qualitas dependentiæ formæ, ſeu eductionis; qualiter ſcilicet hæc dependentia triplici modò contingat, tam quoad eſſentiam habendam, quàm quoad ejus poſitionem, & conſervationem; Forma enim dependet à materia tam quoad habendam eſſentiam ſuam, quàm quoad exiſtentiam habendam; & quoad conſervationem utriuſque recipiendam; & per hoc eductio diſtinguitur à cauſatione cauſæ efficientis; nam etſi Forma etiam dependeat à cauſatione cauſæ efficientis in fieri, quæ virtualiter continet Formam, & etiam ponit; non tamen ab ea pendet in conſervari; unde talis cauſatio non eſt dicenda eductio.

3. *Eductio Formæ non eſt generatio compoſiti.*

Nota ſecundò: eductionem Formæ de potentia materiæ diſtingui à generatione compoſiti, ut colligitur ex Scoto *4. diſt. 13. q. 1. ſ. ad hujus actum.* Ratio eſt; quia relationes habentes terminos diſtinctos, diſtinguuntur inter ſe, ut habet Scotus *2. diſt. 17. q. 1.* & alibi: ſed eductio, & generatio ſunt hujuſmodi relationes; eductio enim habet pro termino ſuo Formam ſolam eductam; generatio verò habet totum compoſitum pro termino totali: Ergo &c. Deinde Forma eſt prior compoſitô; quia eſt ejus pars intrinſeca: Ergo aliâ actione ponitur Forma, & aliâ cōpoſitum; & conſequenter eductio Formæ, & generatio compoſiti diſtinguuntur; cujus contrarium malè docet Pat. Fuente.

4. *Ad rationē eductionis non requiritur, ut materia exiſtat prior tempore ſub privatione.*

Nota tertiò: ad rationem veræ eductionis Formæ de potentia materiæ non eſſe neceſſarium, ut materia exiſtat prior tempore ſub privatione Formæ; ſed ſufficit prioritas naturæ, utì colligitur ex Scoto *2. Rep. diſt. 17. q. 3.* Ratio eſt; quia ſi Deus in Euchariſtia ex nova materia educeret Formam vermis, tunc materia non exiſteret priùs tempore tali Formâ, quia talis eductio fieret in inſtanti; & tamen vera eſſet eductio: Ergo &c. Advertendum autem talem eductionem non comitari generationem, ut de ea loquitur Ariſtoteles *in libris Phyſic.* quia talis poſtulat ut privatio Formæ præcedat tempore in materia.

5. *Quid Formæ materiales, & immateriales.*

Nota quartò pro ſequentibus concluſionibus: Formas ſubſtantiales alias eſſe materiales; alias immateriales. *Formæ materiales* ſunt, quæ in fieri, & conſervari dependent à materia; tales ſunt omnes Formæ cælorum; item omnes Formæ ſublunarium, id eſt ſub concavo Lunæ contentorum, puta elementorum, & mixtorum tam viventium, quàm non viventium. *Immateriales* ſunt quæ in fieri, & conſervari non dependent â materia; licèt in ſuo eſſe præſupponant ipſam diſpoſitam ad hoc, ut eam poſſint informare; & tales ſunt ſolæ animæ rationales, quæ habent eſſe immediatè à DEO per creationem, nullô præſuppoſitô ſubjectô; ſed ſolùm in quo recipiuntur.

Dico ſecundò: omnes omnino Formæ ſubſtantiales materiales, ſublunares productæ ſecundùm communem curſum naturæ, educuntur de potentia materiæ primæ; non item immateriales. Prima pars eſt Scoti *2. diſt. 17. q. 1.* & communis Scotiſt. Secunda ejuſdem Doct. *3. diſt. 11. q. 2.* & communis DD. ſenſus. 6. *Omnes Formæ materiales ſubſtant. educuntur de potentia materiæ in ſublunaribus.*

Probat. prima pars *primò*: omnes Formæ ſubſtantiales materiales ſublunares productæ ſecundùm communem curſum naturæ, dependent â materia in fieri, eſſe, & conſervari: Ergo omnes tales educuntur de potentia materiæ. Probat. Ant. omnes tales Formæ dependent imprimis à materia *in fieri*; quia omnes producuntur ab agente de novo; nullum autem agens agere poteſt de novo abſque ſubjecto, quod eſt materia; utì patet quotidianâ experientiâ: Ergo omnes tales Formæ dependent â materia *in fieri.* Dependent etiam *in eſſe*, & *conſervari*; quando enim Formæ ſubſtantiales ſublunares materiales ſeparantur à materia, conſtat experientiâ; eas illicò corrumpi; ſic dum Forma ligni per agens igniens ſeparatur â materia ligni, illicò extinguitur; ſic pariter Forma plantæ, arboris, & aliæ ſeparatæ, quotidianis corruptionibus intereūt: Ergo omnes tales Formæ dependent â materia *in eſſe*, & *conſervari.* *Secundò* omnis Forma artificialis educitur ex præjacente materia, v.g. Forma Cæſaris fit, & educitur ex præjacente ære, vel alio metallo: Ergo pariter omnis Forma naturalis ſubſtantialis materialis ſublunaris ex prævia materia educitur.

Probat. ſecunda pars: Formæ immateriales, cujuſmodi ſunt animæ rationales, non dependent in fieri, & conſervari â materia; quia â DEO creantur, & cōſervantur poſt earum ſeparationem à materia, ut tenet communis DD. & habet 7. *Non item immateriales.*

Scotus

Scotus *4. diſt. 1. q. 1.* & *2. diſt. 27. q. 4.* Ergo Formæ immateriales, non educuntur de potentia materiæ. Deinde ejuſmodi Formæ ſunt ſpirituales, & incorruptibiles: Ergo non habent ortum à materia, quæ eſt corruptionis radix.

8. *Reſolutiones objectionum.*

Objicies contra primam partem *primò*: ſi Formæ omnes materiales ſubſtantiales educerentur de potentia materiæ, principia naturalia fierent ex alterutris, ſeu ex ſe invicem: ſed principia naturalia nequeunt fieri ex alterutris ſeu ex ſe invicem, ſecundùm Ariſtotelem *1. Phyſic. tex. 43.* Ergo &c. *Secundò* Formæ ſubſtantiales materiales ſublunares continentur virtualiter in poteſtate agentis, & non in materia: Ergo tales de potentią materiæ non educuntur.

Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Min. principia naturalia nequeunt fieri ex alterutris, ſeu ex ſe invicem, conſtitutivè, & formaliter Conc. Min. ſubjectivè Neg. Min. Itaque etſi unum principium primum naturale non poſſit formaliter conſtituere aliud, ſeu eſſe aliud eſſentialiter; poteſt tamen unum fieri ex alio ut ſubjecto; ſicut fit Forma ex materia. *Ad Secundum* Neg. conſeq. nam etſi Formæ ſubſtantiales materiales ſublunares non contineantur activè in materia, ſicut continentur activè in poteſtate agentis; continentur tamen in materia paſſivè; quod ſufficit, ut de ejus potentia omnes tales Formæ poſſint educi.

9. *Etiam Formæ cælorum educuntur è potentia materiæ.*

Dico tertiò: etiam omnes Formæ ſubſtantiales materiales cælorum eductæ ſunt de potentia materiæ. Ita Scotus *2. diſt. 15. q. un.* & ſequitur ejus ſchola cum Mol. Vaſq. Ruv. &c. contra S. Thomam Suar. Conimbr. Fonſec. &c.

Probat. Tum quia Formæ cælorum materiales ſubſtantiales in fieri dependebant â materia, quæ eſt ejúſdem rationis in cælis cum materia ſublunarium, ut ſuprà *diſt. 4. quæſt. 5. concl. 2.* docui: Ergo tales Formæ pariter educuntur de potentia materiæ. Prob. Ant. Formæ cælorum ſunt entia propriè materialia: Ergo in fieri pariter dependebunt â materia. Tum quia Formæ cælorum materiales ſubſtantiales defactò in conſervari dependent à materia; quia materia eaſdem ſuſtentat: Ergo educuntur de potentia materiæ, ſicut formæ ſublunares elementorum, & mixtorum. Tum tandem quia non videtur ob quam rationem negaretur Formis cæleſtibus eductio è viſceribus materiæ; cùm hæc valdè conſentanea ſit conditioni totius Univerſi quoad creaturas materiales: Ergo &c.

Objicies *primò*: communiter conceditur, quod corporą cæleſtia ſint ingenerabilia: Ergo eorum formæ non fuerunt generatæ, ſeu eductæ è potentia materiæ. 10. *Variæ rationes in oppoſitum afferuntur.* *Secundò*: Cæli una eademque actione fuerunt producti: Ergo ſicut fuerunt creati quoad materiam, ſic etiam quoad Formam, & conſequenter Forma eorum non eſt educta de materia. *Tertiò*: cæli ſunt creati juxta illud *Gen. 1. in principio creavit DEUS cælum & terram*: Ergo Formæ eorum non ſunt eductæ de potentia materiæ.

Reſpondeo *ad Primum* corpora cæleſtia ideo tantùm dicuntur ingenerabilia reſpectu agentium naturalium; quia nullum agens naturale ea producere poteſt: cum que ſtat, quòd DEUS ea condiderit creando priùs materiam; & ex ea educendo Formas eorundem. *Ad Secundum* Neg. Ant. in condendis enim cælis duæ actiones intercurrerunt, una creativa materiæ, altera eductiva Formarum cæleſtium; & id fuit congruum, inquit Scotus *1. diſt. 5. q. 2.* ad hoc, ut productio cælorum fieret connaturali modô; cùm veriſimile ſit, Formas cælorum â DEO fuiſſe productas modô ſibi magis connaturali; & per conſequens fuerunt eductæ de potentia materiæ, quæ naturaliter pro aliquo priori naturæ eis præſupponitur, eas appetit, & ad eorum productionem influit. *Ad Tertium* dico, cælos ſolùm eſſe creatos quoad materiam: unde ille textus *Gen. 1. Creavit DEUS &c.* vel intelligendus eſt cum modificatione quoad ſolam materiam tantùm creatam; vel de creatione in largo ſenſu, prout coincidit cum productione nova; quo ſenſu in eadem S. Geneſi dicitur Adam creatus; etſi fuerit productus de limo terræ.

11. *Formæ ſubſtant. naturales nõ præextiterunt actu in materia ante educt.*

Dico quartò: Formæ ſubſtantiales naturales ante ſui eductionem non præextiterunt actu in materia; ſed tantùm potentialiter, ſeu virtualiter. Ita Scotus *2. diſt. 18. q. un.* & alibi. D. Thomas, & utriuſque ſchola, ac multi RR. contra antiquos Philoſophos; quorum aliqui ut Anaxagoras docebant, omnes Formas recondi in materia ante earum eductionem tanquam quoſdam athomos; alij verò volebant eas veluti quaſdam entitates incompletas latitare in ea, quæ deinde virtute agentium naturalium apparerent.

Probat,

Probat. prima pars *primò* omnibus illis rationibus; quibus ſuprà *diſt.3. q.10. Concl. 1.* & *q.3. Concl. 2. in objeċt.* impugnavi rationes ſeminales, & inchoationes Formarum in materia prima præexiſtentes; quibus aſſimilantur Formæ materiales ſubſtantiales actu præexiſtentes in materia. *Secundò*: ſi Formæ ſubſtantiales materiales ante earum eductionem præexiſterent in materia, tollerentur è medio omnes generationes ſubſtantiales: ſed hæ tolli nequeunt, ob experientiã quotidianam, & communem ſenſum Ariſtotelis, atque aliorum Philoſophorum: Ergo &c. Prob. ſequela Maj. generatio eſt productio alicujus termini, ſeu effectus novi ſubſtantialis, per ipſam generationem poſiti: ſed ſi præexiſterent actu Formæ ſubſtãtiales materiales in materia, nullus terminus novus, vel effectus produceretur; non enim forma; quia hæc jam præexiſtit actu in materia; nec compoſitum, quia tale reſultat ex unione per informationem materiæ ad Formam; unio autem informativa pariter jam præceſſit in materia: Ergo tollerentur è medio omnes generationes ſubſtantiales. *Tertiò* ex oppoſita ſententia veterum ſequeretur, in materia ſimul adeſſe infinitas Formas; quarũ multæ, cùm oppoſitæ ſint, ut Forma ignis, & Forma aquæ &c. meritò pugnarent mutuò, & una aliam deſtrueret. *Quartò* ſi omnes Formæ ſimul latitant in materia, quæro ab antiquis illis Philoſophis, cur lignum aut ſtupa nõ comburatur ab igne in ejus materia latente? aut cur urgente ſiti homines aquam deſiderent, ſi Formam aquæ in ſua materia complectuntur? Ergo non latitant Formæ in materia.

12. *Bene tamen potentialiter.* Probat. ſecunda pars: Formas præexiſtere potentialiter, & virtualiter in materia, eſt materiam habere ſufficientem concurſum materialem, potentiam, ac virtutem ad eas originandas, & conſervandas: ſed materia habet talem concurſum, potentiam, & virtutem; cùm omnes Formæ in eſſe, fieri, & conſervari dependeant à materia: Ergo Formæ ſubſtantiales materiales præexiſtunt in materia potentialiter, ſeu virtualiter.

12. *Eductio Formarum non fit per Colchodeam; vel Ideam.* Dico quintò: Formæ ſubſtantiales materiales non educuntur de potentia materiæ, neque infunduntur in eandem, per aliquod agens ſeparatum totaliter extra; ſed per agens naturale ſingulare, & conjunctum in generatione. Ita Ariſtoteles *1. Phyſic. â tex. 37.* & *7. Met. â tex. 17.* uſque ad 32. Et Scotus *1. Poſt. q. 3.* & *4. diſt. 1. q. 1.* & alibi, ac communis Peripat. contra Platonem in Phædone, ſtatuente Ideas; & contra Avicen. docentem, Formas ſubſtantiales materiales eſſe à Datore Formarum ab extra, vel ab ultima Intelligentia, quam vocabant Colchodeam, quæ ab ea infunduntur materiæ.

Probat. prima pars: contra Avicen. Intelligentia ultima, ſeu Colchodea nequit immediatè transmutare materiam primam ſubſtantialiter; uti transmutari debet in eductione Formarum ſubſtantialium; & conſequenter neque poteſt eas educere aut producere; hæc enim eſt de numero Angelorum; hi autem ſolo intellectu, & voluntate tantùm agunt, quæ ſunt potentiæ productivæ tantùm accidentis; non verò ſubſtantiæ; quare circa ſubſtantias poſſunt ſolùm applicare activa paſſivis; atque ita ſubjectum diſponere, ut ab alio agente fiant generationes Formarum ſubſtantialium: Ergo Formæ ſubſtantiales materiales non educuntur de potentia materiæ per aliquod agens ſeparatum totaliter extra ſingularia poſitum. Unde meritò Conc. Braccarenſe *cap. 8.* & D. Auguſtinus *lib. 3. de Trinit. cap. 8.* damnant aſſerentes, ſubſtantias ſeparatas poſſe efficere grandines, fulgura, nivem, & alia corpora meteorologica, producendo Formas ſubſtantiales earum.

Probat. etiam contra Platonem; quia in oppoſita ſententia Platonis ceſſaret omnis generatio ſubſtantialis; quàm acerrimè defendit Ariſtoteles *lib. de generat. & corrupt. à tex. 1.* uſque *ad 24.* & docet experimentum quotidianum: Ergo ab Ideis ſeparatis non educitur Forma ſubſtantialis materialis de potentia materiæ. Deinde harum Idearum effectricum nulla extat notitia, aut probabilitas, neq; in S. Litteris; neque ex ratione naturali, ubi, & quò locô reſideant extra ſingularia; & num earum activitas, ac efficientia ſeſe extendat ad Formarum omnium ſubſtantialium materialium eductionem de materia: Ergo &c.

Probat. ſecunda pars: agens naturale ſingulare conjunctum, habet virtutem ſufficientem generandi, ac educendi Formas ſubſtantiales materiales è ſinu materiæ; v. g. ignis ad generandum alium ignem, & ad educendum de potentia materiæ Formam ignis novi: Ergo huic adſcribi debet eductio Formarum ſubſtan- 14. *Sed per agens conjunctum.*

tialium materialium è potentia materiæ.

Quæres an in Formis materialibus ſubſtantialibus eductio ſit formaliter earum unio cum materia; & an actio eductiva ſit eadem cum unitiva; an potiùs ſint formalitates diſtinctæ? Reſpondeo eductionem, & unionem eſſe formalitates ex natura rei diſtinctas; ſicut & illas actiones

15. *Eductio non eſt Formarum unio.* diverſas. Ratio primi eſt; quia ex Scoto *4. diſt. 13. q. 1.* unio eſt reſpectus extrinſecus adveniens; eductio verò intrinſecùs adveniens. Ratio ſecundi; quia actio unitiva, & eductiva ſunt ad diverſos terminos; nam terminus eductionis eſt Forma ſecundùm ſuam entitatem; terminus verò unionis eſt ipſa relatio unionis: & licèt in Formis materialibus iſti duo reſpectus, & actiones neceſſariò conjungantur; non propterea identificantur; quia abſolutè loquendo in anima rationali ſeparata videntur, ubi eſt unio ſine eductione.

Dices contra ſecundam partem: ſi eſſent diſtinctæ actiones, tunc productiva præcederet unitivam; & ſic Forma priùs exiſteret, quàm uniretur, atque adeò non educeretur; quod falſum eſt: Ergo &c. Reſp. quod eodem inſtanti cum materiali concurſu ſubjecti Forma ita producatur, ut ſtatim concomitanter, & exigitivè includat unionem ſui ad materiam; quia exigit ſtatim uniri materiæ; quod ſufficit ut verè educatur.

QUÆSTIO III.

De eductione Formarum accidentalium de potentia materiæ.

Propter connexionem meliorem materiarum placet etiam de eductione accidentalium Formarum agere hîc: unde

1. *Quid Forma accidentalis naturalis, intentionalis, abſoluta & relativa.* Nota primò: Formas accidentales eſſe primò in triplici differentia; aliæ enim ſunt naturales, aliæ ſupernaturales, aliæ artificiales; quæ varias ſub ſe habent ſpecies. *Naturales* vel ſunt *reales*, ut albedo; vel *intentionales*, ut ſpecies intelligibiles, ſenſibiles, lumen &c. Item Formæ naturales aliæ ſunt, quæ diſtinguuntur contra ſupernaturale; vel contra violentum. *Formæ accidentales naturales*, ut diſtinguūtur contra ſupernaturale, ſunt illæ, quæ ab agente naturali fiunt in ſubjecto; talis eſt albedo; *naturales* verò ut diſcernuntur contra violentum, ſunt illæ, ad quas ſubjectum dicit inclinationem; talis eſt calor reſpectu ignis. *Violentum* enim dicitur ad quod ſubjectum habet repugnātiam; ut aqua reſpectu caloris. *Neutrum* autem dicitur ad quod ſubjectum nec habet inclinationem, nec repugnantiam, ut aër reſpectu tenebrarum, & lucis. Rurſus Formæ accidentales naturales ut diſtinguuntur contra ſupranaturales aliæ ſunt abſolutæ, aliæ relativæ. *Abſolutæ* ſunt, quæ habent eſſe in ſe ſinè ordine ad aliud; talis eſt quantitas. *Relativæ* ſunt, quæ habent eſſe per ordinem ad aliud; tales ſunt omnes relationes prædicamentales, ut ſimilitudo, diſſimilitudo &c.

Nota ſecundò: *Formæ ſupernaturales* ſunt illæ, quæ ſecundùm ſuam entitatem petunt fieri ab agente ſupernaturali; vel ſaltem quæ nequeunt fieri ſinè auxilio ſupernaturali; tales ſunt gratia, & viſio Dei. Et hæ ſunt duplices; vel actus, vel habitus. *Actus ſupernaturales* ſunt, qui etſi habeant principium naturale; petunt tamen ad ſui productionem concurſum alterius comprincipij ſupernaturalis; tales ſunt viſio DEI, & fruitio DEI, quæ eliciuntur quidem ab intellectu, & voluntate humana; concurrente tamen neceſſariò lumine gloriæ, & habitu charitatis. *Habitus ſupernaturales* ſunt certæ qualitates habituales à Deo creatæ, & infuſæ, quarum productio à nulla cauſa naturali attingi poteſt; tales ſunt habitus virtutum Theologicarum Fidei, Spei, & Charitatis. 2. *Quid ſupernaturalis, habitualis, & actualis.*

Nota tertiò: Formæ tandem artificiales ſunt quæ ab opifice per artem elaborantur; tales ſunt Forma, & Figura per artem in ſtatuam vel cathedram aliquam inducta. In præſenti quæſtione de his omnibus Formis quæritur, an de ſinu materiæ educantur: intelligitur autem hic nomine *materiæ* non materia prima quà talis; ſed materia ſecunda, id eſt totum compoſitum ex materia & forma reſultans, quod communiter ſubjectum accidentium ponitur, ut omnes DD. hîc obſervant. 3. *Quid artificialis.*

Dico primò: omnes prorſus Formæ accidentales naturales etiam intentionales educuntur de potentia materiæ, ſeu ſui ſubjecti. Ita Scotus *2. diſt. 17. q. 1.* & *diſt. 18. q. unic.* & *4. diſt. 1. q. 1.* & *2. diſt. 13. queſt. un.* & communis; contra Sanch. Alenſ. & Ægid. quoad Formas intentionales, & relativas. 4. *Omnes Formæ accidentales naturales educūtur è materia.*

Pro-

Probatur: omnes Formæ accidentales naturales dicunt dependentiam ad materiam, ſeu ſubjectum tam in fieri, quàm in eſſe, & conſervari: Ergo omnes educuntur de potentia materiæ, ſeu ſubjecti. Prob. Ant. ſi aliquæ Formæ accidentales naturales non dicerent ejuſmodi dependentiam, agens naturale eas educens crearet; quia ubi nulla intervenit dependentia ad ſubjectum, eſt propriè creatio: ſed nullum agens naturale poteſt creare: Ergo &c. Præterea omnes Formæ ſubſtantiales materiales educuntur de potentia materiæ: Ergo à paritate etiam Formæ accidentales naturales de potentia ſubjecti educuntur.

Probat. ſpecialiter *de Formis intentionalibus*: Tum quia eadem eſt ratio eductionis Formarum intentionalium, ac realium accidentalium; cùm ambæ ſint Formæ naturales: ſed omnes Formæ accidentales reales v. g. calor, frigus, color, quantitas &c. educuntur de potentia ſubjecti: Ergo etiam Formæ intentionales. Tum quia lumen, quod eſt Forma quædam intentionalis, producitur à corpore luminoſo puta à Sole tanquam ſubjecto, & ſpecies intentionalis ab objecto tanquã ſubjecto: Ergo hæ Formæ intentionales educuntur de potentia ſubjecti.

5. *Objectiones diluuntur.* Objicies *primo* Formæ accidentales naturales relativæ non educuntur de potentia ſubjecti; quia reſultant poſitis extremis: Ergo non omnes Formæ accidentales naturales educuntur de potentia ſubjecti. *Secundo* Formæ intentionales fiunt in inſtanti ſinè reſiſtentia contrarij: Ergo non cenſentur educi de potentia ſubjecti.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. nam cùm eductio propriè ſit dependentia à ſubjecto in eſſe, fieri & conſervari, ſequitur etiam Formas relativas educi; quia reverà ſic dependent ab extremis in fieri, eſſe, & conſervari. *Ad Secundum* Neg. pariter Conſeq. quia eductioni non officit inſtantanea, & ſinè reſiſtentia contrarij productio Formæ; modò adſit dependentia ejus à ſubjecto in eſſe, fieri, & conſervari, per quam diſtinguitur à creatione.

6. *Etiam Formæ artificiales educuntur è materia.* Dico ſecundò: etiam Formæ artificiales verè cenſentur educi de potentia materiæ, ſeu ſubjecti. Colligitur ex Philoſopho *1. Phyſ. tex. 69.* & *7. Met. cap. 7. tex. 27.* Et ex Scoto *ibidem*; quem ſequuntur Scotiſtæ Monturſ. Columb. Fuente, Maſtrius, & ex alienis Ruvius &c. contra Merin. & Lamazares Scotiſtas; & contra Conimbricenſes.

Probat. Forma artificialis, alicujus ſtatuæ v. g. nequit fieri, nec conſervari independenter à ſubjecto, ſeu materia, ex qua fabricatur: Ergo hæc educitur de potentia ſubjecti. Deinde ars præſupponit naturam, cujus eſt imitatrix *2. Phyſic. tex. 79.* Ergo ſicut natura educit Formas de potentia materiæ, ita ars de potentia præjacentis ſubjecti. Tandem Formæ artificiales non ſunt niſi relationes quædam, & Figuræ reſultantes, ex Scoto *4. diſt. 1. q. 1.* Ergo ſicut Formæ relativæ educuntur de ſubjecto, ita & Formæ artificiales.

7. *Quoddam objectum enervatur.* Objicies: Formæ artificiales, v. g. ſtatuæ, & cathedræ, non fiunt actione propriâ agentis; ſed tantùm reſultant ex incifione v. g. dolatione, & expolitione, quæ ſunt quidam motus locales: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. pro prima parte: nam etſi dicti motus locales ſint prærequiſiti ad Formas artificiales ſtatuæ, & Cathedræ educendas; adhuc tamen ipſæ Formæ verâ actione eductivâ artificis educuntur; ars enim eſt habitus cum recta ratione factivus. Deinde etiam reſultatio eſt quædã eductio; quia eſt dependentia à ſubjecto inciſo, dolato, & expolito.

8. *Actus ſupernaturales educuntur de ſubjecto.* Dico tertiò: Formæ accidentales ſupernaturales in actibus vitalibus conſiſtentes, cujuſmodi ſunt actus Fidei, Spei, & Charitatis, viſionis, & fruitionis etiam educuntur de potentia ſubjecti. Ita Scotus *1. diſt. 17. q. 4.* & ſequuntur Fuente, Faber, Monturſ. Maſtr. Columb. & cæteri Scotiſtæ contra ſcholaſticos antiquiores, putantes tales Formas, ſeu actus ſupernaturales creari.

Probat. Tum quia nulla cauſa ſecunda poteſt creare, nec concurrere ad creationem effectivè; cùm creare ſit ſolius DEI, ut oſtendit Scotus *4. diſt. 1. §. dico etiam n. 31.* & tamen cauſæ ſecundæ intellectus, & voluntas concurrunt ad eliciendam viſionem beatificam, & fruitionem beatificam v. g. quæ ſunt quædam Formæ accidentales ſupernaturales in actibus vitalibus conſiſtentes: Ergo non aliter concurrunt, quàm educendo. Tum quia iſtæ Formæ accidentales ſupernaturales actus Fidei, Spei, & Charitatis &c. eliciuntur ab agente creato dependenter à ſubjecto, quia vitales ſunt; & conſequenter petentes potentiam elicitivam

 vita-

vitalem: ſed actus ſic eliciti educuntur de ſubjecto, ob præfatam dependentiam: Ergo iſtæ Formæ accidentales ſupernaturales actûs Fidei, Spei, & Charitatis educuntur de potentia ſubjecti.

9. *Non item habitus ſupernaturales.* Dico quartò: Formæ autem accidentales ſupernaturales in habitibus infuſis conſiſtentes, cujuſmodi ſunt habitus Fidei, Spei, & Charitatis, Gratia, & Lumen gloriæ non educuntur de potentia ſubjecti; ſed creantur à DEO. Ita Scotus *1. diſt. 17. q. 2. §. ad ſolutionem.* Et *3. diſt. 11. q. 1.* & *4. diſt. 1. q. 1.* & alibi; & hanc conſtantem Scoti mentem ſequuntur Montur. Columb. Fuente, Vulpes, Faber, & alij illuſtres Scotiſtæ; fuitque antiqua ſententia P. Alenſis, S. Bonaventuræ, Henrici, Ochami &c. contra Maſtrium, Bellutum, & quoſdam alios Scotiſtas; & contra Thomiſtas pleroſque.

Probatur primò authoritate SS. Scripturæ, quæ paſſim docet Gratiam creari, juxta illud Pſalmiſtæ, *Cor mundum crea in me DEUS.* Idem aſſerunt SS. PP. ſignanter D. Auguſt. *lib. de ſpir. & litt. cap. 23.* Ergo &c.

Probat. ſecundò authoritate Tridentini, quod *Seſſ. 6. cap. 7.* de habitibus Fidei, Spei, & Charitatis loquens, docet eas infundi per ſe, illis verbis: *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per JESUM Chriſtum, cui inſeritur, Fidem, Spem, & Charitatem:* ſed quod per ſe infunditur, non educitur de potentia ſubjecti; ſed creatur; uti patet de anima rationali per ſe infuſa corpori: Ergo hæ Formæ accidentales Fidei, Spei, & Charitatis ut in habitibus conſiſtentes non educuntur de potentia ſubjecti; ſed creantur.

Probat. tertiò ratione: tum quia hujuſmodi habitus ſupernaturales Gratiæ, & virtutum Theologicalium elevant ſimpliciter animam extra ordinem naturæ; & nõ dependent in fieri à principio vitali creato, ſicut dependent actus vitales Fidei, Spei, & Charitatis: Ergo non educuntur de potentia ſubjecti. Deinde tales Formæ ſupernaturales habituales Gratiæ, Luminis gloriæ, Fidei &c. ſunt ita excellentes in ordine gratiæ, & gloriæ, ſicut anima rationalis in ſerie naturæ: Ergo petunt creari immediatè à DEO, ſicut anima rationalis. Tandem contra Scotiſtas oppoſitos facit expreſſa mens Scoti, quam aperit de creatione talium Formarum habitualium, ſignanter Gratiæ, de qua ait *2. diſt. 37. q. unic. ſecundum concludit hic, quia gratia eſt à ſolo DEO per creationem;* & propterea eandem in 4. ponit terminum creationis; & arguit ideo Sacramenta non cauſare Gratiam phyſicè: de alijs verò idem docet *locus* pro concluſione *citatis*, & alibi: Ergo &c.

Objiciunt *primò* Maſtrius, & Bellutus: Formæ accidentales ſupernaturales Gratiæ, Fidei &c. in habitibus infuſis conſiſtentes conveniunt in ratione accidentis cum Formis naturalibus; quia æquè ſunt aptæ inhærere ſubjecto, natæque fieri, & conſervari dependenter à ſubjecto: Ergo ejuſmodi Formæ æquè educuntur de potentia materiæ. *Secundo:* ideo anima creatur, & non educitur, quia eſt de ſe nata ſubſiſtere abſque ſubjecto in primo inſtanti: ſed habitus ſupernaturales non ſunt nati per ſe ſubſiſtere in primo inſtanti: Ergo &c. *Tertiò:* actus ſupernaturales Fidei, Spei, &c. educuntur de potentia ſubjecti: Ergo & habitus ſupernaturales eorum. 10. *Maſtriana fundamenta evertuntur.*

Reſpondeo *ad Primum;* Neg. Conſeq. nam licèt iſtæ Formæ accidentales ſupernaturales habituales Gratiæ, Fidei, Spei, &c. ut accidentia quædam ſint, conveniant in ratione accidentis cum Formis naturalibus; quia tamen Formæ ſupernaturales ſimpliciter ſunt; ideo dependentiam ſubjecti in fieri non dicunt; & conſequenter nec eductionem de ejuſdem potentia; ſed ex nihilo à DEO produci petunt, & poſtea infundi animæ, ut in ipſa exiſtant, & conſerventur. *Ad Secundum* Neg. Maj. quòd ideo præcisè creetur anima; ſed quia neque in fieri, neque in eſſe, neque in conſervari exigit dependere à ſubjecto; & quia eſt in ordine naturæ valde eminens, & excellẽs; quod totum etiam convenit habitibus ſupernaturalibus Gratiæ, Fidei, Spei &c. quare & ipſi creantur. *Ad Tertium* Neg. Conſeq. diſparitas eſt; quia major eſt ſupernaturalitas in habitibus infuſis Fidei, Spei &c. quàm in actibus Fidei, Spei &c. nam in actibus eſt tantùm ſupernaturalitas in ſecundo gradu; cùm adhuc petant fieri partialiter à cauſa creata, ratione vitalitatis; & conſequenter tales non obſtante ſua ſupernaturalitate educuntur de potentia ſubjecti: at in habitibus eſt ſupernaturalitas in gradu primo; quia petunt fieri à ſolo DEO, & independenter ab omni ſubjecto; cùm nullam vitalitatem, aut aliam rationem dicant, ratione cujus è ſubjecto educi deberent.

QUÆSTIO IV.

Utrum una Forma ſubſtantialis poſſit ſimul informare plures materias?

1. *Quid materia adæquata & inadæquata, continuata, & diſcontinuata.*

NOta primò: materias in præſentiarũ poſſe eſſe duplices, inadæquatas & adæquatas. *Materia adæquata* (quæ & totalis dicitur) eſt, quæ integratur ex pluribus partialibus materijs; talis eſt corpus humanum, quod integratur ex capite, manibus, ventre & pedibus *Materia inadæquata* (quæ & partialis) eſt quælibet pars integralis materiæ totalis, v. g. caput, vel pes corporis humani. Utraque rurſus poteſt eſſe vel continuata, vel diſcontinuata. *Materia continuata totalis* dicitur illa, quæ habet unionem cum alia adæquata; talis eſſet, ſi duo corpora eſſent unita; uti contingit in monſtris. *Inadæquata continuata eſſet*, ſi partes alicujus totius eſſent unitæ inter ſe; v. g. ſi manus vel caput ſit unitum corpori humano. *Materia adæquata diſcontinuata eſſet*, ſi nulla ratione uniretur cum alia adæquata; talis eſt corpus Platonis non unitum corpori Plauti. *Inadæquata* verò *diſcontinuata* eſſet, ſi pars eſſet diſſita loco à toto, v. g. ſi pes, vel caput eſſet reſciſſum à corpore humano. Præſens quæſtio procedit de materijs pluribus adæquatis, tam diſcontinuatis; quàm continuatis; quæ inter ipſos etiam Scotiſtas eſt valde controverſa in ea parte, quâ ventilatur de potentia DEI abſoluta.

2. *Una Forma ſubſtantialis non poteſt naturaliter informare duas materias adæquatas.*

Dico primò: una Forma ſubſtantialis nequit naturaliter informare plures materias adæquatas, ſeu totales, ſive diſcontinuatas, ſive continuatas; neque duas inadæquatas diſcontinuatas, bene tamen continuatas. Ita Scotus *8. Met. in Com. cap. 6. text. 15.* & tenet pariter ibidem Philoſophus, ac communis Peripatet.

Probatur prima pars: informatio Formæ ſubſtantialis exerceri debet in loco, ubi talis Forma exiſtit: ſed Forma ſubſtãtialis naturaliter nequit exiſtere in pluribus locis diſcontinuatis adæquatis: Ergo neque poteſt informare plures materias adæquatas diſcontinuatas.

Probat. ſecunda pars: etſi Forma ſubſtantialis ſit actus actuans materiam; eſt tamen limitatæ virtutis; ita ut naturaliter non poſſit juxta præſentem ordinem naturæ actuare complete, & adæquatè niſi unicam materiam, cum qua facit unum ens completum, & adæquatum; uti patet experientiâ de anima bovis, quæ unicum duntaxat corpus bovis actuat: Ergo una Forma ſubſtantialis nequit naturaliter informare plures materias adæquatas continuatas.

3. *Nec duas inadæquatas diſcontinuatas.*

Probatur tertia pars: ſi una Forma informaret plures materias inadæquatas diſcontinuatas, eſſet naturaliter in pluribus locis diſſitis: ſed hoc Formæ concedi nequit, ob ſui limitationem: Ergo una Forma ſubſtantialis nequit naturaliter informare plures materias inadæquatas diſcontinuas. Deinde experientiâ conſtat, Formam hominis, quæ eſt anima rationalis, non adeſſe ampliùs in diſcontinuatis partibus hominis, puta in pede abſciſſo, & manu truncata, quæ ſunt quædam materiæ inadæquatæ diſcontinuatæ: Ergo ſignum eſt unam Formam non poſſe informare plures materias inadæquatas diſcontinuatas. Nec dicas oppoſitum contingere in inſectis v. g. ſerpente, vel alio verme, qui ſi dividantur in plures partes, omnes partes ſimul vivunt; & conſequenter informantur unâ Formâ animæ. *Contra* enim eſt, quòd in quavis parte ſint animæ particulares; Formæ enim inſectorum ſunt diviſibiles, ut alibi dicetur.

4. *Bene tamen continuatas*

Probat. quarta pars: quia anima rationalis; quæ eſt vera Forma hominis, informat ſimul plures partes corporis humani unitas, & continuatas, puta caput, pedes, manus &c. quæ ſunt quædam plures materiæ inadæquatæ continuatæ: Ergo una Forma ſubſtantialis poteſt informare plures materias inadæquatas continuatas.

Dico ſecundò: una Forma ſubſtantialis poteſt ſimul de potentia abſoluta ſeu extraordinaria DEI informare plures materias diſcontinuatas adæquatas & totales, hoc eſt tales, cum quibus conſtituat vera compoſita. Eſt ad principia Scoti, & docetur à Villaverde, Leali, Poncio, Fraſſen, Van-Sichen, Sghema, & alijs Scotiſtis; quibus adſtipulatur ex Thomiſtis, & RR. Paludan. Fonſec. Ruvius, & Amicus; contra P. Fuente, Monturſ. Columb. Lamaz. alioſque Scotiſtas; & contra Thomiſtas communiter.

5. *Una Forma poteſt divinitus plures materias etiã adæquatas informare.*

Probat. primò: juxta receptum illud principium Scoti *1. diſt. 1. q. 4. §. poteſt dici: ubi non reperitur ratio manifeſtæ repugnantiæ, concedendum eſt Potentiæ abſolutæ DEI:* ſed

ſed nulla reperitur repugnantia in hoc, quòd una Forma ſubſtantialis poſſit informare plures materias diſcontinuatas adæquatas & totales, cum quibus conſtituat vera compoſita: Ergo hoc concedendum eſt abſolutæ Potentiæ DEI. Min. patebit infrà ex ſolutione repugnantiarum, quas oppoſiti Scotiſtæ, & Thomiſtæ afferunt.

Probat. ſecundò: ex dicendis *ſequenti quæſt.* eadem materia poteſt informari ſimul de abſoluta Potentia DEI pluribus Formis totalibus diſparatis: Ergo etiam eadem Forma ſubſtantialis poteſt ſimul de potentia abſoluta DEI informare plures materias diſcontinuatas totales. Conſequentia tenet; quia taliter ſe habet perfectivum ad perfectibile ſicut perfectibile ad perfectivum: ſed pluralitas perfectivorum ſcilicet Formarum cohæret cum unitate perfectibilis ſcilicet materiæ: Ergo & pluralitas perfectibilium ſcilicet materiarum cohærebit cum unitate perfectivorum ſcilicet Formæ: atque adeò poterit una Forma ſubſtantialis ſimul de potentia abſoluta DEI informare plures materias adæquatas diſconntinuatas.

Probat. tertiò: idem corpus poteſt poni ſimul in pluribus locis adæquatis de abſoluta DEI potentia: & una Forma accidentalis in pluribus ſubjectis: & una ſubſiſtentia poteſt afficere plures naturas, ut conſtat ex Scoto *3. diſt. 1. q. 4.* Ergo etiam una Forma ſubſtantialis poteſt ſimul de potentia abſoluta DEI informare plures materias adæquatas diſcontinuatas. Conſequentia tenet à paritate; & quia Forma ſubſtantialis eſt actus, ſicut accidentalis, & ſubſiſtentiæ ſunt actus quidam.

Probat. quartò: una anima rationalis defactò naturaliter informat plures materias inadæquatas locô diſſitas, puta caput, pedes, & manus: Ergo de potentia abſoluta DEI poterit etiam informare diverſa corpora diſunita. *Quintò*: eadem anima D. Dionyſij informabat divinitùs corpus, & caput ejuſdem diſcontinuatum, & abſciſſum â corpore; utì patuit ex operationibus animaſticis utriuſque materiæ; nam corpus ambulabat, & caput prædicabat: Ergo &c.

Nec valet reſpondere, hujuſmodi operationes patratas fuiſſe vel miraculosè à DEO; vel ab Angelo movente labia D. Dionyſij ad loquendum, & pedes ad ambulandum. *Contra* enim eſt primò; quòd hoc dictum ſit arbitrarium, nulli innixum rationi. *Contra* ſecundò; caput D. Dionyſij exercebat veras operationes vitales ambulationis, & prædicationis, ſicut ſunt operationes alterius hominis viventis; hæ autem poſtulant principium vitale, animam; Ergo &c. *Contra* tertiò; non eſt recurrendum ad DEUM, & Angelos, ubi actiones aliquas ſalvare poſſumus per cauſas naturales ſublunares: poſſumus autem ſalvare ambulationem, & prædicationem D. Dionyſij per animam, utrûque corpus ſcilicet, & caput informantem: Ergo &c.

Probat. ſextò: DEUS poteſt abſolutâ ſuâ potentiâ elevare oculum ad videndû perfectiori modô, quàm poſſit aliàs videre virtute naturali: item intellectum ad videndum DEUM, quem lumine naturæ naturaliter videre nequit: Ergo etiam poterit elevare eandem Formam ad informandum ultra vires naturales; & conſequenter ad informandum plures materias adæquatas, etiam diſcontinuatas, quas naturæ viribus informare nequit.

Obijciunt oppoſiti Scotiſtæ varias repugnantias & implicantias: *primò* dicit P. Columb. repugnat, ut id, quod eſt de intrinſeca ratione alicujus, etiam divinitùs aliter ſe habeat: ſed Forma eſt de intrinſeca ratione compoſiti: Ergo repugnat unam Formam totaliter informare multas materias adæquatas. *Reſp. primò*, hanc conſequentiam non ſequi ex præmiſſis ſic diſpoſitis. Reſpondeo *ſecundo*, Formam non ſe habere aliter, neque variari intrinſecè, etſi uniatur pluribus materijs adæquatis; quia adhuc retinet rationem actûs, perfectivi, & partis intrinſecæ; cum unaquaque enim materia conſtituit verum compoſitum: unde iſta ſubintellecta repugnantia non ſequitur ex concluſione, utì eam ſequi malè arbitratur Columbus. 6. *Columbo reſpondetur.*

Secundò dicit P. Monturſius: repugnat eandem numerô Formam dependere quoad eſſe â duabus cauſis totalibus, & adæquatis, quarum unaquæque eſt ſufficiens ponere illam in eſſe; quia aliàs dependeret, & non dependeret ab unaquaque illarum: dependeret, ut ſupponitur, & non dependeret etiam; quia circumſcriptâ unâ adhuc habetur eſſe ſimpliciter per aliam: ſed ſi una Forma informaret plures materias adæquatas & totales ſimul, ipſa dependeret â duabus cauſis totalibus; quarum unaquæq; ſufficienter daret illi eſſe: Ergo &c. Reſpondeo *primò*: hoc argumentum habere aliquam vim, ſi Forma eſſet materialis, quæ 7. *Simpliciter contentatur Monturſ.*

in

in fieri, & educi dependet â materia, â qua educitur: non autem urget, ſi Forma eſſet ſpiritualis, v. g. anima rationalis; quare adhuc Concluſio in aliquo caſu poteſt verificari. Reſpondeo *ſecundò*; etiam de Formis materialibus non urget; quando una eademque divinitùs ponitur in pluribus materijs; quia in tali caſu dependeret tantùm totaliter quoad eſſe, & fieri ab una cauſa totali, puta â prima materia, â qua connaturaliter educebatur; nô verò ab altera, cum qua poſt jam acceptum ſuum eſſe tantum conjungeretur, & ei uniretur; ſicut anima rationalis poſt ſuum eſſe â DEO acceptum unitur corpori humano: ac proinde allata repugnantia Monturſij non ſequitur ex Concluſione.

8. *Eidem Authori ſatisfit*

Tertiò proſequitur Monturſius: repugnat aliquam Formam creatam eſſe infinitæ virtutis: ſed una Forma informans ſimul plures materias adæquatas eſſet infinitæ virtutis: Ergo &c. Prob. Min. quia ſi una Forma poteſt informare plures materias adæquatas, poteſt mille, & infinitas; non enim eſt major ratio de tot, quàm de infinitis informandis: Ergo eſſet infinitæ virtutis. Reſpondeo Neg. Min. cum Ant. Probat. ejuſdem; quia Forma à DEO limitaretur ad certum tantum numerum materiarum informandum; cùm ſit ens participatum, creatum, & finitæ entitatis; ſicut quamvis intellectus noſter ſimul poſſit cognoſcere plura objecta; non tamen infinita; ſed limitatur ad certum numerum ob ſui entitativam finitatem.

9. *Rurſus Scotiſta quietâtur.*

Objiciunt ſecundò Scotiſtæ ijdem, Scotus adverſatur Concluſioni: Ergo &c. Prob. Ant. nam *primò* Scotus *in 3. diſt. 1. q. 25.* ait, *ita impoſſibile videtur unum accidens eſſe in duobus ſubjectis: ſicut unam Formam ſubſtantialem eſſe in duabus materijs*: in hoc textu potiſſimè ſe fundant oppoſiti Scotiſtæ. *Secundò* idem Doctor *4. diſt. 11. q. 3.* dicit, *hæc eadem Forma numerô non poteſt ſimul informare duas materias, quarum utraque erit ſufficiens receptivum, & totale ejus.* Ergo Scotus adverſatur Concluſioni.

Reſpondeo Neg. Ant. & *ad primum textum* Doctoris dico, eum non negare, quòd Forma accidentalis, vel ſubſtantialis poſſit eſſe in pluribus ſubjectis; ſed ſolùm contendit, quòd ſi ſequeretur infinitas unius, ſequeretur & alterius infinitas; pondera contextum; *igitur ſi neceſſariò ſequitur infinitas ex eo, quòd una Forma ſubſtantialis ſit in pluribus materijs, neceſſariò ſequitur infinitas ex eo, quòd unum accidens ſit in pluribus ſubjectis*: arguit itaque Scotus ad hominem tantùm, puta ad Varronem Magiſtrum ſuum, qui ajebat unam Formam fore infinitam, alteram non: non autem adſtruit Scotus ſuam mentem *loc. cit.* reſolutivam circa impoſſibilitatem unius Formæ quoad informandas plures materias. *Ad ſecundum textum* dico, eum nullatenus facere contra Concluſionem; quia ibi loquitur de potentia ordinaria; quod ſufficiebat ad aſſequendum meum intentum contra Ægidium de Roma; Concluſio autem loquitur de potentia extraordinaria DEI.

QUÆSTIO V.

Num plures Formæ ſubſtantiales poſſint ſimul informare eandem materiam?

NOta primò: ſecundùm Scotum *4. diſt. 11. q. 3.* ex Formis ſubſtantialibus aliæ ſunt ſubordinatæ; & aliæ diſparatæ. *Subordinatæ* ſút, quæ in afficiendo materiam ſe invicem ſupponunt; tales ſunt anima rationalis, & Forma corporeitatis; anima enim rationalis non priùs informat corpus humanum, quàm ſit prævìè informatum Formà corporeitatis. *Diſparatæ* ſunt, quæ nullum ordinem ſervant in informando; tales ſunt animæ bovis, & aſini; & de his agitatur præſens quæſtio: de ſubordinatis enim conceditur communiter, quod plures eandem materiam informent; ſic enim anima rationalis, & forma corporeitatis idem corpus humanum informant: de quo plura infrà *in lib. de generat. & corrupt.* ſeu *de ortu, & interitu.* 1. *Quid Forma ſubordinata & diſparata.*

Nota ſecundò: dependentiam importare coëxigentiam unius ab alio vel in fieri tantùm, vel in fieri, eſſe, & conſervari: primô modô dependet compoſitum à privatione tanquam à principio in fieri tantùm; ſecundô modô idem compoſitum dependet à materia, & Forma, veluti à principijs eſſendi, & conſervandi. Hæc dependentia eſt duplex eſſentialis, & accidentalis. *Dependentia eſſentialis* importat neceſſitatem in eo, quod ſic dependet; quia nequit eſſe, aut conſervari abſque eo, à quo dependet: & hujuſmodi dependentia eſſentialis eſt multiplex; nam alia eſt *cauſati ad cauſam*, tam intrinſecam, 2. *Quid dependentia eſſentialis & accidentalis.*

ſecam, quàm extrinſecam; hac dependet compoſitum à forma, & materia tanquam a cauſis intrinſecis: ſimiliter ab agente partiali, ut ignis ab igne; vel ab agente univerſali creato ſcilicet à Sole; vel increato, ſcilicet â DEO, tanquam à cauſis extrinſecis, ſinè quibus nec eſſe, nec conſervari poteſt. Alia rurſus eſt *naturæ ad ſuppoſitum* à quo habet eſſe ſubſiſtens, id eſt incommunicabile ut Quo, & ut Quod. Alia *accidentis abſoluti ad ſubjectum abſolutum*, ut albedinis ad parietem; alia *accidentis relativi ad extrema*, ut relationis ſimilitudinis ad duo alba. *Dependentia* verò *accidentalis* non importat neceſſitatem in re dependente; cùm poſſit fieri, & conſervari ſinè illa; ſic Plato genitus à Socrate dependet ab illo accidentaliter; quia poterat gigni â Plauto. Differunt etiam iſtæ duæ dependentiæ, quod eſſentialis eſt ad unum terminum totalem, & adæquatum duntaxat; ita ut relatio dependentiæ eſſentialis in eodem fundamento non poſſit multiplicari ad plures terminos; aliàs idem poſſet eſſe â duabus cauſis totalibus, & adæquatis ejuſdem generis, & ordinis, quod involvit repugnantiam, ut probat Scotus *3. diſt. 1. q. 2.* ſiquidem idem dependeret, & non dependeret. Accidentalis autem dependentia poteſt multiplicari in eodem ad plures terminos totales, & ejuſdem rationis; quia Plato in eſſe generationis dependet accidentaliter ab avo, proavo, atavo &c.

3. *Duæ Formæ diſparatæ naturaliter nequeunt ſimul informare eandē numerò materiam.*

Nota tertiò: *abſolutam Potentiam DEI* vocari illam, quæ abſoluta eſt à Legibus iſtis præfixis univerſo; hac v. g. DEUS materiam primam abſque omni Forma conſervat.

Dico primò: duæ Formæ ſubſtantiales diſparatæ de potentia ordinaria nequeunt ſimul informare eandem numerô materiam. Ita Scotus *4. diſt. 49. q. 16.* & *diſt. 11. q. 3.* & alibi; & ſequitur communis Peripatet. contra Arriag. qui oppoſitum probabile cenſet.

Probatur: Tum quia ita paret ex illo communi axiomate recepto, *generatio unius eſt corruptio alterius.* Tum quia compertum habemus ex perennibus generationibus, & corruptionibus rerum naturalium, quòd ad introductionem unius Formæ diſparatæ in materiam, expellatur alia à materia; ſic introductâ Formâ ignis in materiam ligni, expellitur, & corrumpitur Forma præexiſtens ligni; quod non fieret, ſi duæ Formæ ſubſtantiales diſparatæ poſſent ſimul informare eandem numerò materiam: Ergo &c. Tum tandem quia univerſum â Conditore ſuo DEO ita de præſenti lege eſt diſpoſitum, ut duæ Formæ diſparatæ non ſe compatiantur in eodem ſubjecto: Ergo &c.

3. *Replica Arriagæ expeditur.*

Dices cum Arriaga: defactò ſe compatiuntur in eodem ſubjecto Forma ferri, & Forma ignis, quando candet ferrũ: Ergo &c. Prob. Ant. adeſt imprimis ferri; quia ceſſante calore ad ſenſum deprehenditur ibi: adeſt etiam Forma ignis; quia adſunt accidentia ignis, arguentia Formam ignis: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. uti & Probat. ejuſdem Ant. pro ſecunda parte; nam quamvis in ferro candenti ſit multus calor per totum ferrum, & etiam ignis quædam particulæ; intra tamen poros tantùm ferri ſubſiſtunt, ratione quarum ipſum apparet candens; ipſa Forma tamen ignis non adeſt penetrata per totum cum illo ferro; ut tenet communis opinio Peripatet. innixa illi principio *generatio unius eſt corruptio alterius*; & ſuſtinet bene Scotus *4. diſt. 47. quæſt. 7.*

5. *Supernaturaliter duæ Formæ diſparatæ poſſunt ſimul informare unam materiam.*

Dico ſecundò: de potentia tamen abſoluta, & extraordinaria DEI duæ Formæ ſubſtantiales diſparatæ poſſunt ſimul informare eandem numerô materiam. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 19. q. 2. §. ad ſecundum dico, quod poteſt concedi*; & tenent plures Scotiſtæ Villaverde, Lealis, Fraſſen, Van-Sichen, Aretinus, Poncius, Maſtrius, Sghema &c. quibus ſubſcribunt ex forenſibus Greg. Fonſec. Ruv. Lalemand. Palud. contra Thomiſtas; & ex noſtris contra Fuente, Monturſ. Columb. &c.

Probatur primò: quia & huc valet illa maxima Scoti *3. diſt. 1. q. 4. ubi non reperitur ratio manifeſtæ repugnantiæ, concedendum eſt abſolutæ Potentiæ DEI:* ſed nulla reperitur repugnantia in hoc, quòd duæ Formæ ſubſtantiales ſimul informent eandem numerô materiam; utì patebit ex dicendis infrà in ſolutione repugnantiarum, ab adverſarijs confictarum: Ergo concedendum eſt DEO, quòd de ejus potentia abſoluta plures Formæ diſparatæ poſſint informare eandem numerô materiam.

Probat. ſecundò, ſecundùm Scotum *1. diſt. q. 1. §. ad ultimum nulla Forma una poteſt per ſe ſatiare omnes appetitus materiæ ad Formas, ſed una ſatiat perfectiſſimè, ſcilicet*

cet *Forma perfectiſſima*: ex quo loco contra Scotiſtas potiſſimè ſic formo rationem: quando duæ Formæ ſubſtantiales diſparatæ non ſatiant omnes appetitus materiæ, poſſunt eſſe ſimul de potentia abſoluta DEI: quia tunc nil aliud videtur obſtare; ut patebit ſolvendo rationes Scotiſtarum: ſed duæ Formæ diſparatæ, non ſatiant omnes appetitus materiæ, niſi ſint perfectiſſimæ; quæ de facto non dantur: Ergo de abſoluta Potentia DEI poſſunt eſſe ſimul in eadem materia. Min. Prob. ex Scoto cit. *tot ſunt appetitus materiæ ad Formas, quot ſunt Formæ receptibiles in materia*: Ergo duæ Formæ diſparatæ non ſatiant omnes appetitus materiæ.

Probat. tertiò: neque ex parte materiæ adeſt repugnantia, quòd una non poſſit informari à pluribus Formis; neque ex parte ipſarum Formarum talis adeſt, quominùs plures poſſent ſimul informare eandem materiam: Ergo &c. Prob. Ant. non ex parte materiæ; quia materia plures Formas ſimul appetit, eſtque earum capax, ſi agens eſſet tantæ virtutis, ut eas ſimul inducere poſſet: neq; ex parte ipſarum Formarum adeſt repugnantia; quia cùm partiales ſint ſubſtantiæ, nõ ſibi contrariantur; etſi contrarientur quoad effectum ſecundarium, qui eſt expulſio alterius Formæ; hunc tamen poteſt DEUS omnipotenti ſuâ virtute impedire; ſicut ſimilem effectum impedit in duobus corporibus extenſis, reſpectu ejuſdem loci, quæ divinitùs poſſunt eſſe ſimul in eodem loco; uti patuit de corpore Chriſti penetrante uterum B. V. MARIÆ in Nativitate, & ſepulchrum obſigillatum in Reſurrectione: Ergo ex parte Formarum nulla adeſt repugnantia.

Probat. quartò: duo contraria in gradibus intenſis poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto de potentia abſoluta DEI, ut etiam concedit Scotus *4. diſt. 49. q. 16.* & duo corpora in eodem loco, *ut priori probat.* oſtenſum eſt, & tenet Scotus *4. diſt. 10. q. 2.* Ergo & duæ Formæ ſubſtantiales diſparatæ in eadem materia. Deinde de abſoluta DEI potentia una Forma poteſt ſimul informare plures materias adæquatas; ut *priori quæſt.* oſtenſum eſt: Ergo & una materia poteſt informari à pluribus Formis diſparatis.

6. *Repugnantia Monturſij tollitur.* Objiciunt Scotiſtæ varias repugnantias; quas putant militare contra Concluſionem: *Primò* inquit P. Monturſius, non minùs dependet eſſentialiter materia prima quoad informari à Forma, quàm natura humana quoad perſonari: ſed repugnat naturæ humanæ ſtante tali dependentiâ eſſentiali perſonari triplici perſonalitate ex Scoto *3. diſt. 1. q. 2.* Ergo etiam repugnat, unam materiam informari à pluribus Formis diſparatis. Maj. patet, quia in utriſque eſt dependentia eſſentialis. Min. prob. quia in omni dependentia eſſentiali repugnat, quòd unum dependens dependeat niſi ab uno, quod totaliter, & adæquatè terminat ejus dependentiã; aliàs ſi à pluribus dependeret, dependeret & non dependeret: quod dici nequit. Reſp. Neg. Maj. dependentia enim materiæ quoad informari ab hac Forma non eſt eſſentialis; quia materia non neceſſariò ab hac Forma dependet (cùm poſſit eſſe ſine ea, & ſucceſſivè aliam habere) quod tamen requiritur ad rationem dependentiæ eſſentialis: rurſus hæc dependentia materiæ ad Formam non eſt dependentia cauſati ad cauſam, quæ aliàs eſſentialis dependentia dicitur; quia materia non cauſatur, neque accipit eſſe à Forma. Illa verò dependentia naturæ à tribus perſonalitatibus eſſet eſſentialis; quia ab unaquaque adæquatè dependeret natura; cùm unaquæq; terminaret adæquatè dependentiam talis naturæ, reddendo eam incommunicabilem: ac proinde eſt lata diſparitas inter unam, & alteram dependentiam; & conſequenter licèt illa dependentia naturæ à tribus perſonalitatibus repugnet; non repugnat tamen dependentia unius materiæ a pluribus Formis diſparatis.

Secundò proſequitur P. Monturſ. repugnat, quòd aliqua, quæ formaliter repugnant, ſint ſimul in aliquo tertio, ut habet Scotus *4. diſt. 49. q. 16.* ſed duæ Formæ diſparatæ ſubſtantiales, & totales inter ſe formaliter repugnant: Ergo repugnat eas eſſe ſimul in aliquo tertio, puta eadem numerô materia. Reſp. Diſt. Maj. reſpiciendo potentiam ordinariam agentium Conc. Maj. reſpiciendo potentiam abſolutam DEI Neg. Maj. Itaque Scotus *loc. cit.* ſolùm vult, quòd duo repugnantia formaliter quoad effectus primarios v. g. calor & frigus in ſummo naturaliter, & de potentia ordinaria non poſſint eſſe ſimul in tertio: bene tamen pugnantia formaliter quoad effectus tantùm ſecundarios ſupernaturaliter, & de potentia abſoluta DEI poſſunt eſſe ſimul. 7. *Alia ejuſdem Authoris exinanitur.*

Tertiò opponit P. Columb. repugnat, quod

8. *Colũbi quoque repugnantia evacuatur.*

quòd aliquid ultimatè ſubſiſtens per unã Formam ſubſtantialem, & unam materiam, compatiatur in eadem numerô materia aliam Formam: ſed compoſitum ex una Forma ſubſtantiali & una materia eſt ultimatè ſubſiſtens: Ergo in eadem materia nequit exiſtere, niſi illa unica Forma. Reſpondeo Neg. Min. ſi per ly *ſubſiſtens ultimatè* intelligat iſte Scotiſta, quòd ejus materia reddatur ita incommunicabilis, ut ei nulla alia Forma poſſit ådvenire, etiam ſupernaturaliter; ſicut enim eidem materiæ ſucceſſivè advenire poteſt alia Forma, nõ obſtante ejus ſubſiſtentia partiali; ita eidem ſimul advenire poſſunt plures Formæ non obſtante ſubſiſtentiâ totius. Deinde ex acceſſu alterius Formæ in eadem materia exſurgeret novum compoſitum, & novum ſubſiſtens: quare talis Forma nova nil præjudicat priori; atque ita in ejus materia çompatibilis erit.

9. *Alia ratio Scotiſtica eluditur.*

Quartò arguit idem Scotiſta: ſi eadem numero materia poſſet informari â pluribus Formis diſparatis, poſſet ab infinitis informari, ſi darentur: hoc autem eſt impoſſibile: Ergo &c. Prob. Maj. illâ formula Scoti, quâ arguit *3. diſt. 1. q. 2.* contra Varronem ſic, ſi natura humana poſſet ſuppoſitari pluribus ſuppoſitis: Ergo & infinitis; cùm non videatur determinatio ad certum numerum: ſimiliter ſi una materia poteſt actuari â pluribus Formis diſparatis: Ergo & infinitis. Reſpondeo primò Neg. Ant. nam materia ob ſui finitam capacitatem receptivam limitaretur ad certum numerum Formarum ſimul habendarum; ſicut limitatur intellectus ad certum tantùm numerum objectorum ſimul cognoſcendorũ; & corpus ad certum numerum corporum locandorum. Ad illam formulam Scoti dico, ab ea non debitè ſumi paritatem ad infinitas Formas actuantes eandem numerô materiã; quia tali infinitati obſtat limitata potentia paſſiva receptiva materiæ reſpectu Formarum ſubſtantialium.

10. *Rurſus alia objecta diſſolvuntur.*

Objiciunt rurſus alij: idem numerô nequit eſſe de eſſentia plurium ſpecierum diſtinctarum: ſed ex Concluſione ſequeretur eandem numerô materiam eſſe de eſſentia plurium diſtinctarum ſpecierum, quæ reſultarent ob pluralitatem Formãrum ſubſtantialium diſtinctarum: Ergo &c. *Secundò*: ſi plures Formæ informarent eandem numerô materiam eſſet ibi unum compoſitum, & plura compoſita ſimul; quod implicat: eſſet unum, quia una materia: eſſent plura; quia plures Formæ: Ergo &c. *Tertiò*: ſi plures animæ rationales informarent idem corpus, conſtituerent duos homines: ſed hoc eſt inconveniens: Ergo &c. Prob. Min. quia nequit oſtendi quales operationes hi duo poſſent exercere; & quiſnam eorum haberet prædominium in operando: Ergo &c. *Quartò*: Scotus adverſatur Concluſioni, *4. diſt. 10. q. 2.* ubi dicit, plures Formas non poſſe eſſe in eadem materia: Ergo &c. *Quintò*: Ex Concluſione ſequeretur præter animam rationalem, etiam animam bruti poſſe informare corpus humanum; & ſic homo eſſet brutum: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Maj. nam ſicut eadem materia naturaliter poteſt ſucceſſivè eſſe de eſſentia plurium corporum diſtinctorum: ita ſupernaturaliter poterit eſſe ſimul de eſſentia plurium ſpecierum diſtinctarum. Deinde anima rationalis defactò eſt de eſſentia plurium diſtinctarum partium viventis, puta capitis, pedum, manuum &c. quas ſimul informat: Ergo & eadem materia poteſt ſupernaturaliter eſſe de eſſentia plurium diſtinctarum ſpecierum. *Ad ſecundum* dico, in tali caſu fore plures tertias entitates, numerô, vel ſpecie diſtinctas, & vera compoſita ſubſtantialia; quia principalis pars conſtitutiva & determinativa eſſet numerô, vel ſpecie multiplicata; utì & ſuppoſitum ejus. *Ad Tertium* Concedo Majorem, & Nego Minorem ad ejus Probat. dico, etiam in tali caſu ſecuturas operationes tales, quales ille homo, qui haberet majorem virtutem, vellet elicere: ſi autem nullus eorum haberet prædominium, ſed eſſent æqualis virtutis; contradicente uno, alter nullas poſſet ponere operationes; ſed ambo eſſent abſque talibus contrarijs operationibus. Forſitan in tali caſu DEUS, qui ſupernaturaliter has duas animas ſimul infunderet uni corpori, determinaret modum, qualitatem, & menſuram operationum, quæ poſſent, & non poſſent elici ab eis. *Ad Quartum* dico, Scotum *locò citatô* nil reſolvere velut de ſua mente; nam ſolùm proponit difficultates contra Concluſionem ſuam; & ad illas reſpondet; propoſitiones autem, quas inter reſpondendum affert Doctor, non propterea ſunt ejus mens;

mens; ſed valent duntaxat ad hominem. *Ad Quintum* Neg. Ant. nam Concluſio non intendit, quod quæcunque Formæ diſparatæ ſimul poſſint informare eandē materiam; ſed illæ duntaxat, quæ aliàs ſibi in eadem materia poſſent naturaliter ſuccedere: nunc autem anima bruti nequit naturaliter ſuccedere animæ rationali in corpore humano; quia nequeunt in eo poni diſpoſitiones naturales ad eam recipiendam. Et forſitan etiam anima bruti de potentia abſoluta DEI poſſet informare corpus humanum; ſi DEUS poſſet prævias diſpoſitiones naturales in eo priùs inducere.

QUÆSTIO VI.

An, & quo pacto Formæ conſerventur abſq; omni materia?

Dico primò: nulla Forma ſubſtantialis materialis poteſt ſeparata conſervari naturaliter ſinè omni materia; bene tamen ſpiritualis: Ita communis Peripateticorum.

1. *Nulla Forma materialis poteſt ſinè materia naturaliter conſervari.*

Probat. prima pars: tum quia juxta præſentes leges Authoris naturæ, & curſum naturæ præſentem, quævis Formæ materiales ſemper cohærent cum materia aliqua; utì materia cum aliqua Forma; ut ſuprà *diſt. 3. q. 9.* oſtendi: Ergo &c. Tum quia ideo materia prima dicitur ſubjectum primum omnium Formarum ſubſtantialium materialium, quia nimirum ipſa nata eſt ad earum productionem cōcurrere, & materialiter omnes recipere cum quadam dependentia eſſentiali earundem ab ipſa in fieri, & conſervari: Ergo nulla Forma ſubſtantialis materialis poteſt ſeparata ab omni materia conſervari naturaliter.

2. *Bene tamen ſpiritualis.*

Probat. ſecunda pars: anima rationalis, quæ quædam Forma ſpiritualis, & immaterialis eſt, de factò naturaliter abſque omni materia conſervatur poſt mortem hominis: Ergo &c.

3. *Et quævis mater. & ſpirit. ſupernaturaliter.*

Dico ſecundò: poteſt tamen de abſoluta DEI potentia quævis Forma ſubſtantialis materialis conſervari abſque omni materia. Ita Scotus *1. diſt. 44. q. unic.* & communis Scotiſtarum, quos imitantur Bannes, & Soto Thomiſtæ; contra communem Thomiſt.

Probat. tum quia Formæ accidentales materiales de potentia abſoluta DEI poſſunt conſervari abſque omni ſubjectò; uti patet in accidentibus Euchariſticis: Ergo à fortiori quævis Forma ſubſtantialis materialis poteſt de potentia abſoluta DEI conſervari abſque omni materia; cùm Forma ſubſtantialis habeat nobiliorem exiſtentiam, quàm Formæ accidentales. Tum quia licèt Forma dependeat à materia in genere cauſæ materialis; hæc tamen non eſt cauſalitas materialis intrinſeca; hanc enim materia ſolùm exercet reſpectu compoſiti; ſed eſt cauſalitas quædam extrinſeca; & conſequenter à DEO ſupplebilis, ſi non in eodem genere cauſæ materialis; ſaltèm in eminentiori, ſcilicet in genere cauſæ efficientis; utì de factò ſupplet in Euchariſtia. Ergo de potentia abſoluta DEI Forma ſubſtantialis materialis poteſt exiſtere, & conſervari abſque omni materia.

4. *Quædam objecta expediuntur.*

Obijcies *primò*: Forma ſubſtantialis materialis ſeparata exiſtens abſque omni materia avaderet ſpiritualis: ſed hoc dici nequit: Ergo &c. *Secundò*: Forma ſic cōſervata eſſet actus; & non eſſet actus: ſed hæc ſunt contradictoria: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* cum Scoto Neg. Ant. quia ſicu quantitas manet ejuſdem rationis, & ordinis quando eſt in ſubjectò; & quando eſt ſeparata â ſubjectò; ſic & Forma ſubſtantialis materialis maneret materialis, etſi ſepararetur â materia, & conſervaretur abſque omni materia. *Ad ſecundum* Neg. Ant. Forma enim exiſtens abſque omni materia ſemper maneret actus; non quidem formaliter; ſed fundamentaliter, quatenus remanet apta informare materiam.

5. *Forma material. ſeparata conſervaretur abſque novo modo poſitivo perſeitatis.*

Dico tertiò: Forma ſubſtantialis materialis ſeparata ab omni materia conſervaretur abſque novo poſitivo perſeitatis modo, novoque ſpecialiori influxu conſervativo DEI diverſæ rationis. Prima pars eſt Scoti *2. diſt. 12. q. 2.* & ſequitur Maſtrius, Bellutus, Fuente, alijque Scotiſtæ; eandem quoque tenere debent illi, qui materiæ ſpoliatæ omni Formâ denegant novum perſeitatis modum, ſpecialemque influxum DEI, ut Baſſolius, Columbus, Tartar. &c. eſt contra Ruvium, Svar. & Conymb. Secunda pars eſt Scoti *4. diſt. 12. q. 2.* & contra P. Poncium, ac Fraſſen; utì & contra Averſ. Hurtad. &c.

Probat. prima pars *primò*: Forma ſubſtantialis materialis poteſt ſeparari à materia,

teria à DEO per ſolam ſubtractionem influxûs, quô priùs à DEO materia conſervabatur, & per continuationem ejus, quô conſervabatur Forma: ſed ſi ita fiat, nulla intervenit actio poſitiva, cujus terminus per ſe dicatur novus ille modus poſitivus perſeitatis: Ergo Forma ſubſtantialis materialis ſeparata ab omni materia conſervaretur abſq; novo poſitivo perſeitatis modo; cùm talis fruſtra multiplicaretur. *Secundò* modus eſſendi per ſe, quô dicuntur accidentia Euchariſtica per ſe exiſtere, nô importat aliquã perſeitatem poſitivam novam; ſed dicit ſolam negationem actûs eſſendi in alio, ut in ſubjecto, cum aptitudine ad talem actum, ut docet Scotus *2. diſt. 12. q. 2.* Ergo ſimiliter modus exiſtendi Formæ ſubſtantialis materialis ut ſeparatæ divinitùs ab omni materia, non importat aliquam novam perſeitatem poſitivam.

6. *Similiter abſque novo influxu Dei.* Probat. ſecunda pars. Tum quia invariatô principiô, & terminô non variatur actio; cùm ab his unitatem, & diverſitatem accipiat: ſed quando Forma ſubſtantialis materialis ſeparata conſervatur ab omni materia, non variatur principiũ; quia manet eadem voluntas Divina ad opus applicata; nec variatur terminus, qui eſt ipſa entitas Formæ: Ergo neque variatur actio, ſeu influxus DEI; & conſequenter Forma ab omni materia ſeparata conſervatur abſque novo ſpecialiori influxu conſervativo DEI diverſæ rationis. Tum quia conſervatio activa, quando proficiſcitur ab eodem agente, à quo fit effectûs productio, non eſt diverſa actio à productione ſecundùm rem: Ergo nec conſervatio activa DEI circa Formã materialem ſeparatam ab omni materia erit diverſa ab ea, quâ eam produxit in materia unà cum agente naturali; & conſequenter in caſu conſervationis Formæ ſine omni materia non eſt neceſſarius alius aliquis ſpecialior & uberior influxus DEI conſervativus; quia eſſet diverſæ rationis à priori conſervativo in materia.

7. *Quædam objectiones afferuntur.* Objicies contra primam partem *primò*: Forma non habet propriam ſubſiſtentiam: Ergo abſtracta divinitùs ab omni materia conſervatur ſub novo modo poſitivo perſeitatis. *Secundò*: dum Forma manet in ſubjecto, non ſufficit ſola actio DEI conſervativa in ſubjecto, ſed requiritur peculiaris modus poſitivus inexiſtentiæ: Ergo ſimiliter dum extra ſubjectum conſervatur, non ſufficit eadem actio DEI conſervativa; & conſequenter oportet ei tunc concedere novum modum poſitivum per ſe eſſendi.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ſicut enim materia prima habet ſuam propriam, & peculiarem ſubſiſtentiam, ut ſu- 8. *Et reſolvuntur.*
prà *diſt. 3. quæſt. 4. Concl. 1.* viſum eſt; ita pariter Forma ſubſtantialis materialis habet ſuam propriam ſubſiſtentiam. *Ad Secundum* Neg. Conſeq. diſparitas eſt, quando Forma eſt in ſubjecto, præter actionem DEI conſervativam Formæ, intervenit modus poſitivus inhærentiæ, quô Forma materialis omnino indiget; quia nequit poni Forma in ſubjecto, niſi ponatur etiam iſte reſpectus unionis, ſeu inhæſionis; at quando Forma ſeparatur ab omni ſubjecto, nullô modô poſitivô indiget; ſed ſufficit actio prior DEI conſervativa.

Objicit contra ſecundam partem P. Poncius: influxus ſeu concurſus DEI cõſervativus exercitus circa Formam in 9. *Rurſus alia inſtantia expeditur.*
ſubjecto, non eſt ſufficiens ad eam conſervandam extra ſubjectum: Ergo Forma ſeparata à materia ſeu ſubjecto eget novô ſpecialiori, & majori influxu ſeu concurſu conſervativo DEI. Prob. Ant. ſi eſſet ſufficiens, ſequeretur, quòd Forma non dependeret à materia quoad eſſe, & conſervari; & conſequenter quòd non eſſet educta; quod eſt contra ſuppoſitum concluſionis: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. cum Ant. Probat. & dico, dependentiam Formæ à materia ſalvari per hoc, quòd in fieri de ejus ſinu fuerit educta cũ concurſu materiali materiæ; etſi deinde à DEO ab ea ſeparata fuiſſet.

Objicit contra eandem P. Fraſſen: in- 10. *P. Fraſſen ſatisfit.*
fluxus conſervativus DEI circa Formam ſeparatam ab omni materia eſſet totalis; & ille, quô eam conſervabat in materia, erat partialis; quia Forma tunc etiam ab influxu conſervativo partiali materiæ pendebat: Ergo prior eſſet major, & ſpecialior. Reſpondeo Neg. Conſeq. quia uterque influxus conſervativus DEI quoad rem eſt idem prorſus, ac ejuſdem rationis influxus; & penes modum duntaxat diverſificatus; quatenus nimirum prior admitteret conſortium materiæ ad conſervandam Formam; ſecundus verò ſe ſolô conſervationem Formæ præſtaret; quod ſolam modalitatem, non autem ſpeciem aliam inducit in influxu Divino. Hac viâ ſolvitur quoque ſecunda ratio Poncij, quâ vult probare aliam eſſe volitionem DEI, quâ vult conſervare Formam cum dependentia à ſubjecto; & aliã,

quâ

qua eam vult conſervare ſinè ſubjecto: ſolvitur inquâ dicendo; quòd non ſit alia ſecundùm rem, & entitatem; ſed tantùm ſecundùm modum; & cõſequenter quòd actio DEI, quâ Forma ſubſtantialis materialis conſervaretur abſque omni materia non argueret ſpecialem, & diverſæ rationis influxum. Circa Formas accidentalès.

11. *Formæ accidentales nequeunt naturaliter conſervari ſine ſubjecto.*

Dico quartò: Formæ accidentales abſolutæ naturaliter nequeunt conſervari abſque omni ſubjecto; bene tamen ſupernaturaliter, niſi ſint reſpectivæ. Ita Scotus *4. diſt. 12. q. 1.* & communis DD. contra veteres Philoſophos quoad ſecundam partem.

Probat. prima pars: Formæ ſubſtantiales materiales nequeunt naturaliter eſſe ſinè omni materia aliqua, à qua educuntur: Ergo neque Formæ accidentales. Deinde accidentis eſſe eſt ineſſe alicui, ſecundùm Philoſophum: Ergo accidentia petunt naturaliter eſſe in aliquo ſubjecto.

12. *Bene tamen ſupernaturaliter.*

Probat. ſecunda pars: accidentia Euchariſtica v. g. albedo, ſapor, & quantitas, quæ ſunt quædam Formæ accidentales abſolutæ, ſunt ſinè omni ſubjecto in Sacramento Altaris: Ergo Formæ accidentales abſolutæ poſſunt ſupernaturaliter conſervari abſque omni ſubjecto. Deinde Formæ ſubſtantiales materiales poſſunt ſupernaturaliter conſervari ſinè omni materia: Ergo etiam Formæ accidentales abſolutæ ſinè omni ſubjecto.

13. *Niſi relativæ ſint.*

Probat. tertia pars: reſpectus ſeu relatio eſt eſſentialiter habitudo inter duo extrema, inter quæ unum eſt ſubjectum talis reſpectûs: Ergo Formæ accidentales reſpectivæ nequeunt etiam ſupernaturaliter conſervari abſque omni ſubjecto. Conſequentia tenet; quia nec etiam ſupernaturaliter res poteſt eſſe ſinè ſua eſſentia.

14. *Rationes in oppoſitum reſolvuntur.*

Objicies contra ſecundam partem, *primò*: accidentis eſſe eſt ineſſe ex Philoſopho: Ergo inhærentia actualis in ſubjecto aliquo Formarum accidentalium abſolutarum eſt de earum eſſentia; ac proinde nec ſupernaturaliter ſinè ea eſſe poſſunt. *Secundò*: hæc Forma accidentalis abſoluta albedo nequit ſupernaturaliter eſſe ſinè quantitate ut ſuo ſubjecto; aliàs non eſſet ſenſibilis ampliùs: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Ant. accidentis eſſe eſt ineſſe actuale Neg. Ant. aptitudinale, Conc. Ant. Itaque non actualis inhærentia; ſed aptitudinalis accidentis abſoluti, & cujuſcunque alterius explicat cõmuniter eſſentiam accidentis; etſi nec ipſa ſit ratio formalis conſtitutiva accidentis; ſed tantùm explicativa, cùm eſſentiam accidentis ſoleamus circumſcribere per aptitudinem ad inhærendum. *Ad Secundum* Neg. Ant. & ad ejus Rationem dicit Scotus *4. diſt. 12. q. 2.* quòd albedo ſeparata à quantitate eſſet adhuc ſenſibilis; non quidem proximè, hoc enim à quantitate provenit; ſed eſſet ſenſibilis remotè, id eſt, apta movere ſenſum.

Dico quintò: Formæ accidentales ſupernaturaliter ſeparatæ ab omni ſubjecto, non egent novô aliquô modô poſitivô perſeitatis ad ſui conſervationem. Ita Scotus *4. diſt. 12. q. 1. & 6.* & Aretin. Iribar. Maſtrius, Poncius, alijque Scotiſtæ; contra Thomiſtas. 15. *Formæ accidentales ſeparatæ non egent novo modo perſeitatis.*

Probat. Tum quia implicat aliquis talis modus novus poſitivus perſeitatis in Formis accidentalibus: Ergo &c. Prob. Ant. talis modus neque poteſt eſſe ſubſtantialis; quia accidens quà tale non eſt capax modi ſubſtantialis: neque poteſt eſſe accidentalis; quia cùm talis modus ſit accidens, non minùs eſſet dependens, quàm illa Forma accidentalis, cujus eſſet modus; & ſic non poterit ipſum facere per ſe eſſe, vel per ſe exiſtere. Tum quia ſuperflueret talis modus poſitivus per ſe; cùm actio DEI conſervativa ſufficienter faciat exiſtere Formas accidentales ſeparatas ab omni ſubjecto: Ergo &c.

Dico ſextò: neque tandem Formæ accidentales ſeparatæ egent novo diverſo ſpecialiori, ac majori concurſu, vel influxu DEI ad ſui conſervationem, quàm quando erant unitæ. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 12. q. 2.* & ſequitur Vulpes, Maſtrius, & alij Scotiſtæ. 16. *Neque ſpeciali novo influxu Dei.*

Probat. Tum à paritate Formarũ ſubſtantialium, quæ ſeparatæ à materia non egent novô diverſô, & ſpecialiori concurſu ſeu influxu DEI ad ſui conſervationem, ut ſuprà *Concl. 3.* oſtenſum eſt: Ergo neq; Formæ accidentales ſimili egent. Deinde ex nullo capite videtur neceſſarius talis novus ſpecialior, & major concurſus, ſeu influxus DEI circa Formas accidentales ſeparatas conſervandas. Et rationes Thomiſtarum quas pro tali neceſſitate afferunt, probant tantùm concurſum DEI quoad modum eſſe novum neceſſariò; non verò quoad entitatem.

H 3 DISTIN-

DISTINCTIO VI.
DE UNIONE MATERIÆ ET FORMÆ.

Prænotatio.

Ateria, & Forma ſubſtantialis, quarum hactenùs naturas, proprietates, aliaque perluſtravi, ſunt utique principia corporis naturalis; ſed id non principiant, niſi inquantum phyſicò vinculò unita inter ſe: quare ulteriùs inveſtigandum erit, an reverà detur inter ea ejuſmodi vinculum uniens, quod unio phyſica dicitur; quid, ac quotuplex ſit illud: Unde ſit

QUÆSTIO I.
De deſcriptione, & exiſtentia Unionis, ejuſque diſtinctione ab extremis.

1. *Varia acceptiones Unionis.* Ota primò: *Unionem* plures pati acceptiones: *Primò* enim ſumitur latiſſime pro quarumcunq; rerum conjunctione; hoc ſenſu juſtus dicitur uniri DEO per charitatem; & intellectus Beati uniri Eſſentiæ DEI per viſionem beatam; imò & pro aggregatione plurium capitur; ſic multi lapides dicuntur uniri, id eſt aggregari in uno muro domûs conſtructæ. *Secundò* capitur pro concordia multorum in arbitrijs, hoc ſenſu dicimus, amicos habere unionem animorum inter ſe. *Tertiò* accipitur pro nexu graduum metaphyſicorum; hoc ſenſu animal, & rationale uniuntur metaphyſicè: *Quartò* uſurpatur ſtrictè pro vinculo, ſeu nexu duorum extremorum phyſicorum; quod poteſt duplex attendi, unum indiviſibilitatis, quô extrema, ſeu partes phyſicæ uniuntur in continuo; & hoc eſt aliquod indiviſibile continuativum: alterum quô nectuntur duo extrema habentia rationem actûs, & potentiæ, in ordine ad cauſandum tertium; qualiter ſe habent materia, & forma: & de Unione in hoc ſenſu procedit hæc diſtinctio.

2. *Deſcriptio Unionis.* Dico primò: bene deſcribitur Unio phyſica, quòd *ſit nexus phyſicus materiæ, & formæ ſubſtantialis in ordine ad conſtituendum compoſitum phyſicum.* Eſt in re communis. Et

Probat. hac deſcriptione aptè explanatur Unio phyſica: Ergo &c. Ly *nexus* eſt genus; reliqua coaptantur pro differentia: dicitur *nexus phyſicus materiæ, & formæ ſubſtantialis*, ut Unio phyſica diſtinguatur ab Unione metaphyſicâ; quæ nec phyſicè nectit, nec materiam & formam ſubſtantialem nectit; ſed aliquas formalitates metaphyſicas duntaxat; & ut inſinuentur extrema, quæ Unio phyſica connectit; cujuſmodi ſunt materia prima, & forma ſubſtantialis: apponitur *in ordine ad conſtituendum compoſitum phyſicum*, ut indigitetur Unionis phyſicæ effectus, & finis.

Dico ſecundò: extat Unio phyſica in rerum natura. Ita communis Philoſophorum. 3. *Dantur Uniones.*

Probat. Tum quia Unionis exiſtentiam teſtantur omnes compoſitorū phyſicorum ſeries, quæ ex materia, & forma ſubſtantiali, ut unitis Unione phyſicá reſultant: Ergo &c. Tum quia hoc idem arguunt complures operationes mixtæ corporum naturalium, quæ elici nequeunt ab eis abſque prævia Unione materiæ & formæ. Tum quia hanc docet myſterium Incarnationis Verbi, in quo interceſſit vera Unio phyſica corporis, & animæ Chriſti, quas partes unitas phyſicè aſſumpſit Verbum Divinum: cùm Unio ſit conditio humanitatis completæ: Ergo &c.

Dico tertiò: Unio phyſica eſt aliquid ſuperadditum materiæ, & formæ ſubſtantiali conſtituentibus compoſitum phyſicum, & ab eis realiter diſtinctum. Ita Scotus *3. diſt. 12. q. 1.* & *2. diſt. 1. q. 5.* & communis Scotiſtarum, ac plurium Thomiſt.

& RR.

4. *Quæ ſunt quid ſuperadditum materia & forma.*

& RR. contra P. Ocham, ejuſque ſequaces Nominales, & multos Thomiſtas docentes materiam, & formam ſeipſis uniri abſque ullo ſuperaddito diſtincto.

Probatur prima pars *primò*: Unio hypoſtatica, quâ unitur Verbum Divinum humanitati Chriſti, eſt aliquid ſuperadditum entitatibus Verbi; & naturæ aſſumptæ conſtituentibus Chriſtum: Ergo etiam Unio phyſica eſt aliquod ſuperadditum entitatibus materiæ, & formæ ſubſtantiali conſtituentibus compoſitum phyſicum. Conſequentia tenet à pari. Antecedens probatur à Scoto *cit. loc.* ſi Unio hypoſtatica nihil ſuperadderet entitatibus Verbi, & naturæ aſſumptæ, ſemper natura humana foret unita verbo, etiamſi eam deponeret; quia factâ tali depoſitione, adhuc ſalvaretur tota realitas extremorum. Nec poteſt dici, quòd ultra entitates requiratur indiſtantia ambarum entitatum, quæ in caſu depoſitionis non adeſſet. *Contra* enim eſt, quòd Verbum ratione ſuæ immenſitatis â quocunq; ſemper indiſtans ſit; & conſequenter etiã ab humanitate depoſita.

Probat. ſecundò: quando res creatæ aliter ſe habent, & mutantur mutatione reali & phyſicâ, & tranſeunt de contradictorio in contradictorium, aliquid de novo ipſis ſupperadditur; ut habet Scotus *2. diſt. 1. q. 4.* ſed materia & forma mutantur mutatione reali & phyſicâ, quando uniuntur, & conſtituunt compoſitum phyſicum; fit enim matetia de non informata, actu informata; & forma de non informante actu informans: Ergo materiæ, & formæ unitis aliquid de novo ſuperadditur. Subſumo; ſed non aliud, quàm Unio phyſica, quæ eſt illa ratio uniens, & connectens materiam, & formam: Ergo Unio phyſica eſt aliquid ſuperadditum materiæ, & formæ conſtituentibus compoſitum phyſicum.

5. *Et realiter diſtincta ab eis.*

Probat. ſecunda pars: ubi adeſt ſeparabilitas aliquorum, adeſt quoque diſtinctio realis eorundem: ſed inter extrema Unionis, quæ ſunt materia, & forma, & ipſam Unionem phyſicam adeſt ſeparabilitas, ſaltèm divinitùs; quia materia & forma divinitùs ſaltèm poſſunt disjuncta, & ſeparata exiſtere; ut alibi dictum eſt; & patet ulteriùs ex obitu Chriſti, ubi corpus Chriſti exiſtebat in triduo illo ſinè anima unita: Ergo adeſt diſtinctio realis inter talia extrema, & Unionem phyſicam. Deinde Unio phyſica eſt formaliter relatio prædicamentalis: ſed hæc diſtinguitur realiter ab extremis: Ergo Unio diſtinguitur realiter à materia, & forma.

6. *Thomiſtarũ argumenta adverſa.*

Objiciunt Thomiſtæ contra primam partem *primò*: nulla eſt neceſſitas multiplicandi illud ſuperadditum Unionis phyſicæ: Ergo &c. Prob. Ant. materia ex ſe eſt ſuſceptiva formæ; & forma ex ſe eſt informativa materiæ: Ergo nulla eſt neceſſitas multiplicandi illud ſuperadditum Unionis phyſicæ. *Secundo*: ſi daretur inter materiam, & formam aliqua Unio ſuperaddita, ipſa quoque deberet uniri per aliam Unionem; & hæc iterum per aliam & ſic in infinitum: Ergo &c. *Tertiò*: Verbum Divinum unitur ſeipſo immediatè humanitati abſque ulla Unione ſuperaddita; quia eſt incapax recipiendi talem Unionem; quia aliàs ab ea mutaretur intrinſecè: Ergo ſimiliter materia, & forma poſſunt uniri ſeipſis abſque ſuperaddito aliquo.

7. *Refelluntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & Diſt. Ant. Probat. ejuſdem, materia ex ſe, id eſt, ſinè ullo medio abſoluto eſt ſuſceptivà formæ, & forma informativa materiæ Conc. Ant. ſinè ullo medio relativo Neg. Ant. Itaque nulla quidem eſt neceſſitas multiplicandi aliquod abſolutum v. g. quantitatem, vel qualitatem ut præviam diſpoſitionem, utì volunt Averroiſtæ & Nominales; quo mediante materia, & forma unirentur; cùm materia ex ſe ſit ſuſceptiva formæ, & forma informativa materiæ: eſt tamen neceſſitas multiplicandi aliquod relativum, puta Unionem, quæ eſt relatio quædam, ad hoc ut denominentur unitæ formaliter; quia nõ poſſunt materia, & forma intelligi unitæ formaliter abſque forma Unionis formaliter uniente, & denominante; ſicut duo parietes nequeunt intelligi ſimiles abſq; forma ſimilitudinis. *Ad Secundum* Neg. Ant. ſicut enim quantitas non redditur quanta per aliam quantitatem; quia ipſa eſt ratio formalis reddendi quantum; & ſicut relatio unius ad aliud non refertur per aliam relationem: quia ipſa eſt habitudo, & ratio formalis referendi, ita dicendum de Unione phyſica, quòd ipſa non debeat uniri per aliam; quia ipſa eſt ratio uniendi extrema: Itaque quando venitur ad rationem formalem *Quo*, ibi ſiſtitur, & non datur progreſſus in infinitum. *Ad Tertium* Diſt. Ant. Verbum Divinum unitur humanitati ſinè ulla Unione

ne ſuperaddita intrinſecè ſubjectata Cóc. Ant. ſinè ulla Unione extrinſeca ad ipſum terminata Neg. Ant. Itaque quamvis in Verbo Divino non reperiatur aliqua Unio ſubjectivè inhærens de novo, ob ejus incapacitatem; terminatur tamen ad ipsũ Unio naturæ aſſumptæ; ac proinde ad hoc ut dicatur Verbum verè, & formaliter unitum, requiritur media aliqua Unio: idem proinde etiam erit dicendum de materia, & forma unitis, ut dicantur formaliter unita.

QUÆSTIO II.

In quo formaliter conſiſtat Unio phyſica materiæ, & formæ ſubſtantialis?

1. *Unio phyſica non eſt aliqua indiſtãtia formaliter.*

Dico primò: Unio phyſica non eſt formaliter ipſa indiſtantia materiæ, & formæ. Colligitur ex Scoto *1. diſt. 30. q. 2. & 2. diſt. 12. q. 1.* & alibi; quem ſequntur præter ſuos, Murcia, Averſa, Vaſq. & alij RR. contra Nominales Greg. Aureol. Baccon. Ocham &c. docentes Unionem nil aliud eſſe, quàm indiſtantiam, ſive intimam præſentiam materiæ cum Forma.

Probatur *primò*: poſſunt aliqua alia duo eſſe indiſtantia, & intimè præſentia abſque ulla Unione phyſica: Ergo ſimiliter materia, & forma; & conſequenter eorum Unio non eſt formaliter quædam indiſtantia. Prob. Ant. poteſt DEUS de potentia ſua abſoluta ponere duos homines in eodem loco penetratos abſque ulla Unione; vel eidem corpori ſimul ſiſtere duas animas intimè præſentes; ſicut anima B. V. MARIÆ fuit intimè præſens animæ Chriſti in utero ſuo exiſtentis, abſque ulla Unione phyſica: Ergo poſſunt aliqua duo eſſe indiſtantia, & intimè præſentia abſque ulla Unione phyſica. *Secundò* contra hanc Nominalium doctrinam faciunt rationes ſuprà pro prima parte *3. Concluſ.* adductæ.

2. *Nominaliũ oppoſitiones.*

Objiciunt Nominales *primò*: Ariſtoteles *8. Met. tex. 15.* dicit, materiam, & formam immediatè uniri; quia ſunt per ſe actus, & potentia; & ex eis fieri per ſe unum: Ergo ad earum Unionem concurrit ſola indiſtantia. *Secundò* ſi præter indiſtantiam requireretur aliquid aliud medians inter materiam, & formam, ſequeretur quòd non eſſent immediatè unita; neque quòd conſtituerent ens per ſe; ſed hoc dici nequit: Ergo &c. *Tertiò* non poteſt aſſignari, quâ ratione illud ſuperadditum ſit in materia; an præcedat, vel ſubſequatur formam: Ergo &c.

3. *Deſtruuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. quia Unio phyſica non impedit immediationem materiæ, & formæ; imò eſt ratio, ut ſic immediatè uniantur; cùm ſit nexus utriuſque. Poſſet etiam gloſſari Ariſtoteles, quòd ſolùm velit, materiam, & formam uniri abſque aliquo medio abſoluto, quale eſſet quantitas, vel qualitas diſponens, in ſententia Averroiſtarum; non autem abſque omni relativo; ut dixi ſuprà. *Ad Secundum* Neg. ſequel. Major. quia Unio medians inter materiam & formam non ſe habet ut Quod, id eſt, ut quid unitum; ſed ſolùm ut Quo, id eſt tanquam ratio formalis uniendi, quæ non tollit immediationem uniri. *Ad Tertium* Neg. Ant. Unio enim phyſica eſt in materia, ita ut pro aliquo priori naturæ præſupponat formam; ſicut univerſaliter quævis relatio prædicamentalis præſupponit ſua extrema; ſed quia in priori ſigno materia, & forma non dicuntur unita, niſi fundamentaliter; ideo in poſteriori ſigno reſultat Unio inter illa, ratione cujus dicuntur formaliter unita.

4. *Unio nec dicit diſpoſitiones prævias formaliter.*

Dico ſecundò: neque Unio phyſica formaliter importat aliquas diſpoſitiones prævias quantitatis, vel qualitatis diſponentes materiam ad formæ ſubſtantialis receptionem. Ita Scotus *3. diſt. 12. q. 1. & diſt. 15. quæſt. un.* & ſequitur utraque ſchola ſubtilis, & Angelica, contra Averroiſtas, & quoſdam Nominales, docentes Unionem materiæ ad formam conſiſtere partim in quantitate materiam extendente, ut fiat ſubjectum idoneum recipiendi formam; partim in qualitate determinante eandem materiam aliàs indifferentem ad omnes formas, ut fiat determinata ad hanc formam recipiendam.

Probatur *primò*: habitus naturales, & ſupernaturales uniuntur phyſicè ſubjecto abſque prævia quantitate, & qualitate diſponente, & præparante: Ergo etiam forma uniri poſſet materiæ abſque prævia quantitate, & qualitate diſponente, immediatè in materia recepta; & conſequenter Unio phyſica non importat formaliter ejuſmodi diſpoſitiones quantitatis, & qualitatis. *Secundò*: potentia ſubſtantialis materiæ primæ priùs reſpicit actum

actum ſubſtantialem, qualis eſt forma ſubſtantialis unienda; quam accidentalem, qualis eſt iſta quantitas, & qualitas diſponens: quia de ſe eſt magìs proportionata ad ſubſtantialem recipiendum, quàm accidentalem; cùm ſit ejuſdem generis cum ſubſtantiali: Ergo materia priùs unitur actui ſubſtantiali, ſeu formæ ſubſtantiali, quàm habeat actum accidentalem, ſeu quantitatem, & qualitatem; ac proinde in eis non conſiſtit Unio phyſica; ſed in aliquo priori, puta in relatione quadam de qua infrà.

Probat. *Tertiò:* falſum eſt fundamentum adverſariorum, quô adſtruunt illas prævias diſpoſitiones conſtituentes rationem formalem Unionis phyſicæ; ex eo ſcilicet quòd materia ſit de ſe indifferens ad omnes formas; quare per prævias diſpoſitiones determinari debet ad hanc, quàm illam formam potiùs recipiendam: falſum eſt inquam, quia indifferentia materiæ ſufficienter determinari poteſt ab agente extrinſeco; ſic ignis applicatus determinat materiam ligni, aliàs indifferentem, ad recipiendum calorem, vel frigus, ad recipiendum potiùs calorem: Ergo &c. *Quartò:* non materta prima; ſed compoſitum eſt ſubjectum accidentium materialium, cujuſmodi ſunt quantitas, & qualitas quæcunque materialis, ut docet rectè Scotus de quantitate *4. diſt. 12. q. 4.* & de qualitatibus ibidem *q. 3.* Ergo antequam reſultet compoſitum, quod fit mediante Unione materiæ cum forma ſubſtantiali, nulla adeſt actu quantitas, vel qualitas diſponens: ac conſequenter in eis nequit conſtitui ratio Unionis phyſicæ. *Quintò:* materia denudata per agens contrarijs qualitatibus formæ corruptæ, quæ obſiſtebant introductioni formæ novæ, eſt capaciſſima recipiendi immediatè formam ſubſtantialem: Ergo non eget ulla prævia quantitate, aut qualitate diſponente, ac uniente formaliter. *Sextò:* diſpoſitiones præviæ, quas agens introduxerat in materiam pro expellenda forma veteri, ſubjectantur in ipſomet compoſito immediatè; non autem in materia immediatè: Ergo hæc deſtruuntur ſimul cum compoſito; deſtructô enim ſubjectô deſtruitur & accidens ſubjectatum; ac proinde forma nova non unitur ipſis medïantibus materiæ; & conſequenter Unio phyſica in eis formaliter ſita non eſt.

Objicies: eſt communis doctrina paſſim recepta, quòd detur materia prima remota, & proxima; id eſt præparata aliquibus diſpoſitionibus, utique quantitate, & qualitate diſponentibus: & Philoſophus dicit *2. de anima text. 24.* quòd formæ recipiantur in patiente bene diſpoſito; id eſt in materia bene diſpoſita: Ergo admittendæ ſunt aliquæ diſpoſitiones quantitatis, & qualitatis in materia reſpectu formæ; & conſequenter in eis conſiſtit Unio materiæ ad formam: Reſpondeo me quoque recipere illam uſurpationem materiæ in remotam, & proximam; id eſt præparatam; & revereor quoque Ariſtotelis dictum de patiente bene diſpoſita reſpectu formæ recipiendæ, id eſt materiæ accomodatæ pro formæ receptione: ſed nego per illam præparationem, & diſpoſitionem intelligi debere præexiſtentiam aliquorum accidentium quantitatis, aut qualitatis præparantium, & diſponentium ad formam; ſed intelligitur denudatio, & exſpoliatio materiæ ab omnibus præexiſtentibus qualitaiibus contrarijs, quas poſtulabat vetus forma: hâc enim factâ exſpoliatione per agens producens formam novam, materia redditur capaciſſima ad immediatè ſibi uniendam formam novam mediante Unione phyſicâ relativâ.

5. Quid intelligatur per materiam præparatã.

Dico tertiò: neque Unio phyſica eſt formaliter aliquis modus abſolutus ſubſtantialis. Ita Scotus *3. diſt. 1. q. 1.* & ſequuntur communiter Scotiſtæ Van-Sichen, Colum. Baſſol. Ovandus, Maſtrius, & alij; contra Vaſq. Svarez. Murc. Amic. Ruv. & alios RR.

6. Unio formaliter non eſt modus ſubſtantialis.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi, qui *2. de anima text. 2.* & *8. Met. text. 15.* enumerans entitates ſubſtantiales hujuſmodi ſubſtantialis non meminit, nec alibi ejus mentionem facit: Ergo non videtur eſſe de mente Philoſophi. *Secundò:* in ſententia adverſariorum modus ſubſtãtialis eſt inſeparabilis â re modificata; ſed Unio phyſica eſt ſeparabilis à materia, & forma unitis: Ergo non eſt aliquis modus ſubſtantialis. *Tertiò:* non videtur ex quo capite Unio phyſica deberet eſſe ſubſtantiale quid; ut patebit ſolvendo objectiones: Ergo &c. *Quartò:* intellectô in materia, & forma quôcunque abſolutô modi iſtius, adhuc non intelliguntur inter ſe unitæ; niſi concipiatur habitudo unius ad alterum: Ergo Unio non conſiſtit in aliquo modo ſubſtantiali.

Objicies *primò:* Unio debet proportionari partibus unitis, ſeu compoſito:

7. *Rationes pro modo ſubſtantiali.* Ergo cùm partes unitæ, ſeu compoſitum, ſit ſubſtantiale, debet etiam Unio partium unitarum, ſeu compoſiti eſſe aliquid ſubſtantiale. *Secundò:* Unio phyſica dicitur ſubſtantialis paſſim à Philoſophis: Ergo eſt quidam modus ſubſtantialis. *Tertiò:* Unio phyſica facit unum per ſe: Ergo non eſt aliquod accidens; ſed quid ſubſtantiale. *Quartò* Unio phyſica eſt terminus generationis ſubſtantialis: Ergo eſt quid ſubſtantiale.

8. *Eluduntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. nam ſufficienter proportionatur Unio phyſica ſuis partibus per hoc, quòd eas verè, & realiter uniat tanquam duas ſubſtantias, & ſub ratione ſubſtantiarum. *Ad Secundum* Nego Conſequent. nam Unio non ideo dicitur ſubſtantialis, quaſi eſſet formaliter ſubſtantia aliqua; ſed quia unit duas ſubſtantias ſub rationibus ſubſtantialibus, ſeu ſub ratione ſubſtantiarum; etſi entitativè ſit accidens quoddam. *Ad Tertium* Nego Ant. nam Unio non eſt ratio faciendi unum per ſe, ut habet Ariſtoteles *8. Metaph. 16.* ſed partes unitæ faciunt propriè ens unum per ſe ex eo, quòd una habeat rationem potentiæ, & altera rationem actûs: Unio autem eſt tantùm conditio, ſinè qua non fieret ens unum per ſe. *Ad Quartum* Nego Ant. ſed compoſitum eſt terminus Quod generationis ſubſtantialis, & forma eſt terminus Quo; Unio verò eſt terminus alterius actionis diſtinctæ à generatione, puta actionis unitivæ.

9. *Unio eſt formaliter relatio.* Dico quartò: Unio phyſica eſt formaliter quædam relatio prædicamentalis extrinſecùs adveniens. Ita Scotus *3. diſtinct. 1. quæſt. 1.* & *4. diſtinct. 12. quæſt. 1.* & communis Scotiſtarum; & ſequitur Lalemandetus, contra Thomiſtas, & Neutriſt.

Probatur prima pars *primò* authoritate Philoſophi; qui *2. Phyſic. text. 26.* materiam, & formam ſimul unita appellat entia relativa: ſunt autem ratione Unionis phyſicæ eadem conjungentis tantùm relativa; quia ex ſe aliàs ſunt ſubſtantiæ quædam abſolutæ: Ergo Unio eorum eſt relatio quædam. *Secundò* ratione: totum eſſe formale Unionis phyſicæ conſiſtit in habitudine, ſeu referentia ad aliud, ſeu ad aliud ſe habere; quia eſt referentia unius partis ad aliam, puta materiæ unitæ ad formam unitam. Sicut ſimilitudo eſt referentia unius parietis albi ſimilis ad alium parietem album ſimilem: Ergo Unio phyſica eſt formaliter relatio. *Tertiò:* Unio hypoſtatica eſt relatio quædam naturæ humanæ dependentis ad Verbum Divinum independens in ratione perſonalitatis: ut oſtendit Scotus *3. diſtinct. 1. quæſt. 1.* Ergo etiam Unio phyſica materiæ, & formæ eſt relatio quædam.

Objicies *primò*: actio unitiva eſt actio productiva motûs: Ergo producit aliquid. Subſumo; ſed non producit relationem; quia ad relationem non datur actio ex Philoſopho *5. Phyſic.* Ergo Unio non eſt formaliter relatio. *Secundò*: Unio naturæ humanæ ad Verbum non eſt relatio; ſed aliquis modus ſubſtantialis; Ergo &c. Prob. Ant. quia ſi eſſet relatio, eſſet quoddam accidens; & conſequenter natura humana diceretur accidentaliter Verbo unita; quod ſapit Neſtorianiſmum: Ergo &c. 10. *Impugnatur relatio Unionis.*

Reſpondeo *ad Primum* Conc. totum primum Enthymema: & Nego ſubſumptum; ad cujus Rationem dico, quod quando Philoſophus dixit ad relationem non dari motum per ſe, loquebatur de relatione intrinſecùs adveniente: non autem de relatione extrinſecùs adveniente, qualis eſt Unio phyſica. *Ad Secundum* Neg. Ant. ad ejus Probat. concedo Unionem hypoſtaticam eſſe entitativè quoddam accidens; & propterea in rigore ſermonis natura humana dici poteſt unita Verbo accidentaliter, id eſt mediante accidente relativo Unionis; nec hoc ſapit Neſtorianiſmum; quia Neſtorius longè aliter explicabat Unionem accidentalem inter naturam humanam aſſumptam, & Verbum; dicebat enim ipſam conſiſtere duntaxat in Unione accidentali morali affectûs, & gratiæ Sanctificantis, quod damnat Concilium Epheſinum *Can. 2.* ubi etiam Unionem hypoſtaticam vult appellandam *ſubſtantialem*; id eſt verè, & phyſicè conjunctivam duarum ſubſtantiarum: qui ſenſus convenit Unioni hypoſtaticæ, & Unioni phyſicæ materiæ ac formæ, etſi in ſe ſint relationes. 11. *Et defenditur.*

Probat. ſecunda pars Concluſ. quòd *hæc relatio Unionis ſit prædicamentalis*: illa cenſetur eſſe relatio prædicamentalis, quæ verè ponitur in aliquo prædicamento: ſed Unio phyſica materiæ, & formæ ponitur in prædicamento: Ergo &c. Prob. Min. ex Scoto *4. diſt. 12. q. 1. §. ad quæſt.* 12. *Unio eſt relatio extrinſecùs adveniens prædicamentalis.*

quæſt. Unio phyſica ſi conſideretur, ut eſt in materia ſubjectivè, & terminatur ad formam, pertinet ad prædicamentum Paſſionis; ſi verò conſideretur, ut eſt econtrà in forma ad materiam pertinet ad prædicamentum actionis: & Ratio eſt; quia relatio actionis ſubjectatur in agente, quatenus transmutat materiam; in materia autem ſubjectatur relatio paſſionis terminata ad agens, quatenus ab ipſo transmutatur: ſed forma transmutat materiam, & hæc patitur à forma ſuppoſitis Unionibus, ut præclarè explicat Scotus *2. diſt. 1. q. 5. §. dico tunc*. Ergo iſtæ relationes ſeu Uniones reduci debent ad prædicamentum Actionis, & Paſſionis.

Probat. tertia pars: quòd *Unio ſit relatio extrinſecùs adveniens*: ſi Unio phyſica eſſet relatio intrinſecùs adveniens, reſultaret neceſſariò ad poſitionem extremorum: ſed non reſultat neceſſariò ad poſitionem extremorum; quia poteſt eſſe in rerum natura materia, & forma; & tamen non eſſe unita phyſicè; unde talia extrema ulteriùs debent eſſe conjuncta, ut emergat relatio Unionis: Ergo non eſt relatio intrinſecùs adveniens; & conſequẽter tantùm extrinſecùs adveniens, id eſt talis, quæ non conſurgit ex natura extremorum.

QUÆSTIO III.

Num duplex Unio phyſica intercedat inter materiam & formam ſubſtantialem, & quâ ratione?

1. *Adeſt duplex Unio inter materiam, & formam.*

Dico primò: duplex Unio phyſica intervenit inter materiam, & formam ſubſtantialem in ordine ad cõſtituendum compoſitum ſubſtantiale. Ita Scotus *2. diſt. 1. quæſt. 5.* & *Rep. q. 6. §. ad aliud.* & *8. Met. q. 4.* ubi ait, Unionem eſſe relationem, quæ comitatur ambo extrema, ſi ſint relationis capacia; vel ſolùm unum, ſi alterum non eſt capax relationis: Doctorem ſequuntur Diſcipuli omnes, Baſſoliô, & paucis alijs exceptis: eandem tenent RR. Hurtadus, Amicus, & Areſius, contra Svar. Vaſq. Arriag. Averſ. Ruvium &c.

Probatur primò: tam materia, quàm forma eſt intrinſecè unita, & utraque denominatur intrinſecè unita: Ergo in utroque ſubjectatur partialis Unio phyſica tanquam forma intrinſecè uniens, & intrinſecè denominans: conſequentia tenet; quia intrinſeca unitio, & intrinſeca denominatio uniti debet provenire â forma intrinſecè ſeu ſubjectivè reperta in rebus unitis, & denominatis; ſicut patet de duobus parietibus ſimilibus, in quorum utroque intrinſecè, & ſubjectivè eſt ſimilitudo partialis tanquam forma faciens aſſimilationem, & cauſans denominationes ſimilium. Prob. ergo Ant. tam materia reſpicit formam intrinſecè, quàm forma materiam: item ambæ conſtituunt intrinſecè compoſitum: Ergo tam materia, quàm forma eſt intrinſecè unita.

Probat. *Secundò*: in relativis mutuis reperitur duplex relatio: ſed materia, & forma unita ſunt duo relativa mutua: Ergo in eis reperitur ſubjectivè duplex relatio Unionis. Major. patet de duobus parietibus albis, qui ob ſimilitudinem ſunt relativa mutua, id eſt, in quorum utroque correſpondet mutua relatio ſimilitudinis. Prob. Min. materia, & forma ſunt relativa ſecundi modi, quæ fundantur ſuper potentiam paſſivam, & activam; nam materia eſt paſſiva; & forma eſt activa: ſed ex Philoſopho *5. Met. tex. 20.* relativa ſecundi modi ſunt mutua: Ergo materia, & forma ſunt relativa mutua.

Probat. *Tertiò*: non eſt potior ratio cur aliqua Unio ponatur ſubjectivè in materia, & terminetur ad formam; & non alia quoque in forma ſubjectivè, quæ terminetur ad materiam: Ergo in utroque debet talis Unio poni ſubjectivè; & conſequenter duplex. Præterea materia, & forma anima rationalis dicuntur intrinſecè unita: ſed in utroque debet poni duplex Unio; nam ſi eſſet unica ex ſe materialis, eâ non poſſet uniri anima, quæ eſt ſpiritualis; ſi autem eſſet ſpiritualis, eâ non poſſet uniri materia: Ergo &c. Tandem tot ſunt Uniones adſtruendæ, quot dantur termini unibiles: ſed eſt terminus duplex unibilis in compoſito; quia tam materia, quàm forma eſt unibilis: Ergo adſtruendæ ſunt duæ Uniones. Prob. Min. quia ſicut Unio materiæ terminatur ad formam, ita Unio formæ terminatur ad materiam; cùm utrumque ſit capax terminandi relationem Unionis. Ergo &c. Ex dictis

Infertur *primò*: has duas Uniones eſſe de ſpecie relationum prædicamentalium, quæ vocantur *mutuæ*. Ratio eſt, quia relatio mutua eſt, quæ refert ſuum funda-

2. *Uniones ſunt relationes mutuæ.* mentum ad terminum talem, in quo viciſſim adeſt alia relatio, quæ terminum refert ad fundamentum: ſed Unio materiæ refert materiam ad formam, in qua rurſus conſurgit alia relatio Unionis referens formam ad materiam: Ergo &c.

3. *Et diverſæ rationis.* Infertur *ſecundo*: has duas Uniones eſſe diverſas, non ſolùm quoad conceptus; ſed etiam quoad entitates. Ratio eſt; quia forma unitur materiæ per informationem; cùm ſit actus; materia verò unitur formæ per receptionem; quia eſt potentia; adeoque adſunt diverſæ rationes fundandi has Uniones, puta receptio ſub ratione potentiæ, & informatio ſub ratione actùs; & conſequenter hæ Uniones ſunt quoque relationes diverſæ. Unde vocari poſſent relationes diſæquiparétiæ, id eſt tales, quæ ſunt diverſæ rationis: & maximimè hoc currit de Unionibus, quæ reperiuntur inter animam rationalem, & corpus humanum; quarum una eſt ſpiritualis, altera materialis; licèt alij eas faciant relationes æquiparantiæ.

4. *Rationes adverſar.* Objiciunt adverſarij *primò*: Verbum Divinum ſufficienter unitur humanitati aſſumptæ per unicam Unionem hypoſtaticam: Ergo ſimiliter materia, & forma ſufficienter uniuntur unicâ Unione phyſicâ. *Secundo*: Unio eſt nexus duorum: Ergo ſi mediante tali nexu primum unitur ſecundo, & ſecundum dicetur uniri primo; ac proinde ſuperfluit alter nexus, ſeu Unio. *Tertiò*: in rebus naturalibus unicum punctum nectit duas partes lineæ; & in artificialibus unus funis connectit duò corpora: Ergo ſimiliter unicus nexus phyſicus Unionis uniet materiam & formam.

5. *Reijciuntur* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. diſparitas eſt; quia Verbum & humanitas aſſumpta uniuntur ut natura, & ſuppoſitum; & aliunde Verbum habet rationem termini reſpectu naturæ; ideo Unio phyſica non debet eſſe in Verbo ſubjectivè, ſed in natura tantùm; ac proinde unica Unio ibi ſufficit: inſuper Verbum eſt incapax ſubjectare relationem: at materia, & forma uniuntur ut duæ partes intrinſecæ totius phyſici, quarum utraque habet rationem fundamenti, quod eſt capax ſubjectare relationẽ Unionis; imò exigit ſubjectivè Unionem; quia utraque pars intrinſecè unitur. Tandem Verbum non unitur intrinſecè humanitati, ſicut unitur materia formæ, & forma materiæ; proinde in eo neceſſaria non eſt Unio ſubjectivè inhærens, quæ facit intrinſecam unionem, ſed unitur ei extrinſecè; ubi tenent omnes antiqui Theologi; non quidem in ſenſu Elipandi hæretici, docentis Verbum eſſe unitum extrinſecè humanitati, ſicut veſtimentum unitur corpori, à quo diſſitum aliquomodo, & disjunctum eſt; ſed in hoc ſenſu, ut Verbum ſit intimè præſens, & intimè indiſtans, non minùs quam materia eſt intimè præſens formæ. *Ad Secundum* Reſpondeo *primo*: ſi hæc ratio, in qua potiſſimam ponunt vim adverſarij, probaret concluſionem; probaret etiam quòd unica tantùm eſſet ſimilitudo inter duo alba ſimilia; & unica æqualitas inter duo æqualia; & univerſaliter ſic evacuaretur illa claſſis relationum mutuarum; quia ſimilitudo, & æqualitas quoque ſunt eſſentialiter duorum aſſimilatio, & æqualificatio; ſicut Unio eſt duorum nexus; & unâ ſimilitudine aſſimilantur ambo alba; & unâ æqualitate redduntur æqualia ambo æqualia. Reſpondeo *ſecundo*: Diſt. Conſequens. Ergo ſi mediante tali nexu primum unitur ſecundo, etiam ſecundum dicetur uniri primo extrinſecè. Concedo Conſeq. intrinſecè: Nego Conſeqent. Itaque ſi adeſſet unicus nexus relatiuus inter aliqua duo, is utrumque quidem uniret; ſed unum intrinſecè, puta illud, in quo ſubjectaretur; & alterum extrinſecè, ſcilicet illud ad quod terminaretur; quia ad intrinſecè uniri requiritur, ut forma uniens ſubjectetur in tali unibili; nunc autem materia, & forma ambæ petunt uniri intrinſecè in ordine ad conſtituendũ compoſitum, ac proinde requirunt duplicem Unionem. *Ad Tertium* Neg. Conſeq. diſparitas eſt, quia nexus duarum partium lineæ, qui eſt punctum quoddam; & nexus duorum corporum, qui eſt funis, ſunt nexus abſoluti, & inter entia abſoluta; ac proinde non geminantur inter ſua extrema; cùm unicus poſſit afficere utrumque; at nexus materiæ, & formæ eſt relativus, qui duo intrinſecè afficere nequit; ſed unum tantùm intrinſecè, alterum extrinſecè; inſuper iſte nexus eſt inter entia relativa mutua; quare duplex talis debet reſultare inter ea; & vel maximè cùm iſta relativa mutua petant ambo intrinſecè uniri longè perfectiùs, id eſt eſſentialiter, quàm duæ partes lineæ, quæ integraliter tantùm uniuntur; quod unico nexu abſoluto præſtari poteſt. Circa alterum articulum Quæſtionis

Dico *ſecundo*: geminata Unio phyſica inter materiam, & formam intercedens

6. *Unio non eſt de eſſentia compoſiti.* dens non eſt de eſſentia, & quidditate compoſiti. Ita Scotus *2. diſt. 2. quæſt. 2.* & *4. diſt. 43. q. 1.* & ſequuntur Scotiſtæ cõmuniter; ac Soncin. Vaſq. &c. contra Averſ. Amic. Ruv. Arriag. &c. ac contra Averroiſtas tam veteres Alexandrum & Simplicium, quàm recentiores Sectatores Averrois Jandun. Themiſtium, Achillinum, & Zimaram.

Probat. *primò* : Unio intercedens inter materiam & formam ut ſuprà *quæſt. 2. Concluſ. 4.* eſt formaliter relatio prædicamentalis: & compoſitum eſt quid abſolutum: ſed relatio nequit eſſe de eſſentia & quidditate abſoluti; quia aliàs tale abſolutum eſſet ad ſe, & non eſſet ad ſe; Ergo geminata Unio phyſica intercedens inter materiam & formam non eſt de eſſentia & quidditate compoſiti. *Secundò* : ſi Unio geminata phyſica intercedens inter materiam & formam eſſet de eſſentia & quidditate compoſiti, darentur tria principia compoſiti in facto eſſe, ſcilicet materia, forma, & Unio geminata: ſed hoc eſt contra communem Ariſtotelis, & omnium Peripateticorum ſenſum: Ergo &c. Probat. Maj. quia non eſt major ratio, cur materia & forma ex eo, quòd ſint de eſſentia compoſiti, & illud conſtituant, habeant rationem principij, & non Unio: ſed illa duo habent rationem principij ex eo, quòd ſint de eſſentia compoſiti, & illud conſtituunt: Ergo &c.

Obijcies *primò* : compoſitum nequit concipi ſinè Unione phyſica partium, id eſt materiæ & formæ: Ergo eſt de ejus eſſentia. *Secundò* : Unio phyſica eſt de eſſentia uniti: Ergo etiam de eſſentia compoſiti. Conſequentia tenet; quia compoſitum, & unitum ſunt idem formaliter. 7. *Objecta diluuntur.*
Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. nam ex iſto antecedenti ſolùm ſequitur, Unionem phyſicam eſſe aliquid neceſſariò præſuppoſitum, ſicut revera eſt; cùm ſit conditio ſimpliciter requiſita, & ſinè qua non reſultaret compoſitum. *Ad Secundum* Nego Conſequentiam cum ſua Ratione; compoſitum enim & unitum ſunt formaliter diverſa; quia eſſe unitum, eſt effectus formalis Unionis receptus in partibus, & illas afficiens; partes enim ſunt, quæ vocantur unitæ: eſſe verò cõpoſitum eſt effectus partium componentium; unde compoſitum non dicitur rectè unitum ab Unione partium; ſed debet dici unum, ab unitate: Unio autem, & unitas diſtinguuntur; quia Unio eſt diſtinctorum, licèt indiviſorum; unitas autem eſt alicujus in ſe indiſtincti, & indiviſi.

DISTINCTIO VII.

DE COMPOSITO PHYSICO.

Præfatio.

HActenus *de materia, & forma, ut principijs corporis naturalis, ac earundem unione phyſica tractatum eſt; nunc recto ordine de ipſo corpore naturali, ut ab ipſis principiato agendum erit: hoc principiatum communiter vocatur* totum phyſicum, *ſeu* Compoſitum phyſicum ſubſtantiale; *de quo proinde, utì etiam alijs duobus Compoſitis, integrali videlicet, & Compoſito per accidens, ob connexionem meliorem ſequenti diſtinctione agam: Quare ſit*

QUÆSTIO I.

Num Compoſitum phyſicum ſubſtantiale importet eſſentialiter tam materiam, quàm formam? ubi etiam de ejus unitate.

1. *Compoſitum eſſentialiter importat materiam & formam.* DIco primò: Compoſitum phyſicum ſubſtantiale non ſolùm formam ſubſtantialem; ſed & materiam primam importat tanquam partem eſſentialem, & quidditativam. Ita Scotus *3. diſt. 2. q. 2.* & communis Scotiſt. ac Thomiſt. contra Albert. Jandun. &

Digitized by Google

Thomiſt. docentes, ſolam formam eſſe totam quidditatem entis naturalis, ſeu Cõpoſiti.

Probatur *primò* authoritate SS. PP. materiam primam pro parte eſſentiali, & quidditativa Compoſitorum naturalium agnoſcentium; unde D. Auguſtinus *19. de Civit. DEI cap. 3.* ait: *Homo neque eſt anima ſolùm, neque corpus ſolùm, ſed ex utroque compoſitum*; quibus verbis æqualiter ſtatuit pro parte componente (quod idē eſt ac eſſentiali, & quidditativa) tam animam, quàm corpus, ſeu materiam. Et S. Athanaſius *in Symbol.* dicit; *nam ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo; ita DEUS & homo unus eſt Chriſtus*; ubi nomine carnis intelligit corpus, ſeu ſubſtantiam materialem, tanquam aliquid conſtituens unà cum anima Compoſitum ſubſtantiale hominis: Ergo &c.

Probat. *ſecundo* ratione Theologicâ: ſi Compoſitum phyſicum non importaret etiam materiam primam tanquam partem eſſentialem, & quidditativam, ſequeretur quòd in illo triduo mortis Chriſtus homo manſiſſet vivus: ſed ſequela eſt erronea in fide orthodoxa: Ergo &c. Probat. ſequela Maj. in illo triduo mortis Chriſti manſit viva anima Chriſti: Ergo ſi forma, ſeu anima ſola eſſet tota eſſentia hominis, ſequeretur quòd in illo triduo Chriſtus homo manſiſſet vivus.

Probat. *tertiò* ratione phyſicâ: ſicut ſe habet animal metaphyſicè ad hominem, ſic ſe habet phyſicè corpus ſeu materia ad hominem: ſed animal metaphyſicè eſt pars eſſentialis, & quidditativa hominis: Ergo & corpus ſeu materia phyſicè eſt pars quidditativa, ſeu eſſentialis ejuſdem. Præterea tam bene materia, quàm forma ponitur in definitione phyſica Compoſiti, dum dicitur *Compoſitum phyſicum eſt id, quod conſtat materia, & forma unitis*: Ergo Compoſitum phyſicum ſubſtantiale non ſolùm formam ſubſtantialem; ſed etiam materiam primam importat tanquam partem eſſentialem, & quidditativam.

2. *Thomiſtarū rationes pro ſola forma afferuntur.* Objiciunt Thomiſtæ *primò*: Philoſophus *2. Phyſic. text. 20.* dicit, *formam eſſe ipſum quod quid erat eſſe rei*: quibus verbis Ariſtoteles indicat eſſe, ſeu eſſentiam rei conſtitui in ſola forma. *Secundo*: ſicut ſe habet forma artificialis ad ſuam materiam artefacti; ita forma ſubſtantialis ad ſuam materiam primam entis naturalis: ſed forma artificialis eſt tota eſſentia artefacti: Ergo & forma ſubſtantialis eſt tota eſſentia entis naturalis, id eſt Compoſiti ſubſtantialis phyſici. *Tertiò*: illud tantùm conſtituit eſſentialiter, & quidditativè rem, quod diſcriminat, ſeu diſtinguit rem ab alio; unde eſt illa maxima Peripatetica *7. Met. tex. 41. idem eſt conſtitutivum, ac diſtinctivum*: ſed ſola forma ſubſtantialis v. g. anima hoc diſtinguit Compoſitum phyſicum ſubſtantiale hominis à Compoſito Leonis: Ergo &c. *Quartò*: eſſe eſt propter operari: ſed ſola forma dat operari; quia ſolus actus (cujuſmodi eſt forma ſubſtantialis) eſt principium operationis: Ergo ſola forma dat eſſe.

3. *Reſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* interpretando Philoſophum; & dico eum tantùm loqui de *quod quid erat eſſe ut quò*; nam triplex eſt quod quid erat rei, ſcilicet *ut quò*, & *ex quo*, & *ut quod*: *ut quò* competit ſoli formæ; cum quo ſtat, quòd materia ſit *ex quo* eſſentialiter conſtatur eſſe, ſeu eſſentia Compoſiti. *Ad Secundum* Neg. Maj. Diſparitas eſt; quia cùm materia in Compoſito ſubſtantiali phyſico dicat naturalem inclinationem ad formam, & totum Compoſitum phyſicum; proinde ipſa nō eſt tota eſſentia ejus, ſed etiam materia eſt pars eſſentialis ac quidditativa: at in artefacto cùm materia non dicat inclinationem naturalem ad formam; idcirco non eſt pars eſſentialis, & quidditativa artefacti; ſed ſola forma artificialis eſt tota eſſentia ejus. *Ad Tertium* Neg. Maj. quia alioquin animal non conſtitueret hominem metaphyſicè; quia eum non diſtinguit ab alio vivente ſenſitivo; itaque non tantùm illud, quod conſtituit, etiam diſtinguit; ſed & aliud quod ingreditur eſſentiam rei, uti ſe habet materia, quæ ingreditur eſſentiam Compoſiti; etſi illud non diſtinguat. Diſtingui etiam poteſt Maj. illud conſtituit eſſentialiter rem tanquam ratio *ut Quò*, quod diſtinguit rem Concedo Major. tanquam ratio *ex Quo* Nego Majorem. Itaque duæ ſunt rationes conſtituendi aliquam rem, ſcilicet ratio *ut Quò*, & ratio *ex Quo*: prima eſt forma ſubſtantialis, & quà talis ſimul diſtinguit; ſecunda eſt materia, & hæc non diſtinguit, ob ſui communitatem, & indifferentiam. *Ad Quartum* Diſt. Min. ſed ſola forma dat operari *ut Quò*. Conc. Min. ut *ex Quo* Neg. Min. Itaque forma dat quidem operari *ut Quo*; quia eſt principium Quo operationis: materia tamen

tamen etiam dat operari *ex Quo*; quia ipſa eſt principium materiale Compoſiti, abſque quo Compoſitum non haberet eſſe; & conſequenter nec operari. Circa alterum articulum quæſt.

4. *Compoſitum phyſicum habet unitatem per ſe.*

Dico ſecundò: omne Compoſitum phyſicum ſubſtantiale importat unitatem per ſe, ſeu eſt ens unum per ſe. Ita Scotus *3. diſt. 22. q. un. §. contra iſta.* Et ſequuntur Scotiſtæ, Antonius, Andreas, Columb. &c.

Probat. *primò* authoritate Philoſophi; qui concluſionem ſuſtinet *2. de anima tex. 7.* & rurſus *8. Met. tex 17.* & alibi: Ergo &c. *Secundo* ratione; quia ut bene arguit Scotus *2. diſt. 12. q. 1. §. dico igitur*, materia, & forma ſunt cauſæ intrinſecè Compoſiti phyſici ſubſtantialis: Ergo ex eis conflatur unum per ſe; ſicut econtrà ex duobus, quorum unum non eſt pars intrinſeca, conflatum ens eſt per accidens; utì contingit ex ſubjecto & accidente; ubi accidens eſt intrinſecum ſubjecto. Præterea tunc exurgit ens unum per ſe, quando partes ejus habent rationem actûs & potentiæ; ſuntque ſubſtantiæ incompletæ; ut conceditur ab omnibus Peripateticis: ſed partes omnis Compoſiti phyſici ſubſtantialis habent rationem actûs, & potentiæ; forma enim eſt actus, quia perficit, & actuat; & materia eſt potentia, quia eſt perfectibilis, & actuabilis: Ergo omne Compoſitum phyſicum ſubſtantiale eſt ens unum per ſe, ſeu habet unitatem per ſe.

5. *Quædam objectio diſſolvitur.*

Objicies ſecundùm Scotum, tam materia, quàm forma habet actum entitativum: Ergo ambo ſunt in actu. Subſumo: ſed ex duobus entibus in actu nequit fieri unum per ſe; ut habet Ariſtoteles *7. Met. tex. 49.* Ergo Compoſitum phyſicum ſubſtantiale ex materia, & forma ſubſtantiali reſultans non eſt ens unum per ſe. Reſpondeo Conc. totum Enthymema: & Diſt. Ant. ſubſumpti, ac authoritatem Philoſophi, ex duobus entibus in actu formali nequit fieri unum per ſe Conc. Ant. ſubſumpti; ex duobus entibus in actu quorum unus eſt actus entitativus tantùm, & alter formalis Neg. Ant. Itaq; duo actus, quorum unus eſt entitativus, & alter formalis, non impediunt unitatem per ſe alicujus entis, ſeu Compoſiti; quia actus entitativus, qualem habet materia, non eſt ultimatè completus; unde ulteriùs ab actu formali, cujuſmodi eſt actus formæ perficiens materiam, poteſt compleri, & ſic ex eis poteſt fieri unum per ſe.

QUÆSTIO II.

Utrum Compoſitum totum eſſentiale phyſicum ſit tertia entitas, realiter à partibus unitis diſtincta.

1. *Quid Compoſitum Logicum, Metaph. & Phyſicum; homogen. heterog. per accidẽs, eſſentiale. & integrale.*

NOta primò: triplex primò dari Compoſitum, ſeu Totum: Logicum, Metaphyſicum, & Phyſicum. *Totum Logicum* eſt quoddam univerſale reſpiciens plura inferiora ut partes ſubjectivas, de quibus prædicatur; tale eſt genus reſpectu ſpecierum eidem ſubjectarum. *Totum Metaphyſicum* eſt quædam natura ſpecifica, ſeu ſpecies, cõſtituta ex realitate generis, & differentiæ. *Totum phyſicum* eſt quod conſtat ex materia prima, & forma phyſica. Et hoc partitur in eſſentiale, per accidens, & integrale: *Totum Phyſicum Integrale* eſt, quod conflatur ex pluribus partibus integrantibus, & quantitativis, tale eſt corpus humanum, quatenus conſtat manibus, capite, & pedibus; hoc Totum eſt vel *homogeneum*, id eſt tale, quod conſtat partibus ejuſdem rationis, uti eſt aqua: vel *heterogeneum*, quod conſtat partibus diverſæ rationis, ut corpus organicum, oſſibus, nervis, & carne conſtans, quæ ſunt diverſæ rationis. *Totum phyſicum per accidens* eſt, quod conſtat ex ſubjecto, & accidente; tale eſt homo albus. *Totum phyſicum eſſentiale* eſt, quod conſtat partibus eſſentialibus ſui compoſitivis, puta materiâ, & formâ ſubſtantiali; talis eſt Leo conſtans corpore organico, & animâ leoninâ. Præſens quæſtio movetur de hoc ultimo Toto eſſentiali, & quidem ut importat ſuas partes eſſentiales unitas, ac conjunctas; & quæritur, num ſit quid diſtinctum realiter ab eis: nam ſi partes conſiderentur ſeorſim, & diviſim; ab omnibus admittitur, totum eſſentiale eſſe quid diſtinctum ab unaquaque earum.

2. *Quid ſit tertia entitas; & cur forma vocetur à Scoto.*

Nota ſecundò: Scotiſtas, qui cum Præceptore ſuo adſtruunt diſtinctionem realem Totius phyſici eſſentialis à partibus unitis, vocant illud Totum *tertiam entitatem*; eò quòd ſit tertium quid, diſcriminatum tam à materia, & forma ſeorſim conſiderata; quàm ab iiſdem ut unitis.

Hujus

Hujus tertiæ entitatis diſtinctæ primus aſſertor publicus, ac manifeſtus fuit Doctor ſubtilis (etſi in re eandem jam olim docuerit Ariſtoteles, ut patebit infrà) qui *in 3. diſt. 2. q. 2. §. quantum ad primum* ad verificandum, quod Verbum aſſumpſerit naturam humanam immediatè, docuit naturam humanam non eſſe partes ſimul unitas; ſed quoddam tertium ex partibus unitis reſultans. Hanc tertiam entitatem ibidem vocat *formam;* non quidem formam partis, qualis eſt in homine anima rationalis; ſed *formam totius*, ſeu naturam, ac quidditatem totius Compoſiti, quam innuit Philoſophus *5. Met. cap. 2.* & declarat Avicenna *ibidem* dicens, *equinitas eſt tantùm equinitas;* ac ſi diceret, natura equi præcisè conſiderata eſt equinitas. Itaque ſecundùm Scotum *cit.* iſta tertia entitas eſt forma totius, quia eſt tota natura, & eſſentia Compoſiti phyſici ſubſtantialis, per quam formaliter conſtituitur, & à qua profluunt omnes paſſiones, & oriuntur omnes actiones.

3.
Totum phyſicū eſſentiale dicit tertiam entitatem diſtinctam à partibus unitis.

Dico primò: totum phyſicum eſſentiale eſt quædam tertia entitas, realiter diſtincta à ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis. Ita Scotus *3. diſt. 2. q. 2.* & *8. Met. q. 4.* & *in Report. q. 1.* Doctorem ſequuntur Scotiſtæ plerique Ant. Andreas, Baſſol. Tartar. Lychet. Sghem. Maſtrius, Ponc. Villaverde, Mayr. & ex alienis graviores Thomiſtæ Cajet. Ferrar. Capreol. Hærveus, & Vaſq. Fonſeca, alijque Neutriſtæ; contra Græcos Themiſt. Simplic. & Alexand. & contra Latinos Durand. Gregor. Ægid. ac Thomiſtas paſſim, quos imitati ſunt Svar. Ruv. Amicus &c. & ex noſtris noviſſimè Briſſenus, Baro, Mauriſ. Van-Sichen, & Herman, qui etiam de mente Scoti arbitrati ſunt poſſe ſuſtineri indiſtinctionem realem totius phyſici eſſentialis à ſuis partibus unitis; ſed perperam.

Probat. primò authoritate Philoſophi; qui varijs in locis diſtinguit inter partes unitas, & totum; nam *8. Met. tex. 15.* ait, *omnium namque, quæcunque plures habent, & non eſt totum, quaſi coacervatio, ſed ipſum totum eſt aliquid aliud præter partes.* Et *7. Met. cap. 3.* & rurſus *11. Met. cap. 3.* dividit ſubſtantiam in materiam, formam, & Compoſitum; adſtruens per hoc Compoſitum eſſe diſtinctam ſubſtantiam; quia enumerat ibi tria membra diſtincta ſubſtantiæ: Ergo Totum phyſicum eſſentiale eſt quædam tertia entitas, diſtincta realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis.

Probat. ſecundò authoritate Scoti cōtra oppoſitos Scotiſtas: Doctor *3. diſt. 2. q. 2.* ait: *Oſtendo, quòd totum ſit ens aliud ab omnibus partibus conjunctim, & diviſim.* Et ibidem, *totum eſt aliud ens alia entitate abſoluta.* Ergo &c.

Probat. Tertiò ratione Scoti: cauſæ reales diſtinguuntur realiter à ſuo cauſato ſeu effectu; aliàs idem cauſaret ſeipsū; & à ſeipſo in ſuo eſſe intrinſeco dependeret; quod ut abſurdum, & omnium Philoſophorum conſenſui oppoſitum reijcit S. Auguſtinus *1. Trin. cap. 1.* ſed partes phyſicæ ut unitæ ſunt cauſæ intrinſecæ totius phyſici eſſentialis, & ipſum totum eſt earum cauſatum: Ergo partes phyſicæ ut unitæ diſtinguuntur realiter à toto phyſico eſſentiali cauſato, & hoc vice verſa ab ipſis.

4.
Replica adverſariorū præcluditur.

Nec valet replicare cum adverſarijs: Majorem hujus rationis Scotiſticæ eſſe tantùm veram in cauſis extrinſecis, puta in efficiente, & finali producentibus effectum ita, ut extra illum maneant; non autem in intrinſecis, cujuſmodi ſunt partes phyſicæ totius phyſici eſſentialis materia ſcilicet, & forma. *Contrà* enim eſt; quia ut bene arguit noſter P. Baſſolius, illa Major fundatur in definitione cauſæ in communi acceptæ, prout ſcilicet convenit tam cauſis intrinſecis, quàm extrinſecis, quatenus cauſa eſt, id eſt, *quæ eſt principium influens in aliud*, ſcilicet in effectum cauſatum: cùm itaque omnis effectus ſive cauſatus à cauſis extrinſecis, ſive cauſatus ab intrinſecis ſit aliud ab eis; planè ſequitur, eum diſtingui à ſuis cauſis; & conſequenter ſubſiſtit illa Major etiam in cauſis intrinſecis.

5.
Aliæ rationes pro tertia entitate Scotiſt.

Probat. quartò rurſus rationibus Scoti: Totum phyſicum ſubſtantiale eſt terminus generationis, & corruptionis, ut habet Philoſophus *1. Phyſic. tex. 69.* non verò partes. Item eidem conveniunt primò, & adæquatè paſſiones, ut patet, de riſibilitate, quæ non animæ, vel corpori; ſed toti homini convenit: Item eidem Toti, ſeu Compoſito conveniunt operationes propriæ ſpeciei; non autem partibus: ipſum quoque per ſe directè ponitur in genere, ſubjectat im̄ediatè quantitatem, & alia accidentia: Ergo Totum, ſeu Compoſitum eſt aliqua entitas tertia, diſtincta realiter à partibus ſimul ſumptis, & unitis.

Probat.

Probat. quintò iterum aliâ ratione: partes phyſicæ ſimul ſumptæ, & unitæ non identificantur inter ſe: Ergo neque Toti; & conſequenter inter eas, & Totum eſt diſtinctio realis. Conſequentia tenet, nam quotieſcunque aliqua non identificantur inter ſe, neque identificantur tertio in creatis, juxta illud axioma commune, *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe; & quæ non ſunt eadem uni tertio, non ſunt eadem inter ſe.* Probat. Ant. quæ ſunt ſeparabilia, non identificantur inter ſe: ſed partes phyſicæ ſimul ſumptæ, & unitæ ſunt ſeparabiles; imò defactò actu ſeparantur in corruptionibus, & generationibus: Ergo partes phyſicæ ſimul ſumptæ, & unitæ non identificantur inter ſe.

6. *Thomiſtarũ, & Neutriſt. argumenta contra tertiam entitatem ab authoritate.*

Objiciunt Thomiſtæ, & Neutriſtæ oppoſiti *primò*: Div. Auguſtinus, & Div. Athanaſius, & Philoſophus adverſantur huic ſententiæ Scotiſticæ: Ergo non eſt amplectenda. Prob. Ant. quoad primum D. Auguſtinus *7. de Trinit. cap. 4.* ait, *homo nihil aliud eſt, quàm anima, & corpus.* Prob. etiam quoad ſecundum; D. Athanaſius *in Symbol.* dicit, *ſicut anima, & caro unus eſt homo*: qui modi loquendi videntur per Compoſitum hominis, quod ſecundùm Scotum eſt tertia quædam entitas, nil aliud prorſus intelligi; quàm partes animæ, & corporis unitas: Ergo &c. Prob. etiam Ant. quoad tertium; Ariſtoteles *2. Phyſic. text 23.* ait, *non enim præter partes eſt totum.* Et *2. de anima text. 7.* dicit, corpus & animam unum eſſe: Ergo &c.

7. *Exponuntur.*

Reſpondeo Neg. Ant. ad ejus Probat. explico dictum D. Auguſtini, & D. Athanaſij, & dico eos loqui in ſenſu cauſali; ac ſi dicerent, quòd homo non habeat aliam cauſam intrinſecam, quàm animam, & corpus; cum quo ſtat, quòd homo in ſenſu formali ſeu formaliter ſit aliquid aliud, & quædam entitas ab his partibus realiter diſtincta. Ad Ariſt. pariter dico, eum ſolùm velle, quòd Totum nil aliud pro conſtitutivo ſuo includat, præter partes: ac corpus, & animam conſtituere unum per ſe.

8. *Eorundem oppoſitiones à ratione.*

Objiciunt ſecundò: Totum phyſicũ eſſentiale nec quidditativè, nec præciſivè concipi poteſt ſinè partibus unitis: Ergo non eſt aliqua tertia entitas ab eis diſtincta realiter. *Secundò*: ſi daretur hujuſmodi tertia entitas diſtincta poſſet eſſe ſinè partibus: ſed nequit eſſe ſinè partibus: Ergo &c. Prob. Maj. Omne abſolutum poteſt eſſe ſinè alio, à quo diſtinguitur realiter: ſed hujuſmodi tertia entitas, ſi daretur, eſſet quid abſolutum: Ergo &c. *Tertiò*: nulla eſt neceſſitas multiplicandi hanc tertiam entitatem ut diſtinctã; quia ſi ponatur anima rationalis v. g. uniri corpori, & informare illud, eô ipſô poterit adminiſtrare omnes actiones vitæ, intelligere, ſentire &c. Ergo &c. *Quartò*: S. Damaſc. dicit (& eſt propoſitio uſitatiſſima in Theologia) *Verbum quod ſemel aſſumpſit, nunquã dimiſit*; ſed ſi extaret tertia entitas realiter à partibus unitis diſtincta, hanc utiq; aſſumere debuiſſet Verbum; cùm partes unitas aſſumpſerit; & poſtmodũ in triduo mortis rurſus debuiſſet eas dimittere; quia tunc nõ extitit tertia entitas hominis: Ergo aliquid aſſumpſit Verbum, quod rurſus dimiſit: quod eſt contra præfatam propoſitionem Damaſc. Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. 9. *Diluuntur.* quia etiam unum relativum quidditativè nequit concipi ſinè alio correlativo, & tamen diſtinguitur realiter ab illo. Itaque quod Totum phyſicum eſſentiale nõ poſſit quidditativè concipi ſinè partibus unitis, non oritur ex aliqua earum indiſtinctione reali; ſed ex eo, quòd partes unitæ ſint de eſſentia Totius, & incluſæ eſſentialiter in Toto phyſico eſſentiali. *Ad Secundum* Neg. Maj. & Diſt. Maj. Prob. ejuſdem, omne abſolutũ poteſt eſſe ſinè alio, à quo diſtinguitur realiter, ſi non adſit inter ea eſſentialis dependentia Conc. Maj. ſi adſit eſſentialis dependentia Neg. Maj. Itaque inter Totum phyſicũ eſſentiale, & partes unitas adeſt eſſentialis dependentia; nam Totum conſtituitur eſſentialiter per partes, & eſt poſterius partibus; quare & Scotus hujuſmodi dependentiam eſſentialem agnovit *1. Rep. diſt. 1. q. 1. §. item quæcunque* & alibi. *Ad Tertium* Neg. Ant. & ad exemplum de anima rationali dico, quòd poſita tali unione, & informatione animæ, illæ operationes vitæ intelligere, ſentire, quæ imediatè competunt partibus, etiam conveniant Toti, mediantę tamen animâ unitâ; quia in cõmuni ſenſu DD. homo, qui eſt tertia quædam entitas, & non anima unita propriè dicitur intelligere, & ſentire; ac proinde ad hujuſmodi operationes adhuc eſt neceſſaria tertia entitas. Deinde ſaltèm ad alias operationes materiales, quales ſunt ſenſationes omnes, quæ immediatè & formaliter competunt Toti, eſt neceſſaria tertia enri-

tas; quia ut paſſim docet Philoſophus *2. de anima*, tales operationes ſunt Totius conjuncti in ratione principij & ſubjecti; quia ab ipſo eliciuntur, & recipiuntur. *Ad quartum* dico primò hoc argumentum ab authoritate D. Damaſceni etiam urgere contra ipſoſmet adverſarios Neutriſtas, & plures Thomiſtas; quia Verbum in illo triduo etiam dimiſit unionem, quâ materia, & forma uniuntur, & quæ ſecundùm eos eſt modus ſubſtantialis: Ergo dimiſit aliquid, quod ſemel aſſumpſit. Dico itaque *ſecundò* pro foro Scoti, quòd illa propoſitio non obſit doctrinæ Scotiſticæ; quia intelligenda eſt de partibus eſſentialibus humanitatis, puta de anima, & corpore, quarum unionem Verbum in triduo non dimiſit; ſed utriq; manſit intimè unitum; uti habet Scotus *3. diſt. 2. q. 7.*

10. *Scotiſtarum oppoſitorum objectiones.*

Objiciunt tertiò Scotiſtæ oppoſiti: quod advenit enti in actu, eſt accidens ex Philoſopho *1. Phyſ. cap. 8.* Sed tertia entitas advenit materiæ & formæ unitæ ut ſunt entia in actu: Ergo tertia entitas illis adveniens eſt accidens; quod tamen negant Scotiſtæ rigidiores. *Secundò*, Scotus expreſsè tenet oppoſitũ Concluſionis; nam *1. Phyſ. q. 9. n. 3.* dicit; *nunc ponitur iſta Concluſio, totum eſt ſuæ partes; ita quòd omnes partes ſimul ſumptæ ſint ipſum Totum*, Et *8. Met. q. 4.* reſpondens ad objectionem ait, *quando ergo arguitur in Compoſito eſt aliud præter ipſa: ſi intelligatur aliquid, id eſt aliquis reſpectus &c. non poteſt negari Conſequentia; nec conſequens eſt inconveniens: ſi autem intelligatur aliquid, id eſt aliqua eſſentia abſoluta, vel in Compoſito ut pars eſſentialis, neutrum ſequeretur.* Ergo &c. *Tertiò:* illa tertia entitas neque eſſet ſimplex, neque Compoſita: Ergo non eſt aſſerenda. Prob. Ant. non eſſet ſimplex; quia deberet conſtare aliquibus partibus: non eſſet etiam Compoſita; aliàs daretur duplex Compoſitio in Toto phyſico: Ergo &c. *Quartò* nequit aſſignari cujus rationis eſſet illa tertia entitas hominis; an ſpiritualis tantùm, vel corporea. Ergo &c. *Quintò*: quod eſt de eſſentia rei, non diſtinguitur à re: ſed materia, & forma unitæ ſunt de eſſentia Compoſiti phyſici: Ergo non diſtinguuntur realiter ab eo.

11. *Refelluntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Min. quia tertia entitas non eſt adventitia materiæ, & formæ unitis; ſed quid conſtitutum, & cauſatum ex eis. *Ad Secundum* Neg. Ant. & ad *primum textum* Doctoris dico, eum ſolùm velle, quòd Totum in ſenſu cauſali, & conſtitutivo ſit ſuæ partes; hoc eſt dicere, quòd Totum cauſetur intrinſecè à partibus materia, & forma, & à nullo alio abſoluto, quod haberet rationem eſſentialiter cauſantis, & conſtituentis: cum quo ſtat quòd Totum in ſenſu formali ſit aliud à partibus, ut idem Doctor docet *locis* pro Concluſione *citatis*. Similiter dico *ad ſecundum textum*, quô ſolùm vult excludere aliquam eſſentiam abſolutam, quæ eſſet diſtincta cauſa intrinſeca Compoſiti à materia & forma: non autem excludit ibi tertiam entitatem. *Ad Tertium* objectum dico, quòd illa tertia entitas eſſet Compoſita; ſed unica compoſitione, quâ partes cauſantes, & conſtituentes componunt Compoſitum. *Ad Quartum* dico, quòd tertia entitas hominis ſit partim corporea, partim ſpiritualis; quia includit partem corpoream, ſcilicet corpus humanum, & partem ſpiritualem, puta animam rationalem. *Ad Quintum* Diſt. Maj. quod eſt de eſſentia metaphyſica rei non diſtinguitur à re Conc. Maj. quod eſt de eſſentia phyſica non diſtinguitur à re Neg. Maj. Itaque materia, & forma unitæ ſunt de eſſentia phyſica Cõpoſiti, ſeu Totius; ac proinde ab eo diſtingui poſſunt.

Quæres primò: an partes realiter diſtinctæ in Toto phyſico eſſentiali permaneant omnino eædem ſeu ſecundùm proprias rationes, & naturas? P. Faber Scotiſta arbritratur eas tranſire, ſeu tranſigi in tertiam entitatẽ, & ut ſic tranſactas amittere proprias entitates, nec diſtingui ampliùs realiter à Toto. Sed Reſpondeo, &

Dico ſecundò: partes eſſentiales phyſicæ, nõ obſtante reali earum diſtinctione à Toto, permanent incluſæ in Toto phyſico eſſentiali, tanquam rationes ipſum componentes. Ita communis Scotiſtarũ. 12. *Partes eſſentiales phyſicæ manent in toto eſſentiali phyſico.*

Probat. partes eſſentiales phyſicæ non obſtante reali diſtinctione earum ſunt veræ cauſæ intrinſecæ Totius phyſici eſſentialis: Ergò permanent incluſæ in eo tanquam rationes ipſum componentes. Deinde ipſum Totum phyſicum eſſentiale eſt verè Compoſitum: Ergo includit veras rationes ipſum componentes: ſed non alias, quàm partes eſſentiales phyſicas, materiam ſcilicet, & formã, Ergo &c.

Dico tertiò: partes eſſentiales phyſicæ perſeverant in Toto eſſentiali phyſico ſecundùm proprias entitates. Ita expreſsè Scotus *2. diſt. 12. q. 1.* & Lamazar: Columb. Ponc. Villverde, & communis Scotiſtarum, contra unicum Fabrum. 13. *Secundùm proprias entitates.*

Probat. primò authoritate Philoſophi, qui *1. Phyſ. cap. 7.* docet materiam, &

for-

formam eſſe principia Compoſiti in facto eſſe; eò quòd perſiſtant in eodem: Ergo &c. cenſet ea ut partes phyſicas eſſentiales permanere in Compoſito ſecundùm proprias entitates.

Probat. ſecundò, authoritate Scoti *loc. cit.* concluſionem claris terminis aſſerentis. Et rurſus *4. diſt. 49. q. 7.* ait, materiam, & formam non eſſe cauſatas; quia ſunt principia prima, & primæ cauſæ rei: Ergo non tranſiguntur in tertiam entitatem, ita ut perdant proprias entitates.

Probat. tertiò ratione: tum quia cauſa non tranſigitur, ſeu tranſit in ſuum effectum; nam ſi eſt cauſa, cauſat aliquid; adeoque illud, quod cauſatur, non eſt ipſa cauſa: ſed partes eſſentiales phyſicæ ſunt cauſæ intrinſecæ totius phyſici eſſentialis: Ergo non tranſiguntur in Totum; & conſequenter permanent ſecundùm proprias entitates. Tum quia ſi interveniret talis tranſactio ſeu tranſitus partiũ eſſentialium phyſicarum in tertiam entitatem, generatio ſubſtantialis non eſſet productio; ſed potiùs converſio, ſeu quædam tranſubſtantiatio materiæ, & formæ in Totum. Tum quia ex hac poſitione Fabri ſequeretur, quòd anima rationalis in homine perderet propriam rationem animæ, & formæ rationalis; quod eſt periculoſum in Fide, & contra Concil. Viennenſe quod *cap. de ſumm. Trin. §. porrò* ait, *porrò omnem doctrinam ſeu poſitionem temerè aſſerentem, ſeu vertentem in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ verè, ac per ſe, & eſſentialiter non ſit forma humani corporis tanquam erroneam, & inimicam veritati, ac Catholicæ Fidei Sacro approbante Concilio reprobamus.*

14. *P. Faber cōtentatur.* Objicit Faber: implicat quòd aliquid ſit realiter diſtinctum ab eo, quod ipſum intrinſecè componit: ſed partes eſſentiales phyſicæ intrinſecè componunt Totum phyſicum eſſentiale: Ergo implicat ut ſint diſtinctæ ab eo: Ergo tranſeunt in ejus identitatem ſecundùm proprias entitates. Reſpondeo Neg. Maj. in phyſicis, & quando componentia ſunt cauſæ intrinſecæ, utì contingit in partibus eſſentialibus phyſicis.

Quæres ſecundò: an diſtinctio Totius phyſici eſſentialis â partibus ſit mutua? Negant Lychet. Canonic. Trombet. & Bargius Scotiſtæ. Sed

15. *Diſtinctio totius eſſentialis à partibus eſt mutua.* Dico quartò: inter Totum phyſicum eſſentiale, ejuſque partes unitas vertit diſtinctio realis mutua. Colligitur ex Scoto *3. diſt. 2. q. 2.* & ſequuntur P. Fuente, Cavellus, Columb. Ponc. Maſtr. & alij Scotiſtæ.

Probatur *primò*: tam Totum eſſentiale, quàm partes ejus ſunt capacia illius relationis, quæ dicitur diſtinctio realis: Ergo in utriſq; conſurgit relatio diſtinctionis realis; & conſequenter diſtinctio realis inter Totum eſſentiale, & partes ejus eſt mutua. *Secundò*: tam bene denominantur formaliter diſtinctæ partes eſſentiales phyſicæ, quàm ipſum Totum eſſentiale phyſicè: Ergo ultrò citroque naſcitur diſtinctio realis; & conſequenter mutua.

QUÆSTIO III.

Quid ſentiendum de diſtinctione Totius integralis; & per accidens â ſuis partibus?

1. *Totum phyſicum integrale nō diſtinguitur realiter à partibus unitis.* Dico primò: Totum phyſicum integrale non diſtinguitur realiter â ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 12. q. 4.* & ſequuntur Fuente, Ponc. Maſtr. Lealis, Trombetta, & alij Scotiſtæ; contra Columb. Monturſ. & alios Scotiſtas.

Probat. primò: ideo ſecundùm Scotum Totum phyſicum eſſentiale diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis; quia inter partes datur vera cauſatio intrinſeca reſpectu Totius phyſici eſſentialis: ut *quæſt. præcedenti concluſ. 1. probat. 3.* oſtenſum eſt: ſed inter partes integrantes non datur ulla intrinſeca cauſatio reſpectu Totius integralis: Ergo neque diſtinctio realis.

Probat. Secundò: ex oppoſita ſententia ſequeretur, quòd eadem numerô res corrupta poſſet realiter pluries & pluries reproduci; exempli gratiâ dividatur una aqua in duas medietates, quo caſu corrumpitur Totum integrale aquæ præexiſtens, quod ex ipſis erat conflatum; uniantur autem rurſus illæ duæ medietates, tunc reproducitur eadem numerô aqua; quia adſunt eædem numerô partes; & quoties dividentur & reunientur, toties reproducetur naturaliter eadem numerô aqua corrupta: ſed ſequela iſta videtur inconveniens: Ergo &c.

Probat. tertiò: ſi Totum phyſicum integrale importaret tertiam entitatem diſtinctam à partibus unitis, deberet ipſi aliquid competere, quod non competeret partibus unitis; ſicut Toti phyſico eſſentiali eò quòd dicat tertiam entitatem competit recipere quantitatem, quod non competit partibus unitis; quia unum numerò accidens nequit eſſe ſubjectatum immediatè in duobus ſubjectis diſtinctis: & ſicut competit eidem Toti eſſentiali recipere actus vitales v. g. viſionem &c. quod non competit partibus: ſed nihil competit Toti integrali, quod non competat partibus unitis: Ergo Totum integrale non importat tertiam Entitatem.

2. *Objectiones enervantur.* Objiciunt *primò* Monturſius, & Columbus: Ariſtoteles *7. Met. tex. 60.* dicit, Totum integrale nô eſſe totum veluti cumulus; ſed ut ſyllaba BA, quæ non eſt B. A. ſed quid diſtinctum ab illis: quibus verbis innuit, Totum integrale eſſe revera quid diſtinctum à partibus, ſicut BA, quæ eſt una ſyllaba compoſita, eſt diſtincta à B. A. quæ ſunt duæ litteræ ſeparatæ: Ergo &c. *Secundò*: Scotus *2. diſt. 16. q. un.* dicit, quòd Totum integrale diſtinguatur a partibus: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* interpretando Philoſophum, & dico, eum ſolùm velle, quòd Totum integrale non ſit ipſæ partes ſeparatæ, ſicut ſyllaba BA. non eſt A. B. ſed vult quòd ſit quoddam unitum ex partibus integrantibus; cum quo tamen ſtat; quòd non ſit aliqua tertia entitas diſtincta realiter à partibus unitis. *Ad Secundum* gloſſo pariter Scotum, & dico, eum tantum velle, quòd Totum integrale diſtinguatur à qualibet parte ſeparata; non verò ab omnibus unitis.

3. *Totum per accidens non diſtinguitur à ſuis partibus unitis.* Dico ſecundò: Totum phyſicum per accidens pariter non diſtinguitur à ſuis partibus unitis ut tertia entitas. Ita Scotus *3. diſt. 2. q. 2.* ubi ait apertè Totum per ſe, ſeu eſſentiale diſtingui à Toto per accidens, quod Totum per ſe dicat tertiam entitatem; non ſic Totum per accidens. Et ſequuntur Monturſius, Columb. Maſtr. Ponc. Canonic. & communis Scotiſt. contra P. Fuentem, Lealem, & Joan. de Magiſtris Scotiſtas.

Probatur primò: ſi Totum phyſicum per accidens diſtingueretur à ſuis partibus unitis ut tertia entitas, illa eſſet aut ſubſtantia, aut accidens; ut rectè arguit Canonic. & ex eo Monturſius, Maſtrius, & Poncius: ſed neutrum dici poteſt: Ergo &c. Major patet; tum quia nihil mediat inter hæc duo; tum quia ens adæquatè dividitur in ſubſtantiam, & accidens *5. Met. tex. 4.* Prob. Min. illa tertia entitas non eſſet ſubſtantia; quia aliàs accidens incluſum in illa tertia entitate ut pars eſſentialis eſſet de quidditate ſubſtantiæ: nec eſſet accidens; quia aliàs ſubſtantia eſſet pars eſſentialis accidentis; quia partes ſunt de eſſentia Totius: quorum utrúque repugnat ſubſtantiæ, & accidenti: Ergo neutrum dici poteſt de illa tertia entitate.

Probat. ſecundò: ſubjectum, & accidens non ſunt cauſæ intrinſecæ cauſantes Totum per accidens; ſicut materia, & forma cauſant Totum eſſentiale: Ergo ex eis non conſurgit aliquod totum realiter diſtinctum ab ipſis ut tertia entitas. Conſequentia tenet; quia ex ejuſmodi intrinſeca cauſatione Scotus arguit tertiam entitatem ſubſtantialem, diſtinctam realiter à partibus unitis. Prob. Ant. & ſimul evertitur fundamentum P. Fuentis, qui ex cauſatione accidentis, & ſubjecti arguit diſtinctionem tertiæ entitatis in Toto per accidens: probatur inquam, quia ſubjectum & accidens non ſe habent per modum perfectibilis, & perfectivi ſimpliciter, ſicut ſe habent partes eſſentiales materia & forma, quia ſunt duo entia in ſuo genere completa, & perfecta: item ſubjectum, & accidens ſunt diverſorum generum, & prædicamentorum: cùm tamen deberent eſſe ejuſdem generis, & prædicamenti (ſicut ſunt in eodem genere ſubſtantiæ materia, & forma ſubſtantialis) in ordine ad cauſandum & conſtituendum tertium: Ergo ſubjectum & accidens non ſunt cauſæ intrinſecæ; & conſequenter non efficiunt Totum realiter diſtinctum à ſe ut tertiam entitatem.

Probat. tertiò: inter partes Totius per accidens non intercedit unio, & compoſitio *ex his*; ſed tantùm *cum his*: Ergo Cōpoſitum ex eis non diſtinguitur realiter ab ipſis, ut quædam tertia entitas. Conſequentia tenet; quia in hoc diſcriminatur compoſitio *ex his* à compoſitione *cum his*, quòd prima ordinetur ad tertiam entitatem efficiendam; ſecunda verò ad partes ad ſe invicem; & non ad aliud tertium. Prob. Ant. Compoſitio *ex his* eſt inter partes per ſe ſecundùm Philoſophum *8. Met. text. 25.* ad diſtinctionem partium unitarum per accidens: ſed inter ſubjectum v. g. hominem, & accidens v. g. al-

v.g. album (ex quibus conflatur unum per accidens dictum *homo albus*) non eſt unio per ſe; ſed per accidens: Ergo inter illa non eſt Compoſitio *ex his*: & conſequenter ipſis non correſpondet tertia entitas realiter diſtincta.

4. *Scotiſtarum adverſantium rationes*

Objiciunt Scotiſtæ oppoſiti *primò*: Scotus adverſatur concluſioni: Ergo &c. Prob. Ant. *3. diſt. 2. q. 2. ℱ. quantum ad primum* habet ſequentia verba: *Totum per accidens non eſt ſuæ partes*: quia ſecundum Philoſophum *7. Met. cap. de unitate definitionis, in hoc homo albus eſt unum aliquid, quia albedo ineſt homini; non autem eſſet tale Totum, ſi non informaret*: & quoties Doctor tertiam entitatem ab inconvenienti vult probare, toties ponit exemplum non in Toto per accidens, ſed in Toto per aggregationem, ut patet *cit. quæſt.* & *3. diſt. 22. quæſt. un.* Ergo &c. *Secundo*: ſubjectum in Toto per accidens habet ſe ut potentia perfectibilis, & accidens ut actus perficiens, quia informat: Ergo ſunt quædam cauſæ cauſantes, ſicut materia & forma ſubſtantialis cauſant: & conſequenter cauſant tertium diſtinctum realiter.

5. *Refutantur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad ejus Probat. dico, ideo tantùm Doctorem dicere Totum per accidens non eſſe ſuas partes; quia ſuper illas addit unionem accidentalem; unde hoc ipſum dicit conſtare ex Philoſopho afferente illud exemplum de *homine albo*, ubi præter hominem, & albedinem, adeſt ſuperaddita unio accidentalis albedinis, quæ albedo ineſt homini, eumque informat: ex qua ſuperadditione unionis, etſi Totum per accidens denominetur aliquid aliud à partibus accidentaliter, non eſt tamen eſſentialiter & ſubſtantialiter aliud tertiũ ab eis, ſicut eſt Totum eſſentiale. Quando autem Doctor ad probandam tertiam entitatem ſubſtantialem ab inconvenienti affert exemplum potiùs de Toto per aggregationem; quàm de Toto per accidens, per hoc tacitè non aſſerit tertiam entitatem in Toto per accidens; ſed hoc ideo ſic exemplificat; quia Totum per aggregationem eſt notius, & apertius, quàm Totum per accidens, ac proinde adverſarium adducit ad majus inconveniens. *Ad Secundum* dico, quòd ſubjectum habeat rationem potentiæ tantùm ſecundùm quid, & ſimiliter accidens habet rationem actûs perficientis tantùm ſecundum quid; non verò ſimpliciter, quia ambo ſunt entia in ſuo genere completa, & perfecta; ac proinde ex eis cauſantibus ſecundùm quid non debet reſultare tertia entitas, realiter diſtincta.

QUÆSTIO IV.

Utrum Compoſitum phyſicum ſubſtantiale ſit proximum ſubjectum accidentium: & quædam alia quæſita de Compoſito.

NOta primò: accidentia alia eſſe ſpiritualia; alia materialia ſeu corporalia: iterum ex materialibus alia ſunt abſoluta, alia relativa: & rurſus ex his alia ſunt completa, alia incompleta. *De accidentibus ſpiritualibus* certùm eſt, ea non ſubjectari in Compoſito phyſico ſubſtantiali, ſed in parte aliqua ejus; ſic ſcientiæ, & errores, quæ ſunt quædam accidentia ſpiritualia, ſubjectantur in intellectu; ſimiliter Spes, & Charitas in voluntate: quare de his præſens nõ movetur quæſtio, ſed de materialibus, ſeu de corporalibus. Similiter non eſt quæſtio de *accidentibus relativis*; cùm hæc nõ proximè, ſed remotè inhæreant ſubjectis: ſed de abſolutis. Iterum non inquiritur hic de *accidentibus corporalibus abſolutis incompletis, & imperfectis*, quæ ſunt tantùm quædam via ad terminum, quia & de his certùm eſt, ea recipi proximè in materia; ſic v.g. unio, & generatio, quæ ſunt accidentia relativa imperfecta, proximè in materia recipiuntur: ſed inquiritur hic de accidentibus corporalibus abſolutis, & perfectis, cujuſmodi ſunt quantitas, & qualitates corporales, v.g. albedo, frigiditas; calor &c. 1. *Varietas accidentiũ ſpiritualium, & corporalium.*

Nota ſecundò: ſubjectum dari duplex, inhæſionis ſcilicet, & denominationis. *Subjectum inhæſionis* dicitur illud, cui accidens inhæret immediatè; tale eſt homo, cui inhæret proximè albedo; & aqua, cui inhæret proximè frigus, vel calor. *Subjectum denominationis* dicitur illud, cui accidens non inhæret immediatè, ſed ejus parti; tale eſt homo reſpectu hujus accidentis ſpiritualis *intellectionis*, quæ immediatè inhæret potentiæ intellectivæ hominis; denominat tamen etiam hominem *intelligentem*. Præſens Quæſtio procedit de ſubjecto inhæſionis. Rurſus ſubjectum inhæſionis aliud eſt *proximum*; 2. *Quid ſubjectum inhæſionis, & denominationis.*

cui

cui proximè & adæquatè inhæret accidens, & *remotum* cui remotè & inadæquatè inhæret accidens.

3. *Compoſitum ſubſtantiale eſt, ſubjectum inhæſionis omniũ accidentium corporaliũ proximum.*

Dico primò: Compoſitum phyſicum ſubſtantiale eſt ſubjectum Quod proximum, & adæquatum inhæſionis omnium accidentium corporalium abſolutorum perfectorum, tam quantitatis, quàm qualitatum. Ita Scotus *2. diſtinct. 3. quæſt. 4.* & *4. diſtinct. 12. quæſt. 3. & 4. diſtinct. 15. quæſt. un.* Et Div. Thomas *1. p. q. 76. art. 6.* quos ſequuntur Diſcipuli, ex Scotiſtis ſignanter Meriner. Cavellus, Monturſ. Maſtrius, Poncius &c. contra Averroëm, Ammoni. Simplic. Philop. & alios Arabes, ac Græcos docentes, materiam primam eſſe immediatum ſubjectum inhæſionis quantitatis, & aliorum accidentiũ corporalium; quibus adhæsêre Nominales, & RR. Ariaga, Svarez, Hurtado &c.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui *7. Met. text. 4.* docet, ſubſtantiam à toto genere eſſe priorem quôcunque accidente, & hoc tam ratione, cognitione, quàm tempore, & naturâ: ſed ſi materia eſſet proximum ſubjectum inhæſionis accidentium corporalium non eſſet ita prior â toto genere; quia accidentia præcederent formam, & Compoſitum: Ergo materia non eſt proximum ſubjectũ inhæſionis accidentium corporalium: Ergo remanet, quòd Compoſitum ſit tale ſubjectum proximum. Præterea quod eſt ſubjectum generationis, non eſt immediatum, & proximum ſubjectum alterationis, ex eodem Philoſopho *1. de gen. cap. 2.* ſed materia eſt immediatum ſubjectum generationis ex eodem *loc. cit.* Ergo materia prima non eſt ſubjectum proximum accidentium corporalium, quæ per alterationem acquiruntur, ſed ſolùm formarum ſubſtantialium.

Probatur ſecundò ratione elicita ex doctrina Ariſtotelis *5. Phyſ. text. 3. & 11.* illud eſt ſubjectum proximum inhæſionis accidentium corporalium, quæ per verũ motum acquiruntur, quod eſt ſubjectum ipſiuſmet motûs: quia idem eſt ſubjectum motûs, & ejus termini v. g. calefactionis, & caloris per illam calefactionem acquiſiti, ex eodem Philoſopho *5. Phyſ. text. 11. & 12.* ſed ſubjectum proximum inhæſionis motûs eſt Compoſitum ſubſtantiale, & non materia prima, ut probat idem Philoſophus *1. de gen. cap. 2.* Ergo &c.

Probat. tertiò ratione Scoti: actiones immanentes, cujuſmodi ſunt operationes vitales ſenſitivæ, ſubjectantur proximè in organis ſenſuum Compoſiti ſubſtantialis, â quibus producuntur, & non in aliqua parte organi, ut probat Scotus *Quodl. 9.* ex Ariſtotele *lib. de ſenſu, & ſenſato*, & *1. de anima text. 66.* ſed hujuſmodi operationes ſenſitivæ ſunt accidentia corporalia; quia proveniunt â principio ſenſitivo corporali, ſeu materiali: Ergo hæ ſubjectantur in Compoſito ſubſtantiali tanquam in ſubjecto Quod proximo.

4. *Argumenta oppoſita.*

Objiciunt *primò* adverſarij: factâ deſtructione Compoſiti ſubſtantialis remanent aliqua ejus accidentia corporalia: Ergo ſignum eſt ea non fuiſſe ſubjectata in toto Compoſito ſubſtantiali tanquam in ſubjecto proximo inhæſionis. Prob. Ant. quando ex aëre fit aqua, manet eadem diaphaneitas, ſecundùm Ariſtotelem *1. de gen. tex. 24.* item eadem quantitas manet in genito, & corrupto, uti patet, in eodem homine vivo, & mortuo; & docet Scotus *2. diſt. 3. q. 4. n. 10.* eſtque Ratio; quia quantitas eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, ſicut materia: Ergo &c. *Secundo* materia prima ſemper debet eſſe priùs diſpoſita aliquibus qualitatibus, ad hoc ut agens naturale in illam poſſit inducere formam; & tales qualitates diſponentes ſupponunt quantitatem: Ergo antequam exurgat Compoſitum ſubſtantiale jam adſunt accidentia quantitatis, & qualitatis in materia tanquam in ſubjecto inhæſionis.

5. *Expediuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad Probat. ejus Interpretor Philoſophum, quòd velit remanere diaphaneitatem ſolùm eandem ſpecie; non verò eandem numerô; alioquin migrâſſet de ſubjecto in ſubjectum; quod non eſt dicendum: generatur ergo ſimul cum aqua nova numerô diaphaneitas, quæ ſubjectatur in Compoſito eſſentiali aquæ. *Ad alterum* de quantitate ex Scoto dico, pariter remanere tantùm in genito, & corrupto quantitatem eandem ſpecie; non verò eandem numerô; quare cum Compoſito, quod deſtruitur, corrumpitur ipſa; & cum generato, generatur & ipſa quoad exiſtentiam ſuam numericam: quando autem dicitur communiter, quòd quantitas ſit ingenerabilis, & incorruptibilis; hoc ſic intelligendum eſt, quod per ſe non ſit generabilis, & corruptibilis; bene tamen per accidens, ad generationem ſcilicet Compoſiti ſubſtantialis, & ad corruptionem ejuſdem. *Ad Secundum*

Neg.

Neg. Conſeq. & dico, illas qualitates diſponentes, uti & quantitatem præexiſtentem, ſubiectari in Compoſito ſubſtantiali deſtruendo, non verò in materia.

6. *Quantitas est accidens corporale receptum, in quo reliqua &c.*

Dico ſecundò: quantitas eſt primum accidens abſolutum corporale, quod in Compoſito ſubſtantiali recipitur, per quod deinde ut ſubjectum immediatum cætera accidentia corporea inhærent eidem Compoſito. Ita Scotus *4. diſt. 4. q. 12.* Rada, Maſtrius, Aretinus, Poncius, Canonic: & communis Scotiſtarum D. Thomas, Suarez; & eſt communis veterum Theologorum; contra Marſil. Gregor. Sonc. Averſ. & communem Nominal. docentium, omnia accidentia immediatè ſubjectari in ſubſtantia.

Probat. primò: valde conſentaneum eſt communi coordinationi, & diſpoſitioni Compoſiti Subſtantialis, ut accidentia corporalia non confusè, ſed cum quodam ordine inter ſeſe recipiantur, & ſubjectentur in Compoſito Subſtantiali: Ergo unum priùs recipitur in eo, & eò mediante deinde alia. Subſumo; ſed nullum priùs convenientiùs recipi debet, quàm quantitas, quæ deinceps ſit ſubjectum, immediatum eorum, & quò mediante ipſa recipiantur, & ſubjectentur in Compoſito: Ergo &c. Prob. Ant. ſubſumpti; quantitas eſt cæteris potentialior, & habet rationem materiæ; qualitates verò à toto genere ſunt actualiores, & habent rationem formæ: Ergo nullum accidens congruentiùs tanquam primum accidens in Compoſito receptum, & ut ſubjectum deinceps cæterorum, aſſignari debet, quàm quantitas.

Probat. ſecundò: vera methodus, & via inveſtigandi Subjectum formarum accidentalium eſt obſervare, quodnam ex accidentibus eſt ſtabilius, magis perſeverans, ac ſubſtans, ſeu ſubſiſtens: ſed tale eſt quantitas; quia videmus in eadem quantitate qualitates mutari, accedere, & recedere: Ergo quantitas debet aſſignari pro ſubjecto cæterorum.

Probat. tertiò principali, & communi argumento DD. experimentò conſtat, quod albedo, quæ eſt accidens corporale, extendatur in quantitate ſuperficiei, eámque denominet albam; ſimiliter quòd calor per corpus diffundatur, & extendatur in quantitate: Ergo iſta accidentia habent pro Subjecto ſuo quantitatem; & conſequenter quantitas eſt primum accidens abſolutum corporale, quod in Compoſito Subſtantiali recipitur, & quò mediante cætera deinde inhærent.

Probat. quartò: unum accidens poteſt ſubjectare aliud accidens; non quidem ut ſubjectum ultimatè terminans dependentiam; hoc enim convenit tantùm Subſtantiæ, quæ dicitur primò, & principaliter ſubſtare accidentibus; poteſt tamen ſubjectare aliud ut Subjectum non ultimatè terminans dependentiam ejus; ſic videmus velocitatem, & tarditatem ſubjectari in motu, ſimilitudinem in qualitate &c. Ergo rectè ſtatuitur quantitas pro Subjecto immediato inhæſionis cæterorum accidentium abſolutorum corporalium. Conſequentia tenet; quia nullum congruentiùs aſſignari poteſt, quàm quantitas; quia ipſa eſt propinquior Subſtantiæ cæteris accidentibus qualitatum in ratione ſubſtandi, ut docet Scotus *4. diſt. 12. q. 2.*

Probat. quintò: in Sacramento Euchariſtiæ quantitas eſt immediatum Subjectum, in quo ſubjectantur reliqua accidentia abſoluta corporalia: ſed non eſt potior ratio, cur hic eſſet immediatum Subjectum accidentium; & non etiam alibi: Ergo quantitas eſt immediatum Subjectum accidentium, Prob. Maj. Tum quia eâ motâ videmus moveri reliqua accidentia. Tum quia alioquin deberemus multiplicare miracula, toties, quoties fierent tranſmutationes accidentales in ſpeciebus Euchariſticis, ſi v. g. calefierent, humectarentur, & admittere novum Subjectum à DEO productum pro recipiendis illis accidentibus novis; niſi concedatur quantitas ut Subjectum talium accidentium novorum; in ipſis enim qualitatibus ut Subjecto calor, & humiditas recipi non poſſunt; cùm ex ſe non ſint Subjecta apta recipiendi & ſubjectandi accidentia; quia ſunt magis actualia, quàm quantitas; & conſequenter ſunt magis apta ad informandum potiùs aliud ut Subjectum. Ergo &c.

Objicit *primò* Marſilius quandam rationem, quæ plures AA. fatigavit in ejus ſolutione: nulla poteſt afferri ratio efficax, ob quam quantitas deberet aſſeri Subjectum immediatum aliorum accidentium materialium: Ergo &c. Prob. Ant. ſi afferatur illa communis AA. ut ſuprà, quòd videamus ſuperficiem eſſe albam; & conſequenter informatam ab albedine, quod arguit ſuperficiem, quæ eſt ſpecies quantitatis, eſſe Subjectum inhæſionis 7. *Marſilij Archilles evertitur.*

hæſionis albedinis, quæ eſt accidens de genere qualitatis: *Contrà* replicat Marſilius; etiam videmus ex oppoſito albedinem eſſe quantam, quod proinde arguet accidens albedinis qualitatis eſſe potiùs Subjectum quantitatis, & informari à quantitate: Ergo hæc ratio communior AA. non rectè affertur ad hoc, quòd quantitas debeat aſſeri Subjectum immediatum aliorum accidentium. Reſpondeo Neg. Ant. ad ejus Probat. concedo illam Rationem communem AA. Et Nego id, quod contra eam opponit Marſilius; nam etſi qualitas albedinis denominetur quanta à quantitate; non eſt tamen denominatio proveniens à forma informante; ſed à Subjecto ſuo, ſcilicet à quantitate, derivante in albedinem denominationem quanti: & aliunde albedo, & quæcunque qualitas à toto genere eſt actualior quantitate; & conſequenter magis habet rationem formæ ſubjectatæ, receptæ, & ſuſtentatæ; quàm Subjecti recipientis, & ſuſtentantis; & quantitas eſt potentialior, habétque magis rationem materiæ; & conſequenter ſubjecti.

8. *Aliæ oppoſitiones contra quantitatem.* Objiciunt ſecundò alij: materia prima nequit informare: Ergo neque forma, cujuſmodi eſt quantitas, ſubjectare aliud. *Secundò*: Philoſophus adverſatur Concluſioni; quia dicit unum accidens non poſſe ſubjectari in alio: Ergo alia accidentia non inhærent quantitati, & hoc mediante Compoſito. *Tertiò*; omnia accidentia ſunt ordinata ad perficiendum idem commune Subjectum ex æquo cum quantitate; quia idem Compoſitum æquè dicitur calidum per calorem, album per albedinem, ac dicitur quantum per quantitatem: Ergo non eſt ratio, cur quantitas deberet dici ratio alijs inhærendi in Compoſito. *Quartò*: ad hoc ut reliqua accidentia dicantur ſufficienter extenſa per quantitatem, ſufficit ſola concommitantia quantitatis: Ergo non eſt neceſſe, ut ſit eorum Subjectum immediatum. *Quintò*: diſpoſitio debet eſſe in eodem Subjecto, quod diſponit ad formam: Sed accidentia qualitatum ſunt diſpoſitiones materiæ ad formam: Ergo ſunt in ſola materia, & non in quantitate.

9. *Diſſolvuntur.* Reſpondeo *ad primum* Neg. Conſeq. diſparitas eſt; quia materia ex ſe merè potentialis eſt; ac proinde nequit informare, quod rationem actualitatis dicit: at hæc partialis forma quantitas, non eſt merè actualis, ſicut ſunt formæ ſubſtantiales; ſed ſimul etiam potentialis, ut patet ex rationibus concluſionis, ac proinde eſt capax ad ſubjectare aliud. *Ad ſecundum* Neg. Ant. & interpretor Philoſophum dicendo, quòd ſolùm velit, unum accidens non poſſe ſubjectari in alio ut Subjecto ultimatè terminante dependentiam ejus; qualiter ſe habet ſola ſubſtantia Compoſita, ſeu Compoſitum Subſtantiale:) cum quo ſtat, quòd unum poſſit ſubjectari in alio, tanquam in non ultimatè terminante dependentiam ejus; quô pactô ſe habet quantitas, quæ eſt ſubjectum non ultimatè terminans dependentiam accidentium corporeorum in ſe receptorum. *Ad Tertium* Neg. Ant. nam licèt omnia accidentia ordinata ſint ad perficiendum commune Subjectum; non tamen ex æquo immediatè; ſed cum aliquo ordine, ut videlicet qualitates mediante quantitate exequantur hujuſmodi perfectionationem; hoc enim naturæ legibus valde conſentaneum eſt, nè oriatur confuſio ex ſimultanea, æqua, ac immediata inhæſione omnium accidentium ſimul. *Ad Quartum* Neg. Ant. nam ſicut non ſufficit, ut albedo nivis, & frigiditas ejus formaliter ſe denominent; etſi unum concomitetur aliud per unionem in communi Subjecto; ita non ſufficit ut accidentia reliqua denominentur formaliter, & ſint formaliter extenſa, etſi quantitas concomitetur illa. *Ad Quintum* Diſt. Maj. diſpoſitio debet eſſe in eodem Subjecto quod diſponit, ſi ſit diſpoſitio in genere cauſæ Materialis Conc. Maj. ſi ſit in genere cauſæ efficientis Neg. Maj. Itaque duplex datur diſpoſitio ad formam ex Scoto *4. diſt. 1. q. 5.* una in genere cauſæ Materialis, quæ eſt in eo velut ratio recipiendi formam; talis eſt organizatio in corpore reſpectu animæ recipiendæ; alia eſt diſpoſitio in genere cauſæ Efficientis, quæ aufert ſolùm impedimenta, quæ obſtant introductioni formæ novæ: prima diſpoſitio, id eſt in genere cauſæ Efficientis eſt in eodem Subjecto; quod diſponit, non ſecunda; & tales diſpoſitiones ſunt accidentia qualitatum reſpectu materiæ.

Nota tertiò: P. Poncium hic à præfata Concluſione, quæ aliàs eſt communis doctrina Scotiſtarum, ſat probabiliter excipere actus vitales immanentes, v. g. ſenſationes; uti & ſpecies, ac habitus ad illos actus concurrentes; quia etſi accidens- 10. *Actus immanentes ſpecies, & habitus eorum immediatè ſubjectantur in potentia.*

dentia quædam corporea abſoluta ſint; probabiliùs tamen exigunt immediatè ſubjectari in ipſamet potentia, quæ illos actu producit; non verò in quantitate viventis, uti ſubjectantur aliæ qualitates corporeæ. Ratio eſt; tum quia aliàs non eſſent propriè immanentes; tum quia animal mortuum non ſentit, quod tamen fieret, ſi in quantitate ſubjectarentur ſenſationes, quæ remanere deberent, ſicut remanet albedo.

11\. *In corruptione Compoſiti ſubſtantialis inanimati fit reſolutio uſque ad materiam primam.*

Ex hactenus reſolutis infertur primò: in corruptione Compoſiti ſubſtantialis inanimati v. g. ligni, & generatione novi dari ſemper reſolutionem uſque ad materiam primam; hoc eſt dicere, quòd nulla prorſus forma ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis, quæ præextitit in ligno, perſeveret ſuperſtes poſt incinerationem. Ratio patet ex dictis; quia imprimis per agens corrumpens expellitur forma ſubſtantialis ligni; uti patet ad ſenſum: deinde formæ accidentales ex eo, quòd ſubjectabantur in quantitate, & quantitas in ipſo Compoſito ſubſtantiali ligni immediatè, corruptô ac deſtructô Compoſitô deſtruuntur & ipſæ; deſtructô enim ſubjectô deſtruitur ſubjectatum materiale; & conſequenter in tali corruptione, & generatione novi Compoſiti fit reſolutio uſque ad materiam primam. In animatis verò non contingit ejuſmodi reſolutio; Ratio eſt, quia deſtructô Compoſitô vivente remanet in materia prima forma corporeitatis, & ſic habetur corpus ſuperſtes, in quo ſubjectatur quantitas, ac demum in ipſa cætera accidentia qualitatum.

Quæres pro fine hujus Diſtinctionis: an ſint poſſibilia alia Compoſita, quàm ſint ea, quæ de curſu ordinario naturæ conſtantur ex ſubjecto materiali, ſeu materia prima, & forma ſubſtantiali materiali non vivente, uti eſt lignum v. g. vel ex ſubjecto materiali, & forma ſubſtantiali materiali vivente, cujuſmodi eſt Leo, vel ſpirituali; cujuſmodi eſt homo.

12\. *Sunt poſſibilia alia Compoſita, quàm de facto dantur.*

Reſpondeo *primò* reſpiciendo Potentiam extraordinariam DEI poſſibile eſſe primò Compoſitum, quod conſtaret tam ſubjectô ſpirituali, quàm formâ ſpirituali. Ratio eſt; quia major eſt proportio inter ſubjectum ſpirituale & formam ſpiritualem ut uniantur, & componantur; quàm inter ſubjectum materiale, & formam ſpiritualem; & tamen de facto datur Compoſitum ex eis, puta homo: Ergo dabile quoque eſt illud ex ſubjecto & forma ſpirituali. Reſpondeo *ſecundò*: etiam poſſibile eſt Compoſitum, quòd conflaretur ex ſubjecto ſpirituali, & forma materiali. Ratio eſt, quia in hoc condendo non videtur major impoſſibilitas, quàm in producendo Compoſito ex ſubjecto materiali, & forma ſpirituali: Ergo ſicut hoc de facto datur, ita & illud eſt poſſibile ac dabile. Reſpondeo *tertiò*: forſitan etiam poſſibile eſt Compoſitum ex partibus, quarum neutra ſit forma, aut ſubjectum. Ratio eſt, quia primò partes talis Compoſiti, etſi non unirentur ut actus & potentia, poſſunt tamen uniri intimè, & penetrativè ut duæ entitates abſolutæ: Secundò poſſet quævis pars talis Compoſiti eſſe indiviſibiliter virtus activa, & receptiva omnium operationum, quæ reperirentur in ejuſmodi Compoſito: tertiò neutra alteri neceſſariò præſupponeretur, adeóque ex eis poſſet conflari aliquod Totum.

DISTINCTIO VIII.

DE NATURA PHYSICA, ET ARTE.

Proloquium.

QUoniam Corpus naturale (cujus principia intrinſeca conſtitutiva, unionem, & compoſitionem jam prioribus diſtinctionibus aperui) habet eſſe naturale à Natura, utpote à qua ſit ut principiis intrinſecis conſtitutivis, & à qua ſit conſiderationis phyſica: idcirco

idcircò ulteriùs de Natura, ut eſt principium aliud operationum naturalium naturaliter rem ipſam conſequentium; & de Arte, quæ Naturam imitatur, præſens erit Diſtinctio. De Natura egit Ariſtoteles 2. Phyſic. *ad cujus principia ſit*

QUÆSTIO I.

De varia acceptione Naturæ, ejuſque deſcriptione.

1. *Varia uſurpatio Naturæ.* NOta primò: ſi ſpectes etymon hujus nominis Natura, derivatur â *naſcor*, ut notat Scotus: quare prima acceptio ejus eſt pro nativitate, ſeu generatione viventium. *Secundò* capitur pro Authore Univerſi, Deo ſcilicet, ut habet S. Auguſtinus *15. Trinit. cap. 1.* & dicitur *Natura Naturans*; res verò ab eo productæ vocantur *Natura naturata*: *Tertiò* uſurpatur pro quidditate, & eſſentia rei; ſic animal rationale dicitur Natura hominis: quare communiter cenſentur Sinonyma Natura, eſſentia, & quidditas rei; ubi tamen obſervant exactiores Noſtri DD. quamdam differentiam, ita nimirum ut eſſentia pertineat ad eſſe rei, quidditas ad definitionem, Natura ad operationem. *Quartò* accipitur pro ſerie rerum omnium creatarum; unde dicere ſolemus, non extat in rerum Natura creatura, quæ poſſet creare propriè. *Quintò* ſumitur pro inclinatione, & naturali propenſione rerum ad aliquid; hoc ſenſu dicitur ignis calidus ex Natura ſua. *Textò* tandem capitur pro principio aliquo interno, â quo unaquæque res naturaliter movetur motu corporali, & phyſicô, vel quieſcit; & hæc eſt propria acceptio Naturæ, ut in præſenti Diſtinctione ſpectatur; juxta hanc multiplicem acceptionem Naturæ, multiplex quoque oritur uſurpatio hujus vocis *Naturale*, eò quòd â Natura derivetur: quas uſupationes vide latiùs adductas, & explicatas ſuprà *diſtinct. 1. Proœm. quæſt. 3. not. 2.*

Nota ſecundò: non eſſe opus probare exiſtentiam Naturæ; nam *quòd ſit Natura, tentare, demonſtrare, ridiculum eſt*, inquit Ariſtoteles *2. Phyſic. 6.* non quòd ſit indemonſtrabile, dari Naturam; cùm â poſteriori ex rerum mobilitate, id præſtari poſſit; ſed quia notiſſimum eſt omni, ſenſum & vim diſcurſivam, habenti, dari tale principium aliquod internum, quòd ſit origo motionis, & quietis, accretionis, imminutionis, alterationis &c. Quare ad ejus definitionem accedamus.

Dico primò: rectè definivit Philoſophus Naturam *2. Phyſic. cap. 1. text. 3.* dicens: *Natura eſt principium, & cauſa motûs, ac quietis ejus, in quo eſt primò, & per ſe, & non ſecundum accidens.* Hanc definitionem recipit Scotus *2. diſt. 2. q. 10.* & tota Schola Peripatetica: alij legunt hanc definitionem ſic in alia impreſſione textûs Ariſtotelis, & recidit in idem, *Natura eſt principium & cauſa, ut id moveatur, atque quieſcat, in quo primò eſt.* 2. *Definitio Naturæ elucidatur.*

Probat. hæc definitio conſtat genere, & differentiâ; cæteriſque neceſſarijs requiſitis ad rectam definitionem Naturæ phyſicæ: Ergo eâ rectè definitur Natura. Ly *principium* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Dicitur autem *principium, & cauſa* (quæ duo hìc ſynonimè accipiuntur, & ly *cauſa* apponitur tantùm claritatis causâ) ut oſtendatur Naturam verè principiare, cauſare, & influere in motum; & ut Natura diſtinguatur â privatione, quæ etſi principiet ut terminus â Quo; non influit tamen ut cauſa in compoſitum ſubſtantiale. Additur *motus*; ut oſtendatur id, in quod influit Natura, quod eſt quævis mutatio naturalis, cujuſmodi ſunt accretio, diminutio, alteratio &c. & maximè motus localis, qui cæteris eſt prior, perfectior, & communis omnibus naturalibus rebus, ac certiſſimus index Naturæ; comprehenditur etiam hìc mutatio, ſive ſit ſucceſſiva, ſive inſtantanea. Apponitur *& quietis*, non quòd Natura utrumque cauſet ſimul; cùm ſint oppoſita; ſed intelligitur, quòd ſucceſſivè etiam quietem cauſet: intelligitur autem nomine *quietis* non ſola ceſſatio â motu; ſed permanentia rei in ſuo loco naturali; vel permanentia ſeu duratio ſub forma acquiſita per motum. Annectitur ly *ejus*,

Digitized by Google

in quo eſt, ut excludantur principia extrinſeca motûs v. g. Intelligentia imprimens motum ſphæris cæleſtibus, qui dici nequit Natura; quia non ineſt ei intrinſecè, quod movet. Per ly *primò* denotatur Naturam eſſe primum principium motûs, quod ineſt ſinè præſuppoſitione alterius principij; per quod excluduntur accidentia, quæ licèt ſint principia motûs; ut gravitas, & levitas, quæ ſunt principia motûs localis; item calor, & frigus, quæ ſunt principia alterationis: attamen non ſunt Naturæ, quia non ſunt principia prima, ſed forma ſubſtantialis eſt principium primum, & vera Natura horum motuum, quæ utitur hiſce accidentibus ut principijs ſecundarijs. Ly *per ſe, & non per accidens* ſunt ſynonima, unde hæ voces *& non per accidens* claritatis gratiâ apponuntur: per has particulas Natura diſtinguitur ab Arte, quæ licèt ſit aliquando principium motûs ejus, in quo eſt, v. g. dum Medicus ſeipſum curat per ſuam Artem medicam; non eſt tamen principium per ſe, & intrinſecè, quia nemo eſt Medicus â Natura, ſed eſt principium extrinſecum ſuæ curationis.

3. *Objectiones contra defin. Naturæ.*

Objicies contra hanc definitionem *primò*: cælum nunquam quieſcit, & terra nunquam movetur, & tamen ſunt Naturæ: Ergo malè ponitur in definitione Naturæ ly *motûs, & quietis*. *Secundò*: motus & quies opponuntur privativè: Ergo Natura nequit eſſe principium primò, & per ſe utriuſque. *Tertiò*: Natura eſt quid abſolutum, & principium eſt quid relativum: ſed abſolutum per relativum non bene definitur: Ergo neque Natura per ly *principium*.

4. *Reſolvuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam etſi cælum non quieſcat, id eſt, ceſſet â motu locali; quieſcit tamen, id eſt, permanet & durat ſub ſua forma ſubſtantiali, & ſub formis accidentalibus connaturalibus, quæ permanentia ſub nomine *quietis* pariter intelligitur. Terra etiam etſi localiter non moveatur, movetur tamen motu alterationis ad calorem: deinde ſufficit, quòd globus terræ habeat principium motûs localis poſſibilis, quò moveretur, ſi â loco ſuo naturali extraheretur, etſi actu non moveatur localiter. *Ad Secundum* motus, & quies capta formaliter, id eſt, pro ceſſatione â motu opponuntur privativè Conc. Ant. motus, & quies capta fundamentaliter, id eſt, pro permanentia formæ in loco ſuo naturali per motum acquiſito opponuntur Neg. Ant. Itaque quies dum capitur pro permanentia formæ in loco ſuo naturali per motum acquiſito, non opponitur motui privativè: ac proinde utriuſque principium poteſt eſſe Natura. Deinde conceſſô etiam, quòd & in hac uſurpatione opponantur motus, & quies: adhuc tamen poteſt eſſe principium utriuſque ſucceſſivè; & hoc ſenſu intelligi debet illa particula copulativa *&* copulans motum, & quietem, ſicut materia prima eſt principium potentiale recipiendi tam formam ligni, quàm formam ignis ſucceſſivè. *Ad Tertium* Diſt. Maj. principium eſt quid relativum formaliter, & eſſentialiter ſumptum Conc. Maj. fundamentaliter, & materialiter ſumptum Neg. Maj. Itaque in definitione Naturæ ly *principium* non ſumitur formaliter pro relatione ad principiatum ſeu ad effectum, ſed ſumitur fundamentaliter, & materialiter pro ipſis rebus denominatis â tali relatione *principij*, quæ quid ſubſtantiale, & abſolutum ſunt; cùm ſint materia, & forma.

QUÆSTIO II.

Utrùm Natura conſtituatur per principium activum, vel paſſivum motûs, ac quietis?

NOta primò: In definitione Naturæ dicitur, eam eſſe principium motûs, & quietis; ſed quia principium eſt duplex, unum *activum*, quod in genere cauſæ efficientis influit in motum, eliciendo illum; alterum *paſſivum*, quod in genere cauſæ materialis concurrit ad motum, ipſum recipiendo; propterea in hac quæſtione inveſtigare oportebit, an Natura ſub ratione principij activi, vel paſſivi conſtituatur in eſſe Naturæ. 1. *Quid principium activum & paſſivum.*

Dico primò: Natura conſtituitur, & dicitur talis per principium paſſivum duntaxat. Ita Scotus *2. diſt. 2. quæſt. 10.* & *4. diſt. 43. quæſt. 4.* & *in Comment. 5. Met. num. 29.* & alibi; quem ſequuntur Faber, 2. *Natura per principium paſſivū conſtituitur.*

Columbus, Poncius, Fuente, Lamaz. Fraſſen, & alij Scotiſtæ, contra Vaſq. Vall. & alios, aſſerentes Naturam eſſe principium tantùm activum motûs, & quietis, & contra Maſtr. ac Bellutum docentes, Naturam dici principium tam activum, quam paſſivum.

Probat. primò authoritate Philoſophi, qui ubicunque loquitur de principio, quô aliquid conſtituitur in ratione Naturæ, ſemper illud explicat verbis, quæ ſonant principium paſſivum, & non activum; nam in *2. Phyſic. cap. 1.* ubi nos in definitione Naturæ legimus, *Natura eſt principium, & cauſa motûs & quietis &c.* alij juxta Græcum rigorem legunt, *Natura eſt principium & cauſa, ut id moveatur, & quieſcat, &c.* quæ verba paſſivitatem indicant. Et rurſus *tex. 71.* & *73.* aſſignans differentiam inter moventia naturalia ſeu phyſica; & moventia non phyſica ſeu non naturalia, illam aſſignat penes principium paſſivū, dicens; quòd moventia mota ſint phyſicæ conſiderationis; non autem moventia non mota; & reddens rationem ſubdit, quia moventia non mota non habent principium motûs in ſe; utique paſſivum, quia activum principium habent: Ergo intendit Philoſophus, quòd Natura conſtituatur in ratione Naturæ per ordinem ad principium paſſivum duntaxat.

Probat. ſecundò contra Scotiſtas oppoſitos authoritate Scoti, qui *2. diſt. 2. q. 10. §. reſpondeo*, dicit; quòd motus non ſit naturalis ex eo, quòd habeat principium activum; ſed ex eo, quòd habeat ſolùm principium paſſivum naturaliter inclinans ad motum: idem dixit *diſt. 18. q. un. §. contra quartum* in eodem *2. Sentent.* Ergo P. Maſtrius cum ſuo Collega Belluto non eſt audiendus, utpote in hoc à Sententia Scoti alienus.

3. *P. Maſtrio obviatur.* Reſpondet Maſtrius; authoritates Scoti allatas eſſe interpretandas in ſenſu potiſſimo; ita ut intelligantur potiſſimùm de principio paſſivo, & poſtmodum tamen etiam de activo; quatenus activum eſt conjunctum paſſivo. Contra, Scotus apertis terminis dicit *loc. cit.* ſolùm principium paſſivum eſſe Naturam deſcriptam *2. Phyſic. cap. 1.* hæc autem particula *ſolùm* eſt terminus excluſivus; adeoque excludit totaliter à ratione Naturæ principium activum. Deinde hæc gloſſa Maſtrij reijcitur ex alio textu Doctoris apertiſſimè; nam *5. Met. in expoſit. cap. 4.* ait: *Principium motûs quod dicitur Natura, à quo dicitur motus naturalis diſtinctus contra violentum, accipitur non pro principio activo, ut quidam dicunt; ſed pro principio paſſivo.*

Probat. Concluſio tertiò ratione Scoti *5. Met. cit.* illud principium conſtituit Naturam in ratione Naturæ, à quo motus phyſicus habet, quòd ſit naturalis, prout naturale hic conſideratur à Philoſopho, & opponitur violento: ſed motus phyſicus habet, quòd ſit naturalis à principio paſſivo duntaxat: Ergo Natura conſtituitur in ratione Naturæ per principium paſſivum duntaxat. Prob. Min. ille eſt motus phyſicus naturalis, qui fit ſecundùm naturalem inclinationem mobilis: ſed à ſolo principio paſſivo motus phyſicus habet, quòd ſit ſecundùm naturalem inclinationem: Ergo &c. Major patet; quia Philoſophus *8. Phyſic.* aſſignans cauſam, quare elementa ferantur motu naturali ad ſua loca, puta levia ſurſum, & gravia deorſum, dicit, hanc eſſe rationem, quia ſic apta nata ſunt moveri; id eſt, quia habent inclinationem, & propenſionem ob principium paſſivum. Minor. Probat. demus aquam calefieri ab igne, ille motus calefactionis non eſt aquæ naturalis, non quia producitur ab igne, ſed quia ad eam naturaliter non propendet: & rurſus ſi eadem aqua frigefiat, ille motus frigefactionis eſt ipſi naturalis, non quia ab aqua eſt activè, ſed quia ad eam ſuaptè Natura inclinat, ſeu ratione principij paſſivi: Ergo à ſolo principio paſſivo habet motus phyſicus, quòd ſit naturalis. 4. *Alia argumenta pro Concluſione.*

Probat. quartò aliâ ratione Scoti *4. diſt. 43. q. 4.* poſitâ naturali inclinatione ſubjecti ad motum phyſicum recipiendum, etſi nullum principium activum adſit in eo ad producendum motum, motus dicitur naturalis; ſic v. g. ſanitas dicitur homini naturalis, non quia in ſe habet principium activum ſanitatis, quia id eſt per accidens ex *2. Phyſic. text. 3.* ſed quia ad eam ſuaptè Naturâ inclinat homo: Ergo Natura propriè conſtituitur per principium paſſivum.

Obijcit *primò* Maſtrius: Philoſophus non tantùm principio paſſivo, ſed etiam activo tribuit rationem Naturæ; nam dicit *2. Phyſic. 13.* quòd forma ſit Natura; 5. *Objecta Maſtrij proponuntur.*

Et

Et quia res naturales generant ſibi ſimilia; forma autem eſt principium activum: item *1. de part. animalium cap. 1.* ait, animam eſſe Naturam; hæc autem pariter eſt principium activum: Ergo &c. *Secundò*; non minùs Naturale eſt igni debitè approximato calefacere, & aquæ calidæ ſe reducere ad priſtinam frigiditatem, prout Naturale opponitur violento; quàm gravi deſcendere deorſum; nec magis violentaretur grave, ſi impediretur à deſcenſu, quàm ignis, ſi impediretur à calefaciendo Subjectum debitè applicatum, & aqua ſi impediretur à frigefaciendo ſe activè: Ergo quemadmodum motus deorſum eſt gravi Naturalis, ita etiam calefactio eſt igni Naturalis; uti & frigefactio aquæ. Subſumitur; ſed calefactio ignis, & frigefactio aquæ arguunt principium activum in eis: Ergo etiam principium activum habet rationem Naturæ. *Tertiò*. Scotus *quæſt. 1. Prol.* admittit principium activum eſſe Naturam, prout definitur *2. Phyſic.* dicit namque *non correſpondet omni paſſivo naturaliter princium activum, quod ſic ſit Natura* (hoc eſt quòd ſit Natura prout ipſa eſt a Philoſopho definita 2. Phyſic.) *quia multa ſunt naturaliter receptiva, alicujus perfectionis, cujus non habent principium intrinſecum activum*: Ergo ſupponit, quòd aliquibus ſaltèm principiis paſſivis correſpondeat principium activum, quòd ſit Natura, etſi non omnibus; ac proinde ratio Naturæ non competit principio paſſivo duntaxat.

6. *Et reſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* interpretando Philoſophum, & dico eum *locis citat.* non accipere Naturam ut contradiſtinguitur à violento; & quo ſenſu de ea hìc agitur; ſed prout contradiſtinguitur ab arte; & in hoc ſenſu concedo formam dici activam, & eſſe certò modò Naturam; cùm importet principium activum intrinſecum naturaliter; quale non importat Ars; ſed tamen hujuſmodi principium intrinſecum activum non conſtituitur in ratione Naturæ, ut Natura eſt præſentis conſiderationis, puta ut opponitur violento. *Ad Secundum* Diſt. Conſeq. ita etiam calefactio eſt igni Naturalis, & frigefactio aquæ, prout naturale opponitur ſupernaturali Conc. Conſeq. prout opponitur violento Neg. Conſeq. Itaque etſi igni debitè approximato ſit naturale calefacere, & aquæ frigefacere, quod in eis arguit Naturam ſub ratione principij activi; hæc tamen Naturalitas non eſt præſentis conſiderationis, & prout à Philoſopho hic definitur, quæ arguit Naturam ſub ratione duntaxat principij paſſivi; ſed eſt Naturalitas ut opponitur ſupernaturalitati; quatenus ignis debitè approximatus naturalitet calefacit, id eſt non ſupernaturaliter. *Ad Tertium* Neg. Conſeq. Nam ſi Scotus ſupponat reverà aliquibus paſſivis correſpondere etiam principium activum, quod ſit Natura; talia tamen rationem Naturæ ptopriè dictæ prout de ea hic agitur, non ſortiuntur; ſed vel rationem Naturæ ut contradiſtinguitut ab Atte; vel ut contradiſtinguitur à ſupetnaturali.

Objicit ſibi ſecundò Doctor ipſe *2. diſt. 18. q. un.* Ariſtoteles docet, *1. Phyſic.* *quod artificialia* (verba ſunt Scoti) *differant à naturalibus, quia naturalia habent in ſe principium motûs; artificialia non: ſed illud principium non eſt paſſivum; quia illud habent artificialia; igitur debet intelligi de principio activo: Secundò:* idem Ariſtoteles *3. Ethic. cap. 1.* ait quòd *violentum eſt, cujus principium eſt extrà, non conferente vim paſſo*: igitur per oppoſitum naturale eſt, cujus principium eſt intra, habens aliquam vim ſeu virtutem agendi; proindéque Natura eſt principium activum. 7. *Aliæ objectiones evacuantur.*

Reſpondeo *ad Primum*, & dico cum Scoto *2. diſt. 18. q. un.* quòd Ariſtoteles ſolùm diſtinguat *loc. cit.* naturalia ab artificialibus, quia artificialia quatenus talia nullam inclinationem paſſivam dicunt ad motus, ſicut naturalia; ſed habent principium neutrum, & indifferens ad hanc, vel illam formam ſuſpiciendam; ſic lignum eſt indifferens, ut ex eo artifex conficiat formam D. Franciſci, vel D. Antonij; naturalia verò habent principium paſſivum inclinans ad illam perfectionem recipiendam, quam recipiunt. *Ad Secundum* dico pariter cum Scoto *in Com. 5. Met. q. 12.* illa verba Philoſophi *non conferente vim paſſo* accipienda eſſe non negativè; ſed contrariè; ac ſi diceret, violentum eſt, cujus principium eſt extrà paſſo teſiſtente, & teluctante fotmæ in ipſo recipiendæ, ad cujus contrarium inclinat: naturale verò eſt, cujus principium eſt intrà inclinans ad formam recipiendam.

QUÆSTIO III.

Quibus rebus; & quo pacto conveniat Natura?

1. *Materia prima eſt Natura.*

DIco primò: materiæ primæ convenit eſſe Naturam â Philoſopho definitam. Ita Scotus *2. diſt. 15. q. unic.* Et *in Com. 5. Met. tex. 5.* Et ſequitur communis Scotiſt. & Thomiſt: contra Vaſq. Valles. &c.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *5. Met. cap. 1.* & *1. de part. animal. cap. 1.* & *2. Phyſic. cap. 1.* docet materiam primam eſſe Naturam: Ergo &c. Secundò ratione: materia prima eſt pars eſſentialis intrinſeca conſtitutiva compoſiti naturalis: ſed compoſitum naturale conſtituitur eſſentialiter ex Naturis: Ergo materiæ primæ convenit eſſe Naturam. Deinde materia prima appetit appetitu innatô inclinationéque naturali paſſivâ omnes formas: Ergo eſt principium paſſivum receptivum earum; & conſequenter Natura. Tandem tota definitio Naturæ ſuprà à Philoſopho aſſignata convenit materiæ primæ: ipſa enim eſt principium, & ſubjectũ omnis motûs, ſeu mutationis naturalis, & phyſicæ; eſt pariter principiũ quietis, dũ ſuſtentat formas receptas permanentes: ineſt rei naturatæ per ſe primò, & non per accidens; quia eſt per ſe primò in compoſito ſubſtantiali: Ergo &c.

2. *Oppoſitiones variæ.*

Objicies *primò:* Ariſtoteles adverſatur Concluſioni: Ergo &c. Prob. Ant. Ariſtoteles *5. Met,* dicit, quòd materia metaphoricè dicatur Natura, & conſequenter impropriè. *Secundò:* quod participat rationem Naturæ, debet præter principium paſſivum includere inclinationem, ſecundùm quam opponatur violento: ſed materia prima non includit inclinationem reſpectu formarum; quia eſt neutra, ſeu indifferens ad omnes: Ergo non convenit ei eſſe Naturam. *Tertiò:* Natura debet eſſe Subjectum & receptivum principium motûs: ſed materia prima non eſt tale Subjectum ſeu principium; cùm motus recipiatur, & ſubjectetur in Compoſito ſubſtantiali tanquam communi ſubjecto omnium accidentium materialium: Ergo &c.

3. *Tolluntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad ejus Probat. gloſſo Ariſtotelem, & dico, eum ſolùm velle, quòd materia non ſit tam perfectè Natura, ſicut forma, quæ eſt principalior, nobilior, & præſtantior pars compoſiti naturalis: nam *loc. pro concluſ. cit.* expreſsè tenet materiæ primæ competere quoque rationem Naturæ. *Ad ſecundum* Neg. Min. quia cùm materia prima includat appetitum univerſalem, & illimitatum ex ſe ad omnes formas recipiendas, ut ſuprà *diſt. 3. quæſt. 8. concl. 2.* oſtendi, propterea dici poteſt includere quoque inclinationem ex ſe ad omnes formas, quæ determinatur per hanc vel illam formam; ſic materia lapidis propter ejus formam inclinat ad motum deorſum. *Ad Tertium* Neg. Min. quia materia prima eſt Subjectum mutationis ſubſtantialis, quâ mutatur ad formam ſubſtantialem; quod ſufficit ad hoc, ut dici poſſit Natura: quando verò dicitur motum debere recipi in compoſito ſubſtantiali, ut communi Subjecto; reſpondeo, compoſitum ſubſtantiale eſſe tantùm Subjectum commune accidentium abſolutorum perfectorum, de quorum numero non eſt motus; qui eſt ens relativum imperfectum, ac ſubjicibile immediatè in materia.

Dico ſecundò: Formæ ſubſtantiali materiali tam viventium, quàm non viventium convenit quoque ratio Naturæ, ab Ariſtotele definitæ. Ita Scotus *2. diſt. 18. quæſt. un. ʃʃ. arguitur:* & ſequitur ejus ſchola, ac Thomiſtica; contra Simplic. Albert. Andre. Ciſalpin &c. 4. *Forma quoque convenit eſſe Naturam.*

Probatur *primò* authoritate Philoſophi, qui *2. Phyſic. 10.* & *5. Met. cap. 5.* Naturam dividit in materiam, & formam: Et *2. Phyſic. text. 12.* aſſerit, formam eſſe magis Naturam, quàm ſit materia. Ergo &c. *Secundò* ratione: Forma eſt principalior pars conſtitutiva compoſiti naturalis ſubſtantialis: ſed compoſitum naturale ſubſtantiale conſtituitur ex Naturis, ſecundùm Ariſtotelem *2. Phyſic. tex. 12.* Ergo &c. Deinde tota definitio Naturæ ſuprà aſſignatæ convenit cuicunque formæ ſubſtantiali materiali, tam viventium, cujuſmodi eſt ſenſitiva, & vegetativa; quàm non viventium, cujuſmodi eſt forma aquæ, ignis &c. Ergo quæcunque forma ſubſtantialis materialis eſt principium motûs, & quietis, v. g. forma ignis eſt principium, cur motus ignis ad calorem ſit ipſi naturalis; & anima vegetativa ut forma viventis eſt ratio, cur nutritio, & accretio conveniant naturaliter plantis potiùs, quàm aquæ: præterea eædem formæ inſunt per ſe primò, & non per accidens;

cidens; quia ſunt partes eſſentiales conſtitutivæ: Ergo tota definitio Naturæ ſuprà aſſignata convenit cuicunque formæ ſubſtantiali materiali, tam viventium, quàm non viventium.

5. *Etiam anima eſt Natura.* Dico tertiò: ſimiliter formæ ſpirituali, quæ anima rationalis dicitur, competit ratio Naturæ ab Ariſtotele traditæ. Ita colligitur ex Scoto *q. 1. Prol,* Et *4. diſt. 49: q. 8.* & *9.* ubi concedit in homine potentiam naturalem (quæ utique arguit rationem Naturæ) ad beatitudinem recipiendam; quæ potentia competit homini ratione animæ rationalis: Doctorem ſequuntur omnes ſui, & Thomiſtæ; ac Neutriſtæ, contra Avicen. Simplic. Albert. Mag. &c.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *2. Phyſic. 1. & 12.* animalia, & hominem recenſet inter ea, quæ conſtant Naturâ: ſed forma ſpiritualis animæ rationalis eſt principalior pars hominis: Ergo hæc quoque erit de ejus Natura. Et *1. de anima tex. 1.* appellat omnem animam Naturam; & conſequenter etiam animam rationalem: Ergo &c. *Secundò* ratione; anima rationalis eſt forma informans corporis organici humani, ac eſſentialis pars conſtitutiva hominis, ut definitum eſt in Conc. Lateran. ſub Leone X. Ergo ſicut aliæ animæ vegetativæ, & ſenſitivæ ob ſimilem rationem participant rationem veræ Naturæ, ita & anima rationalis. Præterea definitio Ariſtotelis ſuprà allata pro Naturâ tota convenit animæ rationàli: ipſa enim eſt principium naturalium mutationum, & operationum, puta vegetandi, augmentandi, ſentiendi, intelligendi: non tantùm ea eliciendo; ſed etiam paſſivè recipiendo: item eſt principium plurium paſſionum, riſibilitatis ſcilicet, & flebilitatis, & quæ in ea quieſcunt, & perdurant, ut in principio paſſivo: item ineſt homini per ſe primò, & non per accidens; Ergo anima rationalis omnino cenſenda eſt Natura.

6. *Objecta contra formas afferuntur.* Objicies contra ſecundam Concluſionem *primò*: illæ formæ materiales, quæ ſunt viventium, non ſunt principium paſſivum; ſed activum duntaxat ſuarum operationum: Ergo non ſunt Natura. *Secundò*: quod conſtat Naturâ, eſt ad unum determinatum; ſed animæ viventium non ſunt determinatæ ad unum motum; cùm animalia moveantur ſurſum, deorſum, circulariter, progreſſivè: Ergo &c.

7. *Et aſſignatur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam animæ viventium utrumque præſtant reſpectu ſuarum operationum naturalium, ita ut ſint tam principium activum, quàm receptivum ſuarum operationum. *Ad Secundum* Diſt. Maj. quod conſtat Naturâ eſt ad unum determinatum, id eſt ad unicum duntaxat motum Neg. Maj. eſt ad unum determinatum, id eſt ad motus unius generis Conc. Maj. Itaque animæ viventium principiant naturaliter plures motus ſpecie quidem diverſos; qui tamen omnes ipſis ſunt naturales; quia ad omnes inclinant naturaliter: ac proinde omnes ſunt unius generis, & ad hoc ſunt animæ determinatæ à Natura.

8. *Rurſus alia contra animam repellitur.* Objicies ſecundò contra tertiam Concluſionem: anima rationalis non eſt principium motuum: Ergo non eſt Natura. Prob. Ant. anima tantum eſt principium intellectionum & volitionum, quæ, cùm ſint ſpirituales, non ſunt conſiderationis phyſicæ, nec naturales; quia ad eas non datur motus *5. Phyſic. tex. 18.* aliàs etiam Angeli haberent motus ſeu operationes naturales, ac phyſicæ conſiderationis, quod eſt falſum. Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. & ad ejus Probat. dico, etiam intellectiones, & volitiones eſſe conſiderationis phyſicæ; quia etſi ſpirituales ſint, & ad eas ut tales non detur motus corporeus phyſicus; adhuc tamen habent dependentiam à phantaſmatibus materialibus; quàm diu proveniunt ab anima corpori conjuncta, ac proinde cenſetur ad eas dari ſaltèm mediatè motus corporeus: Angelorum verò motus ſeu operationes nullam talem habent dependentiam; ac prinde non ſunt conſiderationis phyſicæ.

9. *Compoſitum ſubſtantiale etiam Natura dicitur.* Dico quartò: Compoſitum ſubſtantiale etiam rectè dicitur Natura. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 12. q. unic.* Et *3. diſt. 2. q. 2.* & ſequuntur Villaverde Maſtr. Fuente &c. contra Columb. Poncium, & alios

Probatur primò authoritate Philoſophi, qui *2. Phyſic. tex. 1.* ait; *Natura ſunt quidem animalia, & partes ipſorum, & planta, atque ſimplicia corpora, ut terra, ignis, aër, aqua: hæc enim, & hujuſmodi alia, Naturâ dicimus conſtare*: in quo textu notanda eſt illa particula *animalia*, & *plantæ*, quæ ſunt quædam compoſita ſubſtantialia: Ergo compoſitum ſubſtantiale rectè dicitur Natura.

Probat. ſecundò ratione deductâ ex eodem Philoſopho *loc. cit.* ubi reddens rationem ſui dicti mox allati in *prima probatione*

bationeait; *nam quæ conſtant Naturâ, ea omnia motionis, & quietis in ſe habere principium videntur*: ſed omne compoſitum ſubſtantiale habet in ſe principium motionis, ſeu motûs, & quietis ſibi competentis: Ergo &c. Prob. Min. *nam* ut textu Philoſophi *cit. loc.* utar, *alia* (ſubaudi compoſita ſubſtantialia) *quidem in loco, alia accretionis, & diminutionis, alia alterationis habent principium*; imò nullum eſt compoſitum ſubſtantiale, quòd non ſit receptivum qualitatis, & quantitatis neceſſariarum ad conſervationem ſui: Ergo omne compoſitum ſubſtantiale habet in ſe principium motionis ſeu motûs phyſici, & quietis ſibi competentis.

10. *P. Poncio objicienti.* Objicit *primò* Poncius Philoſophus *2. phyſic. cap. 1.* cùm præmiſiſſet materiam eſſe Naturam, ac etiam formam, dicit *quod autem ex his* (quale eſt compoſitum ſubſtantiale) *Natura quidem non eſt, ſed à Natura*: Ergo Philoſophus adverſatur conclusioni. *Secundò*; compoſitum ſubſtantiale non eſt primum principium motûs, & quietis; quia præſupponit alia principia ex quibus fit, puta materiam, & formam: Ergo non eſt Natura.

11. *Reſpondetur.* Reſpondeo *ad Primam* interpretando Philoſophum; & dico eum *loc. cit.* nō loqui de Natura ut eſt principium paſſivū qualiſcunque motûs phyſici; ſed prout eſt principium paſſivum motûs ſubſtantialis, quod ſoli materiæ primæ convenit; cùm ea ſola ſit ſubjectum tranſmutabile, & materialiter cauſativum formæ ſubſtantialis; & propterea non dicit compoſitum ſubſtantiale eſſe à Naturis, ſed à Natura; quia ſolùm materia in hac acceptione poteſt æſtimari Natura; unde *tex. 10.* hujus capitis primi non negavit ſpeciem (id eſt compoſitum ſubſtantiale) eſſe Naturam; ſed dixit ſolùm aliô modô formam, & aliô modô ſpeciem eſſe Naturā, quàm ſit materia. *Ad Secundum* Neg. Ant. nam etſi materia prima ſit primum principium mutationis ſubſtantialis; & forma ſit primum principium mutationis ſibi competentis; attamen etiam compoſitum ſubſtantiale dicitur principium primum accidentium communium ſibi competentium per ſe, & immediatè: Unde quodlibet in ſua linea habet eſſe primum principium per ſe motuum, & mutationum phyſicarum. Ex hactenus dictis.

12. *Privatio non eſt Natura.* Infertur primò: Privationem non participare rationem Naturæ ſimpliciter. Ratio eſt; quia nec per ſe primò competit rebus, ſicut debet competere Naturæ: nec eſt cauſa per ſe, cur aliquis motus dicatur naturalis: & tandem non influit in motum naturalem ſicut facit Natura; cùm ſit ens privativum.

Infertur ſecundò: neque formas accidentales rectè dici Naturas primariò, prout Philoſophus de Natura hìc agit. Ratio eſt; quia nulla forma accidentalis per ſe primò ineſt mobili: ſed Natura, uti de ea hìc agit Philoſophus, debet per ſe primò ineſſe enti naturali. Unde tales formæ ſolùm dici debent Naturæ ſecundariò, & per ordinem ad ſubſtantias. 13. *Neque formæ accidentales.*

Infertur tertiò: neque quidditatem Angeli propiè Naturam dici, ut eſt præſentis conſiderationis Ariſtotelicæ. Ratio eſt; quia quidditas Angeli non eſt principium motûs corporei, ſeu materialis, quale debet eſſe Natura, ut ab Ariſtotele conſideratur hìc *in 2. Phyſic.* Secundùm tamen veritatem quidditas Angeli dici poteſt Natura; quia ipſa habet veras paſſiones à principijs intrinſecis fluentes: item ipſa acquirit de novo accidentia intellectionum, volitionum, & motuum localium; quod rationem Naturæ ſupponit. Circa ultimum articulum quæſt.

Dico quintò: ratio Naturæ convenit materiæ, formæ, & compoſito ſubſtantiali univocè. Ita colligitur ex Scoto *2. Rep. diſt. 17. q. 3.* & ſequuntur Vallaverde, Ponc. Columb. Lerma, Joannes à S. Thoma &c. 14. *Ratio Naturæ eſt univoca materiæ, formæ, & compoſito.*

Probat. tam nomen Naturæ, quàm ratio per nomen importata convenit materiæ, formæ, & compoſito ſubſtantiali: Ergo convenit ipſis Natura univocè. Prob. Ant. quoad primum; quia tam materia, & forma, quàm compoſitum propriè denominantur Naturæ, ut *ſuperioribus Concluſionibus* oſtenſum eſt. Ergo habent idem nomen. Prob. etiam Ant. quoad ſecundum; tam materia & forma ſunt principium per ſe motûs phyſici & quietis, quàm compoſitum, ut in *Probat. 2. pro 4. Concluſ.* ſuprà patuit: Ergo omnibus his convenit ratio Naturæ per nomen importata.

Nota tamen: in hujuſmodi univocatione admiſceri aliquam analogiam; quia ut docet Philoſophus *2. Phyſic.* forma magìs, & perfectiùs dicitur Natura, quàm materia; quia eſt perfectior, & principalior pars compoſiti ſubſtantialis; & ab ipſa principaliter motus dicitur naturalis; à ma- 15. *Admixtâ tamen analogiâ.*

à materia verò ſecundùm quid; ideóque quædã analogia inter hæc duo invehitur.

QUÆSTIO IV.

De acceptionibus; & quidditato Artis; ejuſque differentia à Natura.

1. *Ars variè capitur.*

NOta primò: quoniam Ars æmulatur Naturam, & ab ea contradiſtingvitur, idcircò ut clarior Naturæ notitia haberetur, Ariſtoteles, & poſt eum Peripatetici, plura de Arte ſcripſerunt. Habet autem Ars varias acceptiones. *Primò* ſumitur pro omni ſcientia, & facultate, quæ ſolet Ars appellari; talis eſt Grammatica, Muſica, & Pictoria, quæ artes liberales vocantur. *Secundò* pro omni cognitione practica, dictante aliquid operabile, talis eſt v.g. cognitio fabricandi aurum chymicum. *Tertiò* capitur pro illa forma artificiali, quam artifex inducit in aliquam materiam; talis eſt v.g. forma D. Franciſci in lignum ſtatuæ inducta, & dicitur opus artificioſum. *Quartò* uſurpatur pro uno ex illis quinque habitibus intellectûs, quibus facilitatur homo ad judicandum rectè circa ea, quæ ſpectant, ad operandum artificialiter ad extrà, & inducendam præfatam formam; talis eſt Ars pictoria, ſculptoria &c. Artem in hac acceptione, ſeu iſtum habitum intellectualem Artis comitantur alia duo regulariter, dum exit in opus: Primum eſt idea operis conſtruendi; de hoc dixit Philoſophus *12. Met. tex. 24.* quòd domus ad extrà fiat ex domo in mente, id eſt ex idea repræſentante mentaliter illam domum: ſecundum eſt quædam habilitas, tenens ſe ex parte illius potentię ad promptè, & faciliter operandum; talis requiritur in arte ſaltatoria ex parte membrorum. Et de Arte in ultimis duabus acceptionibus impoſterum varia dicentur.

2. *Artis definitio.*

Dico primò: rectè definitur Ars, ut eſt habitus quidam, quòd *ſit habitus cum rectâ ratione factivus.* Ita Ariſtoteles *6. Ethic. 4.* Et Scotus *1. diſt. 38. q. unic.*

Probatur: hac definitione debitè explicatur natura Artis: Ergo &c. Ly *habitus* eſt genus, reliqua habent rationem differentiæ: dicitur *cum rectâ ratione factivus*, per quod diſcriminatur Ars ab habitibus ſpeculativis; & ſimul datur intelligi, Artem procedere ſecundùm regulas à dictamine rectæ rationis dictatas.

3. *Ars non conſiſtit in ubicationibus ſolis.*

Dico ſecundò: Ars accepta pro forma artificiali, ſeu opere artificioſo non conſiſtit in ſolis ubicationibus rerum naturalium. Colligitur ex Scoto *4. diſt. 12. q. 4.* quatenus ibi aliam rationem formalem aſſignat, in qua Ars ſita eſt: & ſequuntur Maſtrius, Columb. Herman &c. contra Nominales, & plures RR. Arriagam &c.

Probatur: Tum quia ex ſententia oppoſita ſequeretur, quòd variatis ubicationibus partium alicujus formæ artificialis ſi v.g. ſtatua D. Antonij transportaretur de una Eccleſia ad aliam Eccleſiam, varietur & ipſa forma artificialis, utpote conſiſtens in ubicationibus formaliter: ſed hoc dici nequit: Ergo &c. Tum quia poteſt reſultare de novo aliqua forma artificialis abſque ulla mutatione ubicationum partium rei artificialis; ſi quis v.g. in antro lapidi incideret figuram Cæſaris; quo caſu partes remanent in eodem loco, & eadem ubicatione, quia eiſdem ſpatij partibus correſpondent; & tamen conſtituunt formam Cæſaris artificialem: Ergo Ars accepta pro forma artificiali ſeu opere artificioſo non conſiſtit in ſolis ubicationibus rerum naturalium.

4. *Nec eſt formaliter accidens abſolutum.*

Dico tertiò: ſimiliter Ars uſurpata pro forma artificiali non eſt formaliter aliquod accidens abſolutum de genere qualitatis, de novo reſultans. Colligitur ex eodem Doctore *loc. mox cit.* & tenetur à Maſtrio, Herman &c. contra Pariſienſes &c.

Probatur: non apparet, qua ratione tale accidens abſolutum qualitatis induſtria artificis ſuperadditum reſideret in toto compoſito artificiali: Ergo in eo non rectè ſtatuitur ratio formalis Artis, ut eſt forma quædam artificialis. Probat. Ant. non poteſt dici, quòd ejuſmodi accidens abſolutum qualitatis in compoſito artificiali reſideat ut totum in toto, & qualibet ejus parte indiviſibiliter; quia hoc eſt contra naturam accidentis materialis, quale eſſet iſta qualitas abſoluta Artem conſtituens: nec poteſt dici, quòd pars talis accidentis abſoluti artificialis reſideat in parte compoſiti artificialis diviſibiliter; quia aliàs unaquæque pars denominaretur æquè figurata ſeu artificiata ſicut totum; quemadmodum quælibet pars affecta qualitae albedinis dicitur alba, & ſic ſi totum artificiatũ eſſet triangulare, quælibet pars etiã deberet denominari & dici triãgularis: dicere verò partes eſſe heterogenas; eſt pura evaſio, & voluntariũ dictũ.

5. Dico quartò: Ars ut capitur pro forma artificiali eſt formaliter quædam relatio

Sed relatio ordinis & proportionis partium ad ſe. tio ordinis, & proportionis partium naturalium ad ſe invicem. Ita Scotus *4. diſt. 12. q. 4.* Et ſequuntur Tartaret. Maſtr. & comunis Scotiſt. contra RR. & Nominales.

Probatur: poſitis per ſe primò partibus naturalibus cathedræ cum debito ordine & proportione ad ſe invicem, conſurgit eo ipſo opus artificiale, ſeu forma artificialis cathedræ: & eiſdem partibus rurſus disjectis, ac diſſipato illo priori ordine, ac proportione ad ſe invicem, perit opus artificiale, ſeu forma artificialis cathedræ: Ergo ſignum eſt artificium ſeu Artem, ut eſt forma artificialis, conſiſtere in relatione ordinis, & proportionis partium ad ſe invicem. Confirmatur: quia experimentô conſtat, quòd ex combinatione debita ac ordinata plurium trabium, quarum aliquæ ſunt tranſverſales, aliæ obliquæ, aliæ rectæ, aliæ erectæ, aliæ decuſſatæ, aliæ alio certo cum ordine & proportione collocatæ, conſurgat artificium turris v. g. ſed in ejuſmodi combinatione nòn ſuperadditur aliud, quàm quædam relatio ordinis & proportionis partium ad ſe invicem: Ergo in tali relatione formaliter conſiſtit Artificiũ, ſeu forma artificialis.

6. *Cur addatur ly partium ad ſe invicem.* Notanter dixi in concluſione quòd iſta relatio ſit *partium ad ſe invicem*; & non ad locum; ut oſtendam concluſionem non coincidere cum doctrina Arriagæ docentis, Artem non eſſe niſi relationem partium in loco ubicatarum; itaq; relatio iſta partium ad ſe invicem eſt relatio partium ut ſunt ordinabiles ad ſe invicẽ cum certa proportione & coordinatione; cui per accidens eſt, quòd ordinatio, & proportio earũ peragatur in hoc, vel illo ubi, ſeu loco; unde etſi opus artificiale v. g. ſtatua Cæſaris mutetur de ubi in ubi non perit ipſum opus artificiale; ſicut periret in ſententia Arriagæ, quòd tale opus conſiſtat in relationibus ubicatarum partium. Circa ultimum articulum quæſt.

7. *Ars differt à Natura.* Dico quintò: Ars differt à Natura, uti & artificialia à Naturalibus. Ita Scotus *2. diſt. 18. q. un.* Et *6. Met. in com. c. 1.* Et ſequuntur Villaverde, Columb. Maſtr. Ponc. & alij Scotiſtæ; contra Nominales.

Probatur prima pars: ſi Ars ſumatur pro habitu intellectivo, clarum eſt eam differre à Natura; quia Natura eſt quid ſubſtantiale; habitus verò quid accidentale. Item Natura eſt principium phyſicum efficienter influens in res naturales. Ars verò eſt principium tantùm directivè influens in artefacta: Ergo Ars ſic uſurpata differt à Natura. Si verò Ars ſumatur pro forma artificiali, pariter differt à Natura; quia Natura eſt quid ſubſtãtiale; Ars eſt quoddam accidens de genere relativorum, ut *q. 4.* oſtenſum eſt. Item Natura eſt principium internum motûs rerum naturaliũ; non verò Ars artificialium: Ergo &c. Et quamvis quædam formæ artificiales videantur etiam principiare motum tardiorem, vel velociorem; v. g. dum figura quadrata retardat motum; pyramidalis verò eum accelerat; tamen hæ formæ, & figuræ non ſunt principium per ſe horum motuum; ſed Natura; unde iſtæ formæ, & figuræ ſolùm modificant ut conditiones motum, ut tali modo ſequatur, v. g. figura pyramidalis facit, ut aër minùs reſiſtat, & minus retardet mobile, ex qua modificatione ſequitur, quòd à Natura velociùs propellatur mobile, & velociùs moveatur. Ex his

Infero primò: horologia artificialia, quæ ſeipſis moventur: item illam columbam ligneam veteris artificis Architæ: item ſtatuas priſci Dædali, quæ ſeipſis volabant, teſte Ariſtotele *1. Polit. cap. 3.* habuiſſe pro principio per ſe motûs non artificialem formam, ſeu Artem; ſed pondus naturale, artificialiter tamen modificatum, & contemperatum per machinulas, ac rotas intus latentes; quæ modificatio & contemperatio ſola provenit ab Arte, ſeu forma artificiali; motus verò per ſe oriebatur à Natura illorũ entiũ mobiliũ. 8. *Quæ cauſa motûs per ſe horologiorum.*

Probatur ſecunda pars: ubi ſunt principia eſſentialiter differentia, etiam principiata differunt; ſed jam oſtenſum eſt Naturam eſſentialiter differre ab Arte quocunq; modo ſumpta: Ergo horum principiata, id eſt naturalia, & artificialia quoq; differunt. Deinde materia & forma naturalium faciunt unũ per ſe; quia materia habet rationem potentiæ, & forma rationem actûs: materia autem, & forma artificialiũ non unum per ſe: item materia naturaliũ eſt ens incompletum; materia verò artificialiũ v. g. marmor, ex quo fit ſtatua Cæſaris, eſt ens cõpletũ: Ergo naturalia, & artificialia ex his reſultãtia differunt inter ſe. 9. *Naturalia differunt ab artificialibus.*

QUSÆTIO V.

Num Ars poſſit moliri opera Naturæ effectivè; aut ſaltèm eam imtiari; & perficere.

DIco primò: Ars nequit moliri opera Naturæ effectivè ea producendo. Ita Scot. *2. diſt. 18. q. un.* D. Thom. *2. 2. q. 77. art. 2.* & utriuſq; Diſcipuli; contra Albertum Magnum, & Henricum. 1. *Ars non efficit opera Naturæ.*

Pro-

Probatur primò: ut cauſa aliqua poſſit moliri opus Naturæ effectivè illud producendo, debet virtualiter continere tale opus: ſed Ars non continet opus Naturæ; cùm Ars ſit in ſe accidens, & perfectionis inferioris; nullum autem imperfectioris entitatis contineat perfectius; opus verò Naturæ eſt aliqua ſubſtantia, & perfectum: Ergo Ars nequit moliri opera Naturæ effectivè ea producendo. Deinde tota ratio Artis ſita eſt, vel in cognitione, quam poſſidet Artifex de operabili artificioſo; vel in habilitate ſeu facilitate illud operabile artificioſum efformandi per applicationem variorum entium; vel in certa corporum diſpoſitione, ex qua reſultat effectus artificialis: ſed ſub quocunque horum accipitur Ars, non poteſt moliri efficienter opera Naturæ: Ergo &c. Probat. Min. non *per cognitionem*; quia cùm hæc ſit forma intellectualis, ſubjecta ta in mente artificis, nequit effectivè attingere opera ad extrà; ſed ſolos actus quoſdam internos mentis, qui non cenſentur eſſe opera Naturæ, ſeu phyſicæ conſiderationis. Nec *per habilitatem, ſeu facilitatem*; quia ejuſmodi habilitas, ſeu facilitas non aliter operatur, quàm per modum principij applicantis aliqua entia naturalia, & iſta entia ſunt, quæ deinde efficiunt opera Naturæ. Nec tandè *per diſpoſitionem corporum* moliri poteſt efficiéter aliqua opera Naturalia; quia hæc diſpoſitio non eſt alia cauſalitas, quàm applicativa; ſeu applicatio quædam, quâ mediante ipſa corpora efficiunt opus naturale: applicatio autem ipſa non eſt ratio effectrix talis operis: ſed ſolùm conditio ſinè qua non: Ergo Ars nullô modô poteſt moliri efficienter opera Naturæ.

2. *Quibusdam exemplis reſpondetur.* Objicies *primò*: Per Artem varia elaborantur effectivè, quæ ſunt opera Naturæ; puta *primò* vitrum, butyrum &c. *Secundò*, Magi Ægyptij coram Pharaöne effecerunt ſerpentes *Exodi 7*. Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. & ad prima exempla *de vitro, & butyro* dico, ſimilia compoſita ſubſtantialia non fieri efficienter ab Arte; ſed à virtute rerum naturalium adhibitâ certâ juxtapoſitione, permixtione, & applicatione activorum, paſſivis; unde ſicut *homo* (exemplô utar D. Auguſt. *3. Trinit. 8.*) *qui plantat, non creat ſegetem*; ità artifex qui permiſcet, vel juxta ponit entia naturalia, ex quibus reſultat vitrum, vel butyrum, non efficitilla.

Ad Secundum de ſerpentibus dico, vel illos ſerpentes fuiſſe à Magis productos per applicationem tantùm activorum ad paſſiva; non verò efficienter; vel certè per potentiam locomotivam, quâ pollent perfectiſſimè Angeli, erant adducti aliunde ex antris, & cavernis terræ ita ſubitò, & dextrè, ut apparerent coram Pharaone recenter generati.

3. *Ars directivè producit opera Naturæ.* Dico ſecundò: poteſt tamen Ars directivè producere opera Naturæ dictando applicationem debitam activorum paſſivis, ex qua conſurgunt virtute rerum naturalium opera naturalia. Ita Fraſſen, Maſtr. Ponc. Fuente &c.

Probatur primò authoritate D. Auguſtini, qui hujuſmodi directivam productionem operum Naturæ concedit Arti quorundam hominum, inquiens *3. de Trin. cap. 9. multi homines noverunt, ex quibus herbis, aut quarumcunque rerum quibuslibet ſuccis, aut humoribus, vel ita poſitis, vel ita obrutis, vel ita contritis, vel ita mixtis, animalia naſci ſolent*: quibus verbis indicat animalia, quæ ſunt aliàs opera Naturæ, produci per Artem, dictantem debitam applicationem activorum paſſivis: Ergo &c.

Probatur ſecundò varijs experientijs, quibus conſtat in rebus naturalibus latere varia activa, habentia miras virtutes; hæ ſi per Artem debitè applicentur diſpoſitis paſſivis, mira ac prodigioſa opera producunt, quæ Arti directivè adſcribi debent; ſic narrante Alberto Mag. *in lib. ſecret. natur.* lapis ſilonites habet vim acuendi ingenium; ſalvia contrita generandi vermem; baſilica pariter contrita, & conſervata, in humido virtutem generandi ſcorpionem; ſic ex anatis combuſti pulvere in humido aſſervato inter patenas generatur rana; ſic calor in fornacibus Ægyptiacis debitè attemperatus per Artem ſuo tempore ex ovis gallinarum facit erumpere pullos: Ergo &c. Circa ultimum articulum quæſt.

4. *Ars imitatur Naturam.* Dico tertiò: Ars imitatur Naturam, eámque perficit. Ita Abulenſis *in Exod. cap. 7.* Ægidius Rom. Averro. Fraſſen, Paracelſus, & communis Philoſophorum.

Probatur prima pars; Tum authoritate Philoſophi *2. Phyſ. tex. 22.* aſſerentis, quòd Ars imitetur Naturam. Tum quia ſi Ars non attingat effectivè opera Naturæ, ut ſuprà oſtenſum eſt, ſaltèm concedi debet, quòd ejus ſimiam agat, eámque in operibus ſuis æmuletur. Tum quia experi-

perimentô ſtatuariorum, ſculptorum, pictorum, & ſimilium artificum conſtat, eos ita affabrè elaborare quædam opera artificiata, ut Naturam in plurimis imitentur; hinc ab ejuſmodi exacta imitatione olim deprædicabantur Piſces Phidiæ, qui quaſi vivi videbantur; ſimiliter uvæ Xeuxidis, ad quas aves deceptæ advolabant, & velum Parraſij, quod ipſummet Xeuxidem fefellit; ac Alexander Magnus ab Apelle in plana tabella ita artificiosè depictus; ut manus illius fulmen vibrantes eminere extra tabellam putarentur: Ergo &c.

5. *Eamq; perficit.*

Probatur ſecunda pars; Ars ut *priori quæſt. concl. 5. in probatione primæ partis* modificat Naturam circa motum regulariter efficiendum v. g. in horologijs, & alijs machinis artificialibus mobilibus, cujusmodi erat columba Architæ, & ſtatuæ Dædali: item dictat, qua ratione ſit operandum expeditè; & ſuperaddit entibus naturalibus varias perfectiones; v. g. trunco formam Cæſaris, rudi marmori formam Papæ: Ergo Ars perficit Naturam.

QUÆSTIO VI.

De Arte Chymica confectrice auri.

1. *Per Artem Chymicam poteſt fieri aurum verum.*

DIco primò: non repugnat per Artem Chymicam verum aurum confici. Ita Alchimiſtæ unanimiter, & ex Scolaſticis, Monturſius, Fraſſen, Columbus, Albertus Mag. Oldrardus, Cornæo, Bonæ ſpei &c.

Probatur primò: non eſt repugnantia neque ex parte materiæ; neque ex parte agentis; vel formæ; nec aliunde, impediens confectionem veri auri per Artem Chymicam: Ergo &c. Probat. Ant. non ex parte materiæ; cùm hæc ſit æquè capax formæ auri, ac alterius formæ. Neque ex parte formæ; quia cùm hæc ſit corporea, æquè educi poterit de ſinu materiæ, ac aliæ. Neque ex parte agentis naturalis; quia agens naturale cum interventu Artis poteſt applicando activa paſſivis viventia producere; ſic dixi ſuprà in fornacibus Ægypti & Chinæ mediante calore pullos ex ovis eò impoſitis excludi; ſic ex baſilica debitè per Artem comminuta, & fomentata humoribus generantur ſcorpiones: Ergo à fortiori agens naturale poterit beneficiô Artis Chymicæ, quâ applicarentur activa paſſivis, efficere compoſitum non vivens; & conſequenter aurum verum conficere.

Probatur ſecundò: ſecundùm Ariſtotelem *2. Phyſic.* Ars imitatur Naturam: Natura autem ex ſulphure, & mercurio mediante calore ſolis, concurrentibus elementis, in viſceribus terræ generat aurum ordinarium: Ergo etiam Ars poterit ex iiſdem principijs, & mediante calore ignis, qui eſt ejuſdem rationis cum calore ſolis, conficere aurum chymicum.

Probatur tertiò; tria ſunt genera metallorum; quædam ſunt pura & cocta, ut aurum, & argentum; quædam cocta; ſed impura, ut æs, & ferrum; & quædam cruda, & impura: ſed ex metallis ſecundi, & tertij generis poteſt Arte Chymica confici verum aurum: Ergo &c. Probat. Min. metalla ſecundi & tertii generis poſſunt coqui, & purgari; quia juxta Philoſophum *4. Met. Summâ 1. cap. 2. & 3.* Et *Summâ 2. cap. 3.* crudum poteſt coqui, & impurum purgari: Ergo ex ære, ferro, & plumbo coctis, & purgatis, adhibitis debitis requiſitis, poteſt Arte Chymica confici aurum verum.

Dico ſecundò: Confectio tamen hujuſmodi auri chymici veri eſt difficillimæ operationis, & vix ejus Ars hactenus benè detecta. Ita Poncius, Bonæ ſpei. &c. 2. *Ejus tamen confectio eſt difficillima operationis.*

Probatur prima pars: ipſimet Alchimiſtæ plurimùm variant in exercenda iſta Arte Chymica confectiva auri; ſimiliter diſconveniunt maximè in aſſignanda materia, ex qua ejuſmodi aurum debet confici; quam aliqui ponunt eſſe cinerem ex terra genitum, & aquâ mixtum; alij ſcoriam ferri; alij vitriolum; plures ſulphur, & argentum vivum; nonnulli arſenicum; alij alias materias excogitant, in quibus diſponendis pro introductione formæ auri multas annorum periodos inſumunt, crumenas exhauriunt, ſemper novas, & novas probas excogitant; & tamen oleum, & operam finaliter perdunt; ita ut illis quadret illud *2. ad Timoth. 3. ſemper addiſcentes, & nunquam ad veritatis ſcientiam pervenientes*: Ergo confectio hujuſmodi auri veri Chymici eſt difficillimæ operationis.

Probatur ſecunda pars: Tum quia Ars Chymica, ob ejus inſcitiam & vanitatem 3. *Et vix hactenus debitè detecta.*

tatem reprobatur à Joanne XXII. Papa in ſua Extravag. *Spondent.* ubi ſubjicit Alchimiſtas infamiæ, & ſolutioni pecuniæ ad arbitrium Judicis: Ergo cenſet Papa non extitiſſe defactò perfectum uſum; & ſcientiam Artis Chymicæ; quidquid aliqui dicant de noſtro Raymundo Lullio, quòd is Artem hanc calluerit, & aurum verum confecerit. Tum quia aurum hactenus ab Arte Chymica confectum non habuit proprietates omnes ordinarij auri; nam nec habuit vim medicam in medicinis, ſicut habet aurum verum; nec fuit perfectè ductile in laminas; neque conſervavit ſtabiliter colorem verum auri; nec ſuſtinuit vim ignis: Ergo vera Ars Chymica conficiendi verum aurum Chymicum necdum eſt detecta. Et propterea meritò cit. Papa vetuit ſimile aurum applicari in commercijs humanis, & obtrudentes tale, obligavit ad reſtitutionem.

4. *Confectioni auri Chymici ſubeſt periculum animæ.*

Notant etiam DD. Catholici hìc; eſſe valde periculoſum exercere Artem Chymicam pro conficiendo auro; eò quòd Dæmon, qui perfectiſſimè callet Artem applicandi activa naturalia paſſivis, ſæpius ſeſe intromittat, & poſtquam Alchimiſta diu in vanum laboravit, ac in pauperiem eſt redactus, eidem fert opem mediò pactò tacitô, vel expreſſô; vel certè ita eum profundat in hujus Artis inquiſitione, & naturalium perluſtratione, ut in eo obſcuret Fidem orthodxam de DEI, ut Authoris Naturæ exiſtentia, cauſatione, & cooperatione cum creaturis, ſuggerendo omnia per naturam, & cauſis ſecundas fieri abſque ullo concurſu Authoris Naturæ.

QUÆSTIO VIII.

De Arte Magica, & inveſtigatoria mettallorum, auri, argenti &c.

1. *Quid ſit Magia naturalis.*

NOta primò; Ly *Magia* (quod idem eſt ac Ars Magica) eſſe vocabulum Perſicum, teſte Calepino, & ſignificat idem quod *Sapientia*, ſeu perfecta cognitio rerum naturalium; unde Magi apud Perſas erant iidem, qui Philoſophi apud Græcos. Eſt autem duplex Magia, ſeu Ars Magica, una *naturalis*, & eſt perfecta, ac ſumma naturalis Philoſophiæ cognitio circa naturalia naturaliter cognita, quæ docet variam applicationem activorum ad paſſiva, ex qua vi naturali admirabiles, & inſoliti effectus ſequuntur, à vulgi notitia penitùs alieni: hàc olim Archimedes è turri Syracuſana naves Romanorum mari innatantes objectô ſoli vitrô combuſtivô per Artem phyſicam ſeu Magicam naturalem benè politô accendit: item navim quandam beneficiô trochlearum Arte Magica compoſitarum ſuper altiſſima mœnia ſolus attraxit: item ex vitreis orbibus artificiô phyſicæ naturalis præparatam ſphæram conſtruxit, in qua omnes motus cœlorum, & aſtrorum exactiſſimè repræſentavit. Hujuſmodi Magia naturalis ſeu exacta cognitio rerum naturalium, quàm diu ſiſtit in puris virtutibus naturalium, & earum connexione phyſica in genere cauſæ, & cauſati, ac proportione utriuſque phyſica, & caret omni pactô tacitô, vel expreſſo Dæmonis, licita eſt, & dicitur *Phyſica naturalis.*

Notâ ſecundò: altera Magia, ſeu Ars Magica vocatur *Dæmonica*, Diabolica, Thurgiaca, & præſtigiæ Magicæ, quæ invocatione, ope, ac pactô, tacitô, vel expreſsô Dæmonum ordinatad inſolitos, & prodigioſos effectus, uti ſunt volare per aërem, breviſſimô temporis intervallô tranſire Româ Pragam; aſſumere figuras, cattorum, avium &c. Hæc eſt Ars penitùs illicita, prohibita, nefanda, & abominabilis: Unde ad eam magìs detegendam in ſequentibus plura dicam, ut Catholicus Lector aſtus Dæmonis diſtinguere valeat, ac declinare. Quare 2. *Et quid Diabolica.*

Notatertiò: Hujus Artis ſunt variæ 3. *Variæ ſpecies Magiæ Diabolicæ.*
ſpecies, ut *Hydromantia*, quæ ex aquis ope Dæmonis ſtupenda operatur: *Axinomantia*, quæ interventu ſecurium, & dolabrorum, ac adjutoriô Dæmonis operatur; *Lecanomantia*, quæ pelvibus aquâ repletis, & ope Diaboli utitur: *Catapthromantia*, quæ fit per ſpecula. *Pyromantia*, quæ fit per ignem. *Chiromantia*, quæ fit inſpectione linearum manuum. *Necromantia*, quæ fit per evocationes umbrarum, & inferorum colloquia; *Capnomantia*, quæ fit ex fumo aræ. *Coſcinomantia*, quæ fit per cribrum: quæ & ſimiles artes complures a Patre omnium præſtigiarum excogitatæ ſunt ad detinendos mortales in ſui ſuperſtitioſo cultu: quare omni niſu à Chriſtiano ſunt vitandæ ſub graviſ-

ſimo peccato mortali, ob pactum ſaltèm tacitum Diaboli interveniens.

4. *Signum diſtinguendi Magiam Dæmoniacam primum.*

Nota quartò : Magiam Dæmoniacam per plura ſigna poſſe diſcerni à Magia naturali licita. *Primò* ſi pro effectuum mirabilium productione præexigantur quædam Cæremoniæ Sacræ, & circumſtantiæ inutiles, quæ ſpectatô modô agendi cauſarum naturalium impertinentes, ac prorſus inutiles ſunt ad debitam applicationem earundem; tales ſunt v. g. ſub ipſa S. Communione, & hoſtiæ deglutione proferre certa verba, vi quorum deinde debet ſequi effectus; denudatô corpore operari; vertere ſe in operatione ad ortum ſolis potiùs, quàm ad occaſum; præponere in acceſſu ad opus potiùs pedem dextrum, quàm ſiniſtrum; accipere potiùs par quàm impar; quæ omnes circumſtantiæ arguunt effectum poni per Dæmoniacam Magiam.

5. *Secundum ſignum.*

Secundò diſtinguitur eadam Magia Dæmoniaca, ſi adhibere debeant certi characteres, verba ſacra, vel peregrina, certa ſigna, cifræ, & id genus alia, quæ non habent ullam vim influendi in ſecuturum effectum prodigioſum; tales eſſent portare ſchedas congelatorias, ut vocant paſſim, id eſt, quæ faciunt pellem humanam reſiſtere punctionibus, & penetrationibus gladij, globorum &c. quæ licèt quandoque conſcriptæ ſint ſacris verbis; hôc tamen artificiô utitur Dæmon præciſè ad fallendos homines : & advertendum bene Dæmonem ſæpiſſimè hac, vel ſimili ſpecie pietatis ſuam cooperationem illicitam tegere in efficiendis operibus inſolitis.

6. *Tertium.*

Tertiò deprehenditur ejuſdem Artis Diabolicæ operatio, ſi effectus, qui producuntur, nullô modô ſuis cauſis ſint proportionati; tales eſſent, ſolo afflatu aperire feras, lupos ſubitò educere, in ſpeculis repræſentare objecta procul diſtantia, v. g. fures & latrones in ſylvis latitantes in diſtantia plurium leucarum.

7. *Quartum.*

Quartò tandem præſumitur quoque intervenire Magiam Diabolicam, ſi effectus tales extraordinarij dirigantur ad amores profanos, libidines carnales, furta, ignes nocivos, morbos inducendos, tempeſtates, variáque damna cauſanda in proximorum perſonis, ac facultatibus; cujuſmodi ſunt ligaturæ cauſatæ in Neo-Conjugibus, ne copulam carnalem perficere valeant; fatuitates, hypocontriæ, deſiccationes carnium procuratæ in hominibus &c.

Nota quintò : quando arte Magica Diabolica effectus prodigioſi, & mirabiles cauſantur ope Dæmonum, tales nullatenus tenendi ſunt pro veris miraculis. 8. *Effectus Magici mirabiles non ſunt Miracula.*

Ratio eſt; quia miraculum verum ſuperat vires omnium agentium naturalium, & conſequenter etiam Dæmonum; ſaltèm quoad modum productionis ejuſdem. Unde etſi ſagæ putent ſe eſſe in duobus locis miraculosè, id eſt ad latus Mariti in lecto, & in loco chorearum, ſeu conventu publico Veneficarum, ſtatis temporibus ſolitô celebrari; reverà tamen in duobus locis non ſunt; cùm talis replicatio ſit verum Miraculum : unde vel ipſe Dæmon fingit perſonam ſagæ in loco lecti ad latus Mariti decumbens; vel aliud corpus eò ſubſtituit, ad decipiendum Maritum. Similiter nec eædem Magæ Diabolicæ miraculosè in loco diſtanti operantur, inducendo dolores in corpus Platonis Athenis decumbentis, cujus ipſæ ceream effigiem aſſant Romæ, ex qua aſſatione ſequntur illi dolores nunc intenſiores, nunc remiſſiores juxta ceræ figuræ aſſationem variam; quia in tali caſu Dæmon accedit Athenas, & ibi inviſibiliter affligit corpus Platonis, cauſando illos dolores nunc intenſiores, nunc remiſſiores.

Nota ſextò : etſi nec Magus per Magiam Dæmoniacam, neque ipſe Dæmon poſſint patrare miracula vera : nihilominus Dæmon poteſt vel ſe ſolô, vel cum Magis moliri quoſdam ita portentoſos, & mirabiles effectus, ut nec omnes homines collectivè ſumpti eos poſſint naturaliter producere. 9. *Ope Magia Diabolica miri effectus elici poſſunt à Dæmonibus.*

Ratio eſt; quia Dæmones, ſeu Angeli damnati creati ſunt perfectiſſimæ creaturæ, ditati viribus activis, maximè potentiâ loco motivâ, ac ſcientiâ naturali perfectiſſimâ, quæ in ipſis etiam ut damnatis remanent; unde eſt communis ſententia Theologorum, *naturalia in Angelis damnatis manſiſſe integra*; quare mediantibus hiſce viribus naturalibus, & eximiâ ſcientiâ naturalium poſſunt expeditè applicare activa paſſivis, miſcere naturas rerum, eaſdem juxtà ponere, alterare, ac diſponere ad generationes mirabilium effectuum; atque ita ciere tempeſtates, provocare pluvias, fulmina, peſtes, illicitos amores, odia &c. excitare in hominibus; intellige diſpoſitivè, & applicativè.

Nota

10. *Quid præſtigia, maleficia, divinationes, ſuperſtitiones.* Nota ſeptimò: omnes effectus Magiæ Dæmoniacæ poſſe reduci ad quatuor claſſes; nimirum ad Præſtigia, Maleficia, Divinationes, & ſuperſtitiones. *Præſtigia* vocantur illi effectus miri, qui exercentur ope Dæmonis ſinè ullo prorſus nocumento; ſed ad meram curioſitatem duntaxat hominum; tales ſunt in menſis ſub ſpecie variarum ſylveſtrium carnium apponere canes, & cattos mortuos; ſub ſpecie variorum fructuum quaſdam maſſas ſtercoreas; ſub ſpecie farciminum aſſatorum funes, & ſub ſpecie butyri excrementa recentia vaccarum, quæ & ſimiles præſtigiæ meo tempore in quadam regione Germaniæ erant ſat familiares ſagis; quæ tamen deinde authenticè detectæ à Judicibus debitas ſuarum curioſitatum, & præſtigiarum pœnas luerunt, publica concrematione corporum ſuorum. *Maleficia* ſunt effectus magici facti ope Dæmonis in nocumentum tertij; tales ſunt jaculationes, ut ajunt, in varia membra hominum, in quæ ægritudines, contracturas, claudicationes, tumores, putrefactiones, alióſque affectus morbidos inducunt; item conciliatio illiciti amoris per philtra &c. *Divinatio* eſt prædictio futurorum, & ſecretorum, ope Dæmonis facta. *Superſtitio* eſt obſervatio rerum inanium ſomniorum, volatûs, & garritûs avium, nubium varij concurſus, ex quibus ope Dæmonis aliqui effectus conjiciuntur.

11. *Primus modus quo Dæmon Magiam exercet.* Nota octavò: tres potiſſimè à DD. aſſignari modos, quibus Dæmon Magiam Diabolicam, vel ſeipsô, vel in Mago Diabolico exercere ſolet, ut efficiat effectus prodigioſos, ac mirabiles. *Primus* eſt per applicationem agentium naturalium activorum cum paſſivis aptis, & bene diſpoſitis: quia cùm lateant plures occultæ virtutes, & qualitates activæ in rebus naturalibus, maximè in herbis, lapidibus, elementis, & mixtis plurimis, quas dum Dæmon utpote pollens ſcientiâ exactâ ſimilium virtutum, & qualitatum applicat aptè diſpoſitis paſſivis, mirabiles ab eis egrediuntur effectus. Latere autem reverà tales virtutes in rebus naturalibus, jam pridem deprehenderunt Phyſici, curioſiùs arcana Naturæ ſcrutantes; qui proinde ſcribunt ſequentia, & plura alia: de quibus

12. *Variæ virtutes latenter herbarum.* Nota nonò: Albertus Mag. *lib. 1. ſecret. natural.* dicit; ſi Elitropia colligatur ſole exiſtente in Leone, & involvatur in lauri folio, & ſimul addatur dens Lupi, & feratur ſimul, nullus habebit contra ferentem vocem loquendi, niſi verba pacifica. Item ſi quis urticam ponat cum ſucco ſemperuviæ, & ungat manus, ponátque manum ubi piſces ſunt, omnes accurrent ad manum. Item herba nomine fiſcus querci, quæ in arboribus creſcit transforata arbore habita cum martegno ſeu ſylvio omnes feras aperir. Quod compoſitum, ſi ad arborem cū ala hirundinis ſuſpendatur, à quinque milliariibus facit omnes aves venire ad talem arborem, & hoc probatum eſſe dicitur. Item ſalvia putrefacta in fimo in vaſe vitreo procreat vermem, qui vermis ſi comburatur, & pulvis in lampade ponatur & accendatur, videbitur tota domus repleta ſerpentibus, & hoc expertum dicitur.

13. *In Lapidibus etiam miræ latent virtutes.* Item lapis ophtalmus reddit hominem inviſibilem, quem Conſtantinus pugnô geſtans inviſibilis redditus narratur. Lapis onyx, qui eſt nigri coloris, veniens ex India in Arabiam, ſi collo, vel digito ſuſpendatur, excitat triſtitiam, & terrores. Lapis ſilonites portatus mirum in modum acuit ingenium. Topazion à Topazia inſula dictus, in aquam bullientem, ſi injiciatur, totam defluere facit. Lapis Memphites à Memphis Civitate, ſi conteratur, & aquâ mixtus bibatur, reddit hominem inſenſibilem. Lapis Abaſton ſemel accenſus nunquam extingvitur, eò quòd habeat naturam Lanuginis, quæ pluma Salamandris vocatur, quæ ſemper ignem fovet. Lapis Eſmundus omne venenum extinguit. Lapis Corallus ſedat tempeſtates, pellit ſtultitiam, & facit homines ſapientes. Lapis Quirites ſuppoſitus capiti dormientis facit eum omnia ſua ſecreta revelare; naſcitur hic lapis in nido upupæ. Lapis Smaragdus facit bonam memoriam; invenitur in nidis Frigonum. Lapis Magnes tritus, & ſuper carbones ſparſus, facit omnes ex domo fugere. Lapis Ferripendamus urit manum, ſi fortiter ligetur, ideoque leviter vult palpari. Lapis Meda à Medorum regione ſic dictus ſi in aqua calida reſolutus fuerit, & aliquis in ea manus ſuas laverit, ſtatim excoriabantur; & ſi quis ex eâ biberit omni curâ, & auxiliô ceſſante vomendo peribit. Dicitur etiam quòd lapis ille podagram curet, ac cæcitatem pellat. Lapis Adamas naſcitur in Cypro, valet contra inſaniam, & indomitas beſtias, feros homines, & venena; aliqui

hunc

hunc vocant Diaman: Lapis Agathes confert portatus vires cordibus, facit hominem potentem, jucundum, & acceptabilem. Lapis alectorius albus ut Chryſtallus invenitur inventriculo galli caſtrati, ſervatus ſub lingua ſitim extinguit; & hoc probatum eſt. Lapis Amethiſtus valet contra ebrietatem, confert bonum etiam intellectum. Lapis Berillus fugat hoſtes. Si vis ut ſol appareat ſanguineus, accipe lapidem, qui Elitropia dicitur, eſt viridis ſimilis Smaragdo, vocatur alio nomine gemma Babylonica, lapis iſte ſi ungatur ſucco herbæ ejuſdem nominis, & in vas plenum aquâ mittatur, facit videri ſolem ſanguineum, cujus cauſa eſt, quòd totam aquam ebullire faciat in nebulam, quæ aërem inſpiſſando impedit ſolem, & ſic ſanguineus apparet. Lapis Chelidonius facit hominem facundum; hic lapis in hirundinibus invenitur. Lapis Iſtmos, ut dicit Iſidorus, ſimilis eſt croce, ſi veſtis illô conſpergatur, nunquam comburitur. Lapis Laſuli pellit melancholiam; hoc certum dicitur. Lapis Iris oppoſitus radijs ſolis ſtatim reflectendo facit apparere ibidem in pariete, vel muro Iridem. Lapis Gallaſia in ignem injectus nunquam caleſit; ratio eſt; quia habet poros ita obſtricies, ut calor ingredi non poſſit corpus ejus. Lapis Echites impedit abortum; ſi in cibo venenoſo ponatur, prohibet ne cibus deglutiri poſſit. Lapis Hiacinthus provocat ſomnum portatus propter ſuam frigiditatem. Lapis Zaphyrus qui ab oriente in Indiam venit, flavi eſt coloris, devotum, & pacificum facit. Si corvi ova coquantur, & iterum in nido reponantur, volat corvus ad mare rubrum, & fert lapidem, tangit ova, & facit recentia ut antea: ſi autem is lapis ponatur in annulo cum folio lauri, omnes feras aperit.

14. *Rurſus alia qualitates activæ quar: naturarum.* Nota decimò: alias miras qualitates activas quorundam naturalium, quas afferunt Naturaliſtæ paſſim; nam Turceſia gemma in annulo geſtata imminente vitæ periculo aut palleſcit, aut omnino rumpitur. Smaragdus Epileptico applicatus, aut morbum ſuperat, aut ipſe in partes rumpitur. Remora exiguæ molis piſciculus ſola corporis inhæſione ingentes ſiſtit naves, ut in bello expertus eſt Marcus Antonius, & poſt eum Carris princeps, cujus navi cùm tenaciter piſciculus adhæſiſſet quadringentorum remigum labore navis locô moveri non potuit. Torpedo ſi mortuis piſcibꝰ adjungatur facit eos reviviſcere, & ſaltare; ſi verò piſcatoris manum apprehendat, facit eam obſtupeſcere. Ova forti aceto immerſa, & macerata ita molliuntur, ut per angulos, & foramina tranſeant, adeóque etiam in vitra quamvis anguſtiſſimi orificij imponi poſſint; ſuper quæ, ſi denuò frigida aqua fundatur, indureſcunt. Ova corvi rufos capillos nigros faciunt; qui autem hos colorat, attendat, ut oleum in ore habeat, aliàs dentes nigros acquiret. Cauda lupi ad boum præſepia ſuſpenſa boves à paſtu arcet. Omitto multa alia, ex quibus manifeſtè apparet latere in rebus naturalibus occultas qualitates, quæ dum à Dæmonibus debitè applicantur, mirabiles producunt effectus; hôc modô poteſt Dæmon morbos immittere, theſauros oſtendere, venena, fulmina procurare, & omne genus maleficiorum patrare.

Secundus Modus quô Dæmones per ſe, vel per alios exercent Magiam prohibitam, conſiſtit in motu locali; quô ipſi, eorúmque Miniſtri oculis ac ſenſibus mirum in modum illudunt: Dæmones enim cùm gaudeant potentiâ loco motivâ celerrimâ; poſſunt corpora citiſſimè de loco in locum transferre, aquas fluminum, & maria commovere; ſtatuis greſſum, & loquelam ſimilitudinariam attribuere: hôc modô uſa eſt illa Claudia Romana, quando olim ad probandam ſuam virginitatem prægrandem navim in Tyberi hærentem unicô circulô traxit, quò voluit. 15. *Secundus modus Dæmonis exercendi Magiam.*

Tertius Modus quo ijdem maligni ſpiritus per ſe, vel per ſuos aſſeclas exercent Artem Magicam Diabolicam, eſt, illudere variè ſenſibus, & oculis ſpectantium; quod præſtant *primò* per variam colorum mixtionem; ſic poſitô ſtrammine in cubiculo obſcuro, ſi accendatur candela cerea, cui pro lychno ſit corium ſerpentis, quoquo verſum vertitur lumen, apparent meri ſerpentes ſeſe gyrantes. *Secundo* mutatione medij, aërem ſcilicet condenſando, aut rarefaciendo; ſic Tucia Virgo aquam hauſtam cribro è Tyberi in Capitolium tulit; quia Dæmon ita ſub cribrô aërem condenſavit, ut effluĕre non potuerit. *Tertiò*, mutatione organi corporei. *Quartò*, phantaſiæ turbatione per ſpecies, quas Dæmones ipſi producere poſſunt; hac Arte fiunt varia ſagarum convivia. *Quintò*, variatione, formatione 16. *Tertius modus.*

mationе variarum formarũ; hac arte variâ, varia corpora ſagis dæmon efformat, ita ut nunc canis, nunc catti, nunc ſtraminis &c. forma appareat; tectis interim cæteris humani corporis partibus: hôc artificiò dæmon corpus ſibi efformat, ſub quo in ſagarum conventibus, conviviis, ac choreis intereſt. Veriùs tamen eſt, eum plerumq; cadaver alicujus damnati aſſumere; & hinc horridus, & inamænus ſolet eſſe (fatentibus ipſis ſagis) eorum aſpectus. Et quidam dicunt, ſagas ab illorum commercio mortalem quemdam fœtorem contrahere, quô facilè ab aliis dignoſcuntur. *Sextò*, plurium ejuſmodi modorum conjunctione, & mixtione v. g. cùm Muſcam totum currum lignorum trahere proditum ſit; etſi nonniſi unum filum trahat; aut paſtor videatur ante ſe habere integrum gregem; cùm tamen non habeat, niſi cumulum crabrorum, quod fit per immutationem phantaſiæ. Circa ultimum articulum hujus quæſtionis.

17. *Quid ſit virgula fortunæ.*

Nota undecimò: foſſores metallorum ad inveſtiganda varia metalla, ſignanter auri, & argenti, ac ad detegendos Theſauros occultatos in ſinu terræ latentes plerumq; adhibere ſolent virgulas quaſdam biffidas, quæ *virgulæ Fortunæ* appellantur; & ſunt abſciſſæ ab arbore corili certâ arte, ſeu obſervatione conjuncturarum corporum cæleſtium, influentium in hæc inferiora, quæ in eo loco, ubi metalla præfata, vel Theſauri recondita ſunt, illicò in manibus inflectuntur, & omni niſu inclinantur verſus illa: uti ego ipſemet vidi. De his

18. *Ejus uſus videtur eſſe licitus.*

Nota duodecimò: videtur licitum eſſe, uti Arte inveſtigandi metalla auri & argenti, ac alia per virgulas corili, ſecluſis quibuſcunque ſuperſtitioſis cæremoniis, in abſciſſione, & uſu dictarum virgularum adhibendis; ac ſecluſô omni pactô tacitô, vel expreſsô Dæmonis. Ratio eſt; quia licitum eſt uti arte magnetiſmi, quâ magnetibus attrahitur ferrum; & ſuccinô, quô attrahitur palea; eò quòd in ipſis reſideant occultæ qualitates ſymbolicæ, attractivæ dictorum corporum: Ergo etiam videtur eſſe licitum uti Arte inveſtigandi metalla auri, argenti &c. per virgulas corili, in quibus occultus quidam magnetiſmus metalla attrahendi latet; & quia id præſtare nequeunt, ſaltèm verſus ea inflectuntur. Conſequentia tenet; quia utrobique ſiſtitur penes ſolas virtutes naturales occultas, abſque ullo recurſu ad opem dæmonum, & abſque adhibitione variarum cæremoniarum. Quod verò certæ horæ, & tempora abſciſſionis dictarum virgularum obſervari debeant, hoc fit ad obſervandas debitas influentias certorũ aſtrorum, tali tempore occurrentium, quæ plurimùm conducunt ad augendum illum magnetiſmum, in corilo latentem reſpectu metallorum attrahendorum, vel potiùs demonſtrandorum.

DISTINCTIO IX.

DE CAUSIS CORPORIS NATURALIS IN COMMUNI.

Prænotatio.

UT Res phyſicæ, & corpora naturalia, quæ ſtatuta ſunt ſupra objectum Phyſicæ diſciplinæ, exactiùs cognoſcantur, earum Cauſas præter jam dicta ſuperioribus diſtinctionibus de materia, & forma ſubſtantiali, oportet ampliùs indagare; cognitis enim Cauſis cognoſcuntur ipſi effectus, juxta Ariſtotelem 2. Met. text. 11. *imprimis autem præmittenda eſt diſtinctio de Cauſa in communi, quam quia Philoſophus ſtabilibus, & præciſis terminis exactè non reliquit definitam; ſed variè de ea locutus eſt; idcirco quivis ferme AA. circa ejus definitionem in ſuo ſenſu*

abundat. Ego de ejus exacta definitione ad mentem Scoti ſubjicio ſequentem Quaſt.

QUÆSTIO I.

De acceptione varia; & vera definitione Cauſæ phyſicæ ut ſic.

1. *Varia acceptiones Cauſa.* Nota primò: tres magis uſitatæ in ſcholis circumferuntur acceptiones hujus vocabuli *Cauſa.* *Primò* enim ſumitur laxiſſimè, pro omni eo, â quo aliquid aliquô modó fit; & hoc ſenſu tam Cauſæ verè influentes phyſicæ; quam etiam conditiones *ſinè quibus non* poteſt poni effectus, nomen Cauſæ ſortiuntur. *Secundò* uſurpatur ſtrictiſſimè, pro eo, á quo aliquid efficienter procedit; hoc ſenſu coarctatur ad ſolam Cauſam efficientem. *Tertiò* tandem capitur propriè pro illa re, quæ influit in ſuum effectũ, qui dicitur corpus naturale, verè & realiter, & phyſicè, & per ſe; nõ verò reſultatoriè, utì contingit in Cauſis metaphyſicis: & in hoc ſenſu procedit præſens Diſtinctio, & Quæſtio de Cauſa, quæ *Phyſica* dicitur.

2. *Diſſidium Patrum Latinorum, & Græcorum ſuper ly Cauſa.* Nota ſecundò: hoc vocabulum *Cauſa* in hoc tertio, & proprio ſenſu in rigore nõ idem omnino ſignificare apud omnes; unde de eo inter Patres Latinos, & Græcos olim graviſſima fuit diſceptatio: nam multi Patres Græci aſſerebant etiam in Divinis reperiri rationem Cauſæ, & coincidere cum vocabulo *principium*: ita ut Pater Divinus dicatur eſſe Cauſa Filii, ſicut dicitur ejus principium: Patres verò Latini conſtanter negârunt in Divinis reperiri rationem Cauſæ, hôc nixi fundamentô, quòd omne cauſatũ, quod Cauſæ ut correlativum correſpondet, importet quamdam imperfectionem, puta dependentiam, & limitationem, ac alietatem in natura; quod Filio in Divinis, ſi cauſatus eſſet, repugnat: Quare PP. Latini in Divinis ſolùm rationem principii, & principiati; nõ verò Cauſæ, & cauſati admittunt. Ex quibus colligitur principium non eſſe convertibile cum Cauſa propriè ſumpta; unde non ſequitur, principium eſt: Ergo Cauſa eſt; quia Pater in Divinis principium, non tamen Cauſa eſt: bene tamen Cauſa eſt convertibilis cum principio; ut, Cauſa eſt: Ergo principium eſt.

3. *Cauſa definitio.* Dico primò: aptè definitur Cauſa ut ſic propriè dicta phyſica & per ſe corporis naturalis, quòd *ſit principium per ſe influens eſſe in aliud cum vera dependentia ejuſdem.* Eſt ſecundùm Scotum *5. Met. in Com. tex. 1. cap. 1.*

Probatur: hæc definitio conſtat genere, & differentiá, aliiſque requiſitis ad aptam definitionem: Ergo &c. Ly enim *principium* eſt genus; in quo Cauſa convenit cum principio in Divinis; reliqua ſubeunt rationem differentiæ. Dicitur *per ſe*, ut excludantur conditiones *ſinè quibus non*, quæ non per ſe; ſed concomitanter tantùm requiruntur ad ponendum effectum; & ut â ratione Cauſæ per ſe, quæ ſola hìc definitur, utpote ſola principians corpus naturale, eliminentur Cauſæ per accidens; quæ per ſe, & immediate non attingunt productionem effectûs cauſati; ſed per aliud. Additur *influens eſſe*, ut detur intelligi, Cauſam phyſicam principiare per virtutem ſibi inditam, & â ſe derivatam, ac per verum phyſicum influxum; per quod â ratione Cauſæ phyſicæ excluditur privatio, punctum, & inſtans, quæ licèt principia appellentur; attamen non principiant per influxum phyſicum. Additur ly *in aliud*, quod denotat cauſatum, ſeu effectum principiatum per phyſicam Cauſam habere diſtinctam ſaltèm numerô naturam, & eſſentiam â ſua Cauſa; per quod â ratione Cauſæ propriè dictæ excluditur Principium Divinum Pater, qui etſi principiet, & originet Filium, communicando ei ſuam Divinam Eſſentiam; non tamen rectè dicitur Cauſa ejus; quia ei non communicat naturam, & Eſſentiam aliam, id eſt diſtinctam. Per illas particulas *cum vera dependentia ejuſdem*, datur intelligi omne cauſatum indigere ad ſui poſitionem causâ; & indicatur ejus contingentia, atque poſſibilitas ad non exiſtendum.

Objicies *primò*: plures Sancti PP. Græci docent, Patrem æternum eſſe Cauſam Filij; & tamen Pater non influit eſſe in Filium ut aliud; quia aliam naturam â ſua ei non communicat: Ergo ly in aliud malè ponitur in definitione. *Secundò*, Finis eſt Cauſa phyſica vera: ſed Finis non influit aliquod eſſe in effectum: Ergo pariter ly influens eſſe malè ponitur in præfata definitione. 4. *Objecta contra definit: Cauſa.*

Reſpondeo *ad Primum* interpretando illos SS. PP. Græcos, & dico, eos ſumere ly *Cauſa* non in propria, ut concluſio loqui- 5. *Reſolvuntur.*

loquitur; ſed in laxa ſignificatione, & acceptione, prout coincidit cum ly *principium*; utì patet ex *Oratione Conciliarij*, quã habuit Beſlarion Archi-Epiſcopus Nicænus pro Unione Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ tempore Concilij Florentini, in qua *cap. ult.* ait: *notandum quòd SS. Doctores Orientales etiam in Divinis utuntur nomine Cauſæ, & Cauſati largô modô; non quidem ut limitationem, & dependentiam importat; ſed prout productionem, & emanationem à principio, quod eſt à principio, ſignificat*: hactenus Baſſarion Diſertiſſimus Orator Conciliaris. *Ad Secundum* Diſt. Min. finis non influit aliquod eſſe reale in effectum ſecundùm ſuum eſſe reale Conc. Min. ſecundùm ſuum eſſe intentionale Neg. Min. Itaque finis finalizat, ſeu influit, phyſicè ſecundùm ſuum eſſe intentionale, quod habet in mente agentis, quatenus ſcilicet movet in ratione diligibilis, & appetibilis agens ad agendum, & cauſandum. Negari etiam poteſt abſolutè Minor.

QUÆSTIO II.

De cauſalitate Cauſæ phyſicæ.

1. *Quid cauſalitas fundamentalis, & formalis.*

Nota primò: in qualibet Cauſa ſequentia quatuor poſsũt diſtingui; *primò* entitas illius rei, quæ dicitur Cauſa. *Secundò*, Virtus, ſeu potentia rei ad agendum, ſeu cauſandum. *Tertiò* influxus, ſeu id, quô effectus dicitur cauſari, & â Cauſa pendere. *Quartò* relatio quam habet cauſa ad effectum productum: de quibus omnibus inquiri poteſt, in quonam horum cauſalitas Cauſæ formaliter conſiſtat.

Nota ſecundò: cauſalitas Cauſæ poteſt dupliciter conſiderari, fundamentaliter, & formaliter. *Cauſalitas fundamentaliter* conſiderata eſt ipſamet entitas abſoluta Cauſæ, ſeu ratio formalis ponendi cauſatum & effectum in eſſe, v.g. in igne, Cauſalitas fundamentaliter eſt ipſa forma abſoluta ignis, ut affecta ſua virtute naturali, & influxu, quæ eſt ratio formalis cauſandi alium ignem. *Cauſalitas formaliter* conſiderata eſt forma quædam ſuperaddita entitati abſolutæ Cauſæ, quæ eſt ratio formalis denominandi, & conſtituendi Cauſam in ratione Cauſæ, ſeu in actu ſecundo.

Nota tertiò. Cauſalitatem formaliter acceptam eſſe reverà aliquid realiter diſtinctum ab entitate abſoluta Cauſæ; utì colligitur ex Scoto *Quodlib. 8.* Et eſt ratio; quia Cauſa poteſt exiſtere abſque cauſalitate formali; puta ſi Cauſa domûs v.g. ædificator dormiat, quô tempore non habet cauſalitatem formalem: Ergo &c. Deinde cauſalitas formalis accidit Cauſæ, ut actus ſecundus actui primo: Ergo ſicut actus primus ſæpè poteſt eſſe ſinè actu ſecundo; ita & Cauſa ſinè cauſalitate formali, & conſequenter hæc diſtinguitur reverà ab entitate abſoluta Cauſæ. 2. *Cauſalitas formalis eſt aliquid diſtinctum ab entitate Cauſa.*

Nota quartò: cauſalitatem formaliter ſpectatam non mediare veluti quamdam viam, & rationem cauſandi mediam inter entitatem abſolutam Cauſæ, & entitatem abſolutam effectûs, ut putat Columb. Canon. Paſſerus, & quidam alij Scotiſtæ; cõtra expreſſum textum Doctoris *2. diſt. 1. q. 2.* ubi ait, *fallit nos imaginatio, dum putamus relationem cauſalitatis mediare, veluti viam inter Cauſam, & effectum; quia reverà ſequitur; ſicut univerſaliter nulla relatio ponitur niſi poſitis extremis.* Et ratio eſt; quia relatio non eſt de genere activorum; adeoque nec poteſt eſſe via, & ratio cauſandi. Deinde iſta relatio eſt intrinſecùs adveniens ex Scoto *9. Met. §. ſi ergo*: Ergo primò reſultat poſitis extremis Cauſæ, & cauſati. Unde adverte in igne v.g. ut Cauſa cauſante alium ignem, *primò* eſſe entitatem abſolutam ignis cauſantis, ſeu influentis influxu verô phyſicô in alium ignem; *ſecundo* fit alia entitas abſoluta ignis cauſati per applicationem, & influxum illius entitatis abſolutæ; *tertiò* inſurgit in iſto igne cauſato relatio effectûs ad ignem cauſantem: *quartò* tandem exurgit quoque alia relatio Cauſæ in igne cauſante ad ignem cauſatum; & hæc vocatur cauſalitas formaliter ſpectata. 3. *Cauſalitas formalis nõ mediat inter Cauſam, & effectum.*

4. Dico primò: cauſalitas Cauſæ fundamentaliter accepta eſt ipſamet entitas abſoluta Cauſæ, ſeu forma abſoluta, & virtus influens; nõ verò aliquis modus ſubſtantialis. Ita Scotus *2. diſt. 1. q. 2.* & ſequuntur Monturſius, Meriner. Catharenſis, & communis Scotiſt. contra Hervæũ, Soncin. Fonſecam, & alios, aſſerentes hujuſmodi cauſalitatem conſiſtere in modo abſoluto. *Cauſalitas fundamentalis eſt ipſa entitas abſoluta Cauſa, & non modus aliquis.*

Probatur primò: cauſalitas fundamentaliter accepta eſt ratio formalis agendi, influendi, ſeu cauſandi ipſius Cauſæ: ſed ratio formalis cauſandi eſt entitas abſolu-

ta Cauſæ, ſeu ejusforma abſoluta accepta cum ſua virtute nativa, & influxu: Ergo &c. Probat. Min. à Scoto *Quodlib. 8.* illud. eſt ratio formalis agendi, ſeu cauſandi, in quo agens, ſeu cauſans, & cauſatum aſſimilantur; quia agens ſeu cauſans naturale intendit cauſare ſibi ſimile in natura: ſed aſſimilantur tantùm in entitate abſoluta: Ergo ratio formalis cauſandi eſt entitas abſoluta. Prob. Min. ex Ariſtotele *5. Met. tex. 10.* dicente, quòd terminus formalis actionis vel motûs ſit forma abſoluta; ſed hujuſmodi forma abſoluta eſt ipſa forma, quæ eſt ratio formalis agendi, ut habet eſſe fluens: Ergo principium formale in quo aſſimilantur cauſans, & cauſatum eſt entitas abſoluta Cauſæ.

Probatur ſecundò: ille modus â RR. confictus omnino ſuperfluit; cùm entitas abſoluta Cauſæ, ſeu forma ejus ſit ſufficiens principium cauſandi, & influendi actu eſſe in aliud: Ergo &c. Deinde quod abeſt, vel adeſt ſine ſubjecti corruptione, non eſt quid ſubſtantiale; ſed merum accidens: atqui ille modus, quem RR. dicunt ſubſtantialem, adeſt, quando ſcilicet materia, & forma cauſant compoſitum in fieri; abeſt verò, quando in eo jam cauſato permanent, vel ſeparantur ab invicem: Ergo ille modus non eſt quid ſubſtantiale; & conſequenter confingitur.

5. *Nulla relatio tranſcendentalis ingreditur rationem fundam. Cauſæ.*

Dico ſecundò: eſſentialem conceptum cauſalitatis fundamentalis ſeu in actu primo non ingreditur ulla relatio tranſcendentalis, ratione cujus entitas abſoluta Cauſæ diceretur potens cauſare effectum. Colligitur ex Scoto *Quodlib. 8.* & *2. diſt. 1. q. 2.* quem ſequitur Monturſius, & alij cõtra Maſtrium, & Bellutum.

Probatur textu Scoti *cit. 2.* ubi ait, *illud idem abſolutum* (id eſt entitas abſoluta) *quod præceſſit in Cauſa tam naturâ, quàm duratione ipſum effectum productum, vel cauſatum, eſt etiam in ea in illo inſtanti priùs naturaliter, quàm cauſet, & ſecundùm illud abſolutum, ſecundùm quod priùs fuit cauſativum, eſt nunc cauſans; & non ſecundùm aliquod additum, neque abſolutum, neque relativum;* quod ultimum vocabulum excludit ſanè omne relativum, & conſequenter etiam tranſcendentale â conceptu eſſentiali cauſalitatis fundamentalis: Ergo &c. Probat. ſecundò ratione; illud quod ingreditur eſſentialem conceptum cauſalitatis fundamẽtalis debet eſſe priùs naturaliter ipsô cauſatô, ſeu effectu: ſed illa relatio tranſcendentalis non eſt prior; quia cùm ſecundùm Scotum *1. diſt. 30. q. 1.* dependeat eſſentialiter â fundamento, & termino, non poteſt eſſe prior eis: Ergo illa relatio non ingreditur conceptum eſſentialem cauſalitatis fundamentalis.

6. *Maſtrius contentatur.*

Obijcit Maſtrius: Cauſa in actu primo, ſeu fundamentaliter ſonat idem, quod Cauſa potens agere: ſed potentia, & virtus cauſandi important relationem tranſcendentalem ad effectum poſſibilem: Ergo &c. Reſpondeo Diſt. Min. cum Scoto *1. diſt. 7. q. unicâ* ſumendo potentiam pro formali Conc. Min. ſumendo potentiam pro ſubſtrato, ſeu fundamentali Neg. Min. ſic enim dicit tantùm entitatem abſolutam, per quam dicitur eſſe in actu primo, ut ſit potens agere.

7. *Formalis cauſalitas Cauſæ eſt quædam relatio.*

Dico tertiò: cauſalitas Cauſæ formaliter conſiderata eſt quædam relatio prædicamentalis ejuſdem cauſæ ad cauſatum. Ita Scotus *2. diſt. 1. q. 2. & 9. Met. q. 4.* & *Quodlib. 8.* & ſequuntur Monturſ. Columb. Merin. Cathar. Fuente, & alij Scotiſtæ; contra RR. & P. Fraſſen, ac Sghemam, ſtatuentes cauſalitatem formalem in influxu abſoluto.

Probatur: Tum quia Totum eſſe cauſalitatis formalis eſt ad illud ſe habere; quia eſt habitudo ad effectum cauſatum quæ poſitis extremis & ratione fundandi illicò reſultat: Ergo eſt relatio quædam prædicamentalis. Tum quia cauſalitas formalis cauſæ efficientis in particulari eſt quædam relatio prædicamentalis ſecundùm RR. puta actio: Ergo idem dicendum de cauſalitate in communi. Tum quia ly *Cauſa* eſt concretum quoddam relativum: Ergo ejus forma, id eſt cauſalitas eſt relatio.

8. *Influxus & virtus cauſandi ſpectãt ad fundamentale cauſæ.*

Obijcies cum P. Fraſſen: poſitô ſolô influxu Cauſæ, & ſublatis quibuscunque alijs res intelligitur actu cauſans: Ergo cauſalitas formaliter ſtatuenda eſt in influxu; influxus autem eſt quid abſolutum: Ergo &c. Reſpondeo Diſt. Ant. poſitô ſolô influxu Cauſæ, & ſublatis quibuscunque alijs res intelligitur actu cauſans cauſalitate fundamentali Conc. Ant. cauſalitate formali Neg. Ant. Itaque influxus Cauſæ eſt virtus cauſandi, quibus mediantibus ponitur cauſatum, pertinens ad eſſe fundamentale Cauſæ: ut verò habeatur cauſalitas formalis in eadem Cauſa, debet ſuperaddi relatio prædicamentalis, quæ quidem relatio non eſt ratio formalis prævia producendi, & cauſandi ipſum effectum, ut putant plures Scotiſtæ contra ex-

expreſſam Scoti mentem *2. diſt. 1. q. 2.* cùm effectus ſufficienter ponatur mediante virtute activa, & influxu abſolutô Cauſæ; dicente Scoto cit. ad *abſolutum in cauſa ſequitur immediatè abſolutum in effectu*: ſed reſultat poſitô jam effectu, & eſt ratio formalis denominandi, ac conſtituendi Cauſam, ac referendi eandem ad effectum, ut ad cauſatum.

9. *Relatio Cauſalit. formalis non eſt unio.* Dico quartò: iſta relatio cauſalitatis formalis non eſt ipſa unio Cauſæ. Colligitur ex Scoto *3. diſt. 2. q. 2.* & ſequitur Columb. contra P. Poncium.

Probatur: tum quia unio Cauſæ præcedit cauſalitatem formalem; nam priùs debent materia, & forma v. g. uniri, antequam cauſent; ſicut ignis debet priùs approximari combuſtibili, quàm comburat: Ergo unio non eſt illa relatio cauſalitatis formalis: Tum quia poteſt dari vera cauſalitas, ubi nulla intervenit unio Cauſæ; ſi v. g. agens agat in diſtans: Ergo nō videtur cauſalitas formalis in unione rectè ſtatui. Quæ P. Poncius apponit parvi ſunt valoris, nec in Scoto fundata.

QUÆSTIO III.

De varijs diviſionibus Cauſæ.

1. *Quid ſit Cauſa Prima, & Secunda.* NOta primò: Cauſa univerſaliſſimè ſumpta dividitur primò in Cauſam primam, & ſecundam: *Cauſa Prima* dicitur illa, quæ à nullo alio dependet, & alijs cauſandi virtutem impertitur, â qua ſunt omnia, & quæ cum eis concurrit ad omnem entitatem phyſicam rerum producendarum; talis eſt ſolus DEUS, Author naturæ, & gratiæ. *Secunda* dicitur quævis Cauſa creata, â Prima dependens in cauſando, tam quoad poſitionem ſuarum operationum, quàm ipſarum entitatum; talis eſt homo, elementa, bruta &c.

2. *Quid Cauſa Æquivoca, & Univoca.* Nota ſecundò: Cauſa ſecunda deinde partitur *primò* in Æquivocam, & Univocam. *Cauſa Æquivoca* dicitur illa, quæ cauſat effectum ſibi in entitate ſeu ſpecie diſſimilem; talis eſt Sol reſpectu ranæ, plantæ, & hominis, ad quorum generationem concurrit. *Cauſa Univoca* eſtècontra, quæ producit effectum ſibi in entitate, ſeu ſpecie aſſimilatum; talis eſt homo, qui producit alium hominem; & Leo qui generat Leonem ſuæ ſpeciei.

3. *Quid Mediata, & Immediata.* Nota tertiò: *ſecundò* Cauſa creata dividitur in Mediatam, & Immediatam. *Cauſa creata Mediata*, quæ & remota dicitur, eſt, quæ attingit productionem effectûs mediante aliô; talis eſt Mandatarius, qui jubet Platonem occidi per manus Plauti. *Immediata*, quæ & proxima appellatur, eſt, quæ influit immediatè in poſitionem effectûs, talis eſt calor A. reſpectu caloris B. a ſe producti; & Plautus, qui occidit immediatè Platonem. Cauſa Immediata alia eſt, quæ agit immediatè immediatione virtutis; talis eſt Sol, qui ſuâ virtute per aërem diffusâ agit in terram: alia quæ agit immediatè immediatione ſuppoſiti, & virtutis; talis eſt DEUS, qui nedum immediatè immediatione virtutis; ſed etiam immediatione ſuppoſiti, ſeu præſentiæ ſubſtantialis ubique operatur.

4. *Quid Totalis & Partialis.* Nota quartò: *tertiò* Cauſa creata diſmembratur in Totalem, & partialem. *Cauſa Totalis*, quæ & adæquata dicitur, eſt, quæ abſque conſortio alterius concauſæ ſe ſola in ſuo genere cauſat effectum; talis eſt ignis, qui approximatus debitè ſe ſolô comburit ſtupam. *Partialis*, quæ & inadæquata dicitur, eſt, quæ in concurſu alterius Concauſæ operatur; talis eſt Petrus, qui in ſocietate plurium cooperantium fabricat domum. Totalis alia eſt totalis totalitate effectûs; alia totalitate Cauſæ. *Totalis totalitate effectûs* dicitur illa Cauſa, quæ quidem ſecundùm ſuam virtutem influit in totum effectum; eum tamen ſola non ponit, ſed exigit alterius Concauſæ opem; ſic ſi v. g. duo equi trahant unū currum onuſtum, uterque dicitur Cauſa totalis totalitate effectus, id eſt tractionis currûs; ſed quia neuter ſeorſim poteſt illum trahere, ideo unus alterius ope eget. *Totalis totalitate cauſæ* dicitur illa, quæ ſua virtute attingit totalem poſitionem effectûs, ita ut nullâ aliâ creatâ Concauſâ indigeat; talis eſt Plato reſpectu portationis unius centenarij ferri, quem ſe ſolō deferre.

5. *Quid Univerſalis, particularis, intrinſeca, & extrinſeca.* Nota quintò: *quartò* Cauſa creata ſecatur in Univerſalem, & Particularem; ac Intrinſecam, & Extrinſecam. *Cauſa Univerſalis* dicitur illa, quæ influere poteſt in plures effectus indeterminatos; tales ſunt aſtra, Cœli, Sol &c. *Particularis*, quæ & ſingularis dicitur, eſt, quæ in certos, & determinatos duntaxat effectus influere poteſt; talis eſt pictor, qui tantùm ſcit pingere, & nihil aliud. *Cauſa Intrinſeca* eſt, per quam res aliquæ eſſentialiter conſtituun-

tuuntur; talis eſt materia, & forma reſpectu corporis naturalis. *Extrinſeca eſt*, quæ quidem ad poſitionem cauſati concurrit; ſed id eſſentialiter non conſtituit; talis eſt omnis Cauſa Efficiens, & Finalis reſpectu compoſiti naturalis.

6. *Quid ſubordinans, & ſubordinata*

Nota ſextò: *quintò* partitur Cauſa creata in Subordinatam, & Subordinantem. *Subordinata* eſt illa, quæ inferior, & ab alia Cauſa dependens eſt in cauſando; talis dicitur omnis creatura, quæ in operando â DEO dependet, juxta illud S. Scripturæ *Act. 16. in ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* *Subordinans* eſt illa alia ſuperior Cauſa, â qua inferior dependet; talis eſt DEUS reſpectu creaturæ. Ex ſubordinatis Cauſis alia eſt per ſe ſubordinata, & alia per accidens ſubordinata, ut habet Scotus *1. diſt. 2. q. 2.* In *per ſe ſubordinatis* ſecundùm Doctorem *cit.* cauſalitas ſuperioris eſt alterius ordinis quàm cauſalitas inferioris; quia ſuperior eſt ſemper perfectior, eſto ſit ejusdem generis. *In Subordinatis* verò per accidens hoc non contingit: item in *per ſe ſubordinatis* omnes Cauſæ eſſentialiter ordinatæ ſimul neceſſariò requiruntur ad cauſandum; hoc enim ly *per ſe* importat, *in per accidens ſubordinatis* hoc non requiritur.

7. *Moralis, phyſica, & Metaphyſica*

Nota ſeptimò: *ſextò* rurſus Cauſa creata alia eſt Moralis, alia Phyſica, alia Metaphyſica. *Moralis* eſt, quæ moraliter tantùm in effectum influit, puta conſulendo, impetrando &c. & talis eſt Plato reſpectu homicidij Socratis, quod ſvadet, & conſulit Plauto, ut exequatur. *Phyſica* eſt, quæ per verum phyſicum influxum attingit poſitionem effectûs; talis eſt materia & forma reſpectu compoſiti; & Plautus, qui immediatè occidit Socratem; & Petrus, qui immediatè generat Paulum. *Metaphyſica* eſt, quæ cauſat per emanationem tantùm, & non diſtinguitur realiter ſtrictè â ſuo effectu; talis eſt eſſentia quævis reſpectu ſuarum proprietatem, quæ ab ea Eſſentia pullulant, emanant, & fluunt.

8. *Principalis, & inſtrumentalis.*

Nota Octavò: *ſeptimò* eadem Cauſa creata dividitur in Principalem, & Inſtrumentalem. *Principalis* eſt, quæ virtute propriâ operatur; talis eſt ignis, qui nativa ſua virtute comburit lignum. *Inſtrumentalis* eſt, quæ per virtutem ſibi â principali Cauſa communicatam operatur; talis eſt ſerra, quæ per impulſum ſibi ab homine ſerrante communicatum ſcindit lignum.

Nota nonò: *octavò* partitur eadem Cauſa in Cauſam per ſe, & Cauſam per accidens. *Cauſa per ſe* dicitur illa, quæ ex ſui inſtitutione, & natura eſt ordinata ad certum effectum; talis eſt Architectus, qui ex ſua profeſſione ædificat fabricas. *Per accidens* eſt, quæ quidem hìc, & nunc cauſat talem effectum; attamen ex inſtitutione ſua, & natura ad eum non ordinatur; talis eſſet Muſicus, qui ædificaret fabricam, cui quà tali per accidens eſt ædificare domum. 9. *Per ſe, & per accidens.*

Nota decimò: *nonò* eadem Cauſa diſmembratur in Vitalem, & in non Vitalem. *Cauſa Vitalis*, quæ & immanenter operans dicitur, eſt illa, quæ in ſe rurſus recipit effectum â ſe productum; talis eſt intellectus reſpectu intellectionis. *Non Vitalis*, quæ & tranſeunter operans dicitur, eſt illa, quæ non recipit ſuum effectum; talis eſt ignis reſpectu alterius ignis â ſe producti. 10. *Vitalis, & non vitalis.*

Nota undecimò: *decimò* alia eſt Cauſa libera, alia neceſſaria; alia naturalis, alia ſupernaturalis; alia ſpiritualis, alia materialis. *Cauſa libera* eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt operari, vel non operari; talis eſt voluntas creata. *Neceſſaria* eſt, quæ poſitis requiſitis ad operandum omnino determinata eſt ad operandum; talis eſt ignis reſpectu ligni, quod comburit poſitâ debitâ approximatione, & diſpoſitionibus combuſtibilitatem inducentibus. *Naturalis* eſt, quæ juxta vires naturæ inditas operatur; talis eſt ignis naturaliter comburens ſtupam. Supernaturalis eſt quæ operatur per vires elevatas; talis eſt intellectus lumine gloriæ elevatus ad videndum DEUM. *Spiritualis* eſt, quæ caret materiâ; talis eſt anima & intellectus. *Materialis*, quæ conſtat materiâ; talis eſt ignis. 11. *Quid libera, neceſſaria, naturalis, ſupernaturalis.*

Nota duodecimò: *undecimò* communis Peripateticorum doctrina Cauſam creatam dividit ſolemniter in quatuor genera Cauſarum, cum Philoſopho *2. Phyſic. cap. 3.* & *5. Met. cap. 2.* puta in Cauſam Materialem, Formalem, efficientem, & Finalem. *Materialis* eſt, ex qua fit corpus naturale. *Formalis* eſt forma, quæ eſt conſtitutiva, & ſpecificativa, ac determinativa corporis naturalis; *Efficiens* eſt, â qua fit corpus naturale. *Finalis* ob quam fit corpus naturale. 12. *Quid materialis, formalis, efficiens, & finalis.*

Dico primò: rectè ſtatuitur quadruplex Cauſa corporis naturalis; Materialis ſcilicet Formalis, Efficiens, & Finalis, quarum quævis habet rationem veræ Cauſæ. 13. *Bene aſſignatur quadruplex genus Cauſæ.*

rum materi. form. effici. & finalis.

Cauſæ. Ita Scotus *1. diſt. 1. q. 1.* & *diſt. 2. q. 2.* & *1. Met. in Com. cap. 2.* & ſequuntur omnes Peripatetici; contra Platonem, qui ſolam materiam, Efficientem, & Ideam ſtatuit pro Cauſis corporis naturalis; & contra Themiſtium, qui ſolam Efficientem, & Finalem eis conceſſit; & contra Democritum, qui ſolam materialem admiſit; & contra Stoicos, qui ſolam Efficientem conceſsêre.

Probatur prima pars primò authoritate Philoſophi; qui quadruplex præfatum genus Cauſarum adſtruit *2. Phyſic. tex. 68.* & *5. Met. tex. 2.* & alibi: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: Tum quia corpus naturale non fit à ſeipſo, ſed generatur; aliàs eſſet, antequam eſſet: Ergo fit ab alio, & ſic habetur *Cauſa Efficiens.* Deinde generans non generat ex nihilo; productio enim rei ex nihilo ſoli DEO competit: Ergo generat ex ſubjecto præſuppoſito, ſeu materia; & ſic habetur *Cauſa Materialis*: rurſus iſtud ſubjectum præſuppoſitum in generatione realiter intrinſecè mutatur, & determinatur, ac ſpecificatur in eo: Ergo adeſt aliquid intrinſecè mutans, determinans, & ſpecificans puta forma, & ſic habetur *Cauſa Formalis*: tandē omne agens, & conſequenter etiam generans non agit temerè, & inordinatè: Ergo agit propter finem aliquem; & ſic tandem habetur Cauſa Finalis: Ergo rectè ſtatuitur quadruplex Cauſa corporis naturalis, materialis ſcilicet Formalis, Efficiens, & Finalis. Tum quia ex Philoſopho *2. Phyſic. cap. 7.* tot ſunt genera Cauſarum, quot ſunt quæſtionum genera; Cauſa enim adhibetur ad quæſtionem explanandam: ſed de corpore naturali quatuor poſſunt formari quæſtiones, ſcilicet *primò* â quo factum ſit, cui quæſtioni reſpondetur per Cauſam talem, vel talem Efficientem; *ſecundo* quæri poteſt ex quo factum ſit: cui quæſtioni reſpondetur per Cauſam Materialem, ſeu materiam, *tertiò* quæri poteſt, per quid factum ſit; cui reſpondetur per Cauſam Formalem, ſeu formam; & *quartò* inquiri poteſt, propter quid factum ſit; cui reſpondetur per Cauſam Finalem, ſcilicet propter finem talem, vel talem: Ergo præfata quatuor Genera Cauſarum corporis naturalis rectè ſtatuuntur; & nec plura, nec pauciora ſtatui debent.

14 *Cauſa idealis, diſpoſitiva, inſtrumentalis, &*

Objicies *primò*: debent præfatis Cauſis plura genera Cauſæ addi, puta *primò* Cauſa idealis, ſeu exemplaris. *Secundò* Cauſa diſpoſitiva. *Tertiò* Cauſa inſtrumentalis: *Quartò* objecta, quæ æquè cauſant, ac proinde pro eis aliud genus Cauſæ ſtatui debet: Ergo &c.

objecta reducuntur ad præfata 4.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad primam Probat. ejuſdem *de Cauſa ideali & exemplari* dico cum Scoto *1. diſt. 36. q. 5.* quòd *Cauſa exemplaris* (verba ſunt Scoti) *non eſt niſi quoddam Efficiens*; unde reducitur Exemplar, & Idea ad genus Cauſæ Efficientis: rationem addit idem Doctor; *Efficiens enim dividitur in Efficiens per intellectum ſive propoſitum*; & *Efficiens per naturam ſecundùm Philoſophum 2. Phyſic. tex. 49.* hoc eſt dicere, Efficiens Cauſa alia eſt naturalis, qualis eſt v. g. ignis comburens; & alia intellectualis, quæ per ideam, ſeu exemplar operatur: talis eſt Artifex efficiens domum ad extra per ideam ad intra priùs marte efformatam; unde Cauſa exemplaris erit ipſamet Cauſa Efficiens, dum intellectualiter per ideam, & exemplar operatur. *Ad Secundum* dico, quòd Cauſa diſpoſitiva reducatur vel ad Cauſam Efficientem, ſi diſpoſitiones ſint ejus inſtrumenta: vel ad Formalem, quando ſunt formæ accidentales in ſubjecto recipiendæ: vel ad Materialem, quando ſe tenent ex parte materiæ tanquam quid prærequiſitum ad introductionem formæ. *Ad Tertium* dico, quòd Inſtrumentalis Cauſa reducatur ad Efficientem; quia dum inſtrumenta cauſant, non propriâ virtute; ſed in cauſalitate Efficientis præcisè cauſant: unde eadem Cauſa Efficiens dividitur in Cauſam principalem, & inſtrumentalem. *Ad quartum* dico, quòd aliqua objecta habeant duplicem rationem, unam motivam, alteram terminativam; ſecundùm quam duplex munus exercent, movendi ſcilicet, & terminandi; v. g. albedo ut objectū quoddam movet ad viſionem, & etiam terminat eandem; aliqua verò habent tantùm rationem, & munus terminandi; v. g. ens: ad propoſitū objecta ſecundùm rationem movendi reducuntur ad Cauſam Efficientem; ſecundùm verò rationem terminandi reducuntur ad Cauſam Formalem: Ratio eſt; quia cùm forma ſit, quæ dat eſſe rei; ideo objectum formale terminativum dat eſſe ſpecificum actui, quod proprium eſt Cauſæ Formalis; licèt objectum hoc præſtet tantùm extrinſecè; quod tamen non obſtat, quia eadem Cauſa Formalis dividitur in intrinſecam, & extrinſecam.

Probatur ſecunda pars concluſionis: una-

15. *Memorata 4. Cauſa verè cauſare.* unaquæque Cauſa in ſuo genere eſt principium verè influens in aliud: nam materia, & Forma ſunt principia intrinſecè, & eſſentialiter influentia in eſſe, & conſtitutionem compoſiti ſubſtantialis: Efficiens quoque influit in idem dando compoſito eſſe exiſtens, & actuale, quod antea non habebat: Finis tandem ſecundùm ſuum eſſe intentionale movendo agens, ſeu cauſans influit pariter ad poſitionem compoſiti: Ergo unaquæque Cauſa ex memoratis quatuor habet rationem veræ Cauſæ.

16. *Varia corollaria.* Ex hactenus dictis infertur *primò*: diviſionem Cauſæ phyſicæ in Materialem, Formalem, Efficientem, & Finalem eſſe adæquatam. Ratio eſt; quia nulla Cauſa aſſignari poteſt corporis naturalis; quæ non ſit una ex eis.

Infertur *ſecundò*: hæc quatuor genera Cauſarum eſſe diſtincta realiter; Ratio eſt, quia ſine ſe invicem poſſunt eſſe.

Infertur *tertiò*: prælatas Cauſas habere diverſum omnino modum cauſandi: Ratio eſt, quia Materialis, & Formalis cauſant conſtituendo intrinſecè corpus naturale; Efficiens communicando eſſe exiſtentiæ: Finalis intentionaliter movendo efficiens ad poſitionem effectûs.

Infertur *quartò*: diviſionem Cauſæ phyſicæ in memorata quatuor genera Cauſarum eſſe diviſionem univoci in univocata. Ratio eſt, quia omnia quatuor in nomine, & ratione Cauſæ conveniunt: eſt tamen admiſta aliqua analogia, ob Cauſam Finalem, participantem rationem Cauſæ imperfectæ; ut ſuô locô dicetur.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Cauſa phyſica ſit perfectior, & prior ſuo effectu?

NOta primò: Cauſam dupliciter poſſe conſiderari; *primò* in ratione Cauſæ, quatenus nimirum communicat eſſe effectui: *ſecundò* in entitate ſua abſoluta, quatenus poſſidet talem eſſentiam, ſeu quidditatem phyſicam.

1. *Cauſa in ratione Cauſæ eſt perfectior ſuo cauſato.* Dico primò: Omnis Cauſa phyſica in ratione Cauſæ eſt ſimpliciter, & abſolutè perfectior ſuo effectu. Ita Scotus *4. diſt. 49. q. 10.* Et ſequitur P. Villaverde, Columb. & communis Scotiſtarum.

Probatur: Tum quia res independens in eſſendo eſt perfectior ſimpliciter, & abſolutè re dependente; quia perfectiùs eſt eſſe â ſe, quam ab alio: ſed omnis Cauſa phyſica in ratione Cauſæ eſt res independens in eſſendo reſpectu ſui effectûs; & effectus eſt res dependens in eſſendo à ſua Cauſa: Ergo omnis Cauſa phyſica in ratione Cauſæ eſt ſimpliciter, & abſolutè perfectior ſuo effectu. Tum quia omne principium activum eſt ſimpliciter, & abſolutè perfectiùs, quam principium paſſivum: ſed omnis Cauſa phyſica eſt principium activum; quia influit influxu vero in ſuum cauſatum: Ergo omnis Cauſa phyſica eſt ſimpliciter, & abſolutè perfectior ſuo effectu.

2. *Cauſa materialis & formalis ſunt entitativè imperfectiores compoſito.* Dico ſecundò: Cauſa Materialis, & Formalis tam unitæ ſimul; quàm ſeparatæ, ſecundùm ſuam entitatem abſolutam ſunt imperfectiores compoſito ſubſtantiali, quod eſt earum effectus. Colligitur ex Scoto *3. diſt. 1. q. 2.* & *Quodlib. 9. art. 3.* & ſequuntur Columb. Villaverde, & alii Scotiſtæ, qui compoſitum ut tertiam entitatem diſtinctam â Materia, & Forma unitis aſſerunt, contra Fuente, & alios DD.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *7. Met. cap. 3. tex. 7.* docet Formã eſſe Materiâ præſtantiorem; compoſitum verò quod ex eis conſtituitur, eſſe nobilius utriſque; ut cum Alex. ibidem interpretatur Scotus: Ergo &c. *Secundò* ratione; compoſitum ſubſtantiale ſecundùm entitatem ſuam abſolutam eſt ſubſtantia quædam completa; Cauſa verò Materialis & Formalis ſunt ſubſtantiæ incompletæ; ſive unitæ, ſive ſepatatæ accipiantur; item totum eſt terminus totalis, & ultimus generationis ſubſtantialis, ſubſiſtens ſubſiſtentiâ ultimâ, & ſuppoſitali: Cauſæ verò Materialis, & Formalis, ſive unitæ, ſive ſeparatæ non ſunt tale: Ergo Cauſa Materialis, & Formalis tam unitæ, quàm ſeparatæ ſecundùm ſuam entitatem ſunt imperfectiores ſuo effectu, qui eſt compoſitum ſubſtantiale. Deinde compoſitum ſubſtantiale includit omnes perfectiones Cauſæ Materialis, & Formalis, ſe conſtituentium; & inſuper aliquid ampliùs, puta tertiam entitatem, ab eis cauſatam: Ergo eſt quid perfectiùs ſecundùm entitatem abſolutam Cauſâ Materiali, & Formali.

Dico tertiò: Cauſa Efficiens univoca eſt

3\. *Cauſa univoca eſt æqualis in perfectione ſuo effectui.*

eſt in entitate abſoluta æqualis perfectionis cum ſuo effectu: æquivoca verò eſt perfectior ſuô effectu. Prima pars colligitur ex Scoto *1. diſt. 2. q. 7.* Secunda verò *1. diſt. 13. q. 7. §. ad argumentum*: & ſequitur Villaverde, Fuente, Columbus, & alii Scotiſtæ.

Probatur prima pars: quæ conveniunt in materia, & forma ejusdem rationis, ſeu in ſpecie, habent eandem, ſeu æqualis perfectionis entitatem abſolutam: ſed Cauſa Efficiens univoca, & effectus conveniunt in materia, & forma ejusdem rationis, ſeu in eadem ſpecie, ut patet in homine generante alium hominem: Ergo Cauſa univoca, & effectus ſunt æqualis perfectionis in entitate abſoluta.

4\. *Æquivoca verò eſt perfectior.*

Probatur ſecunda pars: id cenſetur in entitate abſoluta perfectiùs aliô, quod continet virtualiter plura, & poteſt efficere plura; ſicut patet de DEO, qui ideo eſt perfectior homine; quia continet virtualiter omnia factibilia, & ea poteſt efficere: ſed Cauſa æquivoca continet plura virtualiter, quàm effectus; & quia poteſt cauſare plures effectus ejusdem, & diverſæ ſpeciei; v.g. Sol, qui eſt Cauſa æquivoca, poteſt producere herbas, arbores, aurum &c. quæ non poteſt producere aliqua planta â Sole æquivocè producta: Ergo Cauſa æquivoca eſt in entitate abſoluta perfectior ſuô effectu.

5\. *Quædam objecta contra perfectionē Cauſæ æquivocæ.*

Objicies contra ſecundam partem hujus Concluſionis *primò*: Species intentionalis concurrit ut Cauſa æquivoca ſimul cum intellectu ad efficiendam intellectionem: ſed intellectio eſt effectus in entitate perfectior ſuâ Causâ, puta ſpecie; quia eſt actio vitalis, ſpecies verò non eſt vitalis: Ergo Cauſa æquivoca nō eſt ſemper perfectior ſuô effectu. *Secundò*: effectus viventes ſunt perfectiores in entitate abſoluta, quàm Cauſæ non viventes: ſed animalia ex putri nata ſunt effectus viventes æquivoci Solis, utpote qui ad earum generationem concurrit ut Cauſa Efficiens æquivoca: Ergo effectus Cauſæ Efficientis ſunt perfectiores in entitate abſoluta, quàm Cauſæ Efficientes æquivocæ.

6\. *Reſolvuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Maj. ſpecies intentionalis concurrit ut Cauſa æquivoca partialis, & minùs principalis ſimul cum intellectu ad efficiendam intellectionem Conc. Maj. concurrit ut Cauſa æquivoca totalis, & principalis Neg. Maj. Itaq; quia ſpecies intentionalis concurrit tantum ut Cauſa partialis, & minùs principalis ad intellectionem; ideo vitalitas intellectionis deſumitur á Cauſa principaliori, puta ab intellectu, qui eſt potentia vitalis; unde intellectio quatenus vitalis non cenſetur eſſe effectus ſpeciei æquivocus: & tametſi eſſet, adhuc concluſio intelligenda eſt de effectu, qui â Cauſa totali, & principali æquivoca oritur. *Ad Secundum* dico, quòd Sol reſpectu gradûs vitæ, qui in animalibus ex putri natis reperitur, non ſit Cauſa Efficiens æquivoca; ſed DEUS eſt, qui in materia per Solem bene diſpoſita inducit illas animas animalium viventium; ac proinde tales effectus viventes quà tales non ſunt cenſendi effectus æquivoci Solis ut Cauſæ æquivocæ.

Dico quartò: Cauſa Finalis aliquando eſt perfectior in entitate abſoluta ſuo effectu; aliquando imperfectior; aliquando æqualis. Ita colligitur ex Scoto *1. diſt. 1. q. 4.* & *4. diſt. 49. q. 4.* & ſequuntur Columbus, Villaverde, &c. Scotiſtæ. 7. *Cauſa Finalis aliquando eſt perfectior effectu.*

Probatur prima pars: quia ſi v. g. præbeas eleemoſynam propter DEUM, DEUS tunc dicitur Cauſa Finalis talis effectûs, ſeu actûs eleemoſynarij; DEUS autem longè eſt perfectior in ſua entitate abſoluta iſto effectu ſeu actu: Ergo Cauſa Finalis aliquando eſt perfectior ſuo effectu in entitate abſoluta.

Probatur ſecunda pars: ſi præbeas eleemoſynam ob vanam gloriam, & æſtimationem inanem acquirendam, finis, id eſt vana gloria, & illa æſtimatio quæſita eſt imperfectior illo actu, ſeu effectu: Ergo &c. Item ſi philoſopheris propter lucrum temporale, vel turpe. 8. *Aliquando imperfectior.*

Probatur tertia pars: ſi quis aſpiciat per feneſtram, ut videatur â tranſeuntibus, tunc effectus, & Cauſa Finalis videntur eſſe ejusdem, & æqualis perfectionis: Ergo &c. Circa alterum articulum quæſt. 9. *Aliquando æqualis.*

Dico quintò: Cauſa phyſica ſecundùm entitatem ſuam abſolutam eſt ſemper prior ſaltèm naturâ abſolutâ entitate effectûs. Ita Scotus *1. diſt. 35.* & *2. diſt. 1. q. 1.* & ſequitur Villaverde, Columb. &c. contra Sonc. & alios Thomiſtas. 10. *Cauſa eſt entitativè prior ſuo effectu.*

Probatur: Tum quia id eſt prius aliô ſaltèm naturâ, â quo non valet ſubſiſtendi conſeqtientia, ut docet Ariſtoteles, & Scotus *in Poſtpræd. de priori*: ſed non valet ſubſiſtendi Conſequentia hæc, *entitas abſoluta*

ſoluta Cauſa eſt; Ergo eſt entitas abſoluta effectûs; quia poteſt eſſe in rerum natura abſolutum Cauſæ; ſinè eo, quod actu cauſet, ut patet de Platone, qui poteſt eſſe Athenis, ſinè eo, quòd ibi generet: Ergo Cauſa phyſica ſecundum entitatem ſuam abſolutam eſt prior abſolutâ entitate effectûs. Tum quia Cauſa phyſica ſecundùm entitatem ſuam abſolutam influit eſſe in effectum: Ergo ſecundùm hanc eſt prior entitate abſolutâ effectûs. Tum quia effectus eſt dependens à Cauſa phyſica: Ergo eſt eâ, poſterior. Tum quia in compoſito naturali v. g. Leone ut effectu quatuor Cauſarum phyſicarum patet materiam, & formam tanquam Cauſas intrinſecas conſtitutivas ejus eſſe priores ipſo conſtituto, corpore ſcilicet naturali Leonis: Cauſa etiam Efficiens, id eſt Leo generans eſt per prior ſuô catulô genitô: & tandem finis quoque eſt prior; cùm moveat agens ad efficiendum: Ergo &c.

11. *Philoſophus reconciliatur.* Objicies: Philoſophus adverſatur Concluſioni: Ergo &c. Probat. Ant. *2. Phyſic. tex. 28.* ait, *Cauſa in actu habet effectum in actu*: quibus verbis intendit Philoſophus eſſe ſimultatem Cauſæ cum ſuo effectu, etiam ſecundùm entitatem abſolutam: Ergo &c. Reſpondeo gloſſando Philoſophum, & dico cum Scoto *2. diſt. 2. q. 10.* ipſum tantum velle, quòd Cauſa actu cauſans influat actu in effectum, qui ab ea actu cauſatur; ac proinde quòd ſint ſimul tempore: cum quo ſtat quòd Cauſa ſecundùm entitatem abſolutam ſaltèm naturâ ſit prior effectu, ab ea cauſatô, ſecundùm entitatem abſolutam.

12. *Cauſa & effectum ſecundum rationes relativas ſunt ſimul naturâ.* Dico Sextò: Cauſa tamen, & Effectus ſecundùm rationes relativas, quas ad ſe invicem dicunt, ſunt ſimul naturâ. Ita Scotus *2. diſt. 1. q. 2.* & ſequuntur Villaverde, Columb. Herman. &c. & com.

Probatur primò authoritate Philoſophi, qui *in Poſtpræd. cap. de modis ſimul*, dicit; quòd *relativa ſunt ſimul tempore, cognitione, & naturâ.* Item *cap. de ad aliquid* dicit, eſſe proprietatem relativorum, eſſe ſimul naturâ: Ergo Cauſa, & effectus quatenus correlativa ſunt, ſeu ſecundùm rationes relativas, quas ad ſe invicem dicunt, ſunt ſimul naturâ.

Probatur ſecundò ratione: nulla eſt ratio adſtruendi aliquam prioritatem inter Cauſam reſpectu effectûs, quando conſiderantur ambo ſub rationibus relativis; ſicut nulla adeſt ratio afferendi prius Patrem ſub ratione relativa Patris, quàm filium ſub ratione relativa filij; cùm ſimul cointelligantur, ſimulque in eis conſurgant relationes paternitatis, & filiationis: Ergo Cauſa, & effectus ſecundùm rationes relativas ſunt ſimul naturâ.

QUÆSTIO V.

Varia circa Cauſas in communi reſolvuntur.

1. *Cauſæ ſunt ſibi invicem Cauſa in diverſo genere.* QUæres primò: an Cauſæ ſibi mutuò ſint Cauſæ? Reſpondeo affirmativè in diverſo genere; quatenus una Cauſa movet aliam ad cauſandum; Ratio eſt primò; quia Ariſtoteles *2. Phyſic. cap. 3. tex. 3.* hanc propoſitionem in terminis affert, *Cauſæ ſunt ſibi invicem Cauſa*; quæ cùm verificari nequeat in eodem genere; ſaltèm in diverſo genere verificatur, & penes rationes diverſas: Ergo &c. Ratio eſt ſecundò; quia Cauſa Finalis excitat, & movet metaphyſicè Cauſam Efficientem ad agendum, quæ agit ex appetitu finis; & econtra Cauſa Efficiens eſt Cauſa finis quoad aſſecutionem, & poſſeſſionem ejus: ſic etiam Cauſa Materialis cauſat Formalem, ſeu formam; & Cauſa Formalis dat eſſe formale, & ſpecificum materiæ: Ergo Cauſæ ſibi invicem ſunt Cauſa in diverſo genere.

2. *Illud axioma idem manens, idem ſemper facit idem, eſt verùm.* Quæres ſecundò: an illud axioma Philoſophi de Cauſa, quod Scotus *4. diſt. 49. q. 3.* depromit ex Philoſopho *2. de gen. tex. 56. idem manens idem, ſemper facit idem* ſit verum? Reſpondeo affirmativè; ſi concurrant in Cauſa ſequentes tres conditiones; prima, ut Cauſa ſit neceſſaria, & naturalis; Cauſa enim libera mutari poteſt, & varios facere effectus; ſic voluntas modò amat, poſtea odit. *Secunda* eſt, ut Cauſa ſit particularis; quia univerſalis v. g. Sol producere poteſt diverſos effectus. *Tertia* ut ſit Cauſa per ſe; quia per accidens ab una Cauſa plures oriri poſſunt effectus; ſic v. g. gubernator alicujus navis ſuâ præſentiâ poteſt eſſe Cauſa ſalvationis navis; abſentiâ verò Cauſa perditionis navis.

3. *Proprietates Cauſæ.* Quæres tertiò: quaſnam proprietates habeant Cauſæ? Reſpondeo *prima* eſt, mox expoſita, quòd ſcilicet Cauſæ ſint ſibi mutuò Cauſæ. *Secunda* eſt, quòd ſint principia contrariorum; ſic Cauſa Efficiens, v. g.

Sol

Sol eodem radiô eſt principium lutum induraudi, & ceram emolliendi; ſicetiam eadem Cauſa Materialis, ſeu eadem Materia eſt principium concurrens ad contrariarum formarum eductionem, formationem, & ſuſtentationem. *Tertia* eſt, ut Cauſæ ſint perfectiores, & priores ſuis effectibus; ſcilicet quoad entitatem abſolutam, ut *priori Quæſtione* oſtenſum eſt.

4. *Conditiones neceſſariæ ad cauſandum.* Quæres quartò: utrùm, & quæ conditiones requirantur in Cauſis ad cauſandum? Reſpondeo requiri omnino certas aliquas conditiones ad hoc, ut Cauſæ poſſint influere in ſuos effectus, & quidem ſequentes: *prima* conditio, eſt ablatio impedimentorum; v. g. ut ignis poſſit cauſare ignitionem in ſtupa, debet removeri objectum medians, & impediens fluxum formæ ignis. *Secunda* eſt, ut qualitates diſponentes adſint ad formas oppoſitas, v. g. ut ſtupa ſit deſiccata, &c. *Tertia,* ut ſit approximatio legitima v. g. inter materiam & formam, item inter Efficientem v. g. ignem, & lignum, quod debet ita vicinum eſſe, ut ſit intra Sphæram activitatis ignis, quod intelligendum eſt ſaltèm ſecundùm contactum virtutis; quia dantur quædam efficientia, quæ agunt in diſtans, ubi approximatio ſecundùm contactum formalem non adeſt. *Quarta*, ut Cauſa ſit exiſtens eo tempore, quò debet cauſare; nam nemo dat, quod non habet: Ergo Cauſa non exiſtens non poteſt dare eſſe effectui, ſeu cauſare; cùm in ſe nullũ habeat; Ergo ut poſſit aliquod eſſe dare, debet eſſe exiſtens.

DISTINCTIO X.

DE CAUSIS PHYSICIS IN PARTICULARI.

Prænotatio.

INter quatuor Cauſas phyſicas corporis naturalis in particulari examinandas primo loco occurrit Cauſa Efficiens, utpote, quæ Cauſa per Anthonomaſiam à DD. & D. Auguſtino lib. 83. quæſtionum quæſtio. 28. *appellatur; eò quod habeat nobiliorem influxum, & præſtantiorem modum realem cauſandi, qui etiam DEO Effectori omnium creatorum attribuitur: Unde de ea ſit*

QUÆSTIO I.

Num revera exiſtat aliqua Cauſa Efficiens creata, immediatè productiva effectûs phyſici?

1. *Varietas opinionum circa Cauſam Efficientem.* NOnnulli veteres Philoſophi teſte Averroë, Albertô Magnô, & D. Thoma *3. contra Gent. cap. 69.* docuerũt generaliter, Cauſas ſecundas nil efficere, & producere phyſicè im̃ediatè; ſed DEUM ſolum ponere omnes effectus creatos ad Cauſarum creatarum præſentiam; ita ut efficientia effectuum ſolùm apparenter tribuatur eis, v. g. quatenus DEUS ad præſentiam ignis producit ſe ſolo ignitionem, & productionem novi ignis, quæ apparenter duntaxat igni præſenti adſcribitur. Huic opinioni videtur ſubſcribere Gabriel, quatenus eam probabilem cenſet. Avicembron limitavit hanc opinionem, concedendo Cauſis creatis ſpiritualibus efficientiam aliquam; ſed eam negat Cauſis materialibus. Avicenna verò aliam appoſuit limitationem, docendo, Cauſas materiales, & corporeas poſſe quidem efficere accidentia; non tamen ſubſtantias, quia putavit Cauſam primam efficere ſubſtantiam unam omnium perfectiſſimam ſpiritualem, â qua deinde procederet alia, & ab iſta ſecunda, tertia, & ita ulteriùs uſque ad infimam ſpiritualem, quæ induceret omnes formas ſubſtantiales in materias, priùs per agentia corporalia diſpoſitas. Contra hunc Philoſophũ infrà agetur: interea

2. *Dantur Cauſæ efficientes.*

Dico primò: extant Cauſæ creatæ Efficientes tam corporales, quàm ſpirituales, quæ immediatè, & phyſicè ſunt productivæ, ac effectivæ effectumm ſibi connaturalium, & proportionatorum. Ita Scotus *3. diſt. 25.* & *37.* & *Quodlib. 21.* & *1. diſt. 7. quæſt. un. §. ad ſecundum principale.* Eſtque communis Theologorum, & Philoſophorum.

Probatur primò anthoritate Sac. Scripturæ; quæ veram, immediatam, ac phyſicam efficientiam tribuit variis Cauſis creatis corporalibus; ſic dicitur de terra Gen. 1. *germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum*: ex quo paſſu meritò S. Baſilius, & S. Ambroſius colligunt res naturales accepiſſe efficientiam veram phyſicam immediatam efficiendi continuò rerum generationes. Sic etiam Luc. 21. dicit Salvator de ficulnea, & aliis arboribus, *videte ficulneam, & omnes arbores; cùm producunt jam ex ſe fructus*: & de ſemine Marc. *4. cap.* habetur, quòd *aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum*: Ergo &c.

Probatur ſecundò authoritate SS. PP. & SS. Conciliorum; eandem immediatã, & phyſicam efficientiam, ac productionem aſſerentium in Cauſis creatis Efficientibus: unde D. Auguſtinus *Serm. 38. de verbis Domini cap. 10.* de homine efficiente alium hominem ait, *homo hominem generat, equus equum, & pecus pecudem.* Et *3. de Trin. cap. 8.* dicit, *ſicut matres ſunt gravidæ fœtibus, ita ipſe mundus gravidus eſt Cauſis naſcentium.* Et Tridentinum efficientiam liberi arbitrii (quæ quædam Cauſa ſpiritualis eſt) agnoſcens, damnat *Seſſ. 6. Can. 4.* eos, qui docent, illud nihil omnino agere, ac efficere, mereque paſſivè ſe habere: Ergo extant Cauſæ creatæ Efficientes tam corporales, quàm ſpirituales, quæ immediatè, & phyſicè ſunt productivæ effectuum ſibi connaturalium, & proportionatorum.

Probatur tertiò authoritate Philoſophi, eandem Cauſarum creatarum efficientiam aſſerentis; ut videre eſt *1. Perih. 1. cap. 1.* & *1. Phyſic. 2.* & *8.* & *1. 9.* & *12. Metaph.* Item authoritate Platonis, citati a S. Damaſc. *9. ſuæ Phyſica.* Idem docet Triſmeg. & Averroës, *12. Met.* irridet Saracenos, denegantes rebus operationes, & efficientias: Ergo &c.

Probatur quartò ratione: Tum quia DEUS, & natura nil facit fruſtra: DEUS autè, & natura dant animalibus (quæ ſunt quædam Cauſæ creatæ corporales) varia organa, & inſtrumenta: Ergo ad efficiendum phyſicè, & operandum immediatè: atque adeò extant Cauſæ creatæ corporales phyſicè effectrices, & immediatè productivæ effectuum. Tum quia ex oppoſita Sententia ſequetur, nos nihil poſſe mereri, vel demereri; meritum enim, & demeritum effectivè procedit à merente, & demerente: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. Tum quia ſi DEUS producat, & efficiat immediatè omnem effectum ad præſentiam Cauſæ; non eſſet potiot ratio, cur ad præſentiam ignis potiùs, quàm aquæ producat ignem; cùm nec ignis, nec aqua dicatur ſecundùm adverſarios phyſicè influere in ignem producendum. Tum tandem, quia experientiâ ſenſuum conſtat, ignem phyſicè efficere combuſtionem, & comburere manum; Solem illuminare; flores germinare; hominem generare &c. Et ſanè dicere DEUM hæc omnia effectivè operari; argueret in DEO imprudentem creationem Cauſarum ſecundarum; ad quid enim indidiſſet homini tot potentias operatrices organicas, & inorganicas? ad quid terræ concreâſſet tot ſemina, quæ habet in ſeipſa, ut loquitur S. Geneſis? Quare rectè concludit D. Auguſtinus *7. de Civit. 30. Sic DEUS res cunctas adminiſtrat, ut eas ſuos motus agere ſinat*; id eſt, ita creat, diſponit, & conſervat, ut eas ſinat operari per veros motus efficientiæ, & productionis immediatæ phyſicæ: Ergo &c.

Objicies *primò*: S. Litteræ adverſantur Concluſioni: Ergo &c. Probat. Ant. Scriptura 1. Cor. 15. dicit. *DEUS operatur omnia in omnibus.* Et 2. ad Cor. 3. habetur, *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis.* Et Hier. 10. dicitur, *non eſt hominis via ejus, nec viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos*: Ergo S. Scriptura in DEUM refundit omnem efficientiam; ac proinde non extant Cauſæ Efficientes creatæ. *Secundò*: ſemper DEO concedendus eſt modus perfectior operandi: ſed operari ſe ſolô eſt perfectior modus operandi, quàm cum concurſu alterius Cauſæ Efficientis: Ergo talis eſt DEO concedendus; ac proinde Cauſa ſecunda nihil efficit. *Tertiò*; DEUS habet virtutem ſufficientem efficiendi omnes effectus creatos: Ergo gratis aſſumit Cauſas ſecundas creatas ad eos efficiendos. 5. *Varia argumenta in oppoſitum.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad

ejus

4. *Eadem refelluntur.* ejus Probat. *ad primum textum* Apoſtoli dico, eum illis verbis ſolum velle adſtruere concurſum immediatum DEI ad omnia opera, & effectus creaturarum; cum quo ſtat, quòd & ipſæ creaturæ cooperentur, & coëfficiant immediatè phyſicè. *Ad alios textus* dico, eos procedere de operibus exigentibus ad ſui poſitionem gratiam DEI ſpecialem, quæ ipſa reddit ſupernaturalia; unde non ſumus ſecundùm vires naturæ ſufficientes ea efficere; ſed ad earum efficientiam requiritur ſpecialis concurſus DEI, ſubminiſtrantis auxilium gratiæ; & ideo DEUS cenſetur eorum Cauſa principalis Efficiens: cum quo tamen ſtat, quòd & nos ſimus Cauſæ Efficientes eorum, minùs principales. *Ad Secundum* Diſt. Min. operari ſe ſolô eſt perfectior modus operandi, quàm cum concurſu alterius Cauſæ, ſi operans ſit agens creatum Conc. Min. ſi ſit increatum Neg. Min. Itaque in agente creato eſt quidem perfectior modus operari ſinè alio; quàm cum alio; quia operari cũ alio arguit impotentiam, & imbecillitatem virtutis; at in increato nõ: imò arguit in agente increato majorẽ ſapientiam, & bonitatem, quòd dederit rebus non ſolùm eſſe phyſicum; ſed etiam virtutem effectricem, quà unà ſecum poſsũt coëfficere effectus ſibi proportionatos. *Ad Tertium* Neg. Conſeq. quia in aſſumptione Cauſæ creatæ ad coefficiendum elucet, ac dignificatur DEI bonitas, ac ſapientia, ut mox dixi.

QUÆSTIO II.

De definitione; diviſione; & cauſalitate Cauſæ Efficientis.

1. *Acceptiones Cauſa Efficientis.* NOta primò: *Cauſa Efficiens* ethymologicè originatur ab *efficiendo*: Efficere autem duplicem habet uſurpationem; *primò* enim uſurpatur impropriè pro quocunque influxu in illud, quod efficitur; hôc ſenſu convenit omnibus Cauſis phyſicis tam Efficienti, quàm formali, materiali, & finali; cùm ſingulæ influant ſuô modô in compoſitum: *Secundò* uſurpatur propriè pro illa Cauſa, quæ per ſe, & primò influit extrinſecè in effectum; talis eſt v. g. ignis, qui efficit alium ignẽ; item homo, qui generat alium hominem. Cauſa Efficiens in hoc ſenſu (qui hìc attenditur) definitur ab Ariſtotele *2. Phyſic.* 29. & 5. *Met.* 2. quòd *ſit id, unde principium mutationis primum, aut quietis*; circa quam definitionem, quia nonnullæ moventur difficultates ab AA. de ejus inſufficientia ob defectum certarum vocum; & quia primò intuitu obſcura videtur: ideo additis addendis

2. *Definitio Cauſa Efficientis.* Dico primò: aptè definitur Cauſa Efficiens, quod *ſit principium per ſe, & extrinſecum; unde oritur mutatio quæcunque, & quies.* Eſt ad principia Philoſophi citati, & Scoti 5. *Met. in expoſit. cap. 2.*

Probatur: hæc definitio debitè exprimit naturam Cauſæ Efficientis, eamque diſtinguit ab omni alia Cauſa; conſtatq; omnibus requiſitis ad bonam definitionem: Ergo &c. Ly *principium* ſtatuitur pro genere; & indicat Cauſam Efficientem verè influere in effectum; reliqua pro differentia. Dicitur *principium primum*, in ordine ſcilicet executionis; quia Cauſa Efficiens eſt prima in executione, id eſt poſitione effectûs, & compoſiti: præcedit enim formam; quia forma eſt terminus mutationis; præcedit etiam materiam non quidem entitativè; ſed cauſatione actuali; nam ideo materia principiat, ſeu recipit; quia agens, id eſt efficiens agit; præcedit etiam finem, qui etſi prior ſit in intentione; eſt tamen poſterior in executione. eſt autem iſta primitas non aliqua prioritas temporis; nam omnes quatuor Cauſæ ſimul, & eodem inſtanti reali temporis cauſant, ut notat Scotus *2. diſt. 37.* ſed eſt prioritas naturæ: ſimiliter hæc primitas non eſt ſimpliciter, & abſolutè; quia ſolus DEUS eſt ſimpliciter primum agens, & primum principium rerum; ſed dicitur talis in proprio genere, ut etiam Cauſis ſecundis conveniat. Dicitur *per ſe*, ut excludantur à ratione definiti Cauſæ per accidens, quæ non ſunt Cauſæ primariò, nec ab eis incipit principaliter actio transmutativa, aut productiva. Additur *extrinſecum*, ut Cauſa Efficiens diſtinguatur â Natura, quæ eſt principium intrinſecum mutationis, & quietis. Apponitur ly *unde oritur* quod æquipollet huic dictioni *à quo*, ut oſtendatur diverſus modus principiandi Cauſæ Efficientis ab aliis Cauſis; quia Cauſa materialis eſt *ex qua* oritur res, & in qua recipitur, ſeu ex qua fit mutatio; Cauſa Formalis eſt per quam oritur, & cauſatur res, ſeu in quam tendit mutatio; Finalis eſt propter quod oritur, ſeu cauſatur res; ſola autem Cauſa Efficiens eſt unde ſeu â

qua oritur, & fit res, ſeu mutatio. Dicitur *mutatio quæcunque, & quies*, ut ſignificentur correlativa, & effectus Cauſæ Efficientis, quæ ſunt ſubjectum transmutatum, & terminus productus; nam ſecundùm Scotum *2. diſt. 1. q. 5.* Efficiens ad duo poteſt comparari, ſcilicet ad effectum, ſeu terminum, quatenus hic recipit ſimpliciter eſſe, & exiſtens de novo à Cauſa Efficiente; & ad paſſum, ſeu ſubjectum, quod recipiendo illam formam novam ab Efficiente productam perficitur, & transmutatur. Præterea nomine *mutationis* intelligitur non ſolùm mutatio pro formali, id eſt, ut capitur pro tranſitu in ſubjecto; ſed etiam pro materiali, qualis eſt res in fieri, & influxus in eam: nomine verò *quietis* intelligitur res in facto eſſe, ſeu forma jam producta, & quatenus in tali ſtatu à Cauſa conſervante conſervatur ac perdurat. Apponitur illa particula *quæcunque*, ut comprehendatur non ſolùm mutatio ſubſtantialis, & accidentalis phyſica, id eſt transmutativa, & productiva phyſicè in ſubjecto, & ex præſuppoſito ſubjecto; ſed etiam mutatio creativa, ſeu creatio, quæ oritur à vera Cauſa Efficiente DEO, etſi ſinè prævio ſubjecto, & ex nihilo: comprehenditur etiam mutatio moralis, ſeu influxus moralis, utì ſunt conſultatio, præceptio, ſuaſio &c. quæ ab Efficiente remoto oriuntur, & ei imputantur; unde ipſemet Philoſophus *loc. cit.* ad exprimendum hunc influxum utitur exemplô conſulentis, dicens, *qualis Cauſa eſt is, qui conſulit.*

3. *Definitio data convenit, Cauſa efficienti phyſica, & morali.*

Ex hac definitione infertur: ipſam convenire univocè Cauſis Efficientibus phyſicis, & moralibus. Ratio eſt; quia etiam Cauſæ morales verè efficiunt; ut colligitur ex Philoſopho *cit.* de conſulente; & quia ſecundùm Theologos, & SS. PP. Sacramenta verè cauſant, & efficiunt gratiam; etſi in ſententia Scotiſt. tantùm ſint Cauſæ Efficientes morales. Circa diviſionem Cauſæ Efficientis.

4. *Varia diviſio Cauſæ efficientis.*

Nota ſecundò: Cauſam Efficientem variè dividi; puta *primò* in Efficientem per ſe; & Efficientem per accidens, ſecundùm Scotum *1. diſt. 2. q. 2.* *Secundò* in principalem; & inſtrumentalem; ſecundùm eundem Doctorem *4. diſt. 1. q. 1.* *Tertiò* in phyſicam, & moralem ſecundùm Scotum *4. diſt. 1. q. 4.* *Quartò* in æquivocam, & univocam ſecundùm Scot. *Com. in 2. Met. tex. 4.* *Quintò* in univerſalem, & particularem ſecundùm eundem *in Com. 5. Met. 2.* *Sextò* in primam; & ſecundam juxta eundem *4. diſt. 1. q. 1.* *Septimò* in mediatam, & immediatam juxta Scotum *1. diſt. 39.* *Octavò* in neceſſariam, & liberam, ſecundùm Scotum *com. in 9. Met. tex. 2. 10.* & *12.* *Nonò* in naturalem, & artificialem, ſecundùm Scotum *2. diſt. 37. q. un.* *Decimò* in totalem, & partialem juxta Scotum *1. diſt. 3. q. 7.* *Undecimò* in ſubordinatam, & non ſubordinatam ſecundùm Scotum *1. diſt. 2. quæſt. 2.* Quas omnes explicatas, deſcriptas, & exemplificatas vide ſuprà *diſt. 9. q. 3.* Circa cauſalitatem Cauſæ Efficientis.

5. *Quid ſit cauſalitas Cauſæ efficientis pro fundamentali, & pro formali.*

Dico ſecundò: cauſalitas Cauſæ Efficientis fundamentaliter conſideratæ eſt ipſa entitas abſoluta Cauſæ, ſeu ejus forma, & virtus influens; cauſalitas verò ejus formaliter conſideratæ eſt relatio actionis, quæ tamen non eſt medium Quô efficiendi Effectum. Prima pars eſt Scoti *2. diſt. 2. q. 2.* & ſequuntur Monturſ. Ponc. Maſtrius, & alij Scotiſtæ, contra Hervæum, Natalem, Soncinnatem, Svar. & alios RR. aſtruentes modum ſubſtantialem. Secunda eſt Scoti *2. diſt. 1. q. 2.* Tertia eſt Scoti *1. diſt. 20.* & *diſt. 35.* & ſequuntur Lealis, Maſt. Monturſ. &c. contra P. Columb. Sghemã, Canon. Paſſer. & alios Scotiſtas.

Probatur prima pars: Tum quia cauſalitas Cauſæ ut ſic fundamentaliter conſideratæ eſt ipſa entitas abſoluta, ſeu ejus forma, & virtus influens, ut ſuprà *diſt. 9. q. 2. Concluſ. 1.* probatum eſt: Ergo etiam cauſalitas Cauſæ Efficientis in particulari erit ipſa entitas abſoluta ſeu ejus forma & virtus influens. Tum quia circumſcriptô quocunque modô ſubſtantiali, à RR. confictô, & relictâ nudâ entitate abſolutà, ſeu formâ & virtute Cauſæ Efficientis in igne, ignis efficit & cauſat alium ignem in ligno ſibi applicato: Ergo &c.

Probatur ſecunda pars: tum quia nil congruentiùs poteſt aſſignari, â quo Cauſa formaliter conſiderata poſſit denominari Cauſa, quàm relatio actionis; hæc enim eſt forma de novo reſultans in entitate Cauſæ actu applicatæ ad cauſandum: Ergo ipſa eſt cauſalitas Cauſæ formaliter conſideratæ. Tum quià totum eſſe Cauſæ Efficientis formaliter conſideratæ, ut eſt talis, eſt ad aliud ſe habere, id eſt ad cauſatum; quia eſt habitudo entitatis abſolutæ actu cauſantis effectum ut aliud: Ergo ejus cauſalitas eſt relatio actionis, referentis entitatem abſolutam actu cauſantem ad cauſatum ſeu effectum. Tum tandem Pater denominatur formaliter pater per

rela-

relationem paternitatis: Ergo etiam agens ſeu efficiens per relationem actionis denominabitur formaliter agens, ſeu efficiens.

6. *Relatio formalizans Cauſam efficientem nō ut medium Quo efficiendi effectum.*

Probatur tertia pars contra Scotiſtas *primò* authoritate Scoti; qui *2. diſt. 1. q. 2.* habet ſequentia verba: *dico, ſicut dictum eſt diſt. 35. primi, & alijs frequenter, quòd ad abſolutum in Cauſa immediatè ſequitur abſolutum in effectu, & in effectu primo conſequitur reſpectus ad Cauſam; & tunc ſi aliquis eſt reſpectus Cauſæ ad effectum* (uti eſt in Cauſa creata Efficiente ad effectum) *ille reſpectus ad effectum eſt ultimus, & aliquando nullus*, puta in Cauſa Efficiente increata, quæ non eſt capax ullius reſpectus realis novi: Ergo ſecundùm Scotum relatio actionis non mediat ut medium Quò producendi effectum inter Cauſam, & effectum; cùm ſit reſpectus ultimus ex *cit.* Doctore & primò reſultans poſitò jam effectu.

Probatur ſecundo ratione: ſi Cauſa Efficiens formaliter conſiderata cauſaret mediante relatione prædicamentali actionis, diſtincta ab entitate abſoluta Cauſæ, ut medio Quò efficiendi effectum, talis relatio præcederet ſuum terminum, utpote mediante eâ ponendum: ſed hoc dici nequit; quia omnis relatio prædicamentalis dependet eſſentialiter à fundamento, & termino, adeoque præſupponit utrumque jam exiſtens: Ergo Cauſa Efficiens formaliter conſiderata non cauſat mediante relatione prædicamentali actionis ut medio Quò efficiendi effectum.

7. *Scotiſtis opponentibus reſpondetur.*

Objiciunt primò Scotiſtæ adverſi contra tertiam partem Concluſionis: ad hoc ut Efficiens Cauſa tranſmutet paſſum, debet aliquid de novo ipſi advenire, per quod ut medium dicatur potiùs nunc agere, & tranſmutare ſubjectum, quàm antea: ſed hoc nequit eſſe aliud, quàm relatio actionis medians: Ergo revera actio mediat ut Quò ad tranſmutandum paſſum ſeu efficiendum effectum. Reſpondeo Conc. Maj. & Neg. Min. & dico, quòd illud de novo adveniens, per quod dicitur Cauſa Efficiens agere, ſit tantùm applicatio ſuæ virtutis activæ, quam antea non applicuit; ex qua applicatione ſequitur influxus dictæ virtutis, & ponitur immediatè abſolutum effectûs, poſtea reſultat in eo relatio cauſati ad Cauſam Efficientem; & demum relatio Cauſæ Efficientis ad effectum, â qua formaliter denominatur Cauſa, ut eruditè diſcurrit Scotus *cit. 2.*

8. *Alia objectio expeditur.*

Objiciunt ſecundò contra eandem: Scotus ſæpè docet, dari actionem in agente ſubjectatam: Ergo ipſa eſt ratio Quâ, & cauſalitas agendi media. Reſpondeo Conc. Ant. & Neg. Conſeq. nam etſi Scotus doceat actionem ſubjectari in agente, uti reverà ſubjectatur; ex hoc tamen non ſequitur eam eſſe cauſalitatem quandam mediam agendi; ſed tantùm rationem formalem denominandi Cauſam.

QUÆSTIO III.

Utrum duæ Cauſæ Efficientes totales, & adæquatæ poſſint producere eundē numerò effectum?

1. *Quid ſint Cauſæ ejuſdem, & diverſi ordinis.*

NOta primò: in propoſito Cauſas Efficientes alias eſſe ejuſdem ordinis; alias diverſi ordinis. Illæ dicuntur *Cauſæ Efficientes ejuſdem ordinis*, quæ ſunt ejuſdem rationis in cauſando; id eſt, vel quæ ſunt æquè partiales; quales ſunt duo ignes; duo homines: vel quæ ſunt æquè Univerſales; ut duo Soles. Illæ *ſunt diverſi ordinis*, quæ ſunt alterius rationis in cauſando; tales ſunt, DEUS, Sol, & homo; ex quibus DEUS eſt Cauſa univerſaliſſima, Sol minùs univerſalis, & homo eſt particularis.

2. *Duæ Cauſæ totales nequeunt ſimul producere eundem effectum.*

Dico primò: duæ Cauſæ Efficientes totales, & adæquatæ ejusdem ordinis nec etiam divinitus poſſunt producere, ſimul & conjunctim eundem numerò effectū. Ita Scotus *1. diſt. 2. q. 3.* & *3. diſt. 1. q. 2.* & *2. diſt. 20. q. 2.* quem ſequitur tota Schola Subtilium; & Complut. ac nonnulli ex Thomiſtis, & RR. quos refert Maſtrius, & P. Meriner. contra P. Occamum, ac alios Nominales; & contra Fonſec. Svar. Ruvium, aliosque RR.

Probatur primò argumentô Scoti *cit.* implicat etiam divinitus eundem numerò effectum eſſentialiter dependere; & non dependere ſimul ab una eademque Cauſa totali, & adæquata ejusdem ordinis: ſed hoc ſequeretur, ſi duæ Cauſæ Efficientes totales, & adæquatæ ejusdem ordinis divinitùs producerent ſimul, & cōjunctim eundem numerò effectum: Ergo hunc producere non poſſunt. Maj. patet; quia implicat contradictoria verificari de eodem reſpectu ejusdem ſimul, & ſemel, ut docet Philoſophus *in lib. Elench.*

Elench. cap. de Syllogiſmo Elenchi; & *1. Poſter. cap. 2.* dependere autem, & non dependere ſunt contradictoria circa eandem numerô Cauſam. Probat. ergo Min. ponamus A. & B. eſſe duas Cauſas Efficientes totales, & adæquatas ejuſdem ordinis reſpectu effectûs C. tunc ſic; effectus C. eſſentialiter dependeret imprimis ab unaquaque Cauſa, id eſt tam ab A. quàm â B. ut ſupponitur; & quia ambæ eſſent ejus Cauſæ: non dependeret etiam eſſentialiter ab unaquaque; quia ab illa Cauſa effectus eſſentialiter non pendet, quâ nô exiſtente, vel circumſcriptâ, habet adhuc eſſe: ſed non exiſtente Causâ A. adhuc effectus haberet eſſe â Cauſa B. ſimiliter non exiſtente Causâ B. effectus haberet eſſe ab A. Ergo â neutra eſſentialiter dependeret; & ſic ſequeretur quòd idem numerô effectus eſſentialiter dependeret; & non dependeret ſimul ab una eadem Cauſa totali, & adæquata ejuſdem ordinis.

Probatur ſecundò aliâ ratione: ex oppoſita Sententia ſequeretur alterutrum iſtarum duarum Cauſarum Efficientium eſſe, & non eſſe totalem, & adæquatam; quæ ſunt rurſus contradictoria: Ergo &c. Probat. Ant. primò eſſet Cauſa totalis, & adæquata; ut eſt in hypotheſi: non eſſet etiam, quia illa non cenſetur eſſe Cauſa totalis, & adæquata, quæ ponit effectū in conſortio alterius cō cauſæ, utì in propoſito contingeret; quia Cauſa totalis, & adæquata deſcribitur communiter â DD. & fundatur in Ariſtotele *2. Phyſic. tex. 53.* & *1. Poſt. cap. 13. tex. 30.* quòd ſit illa, quæ in ſuo genere abſque conſortio alterius Cauſæ cauſat effectum: Ergo alterutra iſtarum duarum Cauſarum Efficientium eſſet totalis, & adæquata; & non eſſet.

Probatur tertiò rurſus aliâ ratione: ex oppoſita Sententia rurſus ſequeretur, quòd idem numerô effectus in inſtanti bis produceretur totaliter, & adæquatè, puta ſemel ab una Cauſa totali, & adæquata; & altera vice ab altera; quia cùm quælibet Cauſa exerceat cauſationem actualem totalem, & adæquatam, debet ei correſpondere cauſatum, ſeu effectus totalis, & adæquatus; & cùm duplex ſit cauſatio actualis, totalis, & adæquata: idcircò idem effectus bis in inſtanti produceretur totaliter, & adæquatè: ſed hæc ſequela eſt falſa: Ergo duæ Cauſæ Efficientes totales, & adæquatæ ejuſdem ordinis nequeunt ſimul, & conjunctim producere eundem numerô effectum.

Objicies *primò*: duo accidentia ejuſdem rationis poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto, ſecundùm Scotum *3. diſt. 8. q. un.* ſed plures dependentiæ unius numerô effectûs ad duas Cauſas Efficientes totales ejuſdem ordinis ſunt accidentia ejuſdem rationis; quia ſunt relationes cauſati ad Cauſas: Ergo poſſunt eſſe in uno eodemque numerô effectu; & conſequenter duæ Cauſæ Efficientes, totales ejuſdem ordinis poſſunt producere eundem numerô effectum. *Secundò*: ſi duo ignes æqualiter eſſent applicati uni ſtupæ, comburerent illam ut duæ Cauſæ totales: Ergo &c. *Tertiò*: duo Sacerdotes poſſunt ſimul, & conjunctim conſecrare unam numerô Hoſtiam; ſi ſimul verba Conſecrationis proferrent: item duo miniſtri baptiſmatis ſimul baptizare unum infantem; ut duæ Cauſæ totales: Ergo &c. *Quartò*: duo corpora divinitùs poſſunt eſſe in uno loco compenetrativè ex Scoto *4. diſt. 49. q. 16.* Ergo tunc duæ Cauſæ totales producerent eundem numerô effectum, puta unicum ubi illorum duorum corporum. 3. *Variæ objectiones afferuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* cum Scoto *3. diſt. 1. q. 2.* Diſt. Maj. ſi illa duo accidentia ſint ex natura ſua compoſſibilia Conc. Maj. ſi ſint ex natura ſua incompoſſibilia Neg. Maj. Itaque plures dependentiæ eſſentiales unius numerô effectûs terminatæ ad duas Cauſas Efficientes totales, & adæquatas ſunt incompoſſibiles, quia ſunt ad terminos totales, & adæquatos; & quia ſunt eſſentiales. *Ad Secundum* dico cum Scoto *4. diſt. 10. q. 2.* quod illi duo ignes ſimul, & conjunctim applicati comburerent ut duæ Cauſæ partiales Efficientes, quæ adintegrant unam totalem; quod inde colligi poteſt; quia ignis productus ab ipſis ſimultaneè agentibus foret major, quàm ſi ab unoquoque ſeorſim produceretur. *Ad Tertium* dico cum Scoto *4. diſt. 6. q. 2.* in illo caſu vel ambos ſimul partialiter, vel certè unum tantùm totaliter cōſecrare illam Hoſtiam, quem DEUS determinaret ad conſecrandum: idem dicendum ad illum caſum de duobus ſimul baptizantibus unum infantem. *Ad Quartum* Neg. Conſeq. & dico in tali caſu penetrationis duorum corporum fore quidem unum ubi materialiter; quod tamen non eſt effectus illorum corporum; duo verò formaliter. 4. *Quæ reſolvuntur.*

Dico

5. *Duæ Cauſæ totales diverſi ordinis poſſunt efficere unum effectum ſimul.*

Dico ſecundò: duæ Cauſæ Efficientes totales, & adæquatæ diverſi ordinis poſſunt ſimul producere unum numerô effectum. Ita colligitur ex Scoto *1. diſt. 3. q. 7.* & ſequuntur Monturſ. Columb. & communis Scotiſtarum.

Probatur primò authoritate Philoſophi, qui *2. Phyſ. 26.* dicit, *Sol, & homo generant hominem*: ſed Sol, & homo ſunt duæ Cauſæ Efficientes totales, & adæquatæ diverſi ordinis: Ergo &c. Secundò ratione; DEUS, & Cauſa ſecunda in omni effectu phyſico producendo ſimul concurrunt, & comproducunt: ſed iſti ſunt duæ Cauſæ Efficientes totales, & adæquatæ diverſi ordinis: Ergo &c.

6. *Et duæ ejuſdem ordinis eundem diviſim.*

Dico tertiò: duæ Cauſæ Efficientes totales, & adæquatæ ejusdem etiam ordinis poſſunt diviſim producere eundem numerô effectum. Senſus quæſt. eſt, quòd effectus, qui eſt productus ab una Cauſa Efficiente totali, potuiſſet produci ab alia. Concluſionem habet Scotus *2. diſt. 20. q. 2.* ubi dicit, eundem numerô filium ab uno parente genitum, potuiſſe ab alio gigni; ac proinde qui fuit filius Adæ, potuiſſe eſſe filium Abrahæ. Scotum ſequuntur Scotiſtæ omnes; & Ruvi. Svar. Gabr. &c. contra Averro. Maſium, Marſil. & alios Thomiſtas.

Probatur primò argumentô Theologicô Scoti; defactô plures Electi producti, & geniti ſunt â genitoribus reprobis v. g. S. Martinus, & S. Barbara nati ab Ethnicis parentibus, qui, ſi ſtatus Innocentiæ perſeveraſſet, potuiſſent naſci, imò nati fuiſſent â genitoribus electis, juxta illud S. Gregorii *4. Moral. cap. 22. Si parentem primum nulla peccati rubigo corrupiſſet, nequaquam ex ſe filios gehennæ generaret; ſed illi, qui nunc per Redemptorem ſalvandi ſunt, ſoli ab illo Electi naſcerentur*: ſed duo genitores reprobus, & electus ſunt duæ Cauſæ Efficientes totales, & adæquatæ ejusdem ordinis reſpectu unius numerô filii electi diviſim: Ergo duæ Cauſæ Efficientes totales, & adæquatæ ejusdem ordinis poſſunt diviſim, & ſucceſſivè producere eundem numerô effectum.

Probatur ſecundò ratione Philoſophicâ: non eſt ulla repugnantia ex parte effectûs ut ſic; nec ex parte unitatis individualis ejusdem; nec ex parte Cauſarũ producentium: Ergo dicendum eſt duas Cauſas Efficientes totales, & adæquatas ejusdem ordinis poſſe producere eundem numerô effectum diviſim. Probat. Ant. nõ ex parte effectûs ut ſic; quia cùm effectus producatur â Cauſa Efficiente A. cur non poſſet æquè â Cauſa Efficiente B. eodem modo applicata produci. Nec ex parte unitatis individualis ejusdem effectûs; quia hæc non dependet â Cauſa extrinſeca Efficiente; ſed â differentia ſibi intrinſeca hæcceitatis; quare poterit indifferenter produci in eſſe individuali â quacunque Cauſa Efficiente; nec etiam ex parte ipſarum Cauſarum; quia cùm hæ ſupponantur eſſe ejusdem ordinis, ſpeciei, & virtutis, tam bene ab una, quàm ab altera diviſim, & ſucceſſivè idem numerô effectus poteſt produci.

Obijciunt Thomiſtæ: Effectus ſingularis ita determinat ſibi certam Cauſam Efficientem, ut ab alio nequeat produci: Ergo &c. Probat. Ant. niſi effectus ſingularis ſibi determinaret certam Cauſam Efficientem, ſequeretur *primò*, quòd nulla eſſet Cauſa Efficiens per ſe ſui effectûs; quia per accidens ei eſſet, quòd is producatur â tali Cauſa; cùm ab alio poſſet produci; *ſecundò* ſequeretur, quòd quælibet Cauſa Efficiens poſſet producere omnes effectus ſingulares; cùm habeat virtutem ad omnes producendos. *Tertiò* ſequeretur, quòd idem effectus eſſentialiter dependeret; & non dependeret ab illa Cauſa Efficiente, â qua producitur: dependeret eſſentialiter, ut ſupponitur; non dependeret etiam; quia poſſet ab alia produci: ſed iſtæ ſequelæ ſunt falſæ: Ergo &c. 7. *Thomiſtarum rationes adverſæ*

Reſpondeo Neg. Ant. quod univerſaliter nõ verificatur, ut patet de effectu ſingulari auri, quod fit â Sole, & ab arte chymica; & de quibusdam animalibus, quæ ex putri, & ex ſemine naſcuntur: deinde ad ejus Probat. Nego *primam ſequelam*: quia ad eſſe cauſam per ſe, ut diſtinguitur â Cauſa per accidens, ſufficit, quòd ipſa reali, & proprio influxu ex natura ſua influat in effectum, etſi contingenter illum ponat; ita ut ab alia etiam poni poſſet. Nego etiam *ſecundam ſequelam*; quia ad producendum effectum ſingularem non ſufficit habere virtutem; ſed requiruntur etiam ut obſervat Scotus *1. diſt. 7. q. nn.* certæ conditiones, quæ nequeunt convenire cuilibet Cauſæ Efficienti reſpectu omnium effectuum ſingularium. Ad *tertiam ſequelam* dico, quòd illa dependentia, & non dependentia ſit reſpectu diverſi temporis; ac proinde non inſert ullam contradictionem. Itaque idem effectus dependeret eſſentialiter pro uno tempore 8. *Diluuntur.*

ab iſta Cauſa Efficiente, â qua hìc & nunc producitur; & non dependeret ab illa pro alio tempore, quô ab alia Cauſa Efficiente poneretur.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Cauſa Efficiens ſubſtantialis ſit productiva immediatè alterius ſubſtantiæ?

1. *Duæ ſolemnes opinones oppoſita explanantur.* JAm ſuprà *Quæſtione I.* pluribus oſtenſum eſt, Cauſas creatas Efficientes ſubſtantiales eſſe effectivas effectuū connaturalium, inter quos etiam ſunt ſubſtantiales; & conſequenter eaſdem eſſe productivas ſubſtantiarum; ut dum terra germinat herbam virentem, arbor producit fructus &c. Sed hìc ulteriùs inquiritur, num hujusmodi efficientiam, & productionem exerceant immediatè per aliqua principia ſubſtantialia, ſeu per formam ſuam ſubſtantialem; an verò per principia aliqua accidentalia diſtincta, ſeu per aliquas formas accidentales. Qua in re D. Thomas, ejuſq; Schola Angelica, & nonnulli RR. ac Complutenſes arbitrantur, nullam ſubſtantiam creatam Efficientem efficere per ſe, & immediatè aliam ſubſtantiam per ſua principia ſubſtantialia; ſed mediatè duntaxat, id eſt mediantibus accidentibus, virtute ab ipſa ſubſtantia emendicata influentibus; ita ut accidentia immediatam habeant actionem, principiationem, & efficientiam in aliam ſubſtantiam productam; ſubſtantia verò ſolùm mediatam. Scotus verò cum tota ſua Schola Subtili docet, Cauſam Efficientem ſubſtantialem, ſeu ſubſtantiam eſſe per ſe, & immediatè per ſua principia ſubſtantialia ſeu formas ſubſtantiales effectivam, ac productivam alterius ſubſtantiæ, v. g. ignis efficit immediatè alium ignem per ſuam formam ſubſtantialem; ſuppoſitâ tamen debitâ diſpoſitione accidentali, ab accidentibus prævììs proveniente.

2. *Una ſubſtantia poteſt efficere aliam ſubſtantiam* Dico primò: Cauſa Efficiens ſubſtantialis, ſeu ſubſtantia creata producit, & efficit immediatè aliam ſubſtantiam per propriam formam ſubſtantialem; & non per accidentia. Ita Scotus *1. diſt. 37.* & *4. diſt. 12. q. 3.* & *4. diſt. 6. q. 5.* & *9. Met. q. 7.* cui ſubſcribit Durandus, Occam, Jand. Valleſ. Hurt. &c.

Probatur primò authoritate Philoſophi, qui *7. Met. tex. 31.* dicit, quòd ad generandam ſubſtantiam neceſſariò debeat præire alia ſubſtantia, veluti Cauſa; ut ſi generatur animal, præexiſtit animal: Ergo &c.

Prob. ſecundò: imperfectiùs nequit eſſe Cauſa Efficiens totalis, & productiva immediatè perfectioris ſe; quia nemo poteſt dare, quod non habet virtualiter, aut eminenter; imperfectiùs autem nec virtualiter, nec eminenter continet perfectiùs: ſed accidens eſt imperfectiùs, quàm ſubſtantia: Ergo accidens nequit eſſe Cauſa Efficiens, & productiva ſubſtantiæ; & conſequenter ipſamet ſubſtantia, ſeu Cauſa Efficiens ſubſtantialis per propriam formam efficit, & producit immediatè aliam ſubſtantiam.

Reſpondent primò huic efficaci rationi quidam Thomiſtæ dicendo; accidens eſſe quidem imperfectiùs ſubſtantiâ quoad entitatem; non verò quoad activitatem. *Contra*, activitas, ſeu virtus agendi in accidente vel eſt ipſamet entitas accidentis, vel ſaltèm neceſſariò ſequitur ad illam, eique commenſuratur: quare ſi accidens eſt imperfectiùs ſubſtantiâ quoad entitatem, erit etiam imperfectiùs in activitate. 3. *Thomiſtarū replica evertuntur.*

Reſpondent alii; accidens eſſe quidem imperfectiùs ſubſtantiâ, ac proinde virtute propriâ non poſſe efficere, & producere ſubſtantiam; poteſt tamen hoc præſtare in virtute ſubſtantiæ. *Contra* inſtat Scotus, quærendo, quid ſit iſta virtus ſubſtantiæ, vi cujus accidens producit ſubſtantiam? ſi dicas quòd ſit accidens; redit idem argumentum, quòd imperfectiùs non poſſit producere perfectiùs: ſi eſt ſubſtantia; Ergo ſubſtantia eſt, quæ immediatè efficit, & producit aliam ſubſtantiam.

Probatur tertiò Concluſio: ſi Cauſa Efficiens ſubſtantialis, ſeu ſubſtantia creata non produceret, & efficeret immediatè aliam ſubſtantiam; ſed accidentia, ſequeretur nullam dari Cauſam univocam in Univerſo: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. Prob. Maj. Cauſa univoca dicitur illa, quæ producit effectum ſibi ſimilem: ſed accidens non producit effectum ſibi ſimilem; cum ſubſtantiæ ſint toto genere diverſæ ab accidentibus: Ergo &c. 4. *Alia rationes pro concluſione.*

Probatur quartò: accidentia aliqua producunt, & efficiunt immediatè alia accidentia, ut calor alium calorem: Ergo etiam ſubſtantia producit immediatè aliam ſubſtantiam. Deinde non videtur ex quo capite poſſit denegari Cauſæ Efficienti ſubſtantiali, ſeu ſubſtantiæ immediata

diata productio, & efficientia alterius ſubſtantiæ; & aliunde magis conſentaneum eſt ordini Cauſarum hujus Univerſi, ut ſubſtantiæ producant immediatè ſuas ſubſtantias, nè formæ earum videantur eſſe fruſtraneæ, & otioſæ: Ergo &c. Tandem, ut bene arguit Scotus *4. diſt. 12. q. 3. illa forma eſt principium agendi, in qua generans, & genitum aſſimilantur: ſed genitum aſſimilatur generanti principaliter in forma ſubſtantiali*: Ergo hæc eſt principium agendi Cauſæ ſubſtantiali efficienti; & non accidentia.

5. *Exponitur Philoſophus pro eâ concluſione.*

Objiciunt adverſarii Philoſophum; qui attribuit accidentibus activitatem, & vim productivam ſubſtantiæ immediatam: Ergo &c. Probat. Ant. nam *2. de anima* dicit, calorem naturalem (qui eſt accidens) eſſe id, quò anima agit, id eſt efficit, & producit. Item *lib. de ſenſu & ſenſibili cap. 4. dicit*; quòd ignis non agat, ſeu efficiat in quantum ignis, ſed in quantum calidus: Ergo &c.

Reſpondeo Neg. Ant. ad ejus Probat. dico cum Scoto *4. diſt. 12. q. 3.* Philoſophũ per has, & ſimiles authoritates ſolùm velle, quòd calor ſit inſtrumentum diſpoſitivum ad agendũ; *quia ſcilicet* (inquit Doctor) *digerit, & alterat nutrimentum, ut in termino illius alterationis poſſit ex ipſa generari ſubſtantia: unde ſunt ibi duæ actiones, & duo principia agendi; quia reſpectu alterationis* (quæ eſt accidens) *præviæ principium agendi eſt calor; reſpectu autem carnis inducendæ* (quæ eſt ſubſtantia) *principium eſt anima*, tanquam principium ſubſtantiale ſibi proportionatum.

6. *Experientiæ Thomiſt: afferuntur cõtra concluſ.*

Objiciunt ſecundò varias experientias; quibus depreheñditur accidentia eſſe productiva immediatè ſubſtantiæ: *primò* enim dum Sol in abditis viſceribus terræ producit ſubſtantiam metallorum auri, argenti &c. nequit hôc efficere per activitatem immediatam ſuæ ſubſtantiæ; ſed per lumen, & alias accidentales formas ſuas, ac influentias. *Secundò* idem Sol mediantibus ſolùm radiis ſuis, qui accidentia ſunt, in ſpeculo concavo, aut convexo collectis, ignem producit in aliquo ſubjecto combuſtibili approximato. *Tertiò*: idem Sol ex putri producit ranas, mures &c. ſolâ influentiâ accidentali; abſque immediata actione ſubſtantiæ: Ergo &c.

7. *Exploduntur.*

Reſpondeo Neg. Ant. & ad omnes illas experientias dico, illos omnes ſubſtantiales effectus produci ab accidentibus Solis diſpoſitivè tantùm; efficienter verò ab agentibus vicinis, aut circumſtantibus ſubſtantialibus; vel ſi nullum adſit, immediatè à DEO, cujus ut Authoris naturæ eſt ſupplere defectum agentium naturalium, nè præſcriptus ab eo ordo invertatur, & deficiat, ut habet Scotus *4. diſt. 12. q. 3.* Neq; mirum debet videri Thomiſtis, quòd in his, & ſimilibus caſibus ad DEUM, ut Cauſam primam directricem, conſervatricem, & adminiſtratricem Univerſi potiùs recurrant Scotiſtæ, quàm concedant accidentibus efficientiam illarum ſubſtantiarum auri, ignis, & animalium; quam reverà nulla ratione exercere poſſunt: nam & ipſi ad Authorem naturæ recurrunt, ut introducatur forma cadaveris in corpus animalis, poſtquam eſt examine: ſimiliter ad eundem recurrunt, ut introducatur anima rationalis in corpus debitè organizatum: quando nullam aliam Cauſam ſublunarem immediatam inveniunt pro dictis formis introducendis.

8. *Aliud argumentũ Thomiſtarum enervatur.*

Obiiciunt tertiò: nil obſtat in accidentibus, quò minùs immediatè producant ſubſtantiam: Ergo hæc productio eis eſt concedenda. Probat. Ant. ſi quid obſtaret, maximè quia accidentia ſunt imperfectiora ſubſtantiis, ut contendit argumentum primum ſuprà allatum pro Concluſione: ſed hoc non obſtat: Ergo &c. Prob. Min. qualitates materiales, v. g. albedo, nigredo ſunt imperfectiores intellectione; & tamen unà cum intellectu comproducunt intellectionem, ut habet ipſemet Scotus *1. diſt. 3. q. 7.* Ergo non obſtat in accidentibus in ordine ad producendam ſubſtantiam, quòd ſint imperfectiora. Reſpondeo Neg. Ant. & Min. Probat. ejuſdem, ad cujus probationem Nego paritatem; diſparitas eſt; quia imprimis tam qualitates materiales, quàm intellectio ſunt quædam accidentia, & conſequenter in eodem genere accidentis; atque ita major eſt proportio entitativa qualitatum ad comproducendam intellectionem, quàm accidentium ad producendam ſubſtantiam, quæ toto genere diſtat ab accidentibus. Deinde qualitates materiales non exercent concurſum, & actionem phyſicam realem in intellectionem; ſed tantùm intentionalem; ac proinde ad eam comproducendam concurrere poſſunt; accidentia verò reſpectu ſubſtantiæ producendæ deberent exercere concurſum, & actionem phyſicam realem, quam non poſſunt. Tandem in-

intellectus non eſt determinatus ex ſe ad cauſandam intellectionem talis ſpeciei potiùs, quàm alterius; nec poteſt ſine objecto præſente in re, vel in ſui ſpecie, vicaria objecti illam cauſare; unde qualitates materiales ſecundùm ſuas ſpecies eum debent determinare; atque ita comproducunt partialiter: at ſubſtantiæ ex ſe ſunt determinatæ ad producendas alias ſubſtantias; v.g. ignis alium ignem, ac proinde non egent accidentibus tanquam determinativis.

9. *Angeli nequeunt producere aliã ſubſtantiam*

Nota autem: doctrinam hactenus traditam de immediata productione unius ſubſtantiæ ab alia, intelligendam eſſe de ſubſtantiis materialibus producentibus: nam certum eſt, unam ſubſtantiam purè ſpiritualem non poſſe immediatè producere ullam aliam ſubſtantiam ſpiritualem; v.g. unus Angelus nequit producere alium Angelum, aut una anima rationalis aliam animam; quia cùm talis ſubſtantia ſit ſimplex phyſicè, petit immediatè creari à DEO: nec etiam poteſt materialem producere; quia potentiæ productivæ ſubſtantiæ ſpiritualis v.g. Angeli non ſunt aliæ, quàm intellectus, & voluntas; hæ autem ſunt tantùm immediatè productivæ intellectionum, & volitionum; non verò ſubſtantiarum: Ergo ſubſtantia purè ſpiritualis non poteſt immediatè producere ullam aliam ſubſtantiam. Quare ſi legantur Angeli mali aliquando aliquas ſubſtantias efficere v. g. grandines, fulmina, ignes, & infantes per ſuam incubationem, & ſimilia; dicendum eſt, quòd hoc faciant tantùm mediatè, vel applicando duntaxat activa paſſivis, ex quibus immediatè oriuntur illæ ſubſtantiæ; vel certè per adductionem ſubitam earundem ſubſtantiarum ex aliis locis incognitis.

10. *Accidentia concurrunt ad productionem ſubſtantiæ diſpoſitivè.*

Dico ſecundò: accidentia tamen concurrunt ad productionem ſubſtantiæ diſpoſitivè. Ita Scotus *4. diſt. 6. q. 5.* & *diſt. 12. q. 5.* & alibi; & ſequitur P. Meriner. Baſſol. Bargius, Monturſ. Trombetta, & alii Scotiſtæ.

Probatur: accidentia in generatione ſubſtantiæ producunt qualitates quaſdam diſponentes materiam ad receptionem formæ ſubſtantialis; item alias removent, quibus retardatur inductio ejuſdem formæ in materiam; ſic accidens caloris ignis v. g. cauſat caliditatem in ligno, quâ expellitur frigiditas obſiſtens ignitioni; ſimiliter cauſat ſiccitatem in eodem, quâ expellitur ab eo humiditas obſiſtens introductioni formæ ignis: Ergo accidentia concurrunt ad productionem ſubſtantiæ diſpoſitivè. Deinde accidentia ſunt inſtrumenta agendi ad alias ſubſtantias, ut habet Scotus *4. diſt. 12. q. 3.* Ergo concurrunt diſpoſitivè ad productionem ſubſtantiæ.

QUÆSTIO V.

An Cauſa Efficiens ſubſtantialis ſit etiam immediatè productiva accidentium?

1. *Subſtantia poteſt in ſeipſa producere aliqua accidentia.*

Dico primò: Cauſa Efficiens ſubſtantialis poteſt immediatè in ſeipſa producere aliqua accidentia. Ita Scotus *2. diſt. 16. q. 1.* ubi docet, Angelos, & animas rationales per ſuas ſubſtantias immediatè producere in ſeipſis intellectiones, & volitiones, quæ ſunt accidentia. Idem docet *4. diſt. 12. q. 2.* & ſequuntur Monturſ. Fraſſen, Villaverde, Lamazar. & alii Scotiſtæ; contra Thomiſtas aſſerentes, ſubſtantias non eſſe immediatè operativas accidentium.

Probatur primò ratione Scoti: in productione accidentium, in quibus non eſt ordo eſſentialis, non eſt ponendus proceſſus in infinitum; ſed ſiſtendum eſt in aliqua Cauſa creata, à qua eſſentialiter dependeat totus ordo accidentium: ſed talis nequit eſſe niſi ſubſtantia: Ergo aliqua accidentia dependent immediatè in cauſari, produci, & effici à ſubſtantia; & conſequenter Cauſa Efficiens ſubſtantialis eſt immediatè productiva aliquorum accidentium. Maj. patet; quia calor productus in ligno dependet à calore ignis; calor autem ignis non poteſt dependere ab alio calore; quia aliàs procederetur in infinitum; adeóque ſiſtendum erit in ſubſtantia aliqua, id eſt forma ignis, quæ ſit productiva illius caloris in igne reperti. Min. Probat. quia ſi ſubſtantia aſſignetur pro principio productivo immediato aliquorum accidentium, declinatur ille proceſſus in infinitum.

Probatur ſecundò: experientiâ conſtat, aquam calidam producere immediatè in ſeipſa frigus ſibi connaturale: Ergo &c. Probat. Ant. illud frigus non producitur ab aliqua Cauſa univerſali, ut putant aliqui Thomiſtæ; quia ad Cauſas univer-

verſales recurrendum non eſt, ubi aſſignari poſſunt Cauſæ partiales; uti in propoſito aſſignari poteſt forma ſubſtantialis aquæ productiva illius frigoris. Nec producitur ab aliqua occulta qualitate, ut volunt alii Thomiſtæ; nam recurrere ad occultas qualitates eſt aram erigere ignoto DEO. Deinde adſunt principia manifeſta productiva illius frigoris in Sententia Scoti: Ergo ad quid recurſus ad occultas qualitates? Nec producitur ab aëre circumſtante: quia contingere poteſt, ut aër circumſtans ſit calidior, quàm aqua; imò plerumque eſt calidior: Ergo remanet, quòd illud frigus producatur â nativa forma aquæ.

Probatur tertiò aliis rationibus: ſubſtantia poteſt immediatè producere aliam ſubſtantiam, ut *priori quæſt.* oſtenſum eſt: Ergo a fortiori aliqua accidentia in ſeipſa. Deinde Thomiſtæ fateri debent, quòd ſaltèm primum omnium accidens immediatè fuerit productum á ſubſtantia; non enim accidens aliquod æternum fuit, & independens: Ergo &c. Tandem intellectus, qui eſt ſubſtantia quædam, producit in ſeipſo immediatè intellectionem ut accidens; & ignis in primo ſui eſſe calorem, & generaliter quævis ſubſtantia in primo inſtanti omnes ſuas qualitates connaturales, & accidentia ſympathica: Ergo Cauſa ſubſtantialis Efficiens poteſt in ſeipſa imediatè producere aliqua accidētia.

2. *Thomiſtarū objecta.* Objiciunt Thomiſtæ *primò*: inter Cauſam Efficientem ſubſtantialem, & accidentia connaturalia, quæ Cauſa Efficiens ſubſtantialis produceret in ſeipſa, nulla eſſet actio realis & phyſica: Ergo nec immediata vera productio eorum á Cauſa Efficiente ſubſtantiali. Probat. Ant. nihil agit realiter & phyſicè in ſeipſum; quia actio & paſſio diſtinguuntur realiter, eò quòd agens & paſſum diſtinguantur realiter: Ergo inter Cauſam Efficientem ſubſtantialem & accidentia connaturalia, quæ produceret Cauſa Efficiens ſubſtantialis in ſeipſa, nulla eſſet actio realis & phyſica. *Secundò*: ſi Cauſa Efficiens ſubſtantialis ſeu ſubſtantia produceret immediatè aliqua accidentia in ſeipſa, produceret omnia: ſed hoc eſt contra experientiam, quâ videmus unum calorem producere alium calorem: Ergo &c.

3. *Refelluntur* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & Diſt. Ant. Probat. ejus; nihil agit in ſeipſum realiter actione univocâ Conc. Ant. actione æquivocâ Neg. Ant. Itaq; aliud poteſt agere in ſeipſum actione æquivoca; & ſic Cauſa Efficiens ſubſtantialis ſeu ſubſtantia actione æquivocâ producit immediatè in ſeipſa accidentia. Deinde illa maxima Thomiſtica, nihil agit in ſeipſum realiter, apparet manifeſtè falſa in intellectu, & voluntate, quæ agunt in ſeipſa intelligendo ſe, & volendo ſe. *Ad Secundum* Neg. Maj. nam aliquando concurrunt ipſamet accidentia in ratione principii productivi aliquorum aliorum accidentium in ſubſtantia; uti contingit in calore ignis genito ab igne, qui poteſt immediatè gignere alium calorem in ſubjecto apto, quo caſu Cauſa Efficiens ſubſtantialis non eſt productiva illius accidentis; ſed prævenitur ab accidentibus activis, & operativis. Deinde mala eſt iſta collectio in Cauſis creatis limitatis; hæc Cauſa poteſt efficere, & cauſare aliquos effectus: Ergo omnes; nam inſtantia eſt in virtute viſiva, quæ poteſt cauſare viſionem, non tamen auditionem, & guſtationem, qui ſunt effectus alterius ſpeciei: licèt ergo ſubſtantia poſſit producere immediatè in ſeipſa aliqua accidentia, maximè ea, quæ ſunt connaturalia; non tamen poteſt omnia.

Dico ſecundò: Cauſa Efficiens ſubſtantialis etiam poteſt immediatè producere aliqua accidentia in alieno ſubjecto. 4. *Subſtantia etiam in alieno ſubjecto poteſt immediatè efficere aliqua accidentia.*
Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 9. q. 2.* & ſequūtur Maſtrius, Fraſſen, Van-Sichen, &c.

Probatur *primò* ratione Scoti, quam habet *loco cit. §. ad quæſt. iſtam*; intellectus Angeli poteſt producere immediatè intellectionem, non tantùm in ſe; ſed etiam in intellectu alterius Angeli, cui vult loqui: ſed illa intellectio eſt accidens immediatè productum á Cauſa Efficiente ſubſtantiali, puta â ſubſtantia ſeu intellectu Angeli: Ergo &c. *Secundò*: Cauſa Efficiens ſubſtantialis poteſt immediatè in ſeipſa producere aliqua accidentia: Ergo & in alieno ſubjecto. Conſequentia tenet; quia non videtur eſſe majoris activitatis in ſeipſo, quam in alieno ſubjecto apto aliquid producere ſuppoſitô principiô activô expeditô, & ſubjectô alienô diſpoſitô. *Tertiò*: unum accidens poteſt immediatè in alieno ſubjecto producere aliud accidens, v.g. calor ignis calorem in manu: Ergo etiam ſubſtantia poterit immediatè aliquod accidens producere in alieno ſubjecto, ſi alia Cauſa partialis ejus productiva non adeſſet, quæ ſubſtantiam in producendo præveniret.

5. *Non tamen producit ſymbolica.* Dixi *aliqua accidentia*; quia puto, quòd illa accidentia, quæ ſymbolizant in eadem qualitate, immediatè producantur ab aliis accidentibus ſimilibus repertis in ſubſtantia; & non â ſubſtantia ipſa, ſeu â Cauſa Efficiente ſubſtantiali etiam ſimiles qualitates habente; v. g. quòd alius calor in manu mea producatur immediatè à calore ignis; non verò ab ipſa ſubſtantia ignis. Ratio eſt; quia ſubſtantia in cauſatione, & productione ſimilium accidentium probabiliter prævenitur ab accidentibus ſibi inexiſtentibus, tanquam Cauſis ſufficientiſſimis ad producendum, & magìs connaturalibus ac proportionatis; utpotè univocis: Et quia videtur quòd natura non fruſtra; ſed ad talem finem productionis immediatæ ordinaverit illa accidentia ſymbolizantia.

QUÆSTIO VI.

De efficientia Cauſarum Efficientium accidentalium.

1. *Accidens conjunctum poteſt immediatè producere ſimile accidēs.* Dico primò: unum accidens materiale conjunctum cū ſua ſubſtantia poteſt ſecundum propriam virtutem immediatè producere in alieno ſubjecto accidens ſibi ſimile. Ita Scotus *4. diſt. 12. q. 3.* & ſequuntur Monturſ. Fraſſ. Villaverde, Fuente, & communis Scotiſtarum; contra Fonſec. Conymbr. &c.

Probatur: Tum quia illa accidentia materialia, quæ dicuntur qualitates primæ, puta calor, frigus, humiditas, & ſiccitas, ſunt activæ ſecundùm propriam virtutem, quando ſunt conjunctæ ſubſtantiis. ſed non ſunt activæ reſpectu ſubſtantiæ alicujus producendæ; ut ſuprà *Quæſt. 4.* oſtenſum eſt: Ergo remanet, quòd reſpectu accidentium ſibi ſimilium producendorum ſint activæ; ac conſequenter unum accidens cōjunctum cum ſua ſubſtantia poteſt immediatè ſecundùm propriam virtutem producere in alieno ſubjecto accidens ſibi ſimile. Probat. Maj. experientiâ, quâ advertimus primas qualitates eſſe activas; calor enim ignis deſiccat, indurat, calefacit &c. Tum quia accidentia materialia Euchariſtica ſeparata â ſubſtantia cauſant ſecundùm propriam virtutem alia accidentia, puta ſaporem, odorem: Ergo â fortiori quando ſunt unita ſubſtantiæ cauſabunt per propriam virtutem accidentia ſibi ſimilia; cùm in ſtatu conjunctionis, & unionis exiſtant modo ſibi connaturali, ſcilicet inhærendo actualiter.

Objicies: quando accidentia ſunt conjuncta cum ſua ſubſtantia, tunc potiùs ſubſtantiæ attribui debet efficientia, & productio ſimilium accidentium novorum: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. ſed potius attribui debet accidentibus; nam quotieſcunque duæ Cauſæ Efficientes conjunctæ ſunt æquè capaces producendi unum effectum, quarum una eſt univoca, altera æquivoca; tunc ordo naturæ poſtulat, ut ille effectus producatur â Cauſa univoca; qualis in propoſito eſt accidens reſpectu alterius accidentis ſibi ſimilis producendi; non verò ab æquivoca. Ratio eſt, quia Cauſa univoca eſt magis determinata ad producendum hunc effectum, utique ſibi ſimilem in natura. Et hinc fit, quòd licèt Sol dicatur producere ranam ex putri, dum materia eſt diſpoſita; attamen in caſu, quo altera rana adeſſet illi materiæ, potiùs rana producta attribui debet alteri ranæ; quàm Soli. 2. *Qualiter objectio rejicitur.*

Dico ſecundò: ſimiliter unum accidens ſeparatum a ſubſtantia poteſt ſecundum propriam virtutem immediatè producere in alieno ſubjecto aliud accidens ſibi ſimile; modò illud accidens productivum non ſit ſeparatum etiam â quantitate. Ita Scotus *4. diſt. 12. q. 3.* & ſequuntur Lamaz. Fraſſen, Fuente, Monturſ. & alii Scotiſtæ.

Probatur: Tum quia accidentia materialia Euchariſtica ſeparata ab omni ſubſtantia ſecūdùm propriam virtutem producunt in ſubjecto approximato v. g. manu frigus, quando ſunt frigida; & calorem quando ſunt calida: item producunt ſaporem, odorem &c. Ergo &c. Tum quia, ut ait Scotus *cit.* illa accidentia materialia ſeparata, quæ dicuntur qualitates, ſunt principium agendi totale, & formale per ſe in ſuo ordine; quia rationem principii non habent ex conjunctione cum ſubſtantia: Ergo poſſunt immediatè per ſuam propriam virtutem producere in alieno ſubjecto accidentia ſibi ſimilia. 3. *Similiter accidens ſeparatum.*

Dixi in Concluſione notanter, *modò illud accidens productivum non ſit ſeparatum etiam â quantitate*: nam ſi accidens materiale aliquod ſepararetur tam â ſubſtantia, quàm etiam â quantitate, nihil omnino ageret, aut produceret: quia careret modo extenſionis, ad actionem requiſito; quia 4. *Limitatio prioris doctrinæ.*

quia ut ait Scotus *cit. n. 29. nihil habet modum convenientem ad agendum in materiam quantam, niſi ipſum ſit quantum.*

5. *Accidens producens accidens eſt cauſa principalis ejus.* Dico tertio: dum accidens materiale producit aliud accidens ſibi ſimile, efficit illud ut Cauſa principalis; non verò ut inſtrumentalis. Ita Scotus *4. diſt. 12. q. 3.* & ſequuntur Villaverde, Maſtrius, & alii Scotiſtæ; & ex RR. Amicus, Ruvi. Svar. Avera &c. cõtra Ponſecam, & Conymbr. docentes, unum accidens producens aliud eſſe Cauſam duntaxat inſtrumentalem; & ipſam ſubſtantiam eſſe principalem Cauſam.

Probatur: Tum quia illud non efficit aliud ut Cauſa inſtrumentalis, ſed ut principalis, quod eſt principium productivũ per propriam virtutem; ut patet de homine ſindente ligna propria virtute: ſed dũ accidens materiale producit aliud accidens ſibi ſimile, eſt principium productivum ejus per propriam virtutem, puta per ſuam formam ſine actione ſubſtantiæ: Ergo non eſt Cauſa inſtrumentalis; ſed principalis ejus. Tum quia ex eo colligitur aliquam Cauſam eſſe inſtrumentalem tantùm reſpectu alterius, quando effectus ab ea productus eſt perfectior; ut patet de calore, qui reſpectu carnis producendæ in Leunculo creſcente v. g. eſt Cauſa inſtrumentalis tantùm, ex eo, ut habet Scotus *4. diſt. 12. q. 3. n. 8. §. ex hoc patet*, quòd tantùm diſponat materiam, digerendo, & alterando alimentum, ut anima deinde tanquam Cauſa principalis generet ſubſtantiam, quæ eſt effectus perfectior calore: ſed accidens aliud ſimile ab accidente materiali productum non eſt effectus perfectior; ſed æqualis perfectionis; ut dum calor producitur à calore: Ergo dum accidens materiale producit aliud accidens ſibi ſimile, efficit illud non ut Cauſa inſtrumentalis: Ergo ut Cauſa principalis.

6. *Argumenta adverſa.* Objiciunt *primò* adverſarij: calor eſt virtus ignis: Ergo producit, ſeu calefacit in virtute ſubſtantiæ ignis; & conſequenter eſt tantùm Cauſa inſtrumentalis. *Secundò*: quòd operatur in virtute alterius, habet rationem Cauſæ inſtrumẽtalis: ſed accidentia materialia agunt in virtute ſubſtantiæ, cui inhærent, ad producendum aliud accidens ſimile: Ergo ſunt Cauſæ tantùm inſtrumentales. Prob. Min. quia accidentia in eſſe, & operari dependent à ſubſtantia, cui inhærent: Ergo in ejus virtute agunt.

Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Conſeq. Ergo calefacit in virtute ſubſtantiæ ignis recipiendo ab eo aliquam virtutem calefactivam altioris ordinis, quâ agat, & calefaciat Neg. Conſeq. hic enim modus calefaciendi argueret rationẽ Cauſæ inſtrumentalis in calore; calefacit in virtute ignis dependendo in fieri, & conſervari à ſubſtantia ignis, ut ſubjecto Conc. Conſeq. Itaque calor tantùm in hoc ſenſu dicitur agere in virtute ſubſtantiæ ignis, quatenus ab ea, ut ſubjecto, in fieri, & conſervari dependet, ita ut ſine ea naturaliter agere non valeat; quòd tamen rationem Cauſæ inſtrumentalis in eo non arguit; nam etiam homo dependet in fieri, & conſervari à DEO, ita ut ſine eo concurrente, & conſervante generare nequeat alium hominem; & tamen non eſt Cauſa inſtrumentalis reſpectu alterius hominis à ſe generati. *Ad Secundum* Neg. Min. & ad Probat. ejus dico, ut antea, ſimilem dependentiam non rectè arguere rationem inſtrumentalem in dependente; alias omnes Cauſæ ſecundæ ut à prima dependentes eſſent Cauſæ inſtrumentales ſuorum effectuum; quod dici nequit; cùm ſint eorum Cauſæ principales, etſi minùs principales, quàm Cauſa prima. 7. *Eluduntur.*

QUÆSTIO VII.

Utrùm Cauſa Efficiens naturalis poſſit agere in paſſum diſtans?

Nota primò: Cauſam Efficientem ſecundùm Scotum *4. diſt. 44. q. 2.* poſſe dupliciter approximari paſſo: *Primò*, ſecundùm contactum mathematicum, ſeu formalem, ſeu ſuppoſiti, ut alii loquuntur; quando ſcilicet Cauſa Efficiens ita tangit paſſum, ut ambo ſint ſimul in eodem loco; talis eſt inter ignem calefacientem lignum, & ipſum lignum immediatè conjunctum igni. *Secundò*: ſecundùm contactum phyſicum, ſeu virtualem; quando ſcilicet Cauſa Efficiens eſt entitativè, & ſuppoſitaliter diſtans à paſſo; ſuam tamen virtutem emittit in illud: quod fieri poteſt dupliciter, vel agendo etiam in medium, & per medium; vel nil agendo in medium: exemplum primi eſt in igne, qui ſecundùm contactum virtutis diffundit ſuum calorem per medium ali- 1. *Quid ſit approximatio ſecundùm contactum mathematicum & phyſicum.*

alicujus cellæ, uſque ad ejus latera diſtantia; exemplum ſecundi eſt in Sole, qui agit in viſcera terræ producendo ibi metalla auri, & argenti; & nil agendo in aëre intermedio.

2. *Cauſa Efficiens naturalis poteſt agere in diſtans naturaliter agēdo etiam in medium.*

Dico primò: Cauſa Efficiens naturalis poteſt naturaliter ſecundùm contactū virtutis agere in paſſum diſtans, agendo etiam in medium, ſi ſit capax; & conſequenter datur naturaliter actio in diſtans. Ita Scotus *1. diſt. 37. q. 2.* & *2. diſt. 9. q. 2.* quem ſequuntur Baſſol. Bargius, Fraſſen, Vulpes, & alii Scotiſtæ; item Nominales, & Moriſan. Averſa &c.

Probatur: experientiâ conſtat, Solem illuminare omnes aëris regiones, producendo tam in duabus mediis, quàm in infima tanquam paſſo diſtanti ſuum lumen: item ignis in aula aliqua accenſus calefacit tum medium aulæ, tum ejus latera tanquam paſſa diſtantia: Ergo Cauſa Efficiens poteſt naturaliter ſecundùm contactum virtutis agere in paſſum diſtans; & conſequenter datur actio in diſtans. Nec in hoc eſt diſſidium inter DD.

3. *Similiter nō agendo per medium.*

Dico ſecundò: aliquæ Cauſæ Efficientes naturales poſſunt naturaliter ſecundùm contactum virtutis etiam agere in paſſum diſtans, non agendo in medium. Ita Scotus *loc. cit.* & in *Report. 1. diſt. 37. q. 2.* & *4. diſt. 44. q. 2.* quem ſequuntur Lychet. Smiſing, Maſtr. Faber, Columb. Vulpes, Van-Sichen, & alii Scotiſtæ; contra Pat. Fraſſen, Herman, & quoſdam alios Scotiſtas recentes.

Probatur inducendo varias Cauſas Efficientes naturales, ſimili modo agentes in diſtans. *Primò* enim Sol ad multa millia Leucarum â viſceribus terræ diſtans, ibidem agit in terram producendo ex ea varia metalla auri, ac alia mineralia, ut habet communis ſenſus Philoſophorū; & tunc non agit in medium interjacens; quia non apparet, quid producat illâ actione generativâ metallorum auri, & mineralium in aëre, aut ſuperficie terræ: Ergo &c.

Dicunt Scotiſtæ oppoſiti; Solem in viſceribus terræ producere metalla auri, & alia mineralia mediâ luce, & calore, vel aliâ qualitate occultà, quibus etiam in medium agit, ſimiles qualitates in aëre, & ſuperficie terræ producendo. *Contra*, lux, calor, & illa qualitas occulta non pertingunt ad viſcera terræ; inſuper ſunt accidentia, ac proinde iis mediantibus nequit effectivè produci ſubſtantia illorum metallorum auri, & mineralium; ſed ea effici debent â forma activa Solis in diſtans agente.

Secundò: Similiter alia corpora cæleſtia varios exercent influxus in hæc ſublunaria tanquam in paſſa diſtantia; ſic Luna in novilunio mirè commovet maria, cauſando fluxus, & refluxus ampliores; ſic pariter alterat oſtrea, cancros, & alia viventia aquarum, abſque eo quòd in medio agat, *Tertiò*: piſcis torpedo dictus obſtupefacit manum piſcatoris, nullum ſtuporem cauſando in ejus arundine, hamum ſuſtentante; aut in reti expanſo. *Quartò*: mulieres quædam venenum ſubtile alentes in oculis, ſolo intuitu â longè infaſcinant infantes tenellos, utique actione in diſtans: ſimiliter baſiliſcus hominem diſtantem intoxicat, & enecat, agendo in diſtans: & lupus priùs conſpiciens venatorem, in eo cauſat raucedinem: & ſuccinum paleam diſtantem attrahit, utique per actionem in diſtans, abſque actione in medium: Ergo &c.

Rurſus actio in diſtans clariſſimè patet quotidianô experimentô magnetis, qui ferrum â ſe diſtans mira vi attrahit; ac ſibi copulat; quo caſu nulla qualitas in mediū diffunditur; alioquin ob ejuſdem medii diverſitatē oporteret Sphæram activitatis magneticæ nunc extendere, nunc contrahere; quod non videtur verum: Ergo &c. 4. *Specialis ratio petita ex magnetiſmo.*

Ut argumentum efficax hujus ultimæ experientiæ evadant adverſarii, miros modos confingunt explicandi actionem magneticam: quidam enim putant â magnete per totum medium diffundi qualitatem ferri attractivam: alii poſt Carthesium illum magnetiſmum explicare conantur per ſubtiles aliquas particulas, quas Carthesius vocat, *ſtriatas*, gyrantes de uno polo ad alterum, & deferentes ferrum ad magnetem: alii per effluvium quoddam ſubſtantiæ ſubtilioris; ſive ſpirituum magneticorum circa magnetem gyrantium, & deferentium ferrum ad magnatem; alii aliter: ſed quoniam hoc eſt potiùs divinare, quàm fundamentô aliquô ſolidô magnetiſmum ſic explicare; maximè cùm in certa tantùm diſtantia, & non in quacunque ferrum deferatur ad magnetem, idque æqualiter, ſive per aquam, ſive per aërem deferendum ſit; item cùm tantâ firmitate, & certitudine ferrum magneti copuletur; quæ omnia non debitè ſalvantur per explicationem magne- 5. *Effugia adverſariorū circa magnetiſmum præcluduntur.*

magneticæ actionis factam, per qualitates attractivas diffuſas, nec per illas particulas ſubtiles ſtriatas Cartheſianas, nec per effluvium ſpirituum magneticorum. Unde retinenda eſt communior doctrina Scotiſtarum, actionem in diſtans aſſignantium ex parte magnetis.

6. *Stabilitur rurſus actio in diſtans.*

Tandem unus Angelus alteri diſtanti poteſt loqui, nil cauſando in medio. Item phantaſia noſtra reſidens in capite, poteſt, & ſolet movere appetitum, qui eſt in jecore diſtante, nil efficiendo in medio. Item fundus lebetis friget, & aqua in eo contenta ebullit; & ova coquuntur in papyro oleô repleta; in quibus caſibus ignis operatur in aqua, & ovis, & non in fundo lebetis, & papyro: ſagæ faciunt præſtigia in remotis locis cauſando ægritudinem in hominibus, & animalibus, nil ſimile agendo in medio. Et pulvis ſympaticus inſperſus ſanguini hominis diſtantis vulnerati vulnus curat: Ergo datur actio in diſtans.

7. *Duo recentes Scotiſtæ quietantur.*

Objiciunt primò P. Fraſſen, & Herman: illæ experientiæ pro ſtabilienda conclusione *probat. ſecundâ* allatæ, non probant rectè actionem in diſtans Cauſarum Efficientium naturalium Solis, aliorumque corporum cæleſtium; item torpedinis, mulieris, baſiliſci, lupi, ſuccini, & magnetis; quia ab his emittitur virtus aliqua in medium, & inde in paſſum, ut notat Scotus in *7. Phyſ. quæſt. 3.* per quam producuntur memorati effectus: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. nam primò nullus effectus hujuſmodi virtutis in medio cernitur; ac proinde gratìs aſſeritur: Secundò medium eſt varium, & quandoque prorſus incapax receptionis talis virtutis recipiendæ; v. g. ſi Sol generans aurum in viſceribus terræ, emitteret in terram intermediam calorem, tanquam virtutem transfuſam, qui in æſtate penetrans in viſcera terræ invenit ea frigidiſſima per antipariſtaſim; uti aquæ puteales, quæ tunc frigeſcunt, demonſtrant: adeoque fruſtra aſſeritur talis virtus in medium diffuſa ab illis Efficientibus naturalibus. *Ad Scotum* dico, ipſum per virtutem in paſſum emiſſam intelligere influxum, ſeu cauſalitatem, quam entitates abſolutæ illarum Cauſarum Efficientium naturalium exercent in paſſum diſtans, non agendo in medium.

8. *Satisfit cuidam alteri argumento objecto.*

Objicit ſecundò P. Herman: ſi agens naturale poſſet agere in extremum ſeu paſſum diſtans, ſequeretur, quòd poſſet effectum producere in quacunque diſtantia, v. g. magnes in Galliis exiſtens poſſet attrahere ferrum in Sileſia exiſtens: ſed hoc dici nequit: Ergo &c. Probat. Sequela Maj. intellectus ex eo, quòd non dependeat â medio, poteſt intelligere objectum valde diſtans in Sileſia: Ergo etiam agens naturale magnes in Galliis exiſtens, cùm ex Concluſione non dependeat â medio, poſſet attrahere ferrum longè diſtans in Sileſia. Reſpondeo Neg. Major. & ad ejus Probat. Nego paritatem. Diſparitas eſt, quia agens naturale magnes, cùm ſit Efficiens materiale limitatum, & ſingulare, habet determinatam Sphæram ſuæ activitatis, extra quam jam eſt ferrum in Sileſia exiſtens, comparatione factâ ad magnetem in Galliis exiſtentem; intellectus autem cùm ſit agens ſpirituale, magìs illimitatum, & univerſale, non habet Sphæram determinatam ſuæ intellectivitatis reſpectu objectorum in hac, vel illa regione exiſtentium.

9. *Variæ oppoſitiones contra actionē in diſtans.*

Objiciunt tertiò alii *primò*: Sacra Scriptura *Actor. 19.* colligit DEUM agere, efficere, & operari in nobis, quia prope nos eſt, dicens: *quamvis non longè ſit ab unoquoque noſtrum; in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* Ergo etiam ut Cauſa quæcunque Efficiens creata operetur, efficiat, & agat, debet eſſe prope paſſum; adeoque non datur actio in diſtans. *Secundò*: Philoſophus *7. Phyſic.* docet, quòd inter movens, & motum nil mediet: Ergo inter agens, & paſſum quoque nil mediat; atque ita debent eſſe ſibi approximata; & conſequenter non datur actio in diſtans. *Tertiò*: aliæ Cauſæ, ut materialis, formalis, & finalis debent eſſe approximatæ localiter, quando cauſant: Ergo & Efficiens debet eſſe præſens paſſo. *Quartò*: movens nequit movere aliquod corpus de extremo ad extremum, niſi per medium: Ergo etiam Efficiens nequit agere in diſtans, niſi per medium. *Quintò*: agens educens aliquam formam ex paſſo educit eam ut unitam, & illi inhærentem: Ergo virtus agendi debet eſſe unita paſſo, ut effectum illi unitum producat.

10. *Refutantur.*

Reſpondeo *ad Primum*: Sacram Scripturam *locô citatô* non afferre præciſam rationem operationis DEI in nobis, quia prope nos eſt; nam præciſa ratio, cur

DEUS in nobis operetur, eſt; quia Omnipotens eſt; & quia Cauſa prima, ac univerſaliſſima eſt, cujus concurſus ad omnia opera creaturæ ſe ſe extendit; unde rectè dicit Scotus, quòd ſi per impoſſibile DEUS non eſſet ubique, & prope nos; adhuc ratione ſuæ Omnipotentiæ, primitatis, ac univerſalitatis Cauſæ poſſet operari, ubi non adeſſet; ſicque ageret in diſtans. Deinde etſi concederetur, etiam DEUM de facto operari cum indiſtantia ob ſui immenſitatem; non ſequitur tamen, quòd Cauſa creata eòdem modò operetur; cùm hæc immenſa non ſit, id eſt omni loco præſens. *Ad Secundum* reſpondet Doctor, illud dictum Philoſophi non debere intelligi de immediatione contactûs mathematici; ſed de immediatione contactûs virtutis; hoc eſt, quòd movens ſecundùm virtutem ſuam ſit conjunctum cum moto; cum quo ſtat disjunctio localis utriuſque; & conſequenter actio in diſtans. Vel certè Philoſophus voluit, quòd plerumque & communiter inter movens, & motum nil mediet; unde & ipſe Scotus *1. diſtinct. 37. quæſt. un. num. 2.* ait: *Tamen communiter oportet, quòd agens ſit immediatum cuilibet ſibi proximo paſſo, in quod agat;* non negans tamen per hoc, quòd dentur aliqua particularia agentia naturalia, quæ in diſtans agere valeant; cujuſmodi ſunt illa ſuprà pro Concluſione probanda adducta: nec Concluſio vult omne agens naturale poſſe agere in diſtans. *Ad Tertium* Neg. Conſequent. Diſparitas eſt; quia Cauſa materialis, & formalis ſunt intrinſecè componentes corpus naturale; ac proinde ex natura ſua petunt præſentiam localem cum illo, quod cauſant, & componunt: Cauſa verò Efficiens eſt extrinſeca, ad cujus cauſationem ſufficit præſentia virtualis, id eſt, ut ejus virtus adſit circa paſſum cauſativè; finalis tandem ut moveat appetitum, debet eſſe applicata per cognitionem, & conſequenter ſuò modò approximata. *Ad Quartum* Neg. Conſeq. Diſparitas eſt; quia corpus reſpectu omnium locorum eòdem modò ſe habet, & requirit illa, ut medium ejusdem rationis; & ideo nequit tranſire de uno extremo ad aliud extremum, niſi per medium: at Efficiens dum agit in diſtans, non reſpicit medium, ut ejuſdem rationis cum extremo. *Ad Quintum* Diſt. Conſeq. virtus agendi debet eſſe unita paſſo ſecundùm contactum Mathematicum, ſeu ſuppoſiti Neg. Conſeq. ſecundum contactum virtutis Concedo Conſequent.

QUÆSTIO VIII.

Utrùm ſubſtantia ſit Cauſa Efficiens reſpectu paſſionum, quantitatis, accidentium connaturalium, & relationum?

Dico primò: ſubſtantia, ſeu eſſentia rei non eſt Cauſa Efficiens phyſica efficienter influens in ſuas paſſiones, ſeu proprietates connaturales realiter in- diſtinctas. Ita colligitur ex Scoto *1. diſt. 5. q. 7.* & *2. diſt. 25.* & ſequitur Fuente, Maſtrius &c. contra Thomiſtas, diſtinguentes paſſiones realiter à ſubjecto ſeu eſſentia, & conſequenter tribuentes ei veram efficientiam phyſicam reſpectu paſſionū. 1. *Eſſentia non cauſat propriè ſuas proprietates.*

Probatur: Tum quia vera efficientia phyſica, ſeu cauſalitas phyſica formaliter conſiderata arguit diſtinctionem realem effectûs à Cauſa Efficiente; quia eſt relatio realis ſubjectata in Cauſa, & terminata ad effectum: ſed paſſiones ſeu proprietates connaturales non diſtinguuntur realiter à ſua eſſentia ſeu ſubſtātia: Ergo eſſentia ſeu ſubſtantia reſpectu earum non eſt vera Cauſa Efficiens phyſica, efficienter influens in eas. Tum quia paſſiones, ſeu proprietates connaturales communiter dicuntur tantùm emanare, & pullulare ab eſſentia per cauſalitatem metaphyſicam; quatenus ex entitate genita ſeu ſubitò profluunt ejuſmodi effectus metaphyſici, non ut termini primarii generationis; quia ſola ſubſtantia, ſeu eſſentia phyſica eſt terminus primarius generationis ſubſtantialis; ſed ut aliquæ formalitates identificatæ termino primario, ſeu ſubſtantiæ, pro poſteriori emanantes ab ipſo: Ergo &c.

Objicies: paſſiones, & proprietates connaturales rerum ſunt entitates creatæ: Ergo verè & phyſicè efficiuntur à ſubſtantia, ſeu eſſentia. Reſpondeo Nego Conſequent. nam ut paſſiones, & proprietates connaturales rerum dicantur verè entitates creatæ, ſeu entia creata, ſufficit, quòd per veram actionem phyſicam creatam mediatè 2. *Proprietates dicuntur creatæ, quia fluunt ab eſſentia creata.*

mediatè efficiantur, puta per illam, quâ ſubſtantia ſeu eſſentia earum immediatè phyſicè generatur; ex qua deinde pro poſteriori pullulant metaphyſicè paſſiones.

3. *Subſtantia cauſat verè quantitatē.*

Dico ſecundò: ſubſtantia tamen, ſeu compoſitum ſubſtantiale eſt Cauſa Efficiens phyſica reſpectu quantitatis, efficienter in ejus productionem influens. Colligitur ex Scoto *2. diſt. 3. q. 4.* & tenet Fuente, Maſtrius, & cæteri Scotiſtæ; contra S. Thomam dicentem, ſubſtantiam, ſeu ſubjectum eſſe tantùm *Cauſam quodammodo* reſpectu ſuorum accidentium connaturalium, de quorum numero eſt quantitas.

Probatur: ut aliqua Cauſa dicatur eſſe Cauſa phyſica reſpectu effectûs, requiritur, ut is realiter diſtinctus fluat à Cauſa: ſed quantitas fluit ut effectus realiter diſtinctus a ſubſtantia: Ergo ſubſtantia eſt ejus Cauſa Efficiens phyſica. Deinde ſubſtantia cenſetur eſſe vera Cauſa Efficiens illorum accidentium, quæ phyſicè producit, ut ſuprà *quæſt. 5. Concl. 1.* oſtendi: ſed quantitas eſt ejusmodi accidens: quia non emanat metaphyſicè à compoſito; alias non poſſet ſeparari à quantitate: ſicut non poſſunt ſeparari paſſiones metaphyſicè emanantes; poteſt autem ſeparari quantitas: Ergo ſubſtantia, ſeu compoſitum eſt ejus Cauſa Efficiens phyſica.

4. *Ubi & accidentia connaturalia reſultantia.*

Dico tertiò: ſubſtantia etiam poteſt dici Cauſa Efficiens reſpectu accidentium connaturaliū reſultantium, cujusmodi eſt frigiditas reſultāns in aqua remota ab igne. Ita Maſtrius, Bellutus, & alii Scotiſtæ.

Probatur: accidentia connaturalia ſunt entitates veræ, & reales, de novo reſultantes; ſunt inſuper realiter diſtinctæ à ſuo principio; quia ſunt ſeparabilia; ut patet de frigiditate aquæ, quæ ſeparatur per calorem: & tandem alia Cauſa Efficiens phyſica talium accidentium aſſignari nequit, quàm ſubſtantia: Ergo ipſa eſt eorum Cauſa Efficiens phyſica.

5. *Item ſuo modo relationes.*

Dico quartò: etiam relationum prædicamentalium reſultantium Cauſa Efficiens ſuô modô poni poteſt ſubſtantia, dum ipſa habet rationem fundamenti remoti earum. Ita Fuente, Maſtrius, & alii Scotiſtæ.

Probatur; quia & relationes prædicamentales reſultantes in rebus relatis ſunt quædam entitates reales realiter diſtinctæ à ſubſtantia, dum ipſa habet rationem fundamenti remoti earum; quod ſufficit, ut ad eas dari poſſit vera efficientia: Ergo reſpectu earum Cauſa Efficiens ſuô modô poni poteſt ſubſtantia, dum ipſa ſubit rationem fundamenti remoti earum.

Objicies *primò*: Philoſophus, *cap. ad aliquid* dicit, quòd ad relationem non detur per ſe motus: Ergo neque vera efficientia ex parte ſubſtantiæ, dum eas fundat. *Secundò*: quod reſultat, non efficitur verâ efficientiâ: ſed relationes prædicamentales reſultant: Ergo &c. 6. *Reſpondetur objectis*

Reſpondeo *ad Primum* interpretando Philoſophum, & dico, eum ſolùm velle, quòd ad relationem non detur motus alicujus extrinſeci generantis; ſicut datur ad ſubſtantiam motus generationis, proveniens à generante: cum quo ſtat, quòd detur alius motus effectionis veræ: & ſanè ad relationem Ubi negari non poteſt, quòd detur primariò motus localis. *Ad Secundum* Neg. Maj. etſi enim entitates reſultantes non efficiantur cum omni rigore, ſicut entitates abſolutæ, cujuſmodi ſunt forma, compoſitum ſubſtantiale, accidentia abſoluta, quantitates, qualitates, & ſimiles effectus, correſpondentes Cauſis Efficientibus; efficiuntur tamen verâ cauſalitate, ſuô modô terminando actionem.

QUÆSTIO IX.

De potentia obedientiali in Cauſa Efficiente creata.

Nota primò: in propoſito duplicem poſſe attendi Potentiā Obedientialem; unā paſſivam, alteram activam: *Potentia obedientialis paſſiva* eſt potentia receptiva naturalis rei, ut ſubjecta agenti ſupernaturali, ſeu ut dicit ordinem receptivi ad agens ſupernaturale DEUM; talis eſt intellectus noſter, quatenus recipit lumen gloriæ, & viſionis DEI ſupernaturalem; *Potentia obedientialis activa* eſt vis quædam inchoata naturalis, inſita rei naturali ad producendum aliquem effectū ſupernaturalem, ſeu excedentem vires naturæ, cum concurſu ſpeciali DEI: dicitur autem iſta potentia *obedientialis*; quia ſubjicitur agenti altioris ordinis DEO, cujus imperio obedire tenentur omnia creata agentia: & cujus ſpeciali concurſu elevantur ad effectus ſupernaturales eliciendos. 1. *Quid ſit potentia paſſiva, & activa obedientialis.*

2. *In pleriſque rebus datur potentia paſſiva obedientialis.*

Nota ſecundò: de Potentia Obedientiali paſſiva conveniunt paſſim DD. quòd ipſa detur in qualibet re naturali ad quâlibet formam, quæ non dicit actualem, & eſſentialem dependentiam ad determinatum ſubjectum. Et ratio eſt; quia talis eſt in natura humana reſpectu formæ relativæ unionis hypoſtaticæ; talis in voluntate reſpectu gratiæ Divinæ recipiendæ; talis in intellectu reſpectu luminis gloriæ; & aliorum habituum ſupernaturalium, quæ formæ quædam eminentiſſimæ ſunt: & non eſt potior ratio, cur non in quacunque alia re ad alias formas, non dicentes actualem & eſſentialem dependentiam ad determinatum ſubjectum daretur talis Potentia Obedientialis paſſiva: Ergo dicendum eſt eam dari. Dixi *non dicentes actualem & eſſentialem dependentiam* propter relationes, quæ ad ſua ſubjecta eſſentialem ordinem dicunt, ut nec etiam de potentia abſoluta DEI unum ſubjectum alterius ſubjecti poſſit recipere relationē, abſque variatione ipſiuſmet relationis: & propter formas materiales, quæ dicunt dependentiam eſſentialem ad ſubjectum materiale.

3. *Item activa in quibuſdã.*

Dico primò: in aliquibus rebus extat etiam Potentia Obedientialis activa, & elevabilis ad effectus excedentes naturæ vires. Ita Scotus *3. diſt. 4. q. un.* ubi concedit B. V. MARIÆ Potentiam Obedientialem activam, quâ concurrit ad generationem, & formationem inſtantaneam corporis Filii ſui Unigeniti. Doctorem ſequuntur Maſtrius, Herman, & alii Scotiſtæ; ac ex alienis Conin. Turr. Vaſq. Moriſ. contra Fab. Iribar. Radam, Vulp. & alios Scotiſtas; ac contra Thomiſtas.

Probatur primò contra oppoſitos Scotiſtas authoritate Scoti; qui *loco cit.* loquens de Potentia Obedientiali activa B. V. MARIÆ, quâ elevata fuit ad generandum corpus ſeu naturam humanam Chriſti in inſtanti, habet ſequentia verba: *Sicut igitur natura, ad quam ut ad formalem terminum erat iſta generatio, tantùm erat in potentia obedientiali, ut uniretur Verbo; ita illa Mater tantùm habuit potentiam obedientialem, ut eſſet Mater Verbi*; eſt autem Mater per potentiam activam: Ergo in B. V. fuit Potentia Obedientialis activa. Et infra ſubdit, *propter iſtam potentiam activam naturalem, quâ operabatur, poteſt dici naturalis Mater Chriſti*: Ergo &c.

Probatur ſecundò: illæ res cenſentur habere potentiam obedientialem activam elevabilem, quæ habent virtutem inchoatam, inſitam ad producendum, cum ſpeciali concurſu elevante aliquem effectum excedentem vires naturæ, vel quoad ſubſtantiam, qualis eſt DEI viſio beatifica; vel quoad modum ſaltèm, ut fuit generatio corporis Chriſti inſtantanea in utero B. V. MARIÆ: ſed talis potentia datur in aliquibus rebus: Ergo in aliquibus rebus extat Potentia Obedientialis activa elevabilis. Probat. Min. Tum quia imprimis in B. V. MARIA fuit talis virtus inchoata ad generandum Corpus Chriſti in inſtanti, quæ generatio quoad modum excedit vires naturæ; unde ſpeciali concurſu DEI elevante egebat: item ſecundùm Scotum *4. diſt. 49. q. 11.* in intellectu humano eſt virtus inchoata inſita, cum ſpeciali concurſu luminis gloriæ â DEO conceſſi, & elevantis intellectum, concurrens ad eliciendam viſionem beatificam: Ergo in aliquibus rebus datur virtus inchoata inſita ad producendum, cum ſpeciali concurſu DEI, elevante aliquem effectum excedentem vires naturæ.

Reſpondent Thomiſtæ: illam viſionem beatificam non eſſe immediatè ab illa virtute intellectûs elevati; ſed à lumine gloriæ; cum ſit tota ſupernaturalis, ac proinde à ſola Cauſa ſupernaturali, quale eſt lumen gloriæ, provenire debet. *Contra* primò; Viſio beatifica non tantùm habet ſupernaturalitatem; ſed & vitalitatem; hanc autem nequit habere à lumine gloriæ; utpote quod eſt qualitas mortua: Ergo eam habet â virtute vitali intellectûs elevati. *Contra* ſecundò; ex hac reſponſione Thomiſtica ſequeretur, intellectum merè paſſivè tantùm ſe habere; & conſequenter etiam voluntatem in elicienda Charitate DEI; ſed hoc eſt contra Trident. *Seſſ. 6. Can. 4.* dicens: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, â DEO motum, & excitatum, veluti inanimè quoddam nihil omnino agere, mereq; paſſivè ſe habere, anathema ſit.* 4. *Thomiſt: replica præcluditur.*

Objiciunt Thomiſtæ *primò:* non extat Potentia Obedientialis activa in ullis rebus materialibus ad producendum effectum ſpiritualem: Ergo neque extat in ullis rebus Potentia Obedientialis activa ad producendum effectum ſupernaturalem, ſeu excedentem vires naturæ. *Secundò* in producenda viſione beatifica v.g. quæ ſtatuitur effectus Potentiæ Obedientialis activæ in intellectu humano, lumen gloriæ eſt tota ratio agendi ipſi intel- 5. *Objectiones contra potentiam activam obedientialem.*

tel-

tellectui: Ergo in eo nulla adeſt virtus inchoata arguens Potentiam Obedientialem.

6. *Reſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. Diſparitas eſt; quia res materiales qua tales nullam prorſus habent virtutem inchoatam ad producendum effectum ſpiritualem; hic enim eſt extra latitudinem objecti adæquati agentis materialis: at aliquæ res naturales, cujuſmodi eſt intellectus, & voluntas v.g. habent virtutem inchoatam ad effectum aliquem ſupernaturalem viſionis beatificæ v.g. quia ſunt entia ſpiritualia, ſicut eſt viſio, & ſunt principia vitalia, ſicut viſio eſt vitalis. *Ad Secundum* Neg. Ant. quia in viſione beatifica adeſt vitalitas, ad quam producendam requiritur principium vitale, puta virtus vitalis activa intellectûs; ac proinde lumen gloriæ non eſt tota ratio agendi intellectûs: de hoc dico plura in *Tom. I. Scholæ meæ Theologicæ tract. 1. diſt. 4. q. 6. Concluſ. 1.*

7. *Non extat potentia obedientialis activa in quolibet ad quodlibet.* Dico ſecundò: non extat tamen Potentia Obedientialis activa in quolibet ad quodlibet producendum. Ita Scotus *4. diſt. 1. q. 1.* ubi negat calori potentiam activam reſpectu frigoris producendi; & *q. 5.* ubi negat, Sacramenta poſſe elevari ad producendam gratiam phyſicam; & *diſt. 44. q. 2.* ignem infernalem poſſe elevari ad cruciandos ſpiritus. Et ſequuntur Maſtr. Herman eſt; contra Svar. Arriag. Hurtad. & alios RR.

Probatur. Tum quia in pecude v.g. non eſt Potentia Obedientialis activa ad intelligendum; nec in lapide ad ratiocinandum, aut eliciendam viſionem beatificam; aliàs poſſent beari: nec in oculo ad audiendum; nec in aure ad videndū; nec in muſca ad creandam gratiam: Ergo non extat Potentia Obedientialis activa in quolibet ad quodlibet. Tum quia unū contrarium nequit elevari ad producendum aliud contrarium, v.g. ignis ad producendam aquam. Tum quia non datur in qualibet re potentia paſſiva ad quodlibet recipiendum: Ergo neque Potentia Obedientialis activa ad producendum quodlibet. Conſequentia tenet; quia plus requiritur ad agendum, quàm ad patiendum: unde ſi quælibet res non poteſt recipere quodlibet, neque quodlibet poterit producere quodlibet. Ant. Probat. quia unum ſubjectum nequit recipere alterius ſubjecti relationes ob eſſentialem dependentiam ad tale ſubjectum; ſimiliter albedo nequit poni in Angelo; nec ſapientia in lapide; quia hæ formæ dicunt dependentiam ad ſubjectum determinatum, puta albedo ad ſubjectum extenſum quantitate; & ſapientia ad ſubjectum ſpirituale: Ergo non datur in qualibet re potentia paſſiva ad quodlibet recipiendum, & conſequenter nec activa ad quodlibet producendum.

8. *Unde colligatur adeſſe in rebus potentiam activam obedientialem.* Nota autem tertiò ad dignoſcendum, in quibuſnam rebus determinatè ſit Potentia obedientialis activa, & vis inchoata elevabilis ad aliquem effectum ſupernaturalem producendū, ſervire ſequentem regulam: ſi advertas vim illam inſitam naturæ, & inchoatam ex ſe eſſe aliquo modo remotè ſaltèm proportionatam, ita ut cum concurſu generali DEI poſſit aliquem effectum naturalem producere, habentem ſaltèm aliquam analogiam cū effectu ſupernaturali producibili; ut differat ab eo, ſicut imperfectum à perfecto; idque vel intra eandem ſpeciem; vel ſi ſit alterius ſpeciei, & altioris ordinis, habeat tamen ordinem aliquem ad Cauſam productivam, ut non petat ab alia produci, uti ſunt intellectio DEI intuitiva, & abſtractiva, habentes ordinem analogicum, & proportionem ad effectus, quatenus non petunt produci ab alia Cauſa; tunc concludas in tali re v.g. intellectu adeſſe potentiam obedientialem activam elevabilem. Et in quibus rebus advertes, eas non habere vim inchoatam aliquomodo proportionatam, ita ut cum concurſu generali DEI poſſit producere aliquem effectum naturalem, habentem aliquam analogiam cum effectu ſupernaturali producibili; conclude in eis non latere Potentiam Obedientialem activam elevabilem; unde tenendum quòd in aquà non adſit Potentia Obedientialis activa ad producendum ignem; quia in ea non notatur ulla proportio, ita ut cum concurſu generali DEI poſſit producere aliquem effectum naturalem, qui haberet proportionem cum igne, qui ſupernaturaliter ratione Potentiæ Obedientialis elevatæ produceretur.

QUÆSTIO X.

An Cauſa Efficiens creata habeat potentiam obedientialem activam ad creandum?

SEnſus Quæſtionis eſt, an creatura poſſit creare aliquid, vel ut Cauſa principalis; vel ſaltèm ut Cauſa inſtrumentalis; circa quod

1. *Creatura nequit creare, ut Cauſa principalis.* Dico primò: nulla creatura poteſt eſſe Cauſa principalis creationis alicujus propriè dictæ, ita ut attingat productionem alicujus effectûs ex nihilo. Ita Scotus *4. diſt. 1. q. 1.* cum tota Schola; & D. Thomas cum ſuis; Occam cum ſuis; & ex RR. Vaſquez, Ruiz, Faſſolus &c. contra Durandum, Gabr. Molon. & Arriag.

Prob. primò authoritate S. Scripturæ; quæ Soli Deo attribuit creationem omnium rerum, ut *Eccleſ. 1. Unus eſt altiſſimus Creator omnipotens.* Et *24. Dixit mihi Creator omnium.* Et *Machab. 1. DEUS omnium Creator*, & alibi; ſed malè aſſereretur Deus Creator omnium, ſi aliqua creatura poſſet præter eum ut Cauſa Principalis creare propriè, ita ut attingeret productionem effectûs ex nihilo: Ergo &c.

Probatur ſecundò authoritate SS. PP. qui ore unô denegant creaturæ virtutem creativam; ſic D. Athanaſius *Serm. 3. contra Arrian.* dicit: *Condere, & creare ſolius DEI eſt, ejúſque Verbi, & Sapientiæ.* Et Cyrillus *lib. 2. Theſ. cap. 2. Virtutem creativam ſuſcipere creatura non poteſt.* Et rurſus *lib. 6. cap. 2.* inquit; *Nulla creatura unquam ſubſtantiam à nihilo producere poterit; finitæ namque virtutis id eſſe non poteſt.* Similia habet D. Damaſcenus *lib. 2. Fidei cap. 3.* & alii PP. Ergo &c.

2. *Reſpondetur cuidam replica.* Dices: allatos PP. & Scripturas loqui de creaturis defactò exiſtentibus; non verò de poſſibilibus, & producibilibus â DEO, quibus DEUS utique communicare poſſet virtutem creativam. *Contra*, citati PP. loquuntur indefinitè, & ſimpliciter nullam prorſus creaturam, etiam poſſibilem poſſe creare; quia arguunt côtra Arrianos, aſſerentes, Verbum eſſe creaturam, aſſumptô hôc perpetuô argumentô: *Verbum creat. Ergo non poteſt eſſe creatura; quia actio creandi eſſentiali ratione creaturæ contradicit:* quod argumentum non concluderet, ſi PP. ſolùm loquerentur de creaturis defactò exiſtentibus; & non etiam de poſſibilibus.

Probatur tertiò ratione Scoti *cit.* Omnis creatura vel eſt ſpiritualis, vel materialis: ſed neutra poteſt creare, propriè aliquid producendo ex nihilo: Ergo &c. Prob. Min. non ſpiritualis; nam hæc cùm non agat per naturam; ſed per actus intellectionis, & volitionis duntaxat, mediantibus hiſce actibus, ut Cauſa Principalis non poteſt creare ſubſtantiam; hi enim actus ſunt accidentia; & conſequenter inſufficientia, ac improportionata ad producendam ſubſtantiam: neq; poteſt creare aliquod accidens per ſe exiſtens; quoniam, ſicut accidens nequit naturaliter exiſtere extra ſubjectum; ita nec poterit ab aliqua Cauſa creata produci, niſi in ſubjecto; quod deſtruit ipsò factò conceptum creationis: Ergo nec Cauſa ſpiritualis poteſt propriè quidquam creare: ſed nec etiam materialis, quia ſi ſpiritualis longè perfectior materiali effectum creationis attingere non poteſt; multò minùs materialis id præſtare poterit.

Probatur rurſus aliâ ratione: ſecundùm Scotum *4. diſt. 1. q. 4.* & ipſa veritatem, creatio paſſiva tenens ſe ex parte creaturæ productæ ex nihilo eſt ordo tranſcendentalis, ſeu quædam relatio dependentiæ eſſentialis ad DEUM, realiter identificata creaturæ; ſed fieri non poteſt, ut relatio reſpiciens eſſentialiter quemdam terminum, qui in propoſito eſt Deus creans, deducatur ad reſpiciendum alium terminum, qualis eſſet creatura creans: cùm enim relatio ſpecificetur à ſuo termino, mutatô, atque variatô terminô, variatur quoque eſſentialiter relatio: Ergo non poteſt relatio creationis paſſivæ importare dependentiam eſſentialem, niſi à ſolo DEO; & non ab aliqua creatura creante: & conſequenter nullum aliud agens, præter DEUM, poteſt creare, producendo ex nihilo aliquam creaturam.

Dico ſecundò: neque poteſt ulla creatura eſſe Cauſa inſtrumentalis phyſica creationis propriè dictæ. Ita rurſus Scotus *citatus*, cum D. Thoma, Occamo &c. contra RR. Amicum, Lezan. Svar. Hurtad. &c. 3. *Creatura nequit creare ut Cauſa inſtrumentalis.*

Ad Concluſionem hanc probandam inſerviunt imprimis textus Scripturæ, & PP. *pro prima Concluſione* allati; utpote generaliſſimè loquentes, atque creaturis omnem vim, & conſequenter etiam inſtrumentalem creandi denegantes: quibus addo ſequentes authoritates: *Primò* S. Cyrilli *lib. 14. Theſauri cap. 6. Poteſtas creandi Divinæ ſolummodò ineſt naturæ: & hæc eſt inter alias DEO convenientes dignitates præcipua. Secundò* S. Athanaſij *Serm. 3. Neque enim Angeli quidquam creare poſſunt; cùm & ipſi ſint creaturæ, quamvis in diverſam Sententiam Valentinus, Marcion, & Baſilides eant:* & infrà, *cum tamen extra con-*

tro-

troverſiam ſit creativam naturam à ſolo Deo creari poſſe: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: imprimis nulla creatura poteſt à DEO aſſumi ad creandum ut inſtrumentum naturale, ob aliquam aptitudinem naturalem, & proportionem, qualiter aſſumitur calor ad generandum ignem: Ergo ex hoc capite nequit eſſe inſtrumentalis Cauſa creationis propriè dictæ. Prob. Ant. Tum quia hujuſmodi aptitudo naturalis inſtrumentaria ſemper eſſet accidentalis: Ergo haberet modum eſſendi in ſubjecto; & conſequenter etiam ejus connaturalis modus operandi eſſet dependenter à ſubjecto, & non per creationem; quia modus connaturalis agendi debet eſſe proportionatus modo eſſendi formæ. Tum quia creatura mediante hujuſmodi aptitudine naturali adhuc non poſſet attingere terminum, & effectum principalis agentis, DEI ſcilicet concreantis: quia univerſaliter nullum inſtrumentum eſt ſic activum, ut attingat terminum agentis principalis: Ergo creatura nequit aſſumi ut inſtrumentum naturale ad creandum ob naturalem aliquam aptitudinem.

Probatur rurſus aliâ ratione: ſimiliter non poteſt aſſumi creatura ad creandum ut inſtrumentum ſupernaturale, & obedientiale; quatenus nimirum creatura elevaretur à DEO ad actionem creativam; ut putant AA. contrariæ Sententiæ: Ergo neque ex hoc capite poteſt creare inſtrumentaliter. Probat. Ant. elevatio hujuſmodi creaturæ ad actionem creativam vel fieret per ſolam potentiam obedientialem intrinſecam talis creaturæ; vel per virtutem ſuperadditam: ſed neutrô modô poteſt à DEO elevari aliqua creatura ad actionem creativam: Ergo neque poteſt eſſe inſtrumentum ſupernaturale, & obedientiale ad creandum. Prob. Min. non per ſolam potentiam obedientialem intrinſecam; quia non reperitur in creaturis activitas obedientialis ad effectus tranſcendentes vires naturæ, & ad quos creaturæ ipſæ non habent proportionem aliquam, ſaltèm inchoatam; ut bene oſtendit Scotus *4. diſt. 1. q. 1.* & patet in potentia viſiva, quæ non habet activitatem obedientialem ad percipiendum ſonum: Ergo nulla creatura per ſolam potentiam obedientialem intrinſecam elevari poteſt ad actionem creativam. Sed nec etiam per virtutem ſuperadditam; quia talis virtus eſſet accidentalis; & conſequenter habens connaturalem modum eſſendi cum dependentia à ſubjecto, atque operandi ſimiliter dependenter a ſubjecto.

4. Obiicies *primo* contra hanc Concluſionem: DEUS poteſt communicare, & communicavit defacto creaturis potentiam obedientialem ad recipiendas formas ſupernaturales; uti patet de anima, quæ eſt receptiva gratiæ per potentiam obedientialem: Ergo pariter potentiam ad creandum. *Secundo*: DEUS elevavit Sacramenta, ut ſint inſtrumenta ad efficiendam gratiam Sacramentalem, quæ eſt terminus creationis: Ergo &c. *Tertiò* B. Virgo inſtrumentaliter attigit Incarnationem, efficiendo Unionem hypoſtaticam: Ergo quoque poſſet attingere inſtrumentaliter creationem cujuſcunque rei. *Quartò*: creatura poteſt defactò conſervare accidens ſinè ſubjecto; uti patet de quantitate Euchariſtica, conſervata ſinè omni ſubſtantia: Ergo à paritate etiā poterit illud ſic creare: Ergo &c. *Oppoſita argumenta pro creatione inſtrumentali creaturæ.*

5. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. diſparitatem dat ipſe Scotus *3. diſt. 14. q. 2.* quia potentia obedientialis paſſiva à toto genere nullam dicit perfectionem; talis autem eſt potentia obedientialis animæ ad recipiendas formas ſupernaturales; potentia verò obedientialis activa quamdam importat perfectionem, & ſignanter potentia creativa importaret perfectionem Divinam; quæ propterea non debet admitti in creatura ad quodlibet. *Ad Secundum* dico; Sacramenta non eſſe inſtrumenta phyſica (de quibus ſolis hic Sermo) ſed moralia duntaxat; nam ſunt gratiæ cauſativa tantùm ut Cauſæ morales. *Ad Tertium* dico; B. Virginem nequaquā efficienter attigiſſe unionem hypoſtaticam; ſed ſola Trinitas eam effecit; B. Virgo autem efficienter concurrit ad generandam humanitatem Chriſti. *Ad Quartum* Neg. Ant. nam ſolus DEUS eſt, qui quantitatem Euchariſticam conſervat abſque ſubjecto. *Eadem enervantur.*

QUÆSTIO XI.

An; & quo pactò DEUS cooperetur, ac concurrat cū Cauſis Efficientibus ſecundis; eaſq; conſervet?

1. NOta primò: Cauſam Efficientem poſſe ad effectum concurrere mediatè, & immediatè. *Mediatè* in propoſito cenſeretur concurrere, ſi virtu- *Quid ſit concurrere immediatè, & mediatè.*

virtutem alteri agenti communicaret ad productionem effectûs, nil immediatè cooperando; taliter in Sententia Durandi concurrit DEUS ad effectus omnes creatos, dando virtutem creaturis, quâ immediatè producat illos effectus. *Immediatè* dicitur Cauſa Efficiens concurrere ad effectum, quando per ſe attingit productionem effectûs phyſici cooperando, & coëfficiendo.

2. *Immediatione ſuppoſiti, & virtutis.*

Nota ſecundò: Cauſam Efficientem tem poſſe duobus modis immediatè concurrere ad effectum producendum: primò immediatè *immediatione ſuppoſiti*, ſi videlicet effectum producat per actionem à ſe immediatè effluentem, ita ut inter agens, & paſſum nullum interponatur ſuppoſitum aliud; tali immediatione concurrit ignis A. ad generandum ignem B. in ſtupa proximè ſibi applicata. Secundò immediatè *immediatione virtutis*, ſi Efficiens Effectum producat per virtutem propriam ſibi inexiſtentem; tali immediatione concurrit ignis ad comburendum lignum intra Sphæram ſuæ activitatis ſitum.

Nota tertiò: DD. Scholaſticos convenire in hoc, quòd DEUS cum Cauſis ſecundis Efficientibus cooperetur, & concurrat ad omnem earum operationem & effectum: ſed quidam eorum diſſident circa modum: nam Durandus & Aureolus (quorum Sententiam jam pridem ab omnibus Scholaſticis repulſàm nuper reſuſcitavit Ludovicus â Dola Capucinus) aſſerunt, creaturas maximè liberas ſe ſolis immediatè operari omnes ſuos effectus, ita ut DEUS non aliter cooperetur, quàm â principio productionis earum communicando illis virtutem, & potentiam agendi, quâ poſſint ſe ſolis immediatè illos efficere; quod eſt mediatè tantùm concurrere. Sed

3. *DEUS immediatè immediatione ſuppoſiti, & virtutis concurrit ad effectus creatos.*

Dico primò: DEUS immediatè immediatione ſuppoſiti, & virtutis cooperatur, concurrit, & coëfficit cum creaturis omnes earũ effectus. Ita Scotus *2. diſt. 37. q. 2.* & *1. diſt. 42. q. un.* Et S. Bonaventura *1. diſt. 45. q. 2. art. 3.* & S. Thomas *1. part. q. 105. art. 5.* & communis TT. ac Philoſophorum.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; quæ innuit DEUM ut veram Cauſam quoſvis, etiam exiles effectus creaturarum operari: ſic dicitur Joan. 5. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor.* Et Pſal. 146. *Qui producit in montibus fœnum.* Et Matth. 5. *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos.* Et Job. cap. 38. *Quis eſt pluviæ Pater? vel quis genuit ſtillas roris?* ac ſi diceret, tu Author univerſorum: qui, & complures alii textus inſinuant, DEUM immediatè immediatione ſuppoſiti cooperari ad productionem fœni, ortum Solis, generationem pluviarum, ac roris; & in ſumma ad ſingulos effectus creaturarum; alioquin impropriæ forent locutiones allatæ, ſi ſolùm diceretur cooperari mediatè, infundendo ſcilicet virtutes creaturis, quæ eſſent immediatæ ſolæ Cauſæ illorum effectuum.

Probatur ſecundò authoritate SS. PP. immediatum concurſum cum Cauſis ſecundis DEO attribuentium; ſic facit S. Ambroſius *Lib. 3. Exameron.* S. Baſil. *Hom. 9.* S. Damaſcenus *3. Fidei ort. cap. 18.* S. Anſelmus *Lib. de concor. præſci. cap. 7.* ubi ait: *Omnes actiones, & omnes motus facit DEUS.* Et *Lib. de caſu diab. cap. 20.* *Cur mirum, ſi dicimus DEUM facere ſingulas actiones, quæ fiunt malâ voluntate? cùm fateamur eum facere ſingulas ſubſtantias, quæ fiunt injuſtâ voluntate, & inhoneſtâ actione.* Et S. Auguſt. *Epiſt. 146. ad Conſentium: Quomodo enim negare poterimus, DEUM etiam nunc operari cuncta, quæ creantur; cùm Dominus dicat, Pater meus uſque modo operatur?* eandem doctrinam habet *lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 20.* Ergo &c.

4. *Aliæ rationes ad idem.*

Probatur tertiò ratione: ſicut ſe habet ad DEUM attributum Divinum Immenſitatis, ita pariter attributum Omnipotentiæ: ſed DEUS ratione attributi Immenſitatis eſt præſens omni loco: Ergo ſimiliter ratione Omnipotentiæ attinget omnes operationes creaturarum. *Secundò:* inter DEUM & creaturam intercedit eſſentialis dependentia, & ſubordinatio, ita ut quævis creatura in eſſendo dependeat à DEO ut â Cauſa prima: Ergo ſimilis quoque erit dependentia, & ſubordinatio in operando. Conſequentia tenet: quia ſecundùm utramque conſiderationem eſt ens per participationem. *Tertiò:* ſpectat ad DEUM determinare Cauſam ſecundam ad individuum cujuslibet ſpeciei, quod produci debet: ſed illa determinatio non poſſet provenire á DEO, niſi is haberet concurſum immediatum ad productionem talis individui: Ergo habet talem concurſum. *Quartò:* ſi DEUS non moliretur ſimul effectum cum omni creatura operante, non eſſet Omnipotens; quia non poſſet impedire creatu-

ram,

ram, quò minus ſe determinaret ad quam vellet partem, niſi vel deſtruendo creaturam, vel introducendo in ſubjectum effectum contrarium; quod eſt contra experientiam; cùm DEUS in fornace Babylonica impedierit combuſtionem trium pueroruni ſinè prævia deſtructione ignis, & abſque introductione contrarii in eorum corpora: Ergo &c. *Tandem* immediatus concurſus DEI cum creaturis operantibus meliùs recommendat ſupremum dominium DEI in omnes creaturas. & ejuſdem negatio cedit in diminutionem Divinæ Potentiæ: Ergo, DEO concedenda eſt immediata cooperatio cum omnibus creaturis operantibus, & efficientibus ſuos effectus.

5. *Objecta Durandi.* Objicies *primò* pro Durando: ex Concluſione ſequeretur DEUM quoque concurrere ad actus peccaminoſos; & conſequenter eidem imputari debere rationem peccati; quod eſt contra S. Scripturam, & adverſatur ſupremæ DEI Sanctitati: Ergo &c. *Secundò* S. Auguſt. *lib. 7. de Civit. cap. 30.* attribuit ſolis Cauſis ſecundis efficientiam effectuum dicens: *Res, quas DEUS condidit, ita adminiſtrat, ut ſuos motus agere ſinat. Tertiò*: Cauſæ ſecundæ habent ſufficientem efficientiam reſpectu ſuorum effectuum: Ergo fruſtra aſſeritur DEUM coëfficere. *Quartò*: concurſus DEI neque eſt actio totalis dans eſſe effectui; aliàs vera eſſet Philoſophia Arabum, aſſerens Cauſas ſecundas nil operari; ſed effectum omnem eſſe â ſolo Deo; neque eſt actio partialis, quia hoc cederet in præjudicium DEI cauſantis: Ergo &c.

6. *Repelluntur.* Reſpondeo *ad Primum* cum communi TT. DEUM ad ſolam entitatem phyſicam actuum peccaminoſorum (quæ eſt materiale peccatorum) ex officio Cauſæ univerſalis, & primæ concurrere immediatè; non verò ad ipſum morale, quod dicitur formale; hoc enim â ſola creatura utpote defectibili ponitur: â DEO verò ſolùm permittitur. *Ad Secundum* interpretor S. Auguſt. authoritatem; & dico eum ſolùm velle, quòd DEUS cooperans Cauſis ſecundis etiam liberis nullam vim eis inferat; ſed ſinat eas ſui liberi arbitrii functiones exercere. *Ad Tertium* Neg. Ant. nam cùm omnes Cauſæ ſecundæ ſint eſſentialiter ſubordinatæ Cauſæ primæ, ſimpliciter egent cooperatione, & concurſu ejuſdem. *Ad Quartum* dico; concurſum DEI abſque præjudicio dici poſſe partialem: maximè cùm DEUS liberè, & ex mera voluntate illum applicet Cauſis ſecundis operatricibus.

Quòd autem iſta im̃ediata cooperatio, & concurſus Dei cum creaturis, *ſit im̃ediatus tam im̃ediatione ſuppoſiti, quàm virtutis*; inde patet: nam DEUS concurrendo cum creaturis ſeu Cauſis ſecundis ita ſe applicat ad cooperationem earum, ut inter eum, & effectum productum nullum mediet ſuppoſitum aliud; quia omnibus effectibus eſt intimè præſens; & quamvis ad efficiendum admittat conſortium Cauſæ ſecundæ effectricis; hoc tamen ab eo non tollit intimam præſentiam, propter Divinam immenſitatem, quâ omnibus rebus totius Univerſi eſt præſens, implens omnes, & intimiùs pervadens omnes creaturas, atque attingens, quàm Cauſæ ſecundæ effectrices attingant effectum; quæ ſolùm eum attingunt, materiam extrinſecè tangendo; & ſuperficietenus producendo ex ea, & in ea effectum: DEUS autem etiam intrinſecè eam pervadit, & conſequenter concurrit ad omnem effectum immediatè immediatione ſuppoſiti. Concurrit etiam *immediatè immediatione virtutis*; tum quia cooperatur creaturis per propriam virtutem ſibi inexiſtentem, puta Omnipotentiam ſuam Divinam, quâ *omnia opera noſtra operatus eſt nobis*, *Iſai c. 26.* & quâ *omnia per ipſum facta ſunt*, *Joan. 1.* Tum quia ejuſmodi concurſus immediatus immediatione virtutis valde recommendat DEI ut Authoris naturæ excellentiam in efficiendo; & aliunde ei non repugnat; adeoque ipſi eſt concedendus. 7. *Concluſio amplius roboratur.*

Circa alterum articulum quæſt.

Nota quartò: fuiſſe opinionem quorundam (quos refert D. Auguſtinus *5. de Gen. ad Litt. cap. 2.*) arbitrantium, DEUM condidiſſe mundum, eique indidiſſe virtutem, & potentiam agendi; ac poſtmodum ſic reliquiſſe, ut ageret, & operaretur omnia abſque ulla Divina cooperatione, & ulteriori conſervatione. Sed

Dico ſecundò: non tantùm omnes Cauſæ Efficientes; ſed & univerſæ creaturæ â DEO conditæ etiam defactò â Deo conſervantur, ita ut ceſſante influxu conſervativo ejus, omnino deſinerent eſſe. Ita Scotus *1. diſt. 2. q. 2. & in Rep. q. 2.* S. Bonavent. S. Thomas, & communis TT. ac Philoſophorum. 8. *DEUS conſervat defactò omnes creaturas.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ, Sapient. 11. habetur: *Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes, aut quod â te*

à te vocatum non eſſet, conſervaretur? Et ad Coloſſ.1. dicit Apoſtolus: *Omnia in ipſo conſtant*, hoc eſt, conſervantur, ut interpretantur PP. ſignanter D. Chryſoſtomus *Hom. 3. in hunc locum*: Hunc influxum conſervativum DEI quoq; inſinuant Acta Apoſtolorum *cap. 17.* illis verbis: *in ipſo vivimus, movemur, & ſumus*: Ergo &c.

Probatur ſecundò authoritate SS. PP. ejuſmodi conſervationem DEI ad omnes creaturas à ſe productas terminatam aſſerentium; ſignanter Divi Gregorij *lib. 16. Moral. cap. 18.* ſcribentis: *Cuncta ex nihilo facta ſunt, eorúmque eſſentia rurſus ad nihilum tenderet, niſi eam Auctor omnium Regiminis manuteneret.* Et D. Auguſtinus variis in locis concluſionem conceptis terminis docet, præſertim *lib. 4. de Gen. ad litt. Proinde eſt, quod Dominus ait: Pater meus uſque nunc operatur, continuationem quamdam operis ejus; quâ univerſam creaturam continet, & adminiſtrat, oſtendit*: Ergo &c.

Probatur tertiò ratione; univerſa à DEO creata dicunt eſſentialem dependentiam à DEO ut Cauſa prima effectrice: Ergo etiam ut conſervatrice. Conſequentia tenet; quia ratio efficientiæ, & conſervationis non diſtinguitur in DEO ut Authore naturæ; cùm ſit unica indiviſibilis Volitio creativa DEI, connotans diverſa inſtantia temporis, quibus coëxiſtit: non enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: Ergo &c.

9. *Rationes oppoſita eliduntur.* Objicies primò: aliquæ creaturæ non ſunt corruptionis obnoxiæ, puta Angelus, & animæ rationales: Ergo hæ non egent influxu DEI conſervativo. *Secundò*: Eccleſ. 15. dicitur de homine creato, quòd *DEUS reliquit eum in manu conſilij ſui*: Ergo non conſervatur ampliùs à DEO. Reſpondeò *ad Primum* cum Scoto *4. diſt. 49. q. 6.* etſi aliquæ creaturæ ſpirituales, puta Angeli, & animæ rationales non ſint corruptionis obnoxiæ; eò quòd careant materiâ primâ, quæ eſt radix corruptionis; ſunt tamen à DEO annihilabiles; adeoq; adhuc DEI conſervatione egent. *Ad Secundum* gloſſo Sacram Scripturam, & dico illam ſolùm velle, quòd homo acceperit à Creatore liberum arbitrium, ſecundùm quod DEUS finit eum operari bene, vel malè: cum quo ſtat, quòd homo quoad ſui eſſe conſervationem à DEI influxu conſervativo dependeat.

QUÆSTIO XII.

Quid ſit illa cooperatio, & concurſus DEI cum Cauſis Secundis Efficientibus; & an is ſit determinatus?

Dico primò: Cooperatio, & Concurſus DEI, nō conſiſtit in ipſa actione creaturæ; ſed eſt alia actio diſtincta concomitans. Colligitur ex Scoto *2. diſt. 37. q. un.* & *Report. q. 2.* & ſequuntur Mayr. Lychetus, Columb. Ponc. Baro & alii Scotiſtæ; contra Villaverd. Fraſſen, Lamaz. & alios Scotiſtas, ac ex RR. contra Hurtad. Svar. & contra Thomiſtas. 1. *Concurſus DEI eſt diſtinctus ab actione creaturæ.*

Probatur primò: ubicunque concurrunt agentia, & Cauſæ diſtinctæ, dantur influxus, cauſalitates, & actiones diſtinctæ; quia quælibet eſt principium per ſe influens in aliud: ſed DEUS, & Cauſa ſecunda, ſeu creatura ſunt duo agentia, & Cauſæ diſtinctæ: Ergo in eis dantur influxus, cauſalitates, & actiones diſtinctæ; & conſequenter Cooperatio, & Concurſus DEI, qui eſt quidam influxus, cauſalitas, & actio non conſiſtit in ipſa actione Creaturæ.

Probatur ſecundò: ſi Cooperatio, & Concurſus DEI conſiſteret in ipſa actione creaturæ, ſequeretur, quòd ſicut actio DEI eſt independens, imparticipata, æterna, & infinita, & cum DEO identificata; ita etiam actio creaturæ, utpote eadem, ſecundùm adverſarios eſſet independens, imparticipata, æterna, infinita, & identificata: ſed hoc eſt falſum: Ergo &c.

Probatur tertiò contra Scotiſtas oppoſitos: Scotus docet, actionem eſſe in agente: Ergo ubi ſunt duo agentia, erunt duæ actiones. Subſumo, ſed DEUS, & creatura ſunt duo agentia: Ergo in eis reperiuntur duæ actiones partiales, & ſubordinatæ reſpectu effectûs creati; & conſequenter concurſus DEI non conſiſtit in actione creaturæ.

Objiciunt Scotiſtæ oppoſiti, & primò P. Villaverde; fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora: ſed effectus creatus poteſt fieri unâ actione numerò ingrediente à DEO, & creatura: Ergo illa unica eſt ponenda; & conſequenter DEI Concurſus conſiſtit in actione creaturæ. *Secundò* arguit P. Fraſſen; ſi con- 2. *Objectiones quorundam Scotiſtarum*

concurſus DEI nô eſſet ipſamet actio creaturæ, ſequerentur varia abſurda; ut quòd Deus eſſet Cauſa partialis, & attingens effectum imperfectè: item quòd dependeret â Cauſa ſecunda; cùm ſinè illa agere non poſſit: Ergo &c. *Tertiò* arguit idem author; ſi actio creaturæ eſſet aliquid diſtinctum â concurſu DEI, illa deberet produci per alium concurſum; cùm ſit aliquod creatum; & ſic fieret proceſsûs in Infinitum: ſed hic non eſt admittendus: Ergo &c.

3. *Expeditur.* Reſpondeo ad Primum Diſt. Min. de lege extraordinaria DEI trans. Min. de lege ordinaria Neg. Min. Itaque ſtante præſenti lege DEI. Secundùm Div. Auguſt. *7. de Civ. cap. 30. Sic DEUS res cunctas adminiſtrat, ut eas ſuos motus agere ſinat*; & conſequenter ut ſuas actiones reſpectu effectûs creati elicere valeant; aliunde DEUS ipſe etiam habet actionem ſuam Divinam circa eundem effectum; ac proinde de lege ordinaria, & defactò effectus creatus fit duplici actione, DEI ſcilicet, & creaturæ. *Ad Secundum* Neg. Ant. & ad primum abſurdum, quod allegat iſte Scotiſta, dico, nihil prorſus abſurdi, aut imperfectionis continere, etiamſi DEUS dicatur Cauſa partialis; principalior tamen reſpectu effectûs creati; quia reverà talis eſt defactò; cùm liberè ſtatuerit lege præſenti aſſumere ad conſortium cauſandi creaturas: imperfectio autem, quæ aliàs ex partialitate Cauſæ reſultat, removetur à DEO ſufficienter per hoc, quòd ſe ſolo poſſet eſſe totalis Cauſa Efficiens, effectûs creati; ſi vellet. Ad ſecundum abſurdum dico, DEUM non dependere à Cauſa ſecunda dependentiâ arguente imperfectionem; quia abſolutè ſinè ea agere poſſet, & ſe ſolò producere effectum in genere Cauſæ Efficientis. *Ad Tertium* dico Neg. Ant. & dico, quòd DEUS unicô concurſu, ſeu volitione unicâ entitativè, utpote illimatâ, concurrat cum creatura, ut ipſa eliciat illam ſuam actionem, & ad ponendum etiam effectum; & ſic non cauſabitur ullus proceſſus in infinitum in concurſibus Divinis. Circa alterum articulum quæſt.

4. *Concurſus DEI cum creaturis eſt determinatus.* Dico ſecundò: concurſus DEI cum Cauſis ſecundis Efficientibus eſt determinatus phyſicè ad producendum hunc numerô effectum, quando actu producit. Ita Scotus *1. diſt. 39. q. 5.* & communis Scotiſtarum; contra Neutriſtas, Svar. Molin. Vaſq. Alarcon &c. adſtruentes concurſum DEI indeterminatum, & indifferentem, & determinabilem per Cauſas ſecundas, quô putant ſe ſalvare libertatem voluntatis creatæ.

Probatur primò: concurſus creaturæ, quando actu jam producit effectum, eſt determinatus phyſicè ad producendum hunc numerô effectum, ita ut per illum hic & nunc non poſſit produci alius; ut patet de concurſu actuali, quô ignis A. actu producit ignem B. Ergo etiam concurſus DEI cum Cauſis ſecundis Efficientibus eſt determinatus phyſicè ad producendum hunc numerô effectum, quando actu producit. Conſequentia tenet à paritate: & quia in Sententia Neutriſt. concurſus DEI conſiſtit in actione creaturæ.

Probatur ſecundò: concurſus DEI cum Cauſis ſecundis Efficientibus eſt volitio DEI, quâ vult cum hac Cauſa ſecunda producere hunc numerô effectum, v. g. hunc numerô hominem: ſed hæc volitio eſt determinata, ita ut per eandem hìc & nunc non poſſit producere lapidem: Ergo concurſus DEI cum Cauſis ſecundis Efficientibus eſt determinatus phyſicè ad producendum hunc numerô effectum; & non indifferens ad hunc vel illum effectum. Probat. Min. ſi illa volitio DEI non eſſet ita determinata, ſequeretur, quòd eſſet volitio producendi hominem, & non eſſet: ſed hoc eſt inconveniens: Ergo &c. Prob. Maj. eſſet volitio producendi hominem ex hypotheſi: non eſſet etiam, quia eſſet volitio producendi quoque effectum alium v. g. lapidem, cum homine incompatibilem: Ergo

Probatur tertiò: concurſus indeterminatus argueret in DEO imperfectionem, quod ſcilicet ita in productione effectuum creatorum dependeret à Cauſis ſecundis Efficientibus, ut ab illis quavis vice deberet determinari ad hunc numerô effectum producendum: Ergo non eſt ita indeterminatus ſuo concurſu. Item idem concurſus indifferens argueret eandem volitionem Divinam, quæ eſt productiva amoris, eſſe etiam ſimul productivam odii: quod videtur falſum: Ergo concurſus DEI non eſt indifferens, ſed determinatus.

Obiicies Achillem adverſar. ſi concurſus DEI cum Cauſis Efficientibus, 5. *Achilles adverſ. deiicitur.* maximè liberis, eſſet determinatus phyſicè ad producendum hunc numerô effectum, talis effectus deberet neceſſariò

eſt de Cauſis ſecundis Efficientibus tam naturalibus, quàm liberis reſpectu effectuum vi naturali attingibilium.

4. *Cauſa naturales nõ præmoventur ad operandum per aliquam qualitatem.* Dico primò: Cauſæ ſecundæ Efficientes naturales nec præmoventur per phyſicam qualitatem; nec prædeterminantur phyſicè à voluntate Cauſæ Primæ ad operandum. Ita Scotus *4. diſt. 1. q. 1. prope finem.* & *diſt. 12. q. 3.* & *diſt. 43. q. 3.* & *2. diſt. 25. q. un.* & communis Scotiſtarum.

Probatur prima pars authoritate Philoſophi, qui *8. Phyſ. tex. 32.* docet gravia, & levia moveri à ſeipſis; ut ignis ſurſum, terra deorſum. Et *tex. 33.* ait, hominem movere baculum virtute propriâ, & ſibi intrinſecâ: Ergo cenſet Philoſophus gravia, levia, & hominem ad ſuos motus non præmoveri virtute alienâ, ſeu aliquâ qualitate phyſica à DEO impreſſâ; hæc enim non rectè poteſt dici virtus propria eorum. Item *3. Phyſ. tex. 18.* dicit, quòd Cauſa ſecunda agens non mutetur: ſi autem DEUS ei imprimeret qualitatem phyſicam præmoventem, haud dubiè mutaretur: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione eadem pars: DEUS nil facit fruſtra, & inutiliter: ſed illa qualitas phyſica præmovens à DEO impreſſa eſſet fruſtra, & inutilis: Ergo per eam non præmovetur Cauſa ſecunda Efficiens naturalis ad operandum. Probat. Min. inducendo fines, & utilitates, ad quas Thomiſtæ putant eam eſſe proficuam: imprimis illa qualitas phyſica præmovens à DEO impreſſa nec eſſet proficua, & utilis, ut per eam Cauſa ſecunda Efficiens naturalis compleretur, & perficeretur in actu primo, ita ut ſit potens, & ſufficiens ad operandum: quia Cauſa ſecunda Efficiens naturalis in conditione ſua à Creatore ſuo accepit à principio completionem, perfectionem, potentiam, & virtutem ſufficientem ad operandum; ut patet ex illo Scripturæ Gen. 1. *perfecti ſunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Et ex illo, *DEI perfecta ſunt opera.* Unde in eadem Sacra Geneſi dicitur de hujuſmodi virtute ſufficienti, rebus à Creatore implantata; *& protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignúmque faciens fructum; & habens unumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam;* ubi effectus fructificationis naturalis adſcribitur immediatè ſementi ligni fructiferi, tanquam virtuti ſufficienti naturali: Ergo illa qualitas phyſica præmovens, à DEO impreſſa, non eſt proficua, & utilis, ita ut per eam Cauſa ſecunda Efficiens naturalis compleretur, & perficeretur ad operandum.

Secundò: nec eſt proficua, & utilis illa qualitas Thomiſtica ad determinandam, & applicandam Cauſam ſecundam Efficientem naturalem ad operandum: quia hæc eſt ex natura ſua determinata quoad ſpecificationem, & exercitium actûs; ſic ignis v. g. ex natura ſua eſt determinatus ad igniendum; & licèt is indifferens videatur ad comburendum lignum, vel ſtupam; item ad emolliendum ceram, & indurandum lutum; hæc tamen indifferentia non tollitur à qualitate phyſica præmovente impreſſa; ſed vel ab illa Cauſa ſecunda, quæ lignum potiùs applicat, quàm ſtupam; vel à qualitatibus eorum, quæ igni applicantur; quò fit, ut cera ad ignem liquefiat ob ſuas qualitates peculiares; & lutum induretur ob alias qualitates luti: Ergo illa qualitas phyſica præmovens, à DEO impreſſa, non eſt proficua, & utilis ad determinandum, & applicandum Cauſam Efficientem naturalem ad operandum.

Tertiò: neque illa qualitas præmovens eſt proficua; & utilis, ut exinde faciliùs intelligatur actio Cauſæ ſecundæ dependere à Prima: quia hujuſmodi dependentia actionis Cauſæ ſecundæ à Prima ſufficienter intelligitur ex eo, quòd indigeat concurſu DEI: Ergo &c.

Quartò: nec tandem eſt proficua ad hoc, ut Cauſa ſecunda naturalis dicatur operari ut *mota à prima*, ut loquitur Ariſtoteles, & ut *impulſa à prima*, ut loquitur Catechiſ. Pij V. & ut *directa à Cauſa prima*, ut loquitur Script. Hier. 10. *à Domino greſſus hominis dirigentur*: nam hæ omnes denominationes ſufficienter ſalvantur per hoc, quòd Cauſa Prima communicaverit Cauſæ ſecundæ à principio conditionis ſuæ virtutem nativam ſufficientem ſe movendi, impellendi, & progrediendi, ratione cujus communicationis primævæ Divinæ Cauſa ſecunda cenſetur mota, impulſa, & dirrecta à Prima: vel certè dicitur talis à ſimultaneo concurſu DEI cum creatura: Ergo illa qualitas impreſſa non eſt proficua ad hoc, ut Cauſa ſecunda naturalis præfatas ſortiatur appellationes.

Objiciunt Thomiſtæ *primò*: Cauſa Prima quà talis debet prior agere; aliàs non rectè diceretur *prima*: ſed nequit agere prior, niſi aliquid prævìè imprimendo: Ergo &c. *Secundò*: Cauſa ſecunda eſt eſſen- 5. *Thomiſtarũ argumenta pro præmovente qualitate phyſica.*

eſſentialiter ſubordinata Primæ: ſed talis arguit præmotionem DEI per impreſſionem qualitatis phyſicæ præviæ: Ergo &c. *Tertiò*: Philoſophus *7. Met. cap. 1.* dicit; *quidquid movetur, ab alio movetur*: Ergo Cauſa ſecunda movetur ab alia, id eſt à Prima, & conſequenter præmovetur per qualitatem phyſicam ad operandum. *Quartò*: homo dicitur inſtrumentum Dei, ſic Sennacherib *Iſai. 10.* vocatur inſtrumentum DEI contra Judæos: ſed inſtrumentum recipit præmotionem per impreſſam qualitatem motûs agentis principalis: Ergo &c. *Quintò*: etiam Scotus concedit hanc propoſitionem, *Cauſa ſecunda agit in virtute Cauſæ primæ*; item hanc: *Secunda agit ad applicationem primæ*: item hanc: *Cauſa prima facit, ut ſecunda faciat*: ſed hæ redolent qualitatem aliquam phyſicam â Cauſa Prima impreſſam: Ergo &c.

6. *Eadem eliduntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Min. nam ut rectè dicit Scotus *2. diſt. 37. q. un. num. 5.* Cauſa Prima dicitur Cauſa tantùm *prior* prioritate perfectionis; quia eſt independens tum in eſſendo, tum in operando; non verò eſt prior in agendo, operando, & imprimendo aliquam qualitatem: & ob eandem independentiam DEUS dicitur *Cauſa prima*. *Ad Secundum* Neg. Min. nam illa ſubordinatio eſſentialis Cauſæ ſecundæ ad Primam tantùm arguit eſſentialem dependentiam Cauſæ ſecundæ, quâ DEO ita ſubijcitur tam in eſſendo, quàm operando, ut ab alio pendere nequeat. Vel dic, quòd ex parte DEI arguat concurſum non prævenientem; ſed concomitantem. *Ad Tertium* interpretor Philoſophum, & dico eum *loc. cit.* loqui de motu locali Sphærarum cæleſtium, quæ utique ab extrinſeco moventur ab alio; id eſt ab Intelligentia; Vel ſi contendas eum loqui etiam de motu aliarum Cauſarum naturalium reſpectu ſuorum effectuum, dico ut dixi *probat. 4.* hujuſmodi motum etiam Cauſæ Primæ adſcribi, ex eo, quòd Prima communicaverit à principio ſecundis virtutem ſe movendi: vel quia ſecundæ dependent in eſſe, & moveri â Prima. Vel tandem negari poteſt ſecunda Conſequentia; quia ex motione unius ab alio, non ſequitur præmotio unius ab alio. *Ad Quartum*, Antecedens intelligitur de inſtrumento in largo ſenſu ſumpto; de quo infrà *quæſt. 17. de Cauſa inſtrumentali*; quia inſtrumentum in ſtricto ſenſu nullam conſervat permanentem qualitatem præmoventem; ſed durante ſolo motu actuali impulſum recipit à Cauſa principali, ut ſerra ab homine ſerrante, & eam ceſſante motu amittit: illa autem qualitas phyſica cenſetur a Thomiſtis permanens in Cauſa ſecunda agente: & ſanè Sennacherib non fuiſſe ſtrictè Inſtrumentum DEI, inde patet; quia in eodem Iſaia *14. cap.* narrantur varia ejus ſcelera; ad quæ Deus eum ut inſtrumentum ſuum non impellebat. *Ad Quintum* Neg. Min. & dico, per primam propoſitionem ſolùm adſtrui virtutem aliquam, quam DEUS in principio conditionis rebus communicavit: per ſecundam innuitur ſolus concurſus DEI, quô ſe applicat DEUS cum ſecunda Cauſa agente: per tertiam pariter atteſtatur virtus DEI rebus tempore conditionis eorum communicata; & concurſus neceſſarius ejuſdem dum operantur.

Objiciunt P. Villaverde, & P. Fuente, qui noviſſimè Thomizare cœperunt, adſtruendo præmotionem Cauſæ ſecundæ à DEO factam; non quidem per aliquam qualitatem impreſſam; ſed aliô aliquô modô: nituntur autem potiſſimè aliquibus teſtimoniis Scoti malè intellectis, quæ etiam nonnulli adverſarii juniores ex alienis objiciunt Scholæ Scotiſticæ, ſuntque ſequentia: Scotus *1. diſt. 2. §. oſtenſo*, dicit: *n. 20. qualibet Cauſa ſecunda cauſat in quantum movetur à prima*: & infrà, *quia non cauſat ſecunda Cauſa, niſi in virtute primæ Cauſæ, in quantum movetur ab ipſa.* Et rurſus *diſt. 8. q. 5. §. ad argumenta* ſub *num. 26.* ait, *ſimiliter nulla Cauſa ſecunda cauſat, niſi primâ Cauſâ cauſante cauſatum ejus, & prius naturaliter, quàm ipſa Cauſa proxima cauſat.* Et *4. diſt. 2. q. 1. §. ad ſecundum* dicit, *ſolus DEUS determinat ſe ad effectum cauſandum ſibi proprium: ſi enim poſſet ab alio determinari ad agendum, jam eſſet Cauſa ſecunda*: Ergo, inquit Villaverde, ſentit Doctor Cauſam ſecundam determinari ab alio ad agendum: ſed illa determinatio eſt præmotio: Ergo &c. 7. *Quibuſdam Scotiſtis fatentibus, & Scoti textus dubij gloſſantur contra RR.*

Reſpondeo: ex his, & ſimilibus Scoti authoritatibus hos Scotiſtas malè colligere aliquam præmotionem; & pejus quidam juniores inde inferunt prædefinitionem Scoticam; nam imprimis generaliter loquendo motio unius ab alio, non eſt præmotio; plus enim importat ly *præ* puta anteceſſionem temporis. Deinde ad ſingulas authoritates in ſpeciali dico, quod Scotus in primis duabus ſolùm velit,

lit, inter Cauſam ſecundam, & Primam intercedere dependentiam eſſentialem, quâ ſecunda â Prima in eſſe & operari dependet, ita ut Prima agente, ſecunda nullatenus agere valeat; vel per illam motionem intelligit communicationem virtutis, quam DEUS à principio conditionis earum infudit eis, ut potentes & ſufficientes ſint ad operandum; & propterea in ſecunda authoritate conſultò appoſuit Doctor, *ſed ſecunda non niſi in virtute primæ Cauſæ cauſat.* Per tertiam authoritatem ſolùm vult Doctor, quòd ut Cauſa ſecunda cauſet, requiratur concurſus DEI, qui ſit prior naturaliter prioritate perfectionis; non prioritate operationis: Unde ipſemet Scotus negat *2. diſt. 37. q. 2. §. ad ſolutionem.* Cauſam Primam priùs naturâ cauſare, ſeu operari, quam Cauſa ſecunda operetur: Ex quarta ſolùm habetur, quòd Doctor ſentiat Cauſas ſecundas determinari â DEO ad agendum per communicationem primævæ virtutis naturis earum à DEO implantatæ, quâ quidem determinantur ad operandum naturaliter ſuo tempore; ſed nego illam determinationem eſſe aliquam præmotionem ſpecialem, quæ importaret aut qualitatem præmoventem, aut concurſum peculiarem DEI præmoventem, quô Cauſa ſecunda præveniretur, & applicaretur ad opus, & quâ tolleretur ejus indifferentia; cùm ipſa ſit determinata â ſuis principiis naturalibus ad operandum hunc in ſpecie effectum: per quam reſolutionem etiam evacuatur ratio P. Villaverde, quam ad ſvadendam præmotionem Cauſæ ſecundæ adhibet *lib. 2. Phyſic. cap. 5. quæſt. 2. num. 11.*

8. *Cauſa naturales neque prædeterminantur à voluntate DEI ad ſua opera*

Probatur ſecunda pars Concluſionis, *quòd Cauſæ Secundæ Efficientes naturales, nec etiam prædeterminentur à Voluntate Cauſæ primæ ad operandum*: Non ſunt multiplicanda entia ſinè neceſſitate, ſecundùm Philoſophum *1. Phyſ. tex. 52.* ſed nulla eſt neceſſitas multiplicandi prædeterminationem ſpecialem Divinæ Voluntatis, quâ in tempore eas ad agendum prædeterminaret: Ergo &c. Probat. Min. ut Cauſæ ſecundæ Efficientes naturales in tempore poſſint agere, ſufficit tū Decretum DEI æternum, quô ordinavit res condere in tempore cum virtute ſufficienti ad agendum juxta illud Pſal, 14. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt*; tum DEI Potentia, ſeu Voluntas, quâ *quæcunque voluit, creavit in cælo, & in terra, & in omnibus abyſſis* Pſal. 143. & quâ cum Cauſis ſecundis Efficientibus naturalibus volet concurrere ad effectuum creatorum productionem: Ergo nulla eſt neceſſitas multiplicandi prædeterminationem ſpecialem Divinæ Voluntatis, quâ in tempore eas ad agendum prædeterminaret. Deinde ſecundùm Philoſophum *8. Phyſic. tex. 18.* Cauſa ſecunda Efficiens naturalis ſuaptè naturâ determinatur ad producendos ſuos effectus: Ergo ad quid prædeterminatio Thomiſtica.

QUÆSTIO XIV.

An Cauſæ Secundæ Efficientes liberæ præmoveantur, vel prædeterminentur à Cauſa Prima; ubi de concurſu communi DEI.

1. *Etiam Cauſa liberæ non præmoventur, neque prædeterminantur ad phyſicum opus.*

DIco primò: Neque Cauſæ Secundæ Efficientes liberæ præmoventur, aut prædeterminantur phyſicè à Cauſa prima ad operandum phyſicè. Ita Scotus *2. diſt. 1. q. 2. §. ad primum principale.* Et rurſus *diſt. 16. q. un. §. alij dicunt.* Doctorem ſequuntur diſcipuli, & plurimi RR. contra Thomiſtas.

Probatur primò authoritate D. Auguſtini; docente primum hominem liberè eligiſſe ignem præ aqua; *primus ille homo*, inquit, *de Cantico novo cap. 8. Accepit liberum arbitrium rectum, & poſuit DEUS ante eum ignem, & aquam; ad quod volueris porrige manum tuam: elegit ignem, reliquit aquam: videte juſtum Judicem; quod elegit homo liber accepit, malum voluit, hoc illum ſecutum eſt*: ſed non rectè diceretur primus homo liberè elegiſſe ignem præ aqua, ſi à DEO præmotus, vel prædeterminatus phyſicè fuiſſet ad hanc electionem: Ergo non fuit ad hoc præmotus, vel prædeterminatus.

Probatur ſecundò ratione: Cauſæ ſecundæ Efficientes naturales non præmoventur, neque prædeterminantur phyſicè à Cauſa Prima ad operandum phyſicè: Ergo neque Cauſæ liberæ. Conſequentia tenet à pari; & ſanè à fortiori hæ non debent præmoveri, neque prædeterminari ad operandum, ut eorum libertas ad agendum, vel non agendum ſalvetur.

Proba-

Probatur tertiò: ex oppoſita Sententia Thomiſtica ſequeretur, Cauſas Secundas Efficientes liberas nil contingenter operari: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. Probat. ſequela Maj. id non cenſetur contingenter agere, quod ante actualem operationem ita eſt determinatum, ut ampliùs non poſſit non agere: ſed ſic ſe haberent Cauſæ liberæ ſuppoſitâ prædeterminatione: Ergo &c.

Probatur quartò ratione Scoti *4. diſt. 43. q. 3.* admiſsâ qualitate phyſicâ præmovente ſequeretur, quòd Cauſa Secunda Efficiens libera poſſet agere independenter à DEO; *quia* (inquit) *haberet in ſe totum illud, propter quod indiget actione Cauſæ Primæ:* haberet enim qualitatem à DEO impreſſam, quâ mediante tantùm DEUS concurrit cum Cauſa Secunda Efficiente libera: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c.

Probatur quintò principaliter: poſitâ qualitate à DEO impreſsâ præmovente, vel prædeterminatione aliquâ phyſicâ Thomiſticâ ex parte Cauſæ Secundæ Efficientis liberæ, tolleretur libertas talis Cauſæ liberæ: ſed hoc dici nequit; quia Tridentin. *Seſſ. 6.* definit, in homine (qui eſt Cauſa quædam ſecunda libera) extare liberum arbitrium, potens cooperari, & diſſentiri DEO excitanti, & moventi, quod arguit libertatem; unde damnat oppoſitum docentis illis verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à DEO motum, & excitatum nihil cooperari, neque poſſe diſſentiri, anathema ſit*: Ergo Cauſa Secunda Efficiens libera nec præmovetur, nec prædeterminatur phyſicè à Cauſa Prima ad operandum. Probatur Maj. libertas Cauſæ liberæ in hoc conſiſtit, ut poſitis omnibus neceſſariis ad agendum voluntas poſſit agere, vel non agere, ſeu egredi in effectum, & non egredi: ſed poſitâ qualitate præmovente, vel prædeterminatione phyſicâ Cauſa Secunda Efficiens libera neceſſariò egreditur in effectum; ſicut propoſitô objectô viſibili oculus neceſſariò egreditur in viſionem: Ergo tollitur libertas Cauſæ liberæ.

2. *Replica Thomiſtica evacuatur.*

Reſpondent Thomiſtæ: adhuc ſalvari libertatem Cauſæ Secundæ Efficientis liberæ per hoc, quòd ipſamet ſe determinet ad agendum; & dum ſe determinat ad unum, poteſt ad aliud quoque ſe determinare. *Contra;* implicat Cauſam Secundam liberam ſe determinare poſſe ad unum, & ad aliud, ſuppoſitâ præviâ prædeterminatione DEI, quæ cùm efficax ſit, omnino evacuat à Cauſa Secunda libera illam indifferentiam ad poſſe ſe ſic, vel ſic determinare.

3. *Juniorum quorundam ſpeciales rationes contra Thomiſtas, quæ tamen Scotiſtis non obſunt.*

Quidam Juniores congerunt plura alia argumenta ab abſurdis contra prædefinitionem Scotiſticam; ſed valeant illa, quantùm valere poſſunt contra Thomiſtas; certè contra Scotiſtas, qui è diametro Thomiſtis opponuntur, nec unum pilum valere poſſunt. Dicunt itaque *primò* ſequi ex Sententia Thomiſtica, quòd nullus eorum, qui defactò converſi nō ſunt, converti potuerint; imò eos damnatos non ſuâ culpâ ardere in inferno; cùm non habuerint illam Thomiſticam prædeterminationem; quæ inquiunt multùm favent Lutheranis, Wiclephiſtis. *Secundò* dicunt ſequi ex eadem Sententia, DEUM eſſe magis authorem malorum, quàm dæmonem; quia dæmon extrinſecè tantùm allicit homines ad mala, proponendo delectabilitatem objecti; DEUS autem per prædeterminationem, vel qualitatem præmoventem intrinſecam propelleret ad mala. *Tertiò*, dicunt eandem Sententiam eſſe contra varia Sacræ Scripturæ loca, docentia DEUM odiô habere peccata; neminem tentare; non relinquere hominem in manu conſilii ſui &c. quæ tamen, & ſimilia Thomiſtæ acutiores facilè eludunt. Sed

4. *Thomiſtarū argumenta pro prædeterminatione Cauſæ liberæ.*

Objiciunt Thomiſtæ *primò*: ex S. Scriptura colligitur, Cauſam Secundam liberam à Prima prædeterminari; nam Job 12. dicitur, *qui immutat cor Principum.* Et Prov. 21. *Cor Regis in manu DEI, & quocunque voluerit, vertet illud.* Eadem prædeterminatio docetur ab Auguſtino *Serm. 94. de tempore* dicente, *quia ſic DEUS in nos operatur, ut & nos operemur.* Item à Scoto *4. diſt. 49. §. dico ergo*, dicente, voluntatem Beati eſſe impeccabilem; quia à Divina voluntate prævenitur, nè labatur in peccatum. Et Catechiſmus Pij V. Pontif. dicit, quòd *DEUS univerſa ita impellat ad motum & actum, ut quamvis Cauſarum Secundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen:* Ergo &c.

5. *Reſolvuntur.*

Reſpondeo Neg. Ant. & dico allegatas authoritatas omnes loqui de effectibus, & operibus moralibus bonis, ac meritoriis, ad quæ elicienda prærequiritur aliqua gratia DEI præveniens, immutans, & invertens cor Principis nobiſcum operans, & voluntatē Beati præveniens ac firmans, nè peccet; ſed concluſio procedit de effectibus

fectibus, & operibus phyſicis liberis, quæ abſque gratia ſpeciali, ac prædeterminatione DEI effici poſſunt.

6. *Cauſa Prima non antecedit Cauſas ſecundas in operando*

Dico ſecundò: Itaque Cauſa Prima nec antecedit prædeterminando, nec ſubſequitur; ſed concomitatur Cauſas ſecundas Efficientes in tempore operantes concurſu ſimultaneò, & concomitanti. Ita colligitur ex Scoto *1. diſt. 40. q. un.* & alibi; ubi propter concordiam concurſûs Cauſæ Primæ cum ſecunda, & ad ſalvandum uſum libertatis ejus, vult DEUM non operari ad operationem voluntatis creatæ, niſi ipsâ liberè agente, & ad agendum ſe determinante in tempore. Doctorē ſequuntur communiter Scotiſtæ; contra Thomiſt. quoad primam partem; & contra Neutriſtas complures, quoad ſecundam.

Prima pars probata manet omnibus rationibus, ſuprà contra prædeterminationem Thomiſticam allatis; quæ in concurſu quodam antecedenti Cauſæ Primæ conſiſtit. Deinde addo adhuc authoritatem D. Chryſoſt. *hom. 12. in Epiſt. ad Hebr.* dicentis; *non antecedit voluntates noſtras, nè lædatur arbitrium noſtrum*: Ergo &c.

7. *Nec ſubſequitur.*

Probat. ſecunda pars: Tum quia eſt contra rationem Cauſæ Primæ, ſuâ operatione ſubſequi operationem Cauſæ ſecundæ; quia aliàs Cauſa ſecunda â Prima eſſentialiter in operando non dependeret: Ergo Cauſa Prima non ſubſequitur Cauſas ſecundas Efficientes in tempore operantes. Tum quia ſequeretur DEUM non poſſe impedire actionem Cauſæ ſecundæ Efficientis; cùm tardè veniat ad ejus poſitionem: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c.

8. *Sed eas concomitatur.*

Probat. tertia pars: Tum quia ſi concurſus Cauſæ Primæ non eſt antecedens; nec eſt ſubſequens Cauſas ſecundas Efficientes in tempore operantes: Ergo relinquitur, quod ſit concomitans, & ſimultaneus. Tum quia hujuſmodi concomitantiam, & ſimultatem indicat ipſumet vocabulum *Concurſus*, id eſt ſimul curſus. Tum quia hujuſmodi concurſus ſalvat libertatem creatam Cauſarum ſecundarum liberarum in operando; & aliunde non repugnat DEO: eſt etiam valde conſentaneus ordini præſenti agentium naturalium, & liberarum: Ergo Cauſa Prima concomitatur Cauſas ſecundas Efficientes in tempore operantes concurſu ſimultaneo, & concomitanti.

9. *Elucidatur & ſuadetur ampliùs concomitans operatio Dei.*

Nota autem primò: concurſum hunc concomitantem, & ſimultaneum Cauſæ Primæ ſeu DEI (qui â Scotiſtis ut aptiſſimum medium concordandi Decreta DEI cum libero arbitrio inventus eſt, de quo plura in *1. tom. meæ Theologiæ tract. 2. diſt. 1. q. 7.*) ita ſe habere, ut DEUS operaturus cum Cauſis ſecundis Efficienribus liberis non intelligatur aliquid determinare, ſinè voluntate noſtra creata; ſed omnem ſuam determinationem reſpectu effectuum liberorum contingentium interventu voluntatis noſtræ futurorum eſſe cum determinatione voluntatis noſtræ; ita ut nullatenus prædeterminet illam ad hoc, vel illud volendum; ſed cum ea condeterminet; & ideo dicitur *concomitari* voluntatem noſtram; adeò ut ordine cauſalitatis non præcedat; ſed ſimultaneè concurrat ad effectum liberum. Et hujuſmodi concurſus concomitans, & ſimultaneus eſt rationabiliſſimus, ac valde decens DEUM: ſicut enim eò quòd ipſe ſit primum Ens, rationabiliſſimum, & decens eſt, ut dicat continentiam virtualem omnium entium creatorum: & quia eſt primum Efficiens, ut dicat continentiam eminentialem omnium efficientium creatorum quoad eorum virtutes: ita pariter quia idem DEUS eſt primum Liberum, ſummè decens eſt, ut dicat continentiam omnium liberorum creatorum, continendo ea omnia continentiâ quâdam eminentiali ſecundùm omnem modum agendi eorũ: & quia ejus voluntas eſt infinita; decens eſt, ut coincidat prorſus ſinè læſione libertatis creatæ in eandem determinationem entium liberorum creatorum, & cum eis concomitanter velit omne id, quòd ipſa vellent, ſi ab æterno forent, & ſimul cum DEO ad agendum ſe determinarent: quæ concomitans volitio rectè vocatur à Scotiſtis *Concurſus concomitans, concurſus ſimultaneus, & condeterminatio Divina.*

10. *Tacita objectioni reſpondetur.*

Nec officit huic concurſui concomitanti, & ſimultaneo, quòd Decretum DEI de concurrendo cum Cauſis ſecundis Efficientibus liberis fuerit ab æterno. Nam primò dici poteſt; hujuſmodi Decretum DEI fuiſſe ab æterno ſolùm quoad entitatem; non verò quoad terminationem, ſeu tendentiam; quod fusè explicatur in Theologia; & hic breviter ſic debet intelligi; quòd ſcilicet volitio DEI decernens omnia ſit unus ſimpliciſſimus actus, quô DEUS vult, & decretat ſe concurſurum cum omnibus Cauſis ſecundis; hujus entitas, & eſſentia eſt ab æterno; ſed non terminatur ab æterno; quia non tendit, ſeu extendit ſe in executione ab æterno ad

actualem concurſum cum Cauſis ſecundis; quia ipſæ ab æterno non extant; & conſequenter nec ab æterno cum concurſu DEI operantur actu: ſed dum extant, & operantur in tempore, Decretum DEI æternum ſe extendit, & terminatur ad earum cooperationem; unde dicitur eſſe in tempore *terminativè*; quæ terminatio Decreti poteſt utique dici eſſe concomitans, & ſimultanea, arguens concurſum concomitantem, & ſimultaneum; ſicut Thomiſtæ dicunt, illud eſſe antecedens; & Neutriſtæ, quòd ſit conſequens. *Secundò* poteſt dici; quòd illud Decretum DEI æternum poſſit eſſe ita modificatum, ut vi ejus velit concurrere cum Cauſis ſecundis liberis in tempore non aliter, quàm coincidendo in earum determinationes, & ſeſe condeterminando cum eis, ut ſic ſalvet earum libertatem; quô modô illud Decretum non officit concurſui concomitanti, & ſimultaneo; imò eum ordinat, & decretat pro ordine executionis.

QUÆSTIO XV.

Num à Cauſa Prima oriatur determinatio effectûs creati quoad ſpeciem; & individuum?

Nota primò: ex dictis ſuprà *q. 11. concl. 1.* conſtat, Cauſam Primam concurrere cum ſecunda ad omnes ejus effectus creatos; & conſequenter tam in ſpecie, quàm in individuo; id eſt tam ſecundùm rationes ſpecificas; quàm individuales. Sed quia, dum duæ Cauſæ concurrunt ad eundem effectum, ſolet contingere, ut uni potiùs, quàm alteri tribuatur; quòd effectus talem rationem partialem habeat; ut patet de intellectione, quæ licèt procedat indiviſibiliter ab intellectu, & objecto, quoad ſpeciem, & quoad individuū; quòd tamen habeat talem partialem rationem, objecto potiùs adſcribitur, quàm intellectui; ab objectis enim fit ſpecificatio actuum. Quare in præſenti quæſt. meritò inquiritur, num à Cauſa Prima, vel à ſecunda Efficiente proveniat, quòd effectus creatus habeat talem ſpeciem, vel individualitatem.

Dico primò: etſi ab utraque Cauſa, tam Prima, quàm ſecunda oriatur proxima determinatio effectûs quoad ſpeciem; remota tamen priùs regulariter, & defactò oritur à Cauſa ſecunda Efficiente. Colligitur ex Scoto *1. diſt. 3. q. 7.* & ſequuntur Lamaz. Fraſſen, Columb. Van-Sichen & alii Scotiſtæ; & eſt communis AA. 1.

Tam à Cauſa Prima, quàm à ſecunda oritur proxima determinatio effectûs quoad ſpeciem.

Probatur prima pars: Tum quia Cauſa Prima concurrit immediatè immediatione ſuppoſiti, & virtutis cum Cauſa ſecunda Efficiente ad omnes ejus effectus, & quidem concurſu determinatô, ut ſuprà *quæſt. 11. concl. 2.* oſtendi: adeoque illô concurſu determinatô ſimul proximè determinat ad ſpeciem effectus producendam; ſed ſimul etiam ſe ad talem ſpeciem determinat Cauſa ſecunda: Ergo determinatio proxima effectûs quoad ſpeciem ab utraque Cauſa oritur. Tum quia nulla eſt ratio, cur determinatio proxima effectûs quoad ſpeciem uni Cauſæ potiùs, quàm alteri attribuatur: Ergo ab utraque oritur. Probat. Ant. utraque Cauſa tam Prima, quàm ſecunda eſt determinata ad effectum producendum, v. g. DEUS, & ignis ad comburendam ſtupam: & tametſi conditiones aliquæ, & circumſtantiæ extrinſecè determinent ignem ad comburendum v. g. combuſtibilitas materiæ debitæ applicatæ, & aliæ; illæ eædem etiam determinant DEUM ad comburendum: Ergo nulla eſt ratio cur uni Cauſæ potiùs, quàm alteri attribuatur proxima determinatio effectûs quoad ſpeciem.

Probatur ſecunda pars primò authoritate Sacræ Scripturæ, quæ nativæ virtuti, & ſemini terræ adſcribit, quòd tales in ſpecie herbas, & ligna proferat; volens per hoc oſtendere determinationem remotam effectûs quoad ſpeciem priùs ab ipſa terra ut Cauſa ſecunda Efficiente oriri; dicit itaque Scriptura *Geneſ. 1. cap. Protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignúmque faciens fructum, & habens unumquodque ſemen ſecundùm ſpeciem ſuam.* Et paulò infrà addit, *quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundùm genus ſuum*: Ergo &c.

Probatur ſecundò authoritate D. Dionyſii; qui *4. de Div. Nom.* dicit, quòd DEUS uniformiter operetur omnia; diverſitas verò ſit à Cauſis ſecundis; id eſt varietas ſpecierum, ſeu productiones rerum quoad ſpecies: Ergo à Cauſa ſecunda Efficiente oritur priùs determinatio remota effectûs quoad ſpeciem.

Remota tamen oritur priùs à Cauſa ſecunda efficiente.

Probatur tertiò ratione: Tum quia, quòd

quòd homo generet hominem in ſpecie ſua, & leo leonem in ſpecie ſua, oritur à virtute generativa innata eorum, & ſemine nativo transfuſo ad vaſa generationis ſervatis debitis circumſtãtiis naturalibus: Ergo homo, & leo ſunt illæ Cauſæ ſecundæ, quæ priùs remotè determinant effectum quoad talem ſpeciem. Tum quia illa ex duabus Cauſis (quando fit generatio univoca) videtur priùs determinare effectum quoad ſpeciem, cui effectus magis aſſimilatur; ſed effectus creati univoci magis aſſimilantur Cauſæ ſecundæ Efficienti, quàm Primæ; ut patet in homine generante alium hominem; & in igne producente alium ignem: Ergo &c. Tum quia ideo DEUS ut Cauſa Prima ſe determinat cum igne producere ignem, & non aquam; quia videt ignem determinatum à nativis ſuis principiis ad producendum ignem, & non aquam: Ergo priùs eſt determinatio effectûs quoad ſpeciem à Cauſa ſecunda Efficiente. Tandem DEUS agit connaturali modò cum Cauſis ſecundis; vult eas connaturaliter producere ſuos effectus: Ergo permittit, ut illæ priùs determinent ſpeciem effectûs connaturaliter ab eis producendi.

3. *Regulariter loquendo.*

Dixi in Concluſione *regulariter, & de facto*; quia extraordinariè, & de potentia abſoluta poſſet DEUS primò determinare ſpeciem effectûs; ut ſi aſſumeret Cauſam ſecundam, eamque determinaret ad producendum effectum contrarium ſpeciei talis Cauſæ, v.g. ut leo generet urſum; in hoc enim nulla videtur implicantia.

4. *Objectioni cuidam occurritur.*

Objicies contra ſecundam partem *primò*: Cauſa Prima, & ſecunda ex æquo concurrunt ad productionem effectûs: Ergo utrique æquè primò adſcribi debet determinatio ejus quoad ſpeciem. *Secundò*: Cauſa ſecunda eſt contractior, dependẽs, & inferior Primâ: Ergo Prima eſt, quæ determinat priùs ſpeciem effectûs. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. quia cum æquo concurſu utriuſque Cauſæ in effectum ſtat, quòd una priùs aliâ determinet ejus ſpeciem; & quidẽ ad eam pertinet regulariter ſic determinare priùs, quæ habet nativa principia productiva ſpeciei effectûs; qualia habet Cauſa ſecunda v.g. homo, qui habet vim generativam alterius hominis. *Ad Secundum* Neg. Conſeq. nam etſi quoad entitatem ſuam Cauſa ſecunda ſit contractior, dependens, & inferior primâ; quoad determinationem tamen ſuorum effectuum quoad ſpeciem eſt prior; ob rationes pro Concluſione allatas.

5. *Determinatio effectûs quoad individuum oritur à Cauſa prima.*

Dico ſecundò: determinatio tamen effectûs creati quoad individuum intra talem ſpeciem oritur à Cauſa Prima. Ita Scotus *4. diſt. 43. q. 3.* & *in Report.* & alibi; & ſequuntur Columb. Lamaz. Fraſſen, Ponc. Van-Sichen, & alii Scotiſtæ, quibus conſentiunt Svar. Hurtad. Averſa, Fonſec. &c.

Probatur *primò*: Cauſæ ſecundæ Efficientes tam naturales, quàm liberæ antequam hoc individuum ſpeciei actu producant, ſunt ex ſe penitus indifferentes, & indeterminatæ ad producendum hoc, vel illud v.g. generantes ad generandum potiùs Platonem, quàm Socratem; nec poſſunt per particulares circumſtantias evacuare illam indifferentiam, & indeterminationem, & determinari ab ipſis; quia & ipſæ circumſtantiæ ad varia individua ejuſdem ſpeciei ſunt indifferentes: Ergo Cauſæ ſecundæ egent determinatione Cauſæ Primæ quoad individuum talis ſpeciei producendum; ac proinde à Cauſa Prima oritur determinatio effectûs creati quoad individuum intra talem ſpeciem. *Secundò*: Cauſa ſecunda, maximè libera, pro hoc ſtatu non diſcernit inter individua plura poſſibilia ſimilia ejuſdem ſpeciei, v. g. homo inter decem volitiones, circa idem objectum amabile: Ergo nequit ſeipſum determinare, ut extrahat unum potiùs ex ſerie omnium illorum plurium individuorum poſſibilium ſimilium; quàm alterum; cùm ejus voluntas non feratur in incognitum: Ergo ad ejus extractionem individualem accedere debet determinatio Cauſæ Primæ. *Tertiò*: ſpectat ad prudens DEI gubernium hujus Univerſi, ſvavem ejus diſpoſitionem determinatio effectuum quoad individuũ: Ergo ei eſt attribuenda. Prob. Ant. DEUS pro feliciter gubernando mundo ſæpè eget tali potiùs individuô, quàm aliô; cujus proinde determinatio, ut producatur, debet eſſe in manu ejus; ſic DEUS egebat individuô S. Franciſci, ut frigeſcente mũdo ad inflamanda corda Chriſticolarum; cujus proinde determinationem fecit, ut hic produceretur à Bernardono, & Pica Aſſiſiatenſibus genitoribus, & non alius filius: Ergo &c.

6. *Operationes adverſariorum.*

Objicies *primò*: hæc determinatio Cauſæ Primæ quoad individuum effectûs videtur eſſe quædam prædetermina-

tio phyſica: Ergo in Schola Scoti non eſt aſſerenda. *Secundo*: ex hac concluſione ſequeretur, DEUM etiam determinare ad hunc in individuo effectum, ſeu actû peccaminoſum: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. *Tertiò*: ſi Cauſa ſecunda libera determinaretur à Prima quoad individuum ſuorum actuum v. g. hujus amoris, vel hujus odii, læderetur ejus libertas: ſed hoc dici nequit: Ergo &c.

7. *Eliduntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. lata enim eſt diſparitas; prædeterminatio namque Thomiſtica ſpectat ad actum primum, ſeu virtutem Cauſæ ſecundæ, ut compleat ejus potentiam, & adjuvet inſufficientiam, ut dicunt Thomiſtæ: determinatio verò iſta ſpectat ad actum ſecundum, ut videlicet hic, vel ille effectus producatur. *Ad Secundum* Diſt. Maj. ſequeretur DEUM etiam determinare ad hunc in individuo effectum, ſeu actum peccaminoſum quoad ejus entitatem phyſicam (quæ materiale ejus dicitur) Conc. Maj. quoad ejus morale (quod & formale actûs peccaminoſi dicitur) Neg. Maj. Itaque nihil inconveniens continet, quòd DEUS dicatur determinare actum peccaminoſum quoad entitatem phyſicam, ſeu quoad materiale; imò ad hoc tenetur ex officio Cauſæ univerſalis, & Primæ; dummodo illum non determinet quoad morale, & formale, quod à ſola Cauſa ſecunda peccante, utpote defectibili ponitur, nec ullatenus Cauſæ Primæ imputatur. *Ad Tertium* Diſt. Maj. ſi Cauſa ſecunda libera determinaretur determinatione antecedenti Conc. Maj. ſi determinaretur determinatione concomitenti Neg. Maj. Itaque ſola determinatio antecedens lædit libertatem Cauſæ ſecundæ liberæ; non verò concomitans, qualis eſt hæc determinatio Cauſæ ſecundæ liberæ ad individuū effectûs, quæ fit à Cauſa Prima: nam cum hac ſtat, quòd Cauſa ſecunda libera etiam ſtante tali determinatione, adhuc habeat virtutem eliciendi actum oppoſitum, vel eum ſuſpendendi.

QUÆSTIO XVI.

Utrùm DEUS ſupplere valeat cauſalitatem cujuſcunque Cauſæ Efficientis creatæ reſpectu effectûs; & facere ut idem ſeipſum efficiat?

Dico primò: DEUS poteſt ſupplere cauſalitatem cujuſcunque Cauſæ Efficientis creatæ; ita ut ſe ſolô efficere valeat omnem effectum cujuſcunque Efficientis. Ita Scotus *4. diſt. 10. q. 4.* & videtur communis AA. ſenſus. 1. *DEUS poteſt ſupplere cauſalitatem Cauſæ Efficientis.*

Probat. Tum quia ejuſmodi ſuppletio cauſalitatis cujuſcunque Cauſæ Efficientis nullam involvit imperfectionem; imò recommendat perfectiſſimam DEI potentiam activam, & effectricem: eſt inſuper conformis Omnipotentiæ Divinæ; ac tandem arguit plenum dominium DEI, ut ſupremi Effectoris rerum ſuper univerſas creaturas; ejuſdemque independentiam ab ipſis in operando, & efficiendo, ſicut eſt independens ab eis in eſſendo: Ergo DEUS poteſt ſupplere cauſalitatem cujuſcunque Cauſæ creatæ Efficientis, ita ut ſe ſolô efficere valeat omnem effectum cujuſcunque Efficientis. Tum quia ita patet inductione omnium Efficientium creatorum; nam DEUS poteſt ſupplere generationem hominis, producendo alium hominem de limo terræ, ſicut ſupplevit producendo Adam Protoparentem: item poteſt ſupplere generationes aliorū animalium; ſicut in principio creationis mundi eas ſupplevit, creando plures animalium ſpecies: item omnium herbarum terræ naſcentium, lignorum, & aliorum; prout pariter primas eorum ſpecies effecit primitùs tempore conditionis Univerſi: & non eſt potior ratio de his, quàm de quibuſcunque aliis Cauſis creatis efficientibus: Ergo &c.

Objicies *primò*: DEUS nequit efficere, ſeu infundere ſe ſolô habitum, aut actum erroris, vel mendacij in aliquo intellectu creato: Ergo non poteſt ſupplere omnem cauſalitatem Cauſæ Efficientis creatæ. Prob. Ant. aliàs ſi talem infunderet, DEUS erraret, & mentiretur: ſed hoc dici nequit: Ergo &c. *Secundò* Deus non poteſt ſe ſolô efficere intellectionem in intellectu Platonis, ſinè intellectu creato Platonis efficienter concurrente: Ergo &c. Prob. Ant. ſi ſe ſolô intellectionem efficeret in intellectu Platonis, vel tunc Plato intelligeret, vel non intelligeret: non poteſt dici, quòd intelligeret, quia intelligere eſt producere vitaliter intellectionem, quòd Plato tunc non faceret: 2. *Oppoſitiones afferuntur.*

nec

nec etiam poteſt dici, quòd non intelligeret; quia imperceptibile eſt, quòd aliqua forma ſit in ſubjecto, quæ non præbeat ei effectum ſuum formalem; effectus autem formalis intellectionis eſt, reddere intelligentem: Ergo &c.

3. *Diſſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. utì & Maj. Probat. ejus; quia ut fusè oſtendo *tom. 4. Scholæ Theol. tract. de virt. Theol. diſt. 1. q. 6.* efficientia, & infuſio talis habitûs, vel actûs erroris, aut mendacii non eſt loquela ipſiuſmet DEI; cùm eô DEUS non intendat errare, aut affirmare falſum pro vero. *Ad Secundum* Neg. Ant. & ad Probat. ejus dico, quòd Plato intelligeret; unde Nego Ant. Probat. nam intelligere non tantum conſiſtit in vitali productione intellectionis; ſed etiam quòd intellectus mediante intellectione in ſe recepta tendat in objectum; quòd fieret in caſu, quô DEUS in intellectu Platonis efficeret ſe ſolo intellectionem

4. *Cur lapis nō poſſit intelligere.* Dices: Ergo etiam lapis, in quo divinitùs poneretur intellectio, intelligeret; ſi ad intelligere non requiratur vitalis productio: ſed hoc eſt falſum: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Illatum; nam ad hoc ut aliqua res dicatur intelligere formaliter, requiritur vis perceptiva intellectionis in actu primo, quæ vis, cùm ſit ſolus intellectus, idcirco lapis intellectu carens non intelligeret, etſi in eo divinitùs poneretur intellectio. Circa alterum articulum Quæſtionis

5. *Nullâ ratione idem poteſt producere ſeipſū.* Dico ſecundò: DEUS nequit facere, ut idem efficiat, & producat ſeipſum. Ita Scotus *2. diſt. 23. q. un.* S. Thomas, & utriuſque Diſcipuli; contra modernos Neutriſtas.

Probatur primò authoritate S. Auguſtini qui *2. de lib. arbit. cap. 17.* ait: *nulla res formare ſeipſum poteſt; quia nulla res poteſt dare ſibi, quod non habet.* Et *lib. 1. de Trinit. cap. 1.* dicit: *nulla omnino res eſt, quæ ſeipſam gignat, ut ſit*: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: Tum quia Cauſa ut ſic definitur, quòd ſit principium influens eſſe in aliud, ut colligitur ex Ariſtotele *4. Met. tex. 3.* Ergo DEUS nequit facere, ut aliqua Cauſa ſecunda Efficiens quà talis efficiat ſeipſum; ly enim *ſeipſum* non eſt aliud. Tum quia Deus nequit facere, ut Cauſa formalis ſit ſuiipſius forma: Ergo neque ut Cauſa Efficiens ſit ſuiipſius. Tum quia id Deus facere nequit, quod manifeſtam involvit contradictionem: ſed idem efficere ſeipſum involvit manifeſtam contradictionem; quia eſſet priùs, & poſteriùs; item eſſet dependens à ſe, & non dependens; item eſſet cauſatum, & non cauſatum: Ergo &c.

Reſpondent Moderni in eadem re poſſe conſiderari duo eſſe, primum, & ſecundum: quoad primum eſſe dicunt idē non poſſe efficere, & producere ſeipſum; quia ſequerentur illæ contraditiones in argumento allatæ: poteſt tamen idem efficere ſeipſum quoad ſecundum eſſe. 6. *Moderni refutantur.* *Contra* admiſsâ hâc doctrinâ tollitur via probandi diſtinctionem realem Perſonarum in Divinis; quam tamen SS. probabant ex hoc principio, quòd idem non producat ſeipſum ullâ productione; ac proinde cùm Filius ſit productus, & Spiritus S. pariter, erunt tres Perſonæ in Divinis, Pater ſcilicet Perſona improducta, Filius verò, ac Spiritus S. productæ; quòd negabāt Patripaſſiani, & Sabelliani hæretici dicentes, unam eſſe tantùm in Divinis Perſonam, quæ ob diverſas operationes diverſis nominibus Patris, & Filii, & Spiritûs S. appellatur: tollitur inquam contra hos via probandi Trinitatem Perſonarū; quia hi hæretici ſemper reſpondere poſſent, eſſe unam eandemque Perſonam, quæ ſæpiùs ſeipſam produxit quoad ſecundùm eſſe, ſemel gignendo, ſemel ſpirando; iſtaque nomina Patris, Filii, & Spiritûs S. eſſe nomina unius duntaxat ſuppoſiti.

QUÆSTIO XVII.

De Cauſa Inſtrumentali.

NOta primò: *Inſtrumentum* â quo Cauſa dicitur Inſtrumentalis, ſecundùm Scotum *4. diſt. 1. q. 1.* plures patitur acceptiones. 1. *Variæ aſſumptiones inſtrumenti.* *Primò* enim in largo ſenſu accipitur pro quavis Cauſa ſecunda dependente, & ſubordinata ſaltèm Cauſæ primæ in operando; hôc ſenſu Galenus appellat omnes Cauſas ſecundas inſtrumenta DEI, ſeu Cauſæ Primæ. *Secundò*, capitur pro illa parte ſeu facultate animaſtica, quâ operantur viventia; hôc ſenſu Ariſtoteles *3. de anima tex. 6.* Et Scotus in *4. diſt. 6. q. 5. n. 7.* vocat organa ſenſuum, ſeu facultates, & potentias ſenſitivas inſtrumenta, quibus anima utitur ad opera vitæ exercenda. *Tertiò*, ſumitur pro eo, quod qualitate prævia naturali diſponit aliquod ſubje-

ctum ad formæ introductionem, & vocatur inſtrumentum naturale; hôc ſenſu calor denominatur inſtrumentum naturale ignis ad introducendam formam ignis in ſtupa. *Quartò*, uſurpatur pro eo, quod ab aliquo principali agente liberè aſſumitur, & conſtituitur, ut ad ejus applicationem effectus producatur, & hoc vocatur inſtrumentum morale, ſeu ſupernaturale; hôc ſenſu ſeptem Sacramenta dicuntur inſtrumenta, ſeu Cauſæ Inſtrumentales gratiæ; quia ex DEI ordinatione, aſſumptione, & conſtitutione ad eorum applicationem debitam DEUS principalis Cauſa creat gratiam. *Quintò*, in ſenſu ſtricto, & ad propoſitum hujus Quæſtionis accipitur Inſtrumentum pro eo, quô utitur artifex ad opera ſuæ arti conformia conſtruenda; unde ab arte ſuum ſumit Ethymon ſecundùm Scotum 2. *Rep. diſt. 1. q. 1.* & dicitur *inſtrumentum artificiale*; hôc ſenſu calamus, ſerra, & ſecuris vocitantur inſtrumenta. In hac ſtricta & propria acceptione Inſtrumenti.

2. *Quid ſit inſtrumentum artificiale.* Dico primò: bene deſcribitur Inſtrumentalis artificialis Cauſa, quòd *ſit illa Cauſa, quæ non virtute propriâ; ſed in virtute Cauſæ principalis agit.* Hæc deducitur ex Scoto *4. diſt. 1. q. 5.*

Probatur: hac deſcriptione ritè explicatur natura Cauſæ Inſtrumentalis: Ergo &c. Ly *Cauſa* eſt genus: reliqua ponuntur pro differentia ejus à Cauſa principali Efficiente, ac aliis. Dicitur *quæ non in virtute propria*, ad deſignandum Cauſam Inſtrumentalem v. g. ſerram non poſſidere vim aliquam intrinſecam, ſecundùm quam effectivè influeret in effectum, ut *ſequenti Concluſ.* ampliùs oſtendetur: additur *ſed in virtute Cauſæ principalis agit*, ut oſtendatur modus operandi Cauſæ principalis, qui eſt, ſumere virtutem aliquam à Cauſa principali, cujus eſt inſtrumentum, & eâ influente attingere productionem effectûs; v.g. ſerra â manu movente ſerram tanquam Cauſa principali diviſionis ligni ſumit impulſum, & motionem, quâ mediante findit lignum.

3. *Inſtrumentum non eſt activum ex ſe.* Dico ſecundò: Inſtrumentum, ſeu Cauſa Inſtrumentalis artificialis ex ſe propriè, & per aliquam formam ſuam intrinſecam non eſt activa. Ita Scotus *4. diſt. 1. q. 1.* Et ſequuntur Lamaz. Fraſſen, Columb. & Villaverde, contra Thomiſtas.

Probatur ratione Scoti: Inſtrumentum artificiale & propriè dictum quà tale nil habet ex ſe, & in ſe, niſi quantitatem, figuram, duritiem, & gravitatem: ſed nullum horum eſt activum: Ergo Cauſa Inſtrumentalis non eſt ex ſe propriè per aliquam formam intrinſecam activa. Probat. Min. imprimis *quantitas* non eſt activa; alias omnis quantitas eſſet habilis ad agendum inſtrumentaliter; atque adeò baculus, & cera poſſent ſcindere, clavis ſcribere &c. Nec *figura*; quia hæc eſt relatio, quæ non eſt de genere activorum; eſt enim ordo tantùm partium in toto. Deinde ſi figura eſſet activa, utique figura ſimilis ſimili ſubjecto applicata eoſdem effectus produceret; & ſic enſis ex cera fabrefactus, cùm ſit ejuſdem figuræ cum ferreo, poſſet vulnerare manum, abſcare caput, & transfigere ventrem; quæ ſunt contra experientiam. Nec etiam *durities*; quia durities ex Philoſopho *cap. de qual.* nō eſt activa; ſed reſiſtiuva. Nec tandem *gravitas* eſt activa; quia hæc ſolùm eſt principium motûs deorſum; ſerra autem non ſcindit quatenus deorſum movetur, aliàs ſi ſurſum moveretur non ſcinderet lignum ſuperpoſitum; quod eſt contra experientiam: Ergo nhil reperitur in Inſtrumento, ſecundùm quod ut formam intrinſecam eſſet propriè activum. Tota ergo activitas, quæ reperitur in Inſtrumentis, conſiſtit in actuali motione, & influxu Cauſæ principalis.

Dices: motus localis eſt Inſtrumento virtus activa agendi: Ergo &c. *Contra* motus localis non poteſt rectè dici virtus Inſtrumenti nativa; quia provenit â Cauſa principali, impellente Inſtrumentum; ac proinde principali adſcribi debet. Deinde iſte motus localis poteſt eſſe in Inſtrumento, ſinè eo, quòd Inſtrumentum activè agat inſtrumentaliter; ſi v.g. ſerra moveretur ſuper lignum, non immediatè tangente ipſum lignum. 4. *Quædam replica expeditur.*

Objiciunt Thomiſtæ *primò*: Inſtrumenta naturalia, & moralia ſunt activa; ut patet de calore; & ſemine inſerviente activè ad generationem; & de Sacarmentis cauſantibus gratiam: Ergo & artificialia Inſtrumenta aliquomodo erunt activa. *Secundò*, pro diverſitate actionum alia & alia excogitantur, & adhibentur Inſtrumenta; nam faber ferrarius uitur malleô ad tundendum ferrum; & faber lignarius ſerrâ ad ſcindendum lignum: Ergo ſignum eſt, cuilibet Inſtrumento correſpodere aliquam virtutem activam agendi. Reſpondeo *ad Primum* Nego Conſeq. diſparitas eſt; quia experientia docet. 5. *Thomiſtis opponentibus ſatisfit.*

docet, Inſtrumentis naturalibus ineſſe aliquam activitatem; unde operantur in omni loco in ſuppoſita materia apta: de moralibus Sacramẽtis adeſt dogma Chriſtianum, ea eſſe activa; quia ſunt gratiæ cauſativa: at de artificialibus non conſtat ea eſſe activa ex ſe; unde ſerra non mota, ſed jacens in angulo, etiam applicatum lignum non ſerrat. Et deinde nullum eorum, quæ intrinſecè includuntur in Inſtrumentis artificialibus, habet rationem activi; ut ex *probat. concluſionis præmiſſa* conſpicuum eſt: adeoque nulla virtus activa his concedenda venit. *Ad Secundum* Neg. Conſeq. & dico, ideo varia excogitari, & adhiberi Inſtrumenta; quia per receptionem actualis motionis agentis principalis in Inſtrumento modificatur ab ipſo Inſtrumento actio ipſius principalis agentis; unde non poteſt agens uti unô eôdemq́ Inſtrumentô ad quemlibet effectum; quia videlicet Inſtrumenta ſunt variæ figuræ, ac quantitatis, quæ figuræ non ſunt aptæ, ut motio agentis principalis inducat quemlibet effectum.

Dico tertiò: Cauſa Inſtrumentalis reducitur ad genus Cauſæ Efficientis. Ita Scotus *4. diſt. 12. q. 3. §. dico ergo.* Et ſequuntur communiter Scotiſtæ.

6. *Cauſa Inſtrumentalis reducitur ad efficientem.*

Probatur primò authoritate Philoſophi concluſionem aſſerentis *5. Met. cap. 2.* & *2. Phyſic. tex. 31.* ſecundò ratione; quia non videtur, ad quòd aliud genus Cauſæ poſſet reduci: Ergo &c. Deinde Cauſa Inſtrumentalis inſervit Efficienti principali in ordine ad efficiendos ſuos effectus, & quamdam exercet efficientiam, non quidem per ſe; ſed per motionem actualem, ac influxum principalis Efficientis: Ergo Cauſa Inſtrumentalis reducitur ad genus Cauſæ Efficientis.

7. *Quid ſit Inſtrumentum compoſitivũ & diviſivũ.*

Nota ſecundò: inter alias diviſiones complures Inſtrumenti, de quibus videri poſſunt RR. eſt illa magis ad propoſitum, quòd Inſtrumenta alia ſint *compoſitiva*, ut penicillus; & alia *diviſiva*, ut ſecuris, ſerra. Qui plura deſiderat de Inſtrumentis, adeat P. Fuentem *lib. 2. Phyſic. q. 6.* Et P. Maſtr. *6. Phyſ. q. 6.* Et P. Ponc. *q. 8.* alioſq́ Scotiſtas recentiores.

QUÆSTIO XVIII.

De Cauſa Exemplari, ſeu Ideali.

1. *Quid nominus Idea.*

Nota primò: Ly Exemplar, & Ideam coincidere ut ſynonima; primum eſt vocabulum latinum, ſecundum eſt Græcum: ab his derivatur Cauſa Exemplaris, & Idealis, quæ idem quoque ſignificant. Eſt autem Idea ſecundùm D. Auguſtinum *lib. 83. qq. q. 46.* forma ſpectabilis, & ratio, quam artifex aſpicit, ut ad ejus ſimilitudinem aliquid operetur; unde arca ad intra, ſeu mentalis eſt Idea illius arcæ ad extra, quam conſtruit artifex; nam ly Idea derivatur à Græco *eido*, quod eſt inſpicio: & alia eſt *creata*, quæ conſiſtit in quodam Idolo, quod artifex ſibi efformat in mente, ut ad inſtar ejus aliud artificiatum ad extra efficiat: alia *Divina*, de quibus vide *tom. 1. Scholæ meæ Theologicæ tract. 2. de DEO eſſentialiter operant. diſt. 1. q. 11.* & definitur à D. Auguſt. *loc. cit.* quòd *ſit exemplar, & incommunicabile in mente Divina, ſecundùm quod qualibet res à DEO formabilis eſt, antequam formetur.* Et à Scoto *1. diſt. 35. q. 21. eſt ratio æterna in mente Divina, ſecundùm quam aliquid eſt formabile ad extra, tanquam ſecundùm propriam rationem ejus.* De Idea creata potiſſimè ventilatur Quæſtio præſens.

2. *Idea alia eſt interna, alia externa.*

Nota ſecundò: Ideam, ſeu Exemplar creatum à DD. ſtatui aliud internum, aliud externum. *Exemplar internum* eſt, quod mente formatur; talis eſt arca objectiva mente concepta. *Externum* eſt, quod extra mentem efformatum eſt, ad inſtar cujus alia efformantur; tale eſt pictura Cæſaris v.g. oculis propoſita, ſecundùm quam aliæ imagines depinguntur; de hoc procedit ille paſſus Sac. Scripturæ Exodi 25. *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Præſens Quæſtio agitatur potiſſimè de Exemplari interno, ſeu Cauſa Exemplari interna.

3. *Deſcriptio Cauſæ idealis ſeu exemplaris.*

Dico primò: aptè deſcribitur Cauſa Exemplaris, & Idealis creata, *eſt forma, & ratio in mente artificis latens, verè principians, ſecundùm quam Artifex efficit exemplatum ad extra.* Eſt ad dicta D. Aug. *lib. 83. qq. q. 46.* Et Scoti *1. diſt. 2. q. 2.*

Probatur: hac deſcriptione aptè exprimitur natura Cauſæ Exemplaris, & Idealis creatæ: Ergo &c. Ly *forma, & ratio* (quæ idem ſignificant, & unum cum altero claritatis causâ ponitur) locô generis ſtatuitur, reliqua pro differentia. Dicitur *forma*; quia Cauſa Exemplaris revera

revera habet rationem formæ intellectualis; quia formaliter eſt conceptus quidam objectivus; ut infrà dicetur. Dicitur *ratio*, id eſt conceptus â ratione formatus. Additur *in mente artificis latens*, *ut* exprimatur ſubjectum Exemplaris, ſeu Cauſæ Exemplaris, quod eſt mens, ſeu intellectus artificis, in quo omnia Exemplaria interna artificis reſident, & ut Cauſa Exemplaris diſtinguatur à materiali, & formali. Apponitur *verè principians*, ad oſtendendum, quòd Cauſa Exemplaris verè influat in exemplatum ut effectum, dirigendo, & movendo Efficiens, ut ad imitationem ſui conficiat ſuum effectum ad extra, ſeu opus exemplatum. Tandem additur *ſecundùm quam artifex efficit exemplatum ad extra*, ut oſtendatur terminus, ad quem dirigat Exemplar, qui eſt opus exemplatum, ad imitationem Exemplaris efformatum; & ut diſtinguatur â Cauſa finali, quæ non ſemper movet ad opus ad extra.

4. *Extant exẽplaria ſeu idea.*

Dico ſecundò: dantur reverà exemplaria interna, ſeu Ideæ, & conſequenter Cauſæ Exemplares, ac Ideales. Ita communis Peripateticorum:

Probatur: tum authoritate SS. PP. exiſtentiam Exemplarium internorum, & Idearum aſſerentium; ut videre eſt apud D. Dionyſium, Juſtinum, Nazianzenum Clement. Alexandrin. & Auguſtinum, qui *lib. 1. retract. cap. 3.* ait: *tam certum eſſe, eſſe Ideas, ſeu rerum faciendarum rationes intelligibiles, ac certum eſt, DEUM ſcienter, & rationabiliter operari ad extra, ſeu feciſſe, quæ fecit.* Tum authoritate Platonis, qui Idearum exiſtentium acerrimus fuit aſſertor, & hujus nominis Ideæ primus aſſertor, ut putat Cicero *lib. 1. Tuſcul. quæſt.* Tum authoritate Ariſtotelis, qui *7. Met. cap. 7. tex. 23.* dicit, quòd domus ad intra, & ſanitas ad intra ſit Idea domûs, & ſanitatis ad extrà. Tum authoritate S. Scripturæ Exod. 25. *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Pro ſequenti concluſione

5. *Quid ſit ars, ſpecies intelligibilis, cõceptus objectivus, & formalis.*

Nota tertiò: in mente cujuſvis artificis volentis (ut ita dicam) Exemplare ad extra, ſeu exemplariter operari, reperiri plura, puta artem, ſpeciem intelligibilem, conceptum formalem, & conceptum objectivum. *Ars* erit habitus inclinans artificem per quaſdam regulas ad judicandũ qualiter rectè operandum in executione circa artificiata. *Species intelligibilis* eſt imago, & ſimilitudo repræſentans intellectui objectum, quod artificialiter eſt producendum. *Conceptus formalis* eſt actualis cognitio objecti artificialiter producendi. *Conceptus objectivus* eſt ipſum opus faciendum, quatenus mente conceptum, & intellectui objectum pro conſideratione. De his omnibus hìc quæri poteſt, in quonam eorum formaliter conſiſtat Exemplar, & Idea, ſeu Cauſa Exemplaris, & Idealis. Et

6. *Exemplar non eſt ars.*

Nota quartò: certum eſſe, Exemplar, & Ideam non eſſe formaliter ipſam artem, quæ artificem inclinat ad rectè operandum in executione circa artificiata: Tum quia per artem traduntur regulæ operis faciendi; non verò per Exemplar, & Ideam. Tum quia opera, quæ ab arte, & Idea proficiſcuntur, non aſſimilantur arti, ſed Ideæ. Tum quia Idea eſt illa forma mentalis, in qua artifex contemplatur ſua opera; ars verò non eſt talis forma; ſed ars eſt illa ratio, quæ determinatis regulis ſolùm dirigit artificem ad rectè conficiendum opus exemplatum.

7. *Nec ſpecies intelligibilis.*

Nota quintò: nec etiam Exemplar, & Idea ſita eſt in ſpecie intelligibili; quia ſpecies intelligibilis repræſentat objectũ habitualiter; Idea verò actualiter; ſpecies remotè excitat agens ad operandum; Exemplar verò proximè: ſpecies eſt id, quô intellectus intelligit; Idea verò eſt id, in quo intellectus intelligit priùs ſua opera, antequam ea moliatur.

8. *Nec conceptus formalis, ſed objectivus.*

Dico tertiò: Exemplar, & Idea creata, & conſequenter Cauſa Exemplaris, & Idealis non conſiſtit formaliter in conceptu formali; ſed in objectivo. Ita Scotus *1. diſt. 35. q. 1.* ubi, etſi hoc teneat de Ideis Divinis; tamen eadem eſt ratio etiam de creata; & *diſt. 33.* ait, lapidem â DEO intellectũ dici Ideam; lapis autem intellectus eſt conceptus objectivus: Ergo &c. Doctorem ſequuntur Bargi. Beſſ. Occam, Fuente, Columb. Conymbr. & alii DD. contra S. Thomam, ac S. Bonaventuram, & eorum diſcipulos, Thomiſtas, Bonaventuriſtas, ſtatuentes Exemplar eſſe conceptum formalem.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui *7. Met. tex: 27.* dicit, quòd ſanitas corporis, & domus ad extra procedat â ſanitate, & domo, quæ eſt in mente medici, & architecti; quod impropriè verificari poteſt de conceptu formali, ſeu de actuali cognitione ſanitatis, & domo in mente; quia Philoſophus, utì patet ex contextu ejuſdem, ait, quòd domus ad

extra

extra procedat ſimilis domui ad intra, ſeu ad inſtar ejus; non eſt autem ſimilis conceptui formali, ſeu actuali cognitioni ejus; ſed bene conceptui objectivo: Ergo Exemplar, & Idea conſiſtit in conceptu objectivo; & non in formali ex mente Philoſophi.

Probatur ſecundò ratione: in illo conſiſtit formaliter Exemplar, & Idea creata, & conſequenter Cauſa Exemplaris, & Idealis, quod intuetur artifex, dum operatur exemplariter, & idealiter: ſed non intuetur ſuum conceptum formalem, ſeu cognitionem; ſed conceptum objectivum operis faciendi, ut patet experientiâ architecti, qui intuetur objectum domûs mente conceptum, & intellectui repræſentatum; & praxi pictoris, qui ſecundùm Exemplar externum v.g. imaginem, quam pingendo intuetur, nititur ei ſimilem efformare: Ergo &c. Deinde Exemplar eſt, quod aſpicit artifex, & non quô intuetur: ſed conceptus formalis eſt, quô artifex aſpicit; conceptus verò objectivus eſt objectum, quod aſpicit; ſicut viſio eſt, quâ videns videt; & non quod videt: Ergo non conceptus formalis; ſed objectivus eſt formaliter Exemplar, & Idea.

9. *Rationes in oppoſitum.* Objicies *primò*: Philoſophus dicit *7. Met. tex. 23.* Idea eſt forma: ſed forma ſpectat ad conceptum formalem: Ergo Idea eſt conceptus formalis. *Secundò*; ſi conceptus objectivus eſſet formaliter Exemplar, & Idea creata, vel eſſet ipſummet opus artificiale faciendum; vel aliud: ſed neutrum eſt: Ergo &c. Probat. Min. non eſt ipſummet opus artificiale faciendum; quia aliàs idem eſſet Cauſa ſuiipſius, & ſimile ſibi: nec etiam eſt aliquid aliud; quia artifex ſæpe non habet in mente, dum molitur opus externum, aliquod aliud diſtinctum ab illo opere externo: Ergo &c.

10. *Reſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* interpretando Philoſophum, & dico eum non velle, quòd Idea ſit forma informans, quæ ſpectat ad conceptum formalem; ſed quòd ſit forma repræſentativa, & objectiva ad inſtar cujus artifex efformat opus ideatum. *Ad Secundum* reſpondeo primò; poſſe dici, quòd Exemplar ſit ipſummet opus artificiale faciendum: & ad impugnationem hujus dico, quòd idem poſſit eſſe ſuiipſius Cauſa in hoc ſenſu, quatenus concurrit ad novum, & diverſum ſuum eſſe habendum; nam dum Exemplar eſt præcisè in menta artificis, habet ſolùm eſſe intentionale; dum verò ad extra efficitur, concurrit ad novum eſſe reale habendum acquirendum. Reſpondeo ſecundò; quòd etiam dici poſſit, eſſe aliquid aliud; quia res objectiva eſt Exemplar, quod eſt aliud à re ut exiſtente extra.

Dico quartò: Cauſa Exemplaris, & Idealis reducitur ad genus Cauſæ efficientis. Ita Scotus *1. diſt. 36. q. 1.* & ſequuntur Columb. Lamaz. Villav. Fraſſ. Valles, Svar. &c. contra Conymbr. Compluten. Cajetan. Maſſ. 11. *Cauſa exemplaris reducitur ad genus Cauſæ efficientis.*

Probatur *primò* authoritate SS. PP. ſignanter D. Dionyſii *4. de Div. Nom.* & S. Auguſtini *12. Civ. cap. 25.* dicentium, quòd Ideæ ſint Cauſæ effectrices rerum exiſtentium: Ergo &c. *Secundò* ratione Scoti *loc. cit.* Cauſa Efficiens dividitur in efficiens per intellectum, ſive propoſitum; & in efficiens per naturam, ſecundùm Philoſophum *2. Phyſic.* ſed Cauſa Exemplaris eſt Efficiens per intellectum, ſeu per propoſitum: Ergo eſt quædam Cauſa Efficiens; & ad genus Cauſæ Efficientis reducibilis. Præterea ſicut agens naturale agit, & efficit mediante ſua formâ naturali, ita agens artificiale agit, & efficit ad extra mediante ſuâ formâ Exemplari: Ergo ſicut cauſalitas agentis naturalis pertinet ad genus Cauſæ Efficientis; ita cauſalitas agentis artificialis: & conſequenter Cauſæ Exemplaris reducitur ad genus Cauſæ Efficientis. Tandem Cauſa Exemplaris nequit reduci ad genus Cauſæ formalis; quia Cauſa formalis ex ſe importat quamdam imperfectionem, puta informationem, & rationem partis reſpectu compoſiti: Exemplar autem nullam imperfectionem importat; aliàs non poſſet reperiri in Deo, ſicut tamen reperitur, ut fusè docetur *in Theologia de Ideis Divinis in intellectu DEI reſidentibus.* Nec etiam ad genus Cauſæ materialis; quia Cauſa Exemplaris reperitur etiam in rebus carentibus materiâ, puta in DEO, & Angelis. Nec ad genus Cauſæ finalis poteſt reduci; quia cùm finis ſit nobilior iis, quæ ſunt ad finem; multa verò Exemplaria ſunt ignobiliora exemplatis; nec exemplatum dependet ab Exemplari tanquam à fine; cùm Exemplar tendat ad exemplatum ut ad ejus terminum: Ergo remanet, quòd Cauſa Exemplaris reducatur ad genus Cauſæ Efficientis.

QUÆSTIO XIX.

De Cauſa Materiali.

NOta primò: circa Cauſam Materialem plurima ſuprà *diſt. 3.* agendo de Materia prima per totum dicta ſunt, quorum aliqua concernunt Materiam primam, etiam ut Cauſa eſt; quare eò imprimis remitto Lectorem; deinde ad completam doctrinam de ea, ut Cauſa phyſica eſt, addo ſequentia.

1. *Quid ſit Cauſa materialis.* Nota ſecundò: Materia prima ut ſubit rationem formalem Cauſæ Materialis, ſic bene poteſt deſcribi, quòd ſit *principium intrinſecum, ex quo ſimul cum forma ſit compoſitum.* Ly *principium* ponitur locò generis; reliqua pro differentia. Dicitur *ex quo*, ut differat Cauſa Meterialis à Formali, quæ habet modum cauſandi *per Quod:* & ab Efficiente, cujus modus cauſandi eſt *à Quo:* & à Finali, cujus modus cauſandi eſt *propter quod*, ſeu *gratiâ alterius.* Ly *intrinſecum* diſtinguit Cauſam Materialem à privatione, quæ dum principiat, non ineſt intrinſecè; & ſimul oſtendit, eam eſſe principium intrinſecè componens compoſitum.

2. *Quæ ejus cauſalitas.* Dico primò: cauſalitas Cauſæ Materialis fundamentaliter conſideratæ in ordine ad compoſitum non eſt aliquid ſuperadditum; ſed eſt ipſamet abſoluta entitas Materiæ primæ, ut influens materialiter in compoſitionem compoſiti; cauſalitas verò ejus formaliter conſideratæ eſt relatio quædam reſultans, in entitate abſolutæ Materiæ primæ influentis, terminata ad compoſitum. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 1. quæſt. 2.* ubi cùm hoc reſolvat de Cauſa ut ſic, etiam intelligi debet de qualibet Cauſa in particulari; & conſequenter etiam de Materiali.

Probatur iiſdem rationibus, ſervatis ſervandis, quibus ſuprà *diſt. 9. quæſt. 2.* probatum eſt, cauſalitatem Cauſæ ut ſic fundamentaliter conſideratæ conſiſtere in entitate abſoluta rei; formaliter verò conſideratæ in relatione Cauſæ ad cauſatum: quod idem dicendum venit de cauſalitate utraque Cauſarum in particulari; & conſequenter etiam de cauſalitate Cauſæ Materialis in ordine ad compoſitum.

3. *Objectioni ſatisfit.* Obijcies: Materia non cauſat compoſitum, niſi ut unita formæ: Ergo ejus cauſalitas in actu primo non eſt entitas abſoluta Materiæ; ſed potiùs ejus unio cum forma. Reſpondeo Neg. Conſeq. unio enim Materiæ ad formam eſt tantùm conditio, ſinè qua non entitas Materiæ influeret in compoſitum; ſicut approximatio agentis ad paſſum eſt tantùm conditio, ſinè qua non ignis combureret ſtupam.

Nota tertiò: Cauſa Materialis habet pro effectu principali compoſitum, quod cauſat intrinſecè ut pars eſſentialis conſtitutiva ejus: pro minùs principalibus verò habet formam eductam; formam receptam, ipſam generationem totius, id eſt totum in fieri; formam ſuſtentatam, & formam conſervatam; hi enim effectus omnes dicunt dependentiam â Materia, & Materia reſpectu ipſorum ſuomodo exercet materializationem quamdam, ſeu cauſalitatem. 4. *Effectus Cauſæ materialis.*

Nota quartò: Cauſam Materialem univerſim acceptam latiùs patere, quàm pateat Materia prima. Ratio eſt; quia Cauſa Materialis comprehendit ſub ſe & Materiam primam (quæ principaliter, & anathomaſticè dicitur Cauſa Materialis) & Materiam ſecundam, quæ eſt quoddam compoſitum ſubſtantiale ex Materia prima, & forma quadam organica corporeitatis, prout in ſe recipit aliam formam ſubſtantialem, ſcilicet animam, ut dicam alibi. item comprehendit ſub ſe omne ſubjectum, quod quatenus recipit in ſe aliquam formam accidentalem, vel artificialem, dici poteſt Cauſa Materialis reſpectu compoſiti accidentalis, vel artificialis inde conſurgentis. 5. *Cauſa materialis latiùs patet, quàm materia.*

Nota quintò: materializationem, & influxum Cauſæ Materialis in compoſitum eſſe verum phyſicum influxum partialem; ignobiliorem tamen influxu Cauſæ Formalis. Ratio primi eſt, quia ita ſentit Ariſtoteles *7. Met. tex. 24.* ubi ait, tam Materiam, quàm formam eſſe partes intrinſecas compoſiti: Ergo cenſet Cauſam Materialem tam bene influere verè, & phyſicè partialiter in compoſitum; ſicut influit forma. Deinde Materia eſt eſſentia compoſiti, ſeu corporis naturalis; ut probavi *diſt. 3. q. 10. concluſ. 2.* Ergo reſpectu ejus exercet verum phyſicum influxū partialem. Ratio ſecundi eſt; quia entitas Cauſæ Materialis ſeu Materiæ primæ eſt imperfectior; & conſequenter ignobilior entitate formæ; cùm ſit infimum ens: 6. *Qualis ſit influxus Cauſæ materialis.*

Ergo

Ergo ejus influxus phyſicus partialis etiã erit ignobilior; virtus enim conſequitur entitatem, eique proportionatur.

7. *DEUS nequit ſupplere cauſalitatem Cauſæ materialis in proprio genere.*

Dico ſecundò: DEUS nequit ſupplere cauſalitatem Cauſæ materialis in proprio genere, quam habet erga compoſitum phyſicum eſſentiale. Ita Scotus *1. diſtinct. 17. q. 1.* & ſequitur Monturſ. Lamaz. Columb. Maſtr. Barg. & communis Scotiſt. contra Fonſecam &c.

Probatur: Tum quia Cauſa Materialis in proprio ſuo genere ita cauſat compoſitum phyſicum eſſentiale, ut ingrediatur ejus eſſentiam tanquam pars incompleta: ſed DEUS nequit ingredi ut pars incompleta eſſentiam alicujus; hoc enim argueret in DEO ut ente completiſſimo magnam imperfectionem: Ergo DEUS nequit ſupplere cauſalitatem Cauſæ Materialis in proprio genere, quam habet erga compoſitum phyſicum eſſentiale. Tum quia ſi DEUS ſuppleret cauſalitatem Cauſæ Materialis in proprio genere, deberet actuari, & perfectionari, ſicut actuatur, & perfectionatur materia; ſimiliter deberet recipere formam novam, quâ antea caruit; & ſic mutaretur intrinſecè: ſed hæc omnia pugnant cum infinita perfectione DEI: Ergo &c.

8. *Bene tamen in genere Cauſæ efficientis.*

Dico tertiò: DEUS tamen poteſt ſupplere cauſalitatem Cauſæ Materialis in genere Cauſæ Efficientis, quam Materia habet erga formam, ſeu quâ dat eſſe, & ſuſtentari formæ materiali. Ita Scotus *1. diſtinct. 5. q. 2.* & communis Scotiſt. aliorumque.

Probat. Tum quia DEUS poteſt per ſe in genere Cauſæ Efficientis, quidquid poteſt cum Cauſa ſecunda Efficiente; quia eminenter continet virtutes effectrices omnium Efficientium ſecundariorũ: Ergo DEUS poteſt ſupplere Cauſalitatem Cauſæ Materialis in genere Cauſæ Efficientis, dando formæ materiali eſſe, & ſuſtentari. Tum quia cauſalitas Cauſæ Materialis in genere Cauſæ Efficientis conſiſtit in dando formis eſſe, & conſervationem, & ſuſtentationem: ſed DEUS poteſt omnem formam abſolutam ſeparare à Materia, eamque ſeparatam conſervare, & ſuſtentare, & ſic de facto ſuſtentat accidentia Euchariſtica in Sacramento Altaris: talis autem conſervatio, & ſuſtentatio eſt in genere Cauſæ Efficientis: Ergo DEUS poteſt ſupplere cauſalitatem Cauſæ Materialis in genere Cauſæ Efficientis. Tum quia ex ſuppletione Cauſæ Materialis in genere Cauſæ Efficientis nullum inconveniens, repugnantia, aut imperfectio oritur ex parte DEI: Ergo &c.

QUÆSTIO XX.
De Cauſa Formali.

Nota primò: plura pariter tangentia Cauſam Formalem concluſa, & reſoluta ſunt ſuprâ *diſtinct. 4.* per totum, agendo de Forma ut principio phyſico corporis naturalis: unde pauca, quæ reſtant dicenda, hic proponam.

1. *Deſcriptio Cauſæ formalis.*

Nota itaque ſecundò: Forma ut habet rationem formalem Cauſæ rectè deſcribi poteſt, quòd *ſit principium intrinſecum, per quod ut actum ſimul cum materia ſit compoſitum.* Ly *principium* eſt genus; reliqua habent rationem differentiæ; maximè per ly *per quod ut actum* differt Cauſa Formalis a Materiali, Efficienti, & Finali.

2. *Quid nomine Cauſa formalis veniat.*

Nota tertiò: nomine Cauſæ Formalis intelligi tam formas ſubſtantiales, quàm accidentales, & artificiales: hæ enim omnes ſuô modô ſunt quædam principia intrinſeca ſuorum compoſitorum, ſeu ſubjectorum, ſubſtantialis, accidentalis, & artificialis; & illud ſuô adventu perficiunt.

2. *Quæ ſit cauſalitas Cauſæ formalis.*

Dico primò: Cauſalitas Cauſæ Formalis fundamentaliter conſideratæ in ordine ad compoſitum non eſt aliquid ſuperadditum; ſed ipſamet entitas abſoluta formæ ut influens formaliter in compoſitionem compoſiti: Cauſalitas verò ejus formaliter conſideratæ eſt relatio quædam reſultans in entitate abſoluta Cauſæ Formalis influentis, terminata ad compoſitum. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 1. q. 2.* ubi cùm hoc reſolvat de cauſalitate utraque Cauſæ ut ſic; idem aſſerere videtur de cauſalitate hujus Cauſæ Formalis in particulari.

Probat. iiſdem etiam rationibus, ſervatis ſervandis, quibus ſuprà *diſt. 9. q. 2.* probatum eſt, cauſalitatem Cauſæ ut ſic fundamentaliter conſiſtere in entitate abſoluta rei; formaliter verò conſideratæ in relatione Cauſæ ad cauſatum.

4. *Quis ejus effectus.*

Nota quartò: effectus principalis, & primarius Cauſæ Formalis eſt compoſitum ab ea cauſatum: minùs principalis eſt informatio, actuatio, perfectio, completio, & determinatio materiæ, ac ſub-

jecti, quod informat; item expulſio formæ alterius ab eodem ſubjecto, vel materia; ſpecificatio rei, & diſcriminatio ejuſdem ab aliis, ſimili formâ non gaudentibus; & in ſumma omne id, in quod influit forma compoſiti; cujuſmodi ſunt variæ operationes, & effectus à forma ortum ducentes, & ab ea dependentes: Ratio eſt; quia in hæc omnia Cauſa Formalis aliquomodo influit; adeoque cenſeri debent ejus effectus.

5. *Influxus Cauſæ formalis eſt phyſicus.*

Nota quintò. cauſalitas, & influxus Cauſæ Formalis in compoſitum eſt verus, ac phyſicus influxus partialis in compoſitum; inſuper eſt perfectior influxu Cauſæ materialis. Ratio primi eſt; quia ita colligitur ex Philoſopho, *7. Met. tex. 24.* ubi docet, formam eſſe partem intrinſecam compoſiti; adeoque cenſet eam habere verum, ac phyſicum influxum partialem in compoſitum. Deinde forma eſt de eſſentia compoſiti, & quidem principalis ejus pars eſſentialis: Ergo influit verè, ac phyſicè partialiter in compoſitum. Ratio ſecundi eſt; quia forma eſt nobilior pars compoſiti: Ergo ejus quoque influxus eſt perfectior.

6. *Una forma pellit aliam in genere Cauſæ formalis.*

Nota ſextò: unam Formam expellere aliam; non in genere Cauſæ efficientis, ut arbitratur Soto; ſed in genere Cauſæ Formalis, ut habet Scotus *4. diſt. 1. q. 5. §. ad primum ergo.* Ratio eſt; quia una forma expellit aliam informando materiam: ſed quod forma facit mediante ſua informatione cenſetur facere in genere Cauſæ Formalis: Ergo &c.

7. *Deus nequit impedire effectum informationis Cauſæ formalis ut unitæ jam.*

Nota ſeptimò: DEUM non poſſe impedire effectum informationis Cauſæ Formalis, ſeu formæ, quando eſt in actu, ſeu actu unita materiæ, vel corpori. Ratio eſt; quia effectus iſte informationis eſt ipſa actualis communicatio, ſeu unio informativa Cauſæ Formalis reſpectu materiæ, vel corporis: Ergo quando Cauſa Formalis, ſeu forma eſt in actu, ſeu actu unita materiæ, vel corpori, præſtat indiſpenſabiliter talem effectum informationis. Conſequentia tenet; quia aliàs eſſet unita; & non unita materiæ; eſſet unita, ut ſupponitur; non eſſet etiam unita; quia non præſtaret id, quod formaliter præſtare debet in ſtatu unionis. Poteſt tamen DEUS impedire alterum effectum Cauſæ Formalis, qui dicitur expulſio formæ. Ratio eſt; quia de potentia abſoluta DEI duæ formæ abſolutæ diſparatæ poſſunt informare eandem numerô materiam ut ſuprà *diſt. 5. q. 5.* oſtenſum eſt: Ergo tunc à DEO impediri poteſt unius ab alia expulſio.

8. *Nec ſupplere ejus cauſalitatem erga compoſitum.*

Dico ſecundò: DEUS nequit ſupplere cauſalitatem Cauſæ Formalis in proprio genere, quam habet erga compoſitum. Ita Scotus *1. diſt. 5. q. 2.* & ſequuntur Fuente, Maſtr. Fonc. Barg. Columb. & alii Scotiſtæ; contra Monturſ. Fonſecam &c.

Probat. Tùm quia ut DEUS dicatur ſupplere cauſalitatem Cauſæ Formalis in proprio genere, debet eſſe pars intrinſeca compoſiti, actus informans, & inhærens phyſicè; ſicut Cauſa Formalis eſt pars intrinſeca compoſiti, actus informans, & inhærens phyſicè: ſed DEUS nequit eſſe pars intrinſeca, neque actus informans, & inhærens phyſicè; hujuſmodi enim munia arguerent in DEO imperfectionem: Ergo DEUS nequit ſupplere cauſalitatem Cauſæ Formalis in proprio genere, quam habet erga compoſitum.

QUÆSTIO XXI.

De deſcriptione; exiſtentia; & diviſione Cauſæ Finalis, ſeu Finis.

1. *Cauſa finalis eſt ultima in executione; prima in intentione.*

Nota primò: Cauſam Finalem eſſe ultimam inter omnes Cauſas in executione, ſeu aſſecutione; prima tamen eſt in intentione. Ratio eſt; quia cum omne agens à propoſito per ſe agat propter aliquem Finem; neceſſè eſt, priuſquam ſeſe applicet operationi, ut intendat propter quid velit operari; aliàs imprudenter, & inſipienter operaretur; illud autem ſic intentum dicitur Finis juxta Philoſophum *2. Phyſic. tex. 23.* & ultimò attingitur ab operante in executione; v.g. conſtructio palatii, primò intenditur ordine intentionis à fabricante; ultimò verò ordine executionis perficitur.

2. *Acceptio finis.*

Nota ſecundò: hoc vocabulum *Finis*, à quo ſic dicitur Cauſa Finalis bifariè ſolet uſurpari: *primò* pro termino, ſeu ultimo cujuſcunque rei; ſic punctum dicitur Finis lineæ, id eſt terminus, & ultimum lineæ. *Secundò* pro bono, quod agens intendit in ſuis operationibus; talis Finis eſt beatitudo objectiva DEI, quam ut infinitum bonum omnes Chriſtiani intendunt

dunt conſequi. Et de Fine ſeu Cauſa Finali in hoc ſenſu procedit præſens Quæſtio.

3. *Variæ deſcriptiones finis.* Nota tertiò: Philoſophus *2. Phyſic. cap. 3.* Finem ſic deſcribit, *Finis eſt, cujus gratiâ aliquid fit, vel appetitur: ſeu propter quem aliquid fit, & appetitur*: Et D. Aug. *8. de Civit. DEI cap. 8.* ſic: *Finis dicitur, quia propter ipſum cætera volumus, & ipſum propter ſeipſum.* Et D. Gregorius Nyſſ. *lib. de vita Moyſis*, & ex eo Scotus *4. diſt. 49. q. 10.* ſic: *Finis eſt, cujus gratiâ cætera fiunt.* Quæ omnes deſcriptiones commodæ ſunt, & veræ. Clariùs forſitan ſic deſcribi poſſet; *Finis eſt, ob cujus amorem movetur operans ad aliquid agendum, ſeu adhibendum media, obtinendo fini idonea*: v. g. homo ob amorem ſanitatis ut finem movetur ad ſe curandum, & ad aſſumendas medicinas, ut media procurandæ ſanitatis.

4. *Deſcriptio Authoris.* Dico primò: bene deſcribitur Cauſa Finalis, *eſt principium extrinſecum ſecundùm eſſe intentionale influens in effectum phyſicum ſui gratiâ ponendum.* Eſt ad principia Ariſtotelis *2. Phyſic. cap. 2.* & Scoti *4. diſt. 49. q. 10.*

Probatur: hâc deſcriptione bene elucidatur natura Cauſæ Finalis, & diſtinguitur ab aliis Cauſis: Ergo &c. Ly *principium* eſt genus: reliqua collocantur pro differentia. Dicitur *principium extrinſecum* ad diſtinctionem illarum Cauſarum, quæ intrinſeca principia ſunt, puta Cauſa Materialis, & Formalis: dicitur *ſecundùm eſſe intentionale influens in effectum*; ad differentiam ejus à Cauſa Efficiente; & ad oſtendendum peculiarem modum, quô cauſat Cauſa Finalis, qui eſt intentionaliter movendo, & alliciendo Efficiens ad producendum effectum propter Finem determinatum; additur *ſui gratiâ ponendum*, ut oſtendatur in fine debere ad eſſe aliquam rationem motivam, ob quam Efficiens eum appetat, & ponat ſuum opus, quæ eſt aliqua ejus bonitas, operanti repræſentata. Circa Exiſtentiam Cauſæ Finalis

5. *Extant Cauſæ finales.* Dico ſecundò: extant Cauſæ Finales in rerum natura. Ita communis Peripatet. & TT. ſtatuentium beatitudinem cæleſtem Cauſam Finalem operationum Chriſti Fidelium

Probat. Tum authoritate Philoſophi; qui inter vera Cauſarum genera recenſet quoque Cauſam Finalem *2. Phyſic. cap. 7.* & *2. de anima cap. 4.* & alibi: Ergo &c. Tum quia experientiâ conſtat, nos in operando moveri, & allici ab aliquo Fine; ſic meritoriè operamur propter conſecutionem æternæ beatitudinis, ut Finem objectivum, & Cauſam Finalem veram; ſic etiam incumbimus litteris, ut doctrinam capiamus; ſic pariter operarius quotidianam præſtat operam, & laborem, habens pro Fine mercedem temporalem: Ergo &c. Circa diviſiones Cauſæ Finalis.

6. *Quid finis Cui & Qui.* Nota quartò: jam in Logica *Tract. in Proœmialia Logica diſt. 1. q. 7.* nonnullas tradidi diviſiones Finis, ut ſic; quas breviter hìc recapitulando unà cum reſiduis proponam. *Primò* itaque ab Ariſtotele *2. de anima cap. 4.* & Scoto *2. diſt. 6. q. 1. & 2.* Finis dividitur in Finem *Cui*, & Finem *Qui*, ſeu *Cujus*. Finis *Cui* eſt ſubjectum, cui aliquid acquiritur; v. g. infirmus eſt Finis Cui medicinæ porrectæ. Finis *Qui*, vel *Cujus* eſt cujus gratiâ agens operatur; ſic ſanitas eſt Finis Qui Medici, qui ejus gratiâ porrigit medicinam infirmo.

7. *Quid objectivus, & formalis.* Nota quintò: *ſecundò* dividitur in Objectivum, & Formalem. *Finis objectivus* eſt ipſum objectum per operationem acquiſibile; v. g. DEUS ut objectum beatificum per operationem viſionis, & fruitionis beatificæ attingibile; item pecunia acquiſibilis ab operante pro mercede. *Formalis* eſt ipſamet operatio, per quam acquiritur Finis objectivus, ſeu objectū; talis eſt actualis poſſeſſio DEI ut objecti beatifici, per operationes viſionis, & fruitionis beatificæ; item poſſeſſio pecuniæ in operante ob mercedem

8. *Quid finis operis, & operantis.* Nota ſextò: *tertiò* partitur Finis in Finem Operis, & Finem Operantis; ſeu in intrinſecum, & extrinſecum. *Finis operis*, ſeu intrinſecus eſt ille, ad quem operatio ex natura ſua ordinatur; ut ſanitas eſt Finis medicinæ. *Finis operantis* eſt, quem operans pro ſuo libitu præfigit ſuæ operationi: v. g. Medicus curans propter pecunias.

9. *Finis generationis, & rei genitæ.* Nota ſeptimò: *Quartò* ſecatur in Finem generationis, & rei genitæ. *Finis generationis* eſt ille, quem generans intendit ſuâ generatione, ſeu qui generatione acquiritur; ſic forma, & compoſitum, quæ generatione acquiruntur, dicuntur Finis generationis; illa ut Quo, iſtud ut Quod. *Finis rei genitæ* eſt uſus rei per generationem habitæ; ut habitatio domûs eſt Finis ejus; quia ut inhabitaretur, fuit finita, & completa.

10. *Ultimus, & non ultimus.* Nota octavò: *quintò* diſmembratur in Finem ultimum, & non ultimum. *Finis*

ultimus eſt, qui ex natura rei ad alium non poteſt ordinari; talis eſt DEUS à Fidelibus poſſidendus in gloria. *Finis non ultimus* eſt, qui poteſt ex natura rei ordinari, & referri ad alium; ut ſanitas ad ſerviendum DEO.

11. *Verus, apparens & præfixus.* Nota nonò: *ſextò* partitur in Finem verum, apparentem, & præfixum. *Finis verus* eſt, qui habet objectivam bonitatem honeſtatis; v.g. dare eleemoſynam propter DEUM. *Finis apparens* eſt, qui habet ſolùm bonitatem apparentem, puta delectabilitatis, & utilitatis. *Præfixus* eſt, quem operans ſibi præfigit, quique in ſe nullam habet ex enumeratis bonitatem, ſed affigit aliquam; talem haberet is, qui idololatraret præcisè, quia vult idololatrare, & affigit actui idololatriæ aliquam bonitatem, quàm non habet, de quibus plura exactè dicit Scotus *1. diſt. 1. quæſt. 1.*

QUÆSTIO XXII.

Num Finis ſit vera Cauſa; & quæ ejus ratio conſtitutiva; cauſalitas; ac effectus?

1. *Quid Cauſa phyſica, metaphyſica, & moralis.* NOta primò: Cauſam realem eſſe in triplici differentia. Alia enim eſt *Cauſa realis phyſica*, quæ ſcilicet influit in effectum per motum phyſicum, & mutationem, producendo formã in ſubjecto, per quam ſubjectum verè dicatur mutari; talis eſt Cauſa Efficiens ignis v.g. qui cauſat calorem in aqua, quò aqua dicitur mutari. Alia eſt *Cauſa realis metaphorica*, quæ dicitur talis, non quòd ficta ſit, & nõ realis; ſed quia non cauſat per motum phyſicum, & mutationem phyſicam; ſed per motionem metaphoricam, id eſt allicientiam, & attractionem intentionalem alterius ad ſe; talis Cauſa realis metaphorica eſt Finis, ut dicetur infrà; quia in quantum cognitus, amatus, & deſideratus attrahit ad ſe efficiens, ut quærat media neceſſaria pro ejus conſecutione, ut docet Scotus *1. diſt. 1. quæſt. 4. ad ſecundum principale*, & hujuſmodi Cauſa cenſetur eſſe vera Cauſa realis; quia eſt principium verè influens in effectum realem. Eſt autem hæc Cauſa metaphorica duplex, ſcilicet neceſſaria ſeu naturalis, & libera: *Libera* erit, ſi moveat contingenter agens liberum v. g. hominem; talis eſt beatitudo cæleſtis quæ contingenter movet hominem. *Neceſſaria*, ſeu naturalis erit, ſi moveat neceſſariò agens; talis eſt centrum reſpectu gravis. Alia tandem Cauſa realis eſt *Moralis*; cui imputatur effectus, ſecundùm communem æſtimationem hominum; etſi in eum cum reali rigoroſo influxu non influat; talis eſt conſulens reſpectu homicidii ab alio perpetrandi.

Dico primò: Cauſa Finalis eſt vera, & realis Cauſa; non tamen in rigore phyſica; ſed metaphorica. Prima pars eſt Scoti *2. Phyſic. q. 9.* & ſequuntur Columb. Monrurſ. Villav. Fraſſ. Tromb. Andre. &c. Scotiſtæ; contra Murciam, Hurtad. Plazam &c. Secunda pars eſt Scoti *1. diſt. 1. q. 4. & 2. diſt. 25. q. 1.* & ſequuntur Fuente, Fraſſen, Monnirſ. & alii, contra Canonic. Trombet. Ponc. & alios Scotiſtas, docentes Cauſam Finalem eſſe verè phyſicam Cauſam. Tertia eſt Scoti *2. diſt. 2. q. 2.* ſub littera L. ubi docet, Finem cauſare tantùm metaphoricè, movendo efficiens; & ſequuntur Monturſ. Fraſſen, Fuente &c.

Probatur prima pars primò authoritate Ariſtotelis, qui *2. Phyſic. cap. 3. tex. 29.* & *5. Met. cap. 1.* & rurſus *2. Met. cap. 3.* recenſet in ſyllabo Cauſarum verarum, & realium etiam Cauſam Finalem: idem ſenſit Plato *in Phædone*: Ergo &c. 2. *Cauſa finalis eſt vera cauſa.*

Probatur ſecundò ratione: tum quia definitio Cauſæ veræ, & realis convenit Cauſæ Finali; eſt enim Cauſa Finalis principium verè influens in effectum; dum videlicet verè, & realiter movet agens ad operandum: Ergo Cauſa Finalis cenſetur eſſe vera, & realis Cauſa effectûs. Tum quia effectus, ad quem ponendum movet, & allicit Cauſa Finalis Efficiens, eſt realis v. g. ſanitas in ægro cauſata à Medico: Ergo ejus Cauſa debet eſſe quoque realis. Tum quia ſicut bene concluditur Cauſam Efficientem eſſe realem, & veram Cauſam; quia ab ea pendet effectus phyſicus, & quia per eam reſpondetur bene ad quæſtionem quærentem, â quô eſt effectus? ut habet Ariſtoteles *2. Poſter. cap. 1.* ita pariter concludi debet, Cauſam Finalem eſſe realem, & veram Cauſam; quia ab ea quoque pendet effectus phyſicus v. g. ſanitas; & per eam quoque reſpondetur ad quæſtionem quærentem, propter quid eſt effectus? Ergo Cauſa Finalis cenſeri debet vera, & realis Cauſa.

3. *Non tamen rigorosè physica.*

Probatur ſecunda pars: Tum quia Cauſa phyſica in rigore cauſat per motum phyſicum, & mutationem phyſicam, influendo formam realem in effectum: ſed Cauſa Finalis ſic non cauſat: Ergo &c. Tum quia Cauſa phyſica rigoroſa debet exiſtere realiter dum cauſat; ut patet de Cauſa Efficiente, Materiali, & Formali, quæ ut Cauſæ phyſicæ in rigore dicantur, exiſtere debent: ſed Finis non exiſtit dum cauſat v.g. ſanitas necdum exiſtit, dum movet ægrum ad ſumendam medicinam: Ergo Cauſa Finalis non eſt in rigore Cauſa phyſica.

4. *Sed metaphorica.*

Probatur tertia pars *primò* authoritate Philoſophi qui *1. de gen. cap. 7. tex. 55.* ſanitati, quæ eſt quædam Cauſa Finalis reſpectu Medici applicantis medicamina, adſcribit tantùm factionem metaphoricam; volens per hoc inſinuare, eam tantùm eſſe Cauſam metaphoricam: Ergo &c. *Secundò* ratione; Cauſa Finalis v.g. ſanitas cauſat tantùm procreando in agente deſiderium, & amorem ſui, ſeu ut loquitur Scotus *2. diſt: 25. q. 1. num. 24. Finis in quantum amatus, & deſideratus movet Efficiens ad efficiendum:* ſed hujuſmodi cauſatio, & motio arguit Cauſam tantùm metaphoricam; id eſt, allicitivam intentionaliter, & attractivam Cauſæ Efficientis ad cauſandum: Ergo Cauſa Finalis non eſt niſi Cauſa metaphorica.

5. *Cur metaphorica dicatur.*

Nota autem ſecundò: iſtam Cauſam ideo dici *metaphoricam;* quia ei non convenit motus phyſicus rigoroſus, qualis eſt in Cauſa Efficiente, quô movetur ad efficiendum: ſed motus tantùm metaphoricus, id eſt, per translationem dictus: metaphora enim juxta Rhetoricos eſt translatio vocis de propria ad impropriã ſignificationem; ut dum riſus hominis transfertur ad herbas florentes dicendo, *prata rident.* Itaque quia ratio motûs cum omni rigore, & proprietate non reperitur in Finali Cauſa; ſed per quandam extenſionem duntaxat, & translationem; ideo Cauſa Finalis dicitur *Metaphorica Cauſa;* vera tamen, & realis.

6. *Quo ordine Cauſa Finalis procedat.*

Nota autem tertiò: ut meliùs percipiatur, in quo ſit vis, & ratio Cauſæ Finalis, pono ordinem ſequentem. *Primò* illud objectum, quod vocatur Finis v.g. ſanitas percipitur ab ægro per ſpeciem intelligibilem, & concurrit cum intellectu ad ſui cognitionem: & tunc dicitur habere eſſe cognitum, & apprehenſum ab intellectu. *Secundò* repræſentatur per intellectum voluntati, ut habet in ſe bonitatem honeſtatis, vel delectabilitatis, & jucunditatis; & tunc amatur, & deſideratur ab ipſa efficaciter. *Tertiò:* ſanitas ſic amata, & deſiderata movet metaphoricè ipsã voluntatem, ſeu allicit eam ad ſe, & attrahit quodammodò, ut operetur in gratiam, & amorem ſui, imperando potentiis inferioribus, ut quærant media pro ejus conſecutione. *Quartò* tandem voluntas ſic allecta mandat potentiis inferioribus, ut quærant media, quæ ab intellectu ut neceſſaria, vel ſaltèm utilia cognita ſunt pro ejuſdem ſanitatis executione. In primo, & ſecundo ordine ſanitas non habet rationem Finis, ſeu Cauſæ Finalis; ſed eſt objectum intellectûs, & voluntatis; quia tunc necdum movet metaphoricè: in tertio autem, & quarto fungitur munere Cauſæ Finalis; quia movet.

Objicies contra primam partem: Finis dum cauſat, non exiſtit actu ſecundùm eſſe reale, v. g. ſanitas, quæ movet Medicum ad porrigendam medicinam ægroto: Ergo non eſt vera, & realis Cauſa. Reſpondeo Diſt. Ant. Finis dum cauſat, non exiſtit actu, ſecundùm eſſe reale rigoroſum, & phyſicum Conc. Ant. ſecundum eſſe reale minùs rigoroſum, ſeu intentionale Neg. Ant. Itaque ut Cauſa aliqua dicatur poſſe cauſare aliquô modô, ſufficit eam exiſtere actu, ſecundùm eſſe intentionale, id eſt in mente operantis apprehenſum, & amatum, ſecundùm quòd is moveatur, attrahatur, & alliciatur ad operandum. 7.

Sufficit finẽ exiſtere intentionaliter.

Objicies contra ſecundam partem Concluſionis: Philoſophus recenſet Cauſam Finalem inter genera Cauſarum phyſicarum corporis naturalis: Ergo eſt Cauſa phyſica in rigore. Reſpondeo cum Scoto *2. diſt. 25. q. 11.* Philoſophum ideo recenſere Cauſam Finalem inter Cauſas phyſicas; non quòd ipſa in rigore phyſico Cauſa phyſica ſit; ſed quia vera, & realis Cauſa eſt; & quia reliquæ tres nequeunt ullatenus cauſare, niſi præmoveret, & finalizaret Cauſa Finalis; Cauſa enim Materialis non cauſat niſi beneficiô Cauſæ Efficientis; Efficiens autem nihil operatur, niſi propter aliquem Finem, ſeu gratiâ alterius. Circa alterum articulum Quæſtionis 8.

Cur ab Ariſtotele Cauſa finalis recenſetur inter phyſicas Cauſas.

Nota quartò: Finis præſefert in ſe aliquam rationem boni, ratione cujus movet voluntatem: bonum autem ex Scoto *Quodlib, 18.* ad propoſitum dupliciter acci- 9.

Varia ratio boni.

Digitized by Google

cipitur; *primò* ut eſt idem, quod integrũ, & perfectum eſſentiale; quô ſenſu convertitur cum entitate. *Secundò* relativè ad aliud cui eſt conveniens; & hoc dividitur in bonum honeſtum, bonum delectabile, & bonum utile. *Bonum honeſtum* eſt illud, quod propter ſe eſt apetibile; tale eſt DEUS, & virtus. *Bonum delectabile* eſt, quod cauſat delectationem, & gaudium in operante, ſive in ſe ſit malum moraliter, ut ſunt epulæ, Venus &c. ſive bonum, ut eſt Amor DEI. *Bonum utile* eſt, quod inſervit vel ad conſervationem, vel ad acquiſitionem alicujus rei; ſive in ſe ſit bonum ſive malum; tale eſt ſanitas, pecunia &c.

10. *Conſtitutivum Cauſæ finalis eſt aliqua bonitas.*

Dico ſecundò: ratio conſtitutiva Cauſæ Finalis eſt aliqua bonitas vera, vel apparens vel honeſtatis, vel delectabilitatis, vel utilitatis. Colligitur ex Scoto *1. diſt. 1. q. 1.*

Probatur: Finis, ſeu Cauſa Finalis cauſat movendo, alliciendo, & attrahendo: ſed hoc præſtat principaliter, & formaliter ratione alicujus bonitatis in ea repertæ: Ergo ratio conſtitutiva Cauſæ Finalis eſt aliqua bonitas ſive honeſtatis, ſive delectabilitatis, ſive utilitatis. Probatur Min. Tum quia nihil aliud congruentiùs poteſt aſſignari: Tum quia experientiâ conſtat, nos ordinariè ad operandum moveri ob aliquam ex præfatis bonitatibus; ſic movemur ad operandum virtuosè adorando DEUM ob bonitatem honeſtatis, quæ in virtute deliteſcit; ſic pariter movemur ad operandum in epulis propter bonitatem delectationis, quam in epulis experimur. Sic tandem movemur ad operandum pro pecunia, propter utilitatem pecuniæ: Ergo Finis, ſeu Cauſa Finalis cauſat ratione alicujus bonitatis, vel honeſtatis, vel delectabilitatis, vel utilitatis in ea repertæ. Circa tertium articulum Quæſt.

11. *Quid ſit cauſalitas Cauſæ finalis.*

Dico tertiò: cauſalitas Cauſæ Finalis fundamentaliter conſideratæ conſiſtit in entitate reali Finis alliciente, movente, & attrahente; formaliter verò conſideratæ in relatione quadam reſultante in illa entitate, & terminata ad opus, vel agens allectum, & operans pro conſecutione Finis. Colligitur ex Scoto *1. diſt. 1. q. 5.* & *2. diſt. 1. q. 2.* ubi cum hoc teneat de cauſalitatibus Cauſæ ut ſic; conſequenter etiam de hac Cauſa Finali in particulari tenere cenſetur.

Probatur iiſdem argumentis, quibus ſuprà *diſt. 9. q. 2.* oſtenſum eſt cauſalitatem Cauſæ ut ſic fundamentaliter conſideratæ conſiſtere in entitate rei; formaliter verò conſideratæ in relatione Cauſæ ad effectum: quod idem dicendum erit de cauſalitate utraque Cauſæ Finalis in particulari.

Dico quartò: Cauſa Finalis finalizat, & cauſat actu penes eſſe intentionale; non verò penes eſſe reale. Colligitur ex Scoto *q. 4. Prol. §. contra iſtam opinionem*; & *1. Poſt. q. 57. §. ad primum argumentum*, ubi ait: *non oportet præcedere realiter effectum; ſed ſufficit, quòd res præcedat effectum, in intentione; quæ tamen intentio finis non eſt cauſa reſpectu effectûs; ſed res ipſa finis ſub intentione* (id eſt ſecundùm eſſe intentionale) *& hoc ſufficit, quod effectum realiter cauſet.* Ita pariter ſentiunt Columb. Trombet. Ponc. & alii Scotiſtæ; ac ex alienis Sanc. Medin. Capreol, Avicen. &c. contra Div. Thomam, Vaſq. Lorcam & Occam; & ex noſtris contra Monturſ. & quoſdam alios Scotiſtas. 12. *Qua ratione finalizat.*

Probatur primò: Tum quia Cauſa Finalis habet rationem Cauſæ in quantum allicit, movet & attrahit: ſed hoc præſtat ſecundùm eſſe intentionale tantùm, & nõ ſecundùm eſſe reale; quia illud tunc ſæpe necdum habet: Ergo &c. Tum quia Finis movet ad cauſandum in quantum amatus, & deſideratus: ſed movet ad ſui amorem, & deſiderium ſecundùm eſſe tantùm intentionale, id eſt eſſe objectivum, quod habet in mente, & voluntate operantis motæ â Fine: Ergo ſecundùm illud tantùm cauſat. Tum quia Cauſa eſt prior ſuo effectu: ſed Cauſa Finalis ſecundùm eſſe reale non eſt prior effectu; ſed potiùs poſterior, ſecundùm verò eſſe intentionale eſt ptior effectu: Ergo non ſecundùm eſſe reale; ſed ſecundum eſſe intentionale cauſat actu. Circa effectus Cauſæ Finalis

Nota quintò: Effectus Cauſæ Finalis communiter numerari ſequentes: deſiderium efficax obtinendi Finem, ſeu illud bonum propoſitum voluntati, vel ut honeſtum, vel ut delectabile, vel ut utile, & propterea complacentiâ ſimplici amatum: item imperium de inveniendis mediis opportunis ad conſecutionem dicti boni ſeu Finis: item conſultatio deſuper ſecuta de electione talium mediorum: item electio unius medii præ alio: item applicatio ejuſdem medii: ac tandem complacentia, & gaudium de ejuſdem 13. *Qui ejus effectus.*

Finis,

Finis, ſeu objecti conſecutione: Ratio eſt; quia ad hos omnes effectus movet Cauſa Finalis, adeoque hi omnes ejus effectus dici poſſunt.

QUÆSTIO XXIII.

Num omnia agentia agant propter aliquem Finem? alia etiam circa Finalem Cauſam reſolvuntur.

1. *Quid ſit agere propter Finem formaliter & materialiter.*

NOta primò: agere propter Finem, eſt operari ob aliquod bonum conveniens, quod movet agens ad operandum, v.g. homo dicitur ſtudere ob Finem acquirendi ſcientias, vel promotiones. Poteſt autem hujuſmodi actio propter Finem contingere vel formaliter, vel materialiter. Illud agens cenſetur agere *formaliter propter Finem*, quod pollet ratione cognoſcente tum Finem ut ſibi bonum, tum media magìs proportionata ad eundem aſſequendum, ſimulque vult, & amat Finem, & eligit media magìs opportuna; ſic agit Medicus curando ægrum per applicationem proportionatarũ medicinarum: & hic modus agendi propter Finem eſt modus proprius ſecundùm DD. & perfectiſſimus. Illud verò agens dicitur agere *materialiter propter Finem*, quod non pollet ratione cognoſcente, & diſtinguente media proportionata ad Finem aſſequendum; attingit tamen illum ut ſibi bonum, & convenientem: quod dupliciter contingere poteſt; vel attingendo Finem ut ſibi bonum cognitione alienâ, in quantum ſcilicet ab Authore naturæ diriguntur in proprios Fines: hôc modô operantur omnia inſenſibilia; & licèt iſte modus agendi propter Finem ſit imperfectiſſimus; eſt tamen ſufficiens ad ſalvandum agentia, quæ tali modô operantur, non operari caſu; quia reverà operantur ex conſilio, & deliberatione Authoris naturæ.

2. *Quotuplicia ſint agentia propter finẽ.*

Nota ſecundò: primò duplicis ordinis, & differentiæ eſſe agentia, ut obſervat Scotus *1. diſt. 1. q. 5.* & *4. diſt. 45. q. 3.* & alibi; quædam enim ſunt libera, quædam naturalia. *Agentia libera* propter Finem ſunt, quæ ſuppoſitâ cognitione, & amore Finis in ratione Finis liberè eligunt media opportuniora pro illius conſecutione; talia agentia ſunt DEUS, Angeli, & homines. *Agentia naturalia* ſunt duplicia animata ſcilicet, & inanimata; & iterum animata alia ſunt ſenſitiva, alia vegetativa. *Agentia naturalia animata ſenſitiva* ſunt, quæ quidem ex ſuppoſita cognitione ſenſitiva Finis non ut Finis, ſed ut objecti convenientis tantùm operantur; tale agens eſt lupus, qui prædam ex inſtinctu naturæ inſequitur ut ſibi convenientem. Item talia ſunt feles, & canes vulnera ſua lingentia, ut ſanitatem acquirant. *Agentia naturalia animata vegetativa* ſunt, quæ moventur in Finem non propriâ, ſed alienâ cognitione; id eſt Authoris naturæ; hôc pactô herbæ, & arbores parturiunt flores, & fructus, ut proprias conſervent ſpecies. *Agentia tandem naturalia inanimata* ſunt, quæ prorumpunt naturaliter in quaſdam operationes ab Authore naturæ tantùm præcognitas; tale eſt ignis, qui naturaliter aſcendit furſum; terra autem, & omne aliud grave deorſum; lapis affectans centrum terræ &c.

3. *DEUS agit propriè propter finem.*

Dico primò: DEUS eſt agens formaliter, & propriè propter Finem. Ita Scotus *1. diſt. 1. quæſt. 5.* & ſequuntur Fraſſen, Columbus, & communis DD.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ concluſionem aſſerentis; unde dicitur Prov. 16. *Univerſa propter ſeipſum operatus eſt Dominus*, id eſt, propter Majeſtatem ſuam, gloriam ſuam &c. Et Apocal. 1. *Ego ſum alpha, & omega, principium, & finis*; in quem paſſum ait P. Lyranus nôſter, *DEUS eſt principium omnium effectuum, & finis, ad quem omnia ordinantur*: Ergo &c.

Probatur ſecundò authoritate SS. PP. & CC. idem concludentium; unde Nicænum Concil. *in Symb.* dicit, *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis*: Ergo &c.

Probatur tertiò ratione: quia agere propter Finem nulla eſt imperfectio DEUM dedecens: Ergo concedendum eſt, DEUM agere propter Finem. Tum quia, agens ordinatè volens, priùs vult Finem, quàm media ad Finem proportionata, ut bene ratiocinatur Scotus *1. diſt. 41. q. un.* ſed DEUS eſt agens ordinatiſſimè volens: Ergo priùs vult Finem, & deinde media propter Finem. Tandem Deus nil agit imprudenter; quia de eo dicitur Pſal. 103. *Omnia in ſapientia feciſti*: Ergo DEUS agit propter Finem.

4. *Similiter Angeli & homines.*

Dico ſecundò: etiam alia agentia libera, ut Angeli & homines agunt propriè & formaliter propter Finem. Ita Scotus *2. Phyſic. tex. 9.* & Ariſtoteles ibidem; & ſequuntur citati AA. atq; communis DD. contra quoſdam veteres, docentes omnia caſu evenire; quorum meminit Philoſophus *2. Phyſ. cap. 8.*

Probatur: Tum quia agentia libera ex ſuppoſita cognitione feruntur in Finem ut bonum conveniens, & honeſtum, illudque amant, & deſiderant; ut patet de Angelo S. amante hominem ſanctum, & virtuoſum, propter virtutem, & Deum; & de homine deſiderante æternam beatitudinem ut Finem ultimum: Ergo agūt propter Finem. Tum quia agentia libera ut Angeli, & homines, liberè certos Fines eligunt, & in ipſos tendunt ſub ratione Finis, per media congrua ſub ratione mediorum; ſic Angeli cuſtodiam adhibent hominibus, ut Chriſtianè vivant, & declinent pericula; ſic Medici eligunt, & applicant meliores medicinas ad curandum ægrum: Ergo &c.

5. *Etiam res ſenſitiva; ſed imperfectè.*

Dico tertiò: etiam Agentia naturalia animata ſenſitiva agunt propter Finem materialiter, & imperfectè; non autem formaliter, & propriè. Prima pars eſt Monturſij, Fraſſen, Villaverde, Herman &c. contra Columb. Van-Sichen. Secunda eſt communis DD. contra Arriagam, & Ponc. noſtrum.

Probatur prima pars: agere propter Finem materialiter, & imperfectè, eſt per cognitionem ſenſitivam attingere Finem, ſeu objectum ut ſibi bonum, & conveniens; abſque tamen mediorum proportionatorum formali diſcernentia, electione, & applicatione (quod ſolis rationalibus agentibus perfectè propter Finem, competit) Ergo agunt propter Finem materialiter, & imperfectè. Prob. Min. inductione variorum animalium; ſic formicæ per cognitionem ſenſitivam attingunt grana congreganda ſibi fore bona, & convenientia in hyeme; unde eadem congregant tempore opportuno, & nè in repoſitorio earum communi ſubterraneo germinent, ac vireſcant, illis cor abrodunt; imò & aëri quandoque ventilanda exponunt, nè humore, aut calore terræ putreſcant: ſic araneæ texunt retia in ordine ad capiendas muſcas, earum alimento inſervientes, & convenientes: ſic boves generant pro ſpecie bovina conſervanda; gallinæ ovis incubant, & aves nidificant ob eandē rationem: & alia animalia herbas, ac radices determinatas quærunt, atque aſſumunt, ut ægritudines ſuas familiares curent: Ergo agentia naturalia animata ſenſitiva agunt propter Finem materialiter, & imperfectè.

Probatur ſecunda pars: Tum quia agere propter Finem formaliter, & perfectè convenit ſolis agentibus rationalibus, puta Angelis, & hominibus: Ergo non animalibus. Tum quia Agentia naturalia animata ſenſitiva non diſcernunt perfectè, & formaliter inter media eligenda ad Finem, quænam ſint magis proportionata ad eum aſſequendum; ad hoc enim requiritur cognitio intellectualis perfectè diſcurſiva; unde ſi animalia aliquando eligant unum medium præ alio, hoc non faciunt cum delectu formali; ſed ex naturæ inſtinctu, & phantaſia proponente talia media ſolùm ut convenientia; non verò ut magis convenientia: Ergo Agentia naturalia animata ſenſitiva non agunt propter Finem formaliter, & propriè. Tum quia hujuſmodi Agentia carent intellectu, quô Finis debet perfectè cognoſci; item carent voluntate, quâ Finis debet formaliter amari, & deſiderari ab Agente formaliter propter Finem: Ergo &c. 6. *Non autem formaliter.*

7. *Quo ſenſu S. Auguſtinus cōcedat quibuſdam animalibus intellectum materialem*

Objicies contra hanc partem: D. Auguſtinus *lib. 11. de Civit. DEI cap. 7.* & *11. de Gen. ad lit. cap. 2.* concedit quibuſdam animalibus intellectum materialem, & voluntatem materialem; quibus pollet hirundo v. g. dum colligit lutum, paleam, & alia ſibi utilia, ac bona pro conſtruendo nido: item dum apis mellificat, & miro ordine cellulas quaſdam in alveari conſtruit; item canis, qui in bivio ſubſiſtens aliquamdiu, & odorans, tandem eligit unam viam, quâ judicat abiiſſe ſuum Dominum; & idem objectô ſibi pane accedit ad Dominum; monſtratô verò baculô fugit: & de elephantibus, ſimiis, ac leonibus mira extant exempla gratitudinis, fidelitatis, ac amoris erga certas perſonas; quæ omnia videntur arguere intellectum, & voluntatem materialem: Ergo his mediantibus animalia agunt propter Finem formaliter. Reſpondeo cum Scoto *1. Met. q. 3.* D. Auguſt. tantùm velle dicere, quòd quædam animalia habeant quemdam intellectum, & voluntatem ſimilitudinariam duntaxat, id eſt promptum, & expeditum naturæ inſtinctum, quô opera præfata perficiunt; & pro-

& propter Finem materialiter agunt; quod inde patet, quia ſi ſubtrahantur ipſis illa media, quibus ex naturali inſtinctu ad ſuum Finem aſſequendum utuntur, nequeunt invenire alia. Item ſi duo media inæqualis proportionis eis præſententur, nequeunt ſemper diſcernere, & eligere magis ex ſe proportionatum; quod ſignum eſt materialis duntaxat, & ſimilitudinariæ prudentiæ, ac operationis propter Finem imperfectæ; non verò formalis; unde idem S. Pater *lib. 83. qq. dicit q. 30. Frui quidem cibò, & qualibet corporali voluptate non adeò abſurdè exiſtimantur & beſtiæ: uti autem aliquâ re non poteſt, niſi animal, quod rationis eſt particeps; ſcire namque quo* (uti ſcire deberent animalia, ſi verum intellectũ, & voluntatem haberent, ac formaliter propter Finem agerent) *non datum eſt rationis expertibus; ſed neque ipſis rationalibus ſtultis.*

8.
Animalia ex ſolo inſtinctu naturæ operantur ob finem.

Nota itaque tertiò: inſtinctum naturalem, non verò intellectum, aut voluntatem eſſe Cauſam, cur bruta, & omnia agentia animata ſenſitiva agant materialiter propter Finem aliquem; nam Author naturæ ita naturam brutorum, & omnium animantium condidit, ut per continuos ſibi catenatim cohærentes inſtinctus, ſinè omni prorſus comparatione formali mediorum magìs proportionatorum ad Finem, ferantur in finem aliquem. Habent tamen aliquando naturæ aliquorum animalium præter naturæ inſtinctum, etiam Cauſam aliquam extrinſecam, vel intrinſecam, à qua impellantur ad actiones illas, quæ aliàs videntur eſſe propter Finem formaliter arripiendæ; quod motivum in variis eſt varium: ſic ovis viſô lupô impellitur ad fugam, non ex naturæ inſtinctu tantùm, ſed etiam ex eo, quòd lupus ei tanquam terrificus, & malus apparens excitet in phantaſia ovis ſpeciem aliquam, quà ovis apprehendat fugam tanquam ſibi bonam, abſque ulla notitia, quâ ordinet formaliter fugam illam ad evaſionem mortis. Hac ratione etiam multæ aves avolant imminente tempeſtate, cujus Cauſa effectiva in ipſis alterat ſic humores, ut inde in ipſis excitetur apprehenſio, quâ fugam ut ſibi bonam apprehendant. Sic etiam gallus circa mediam noctem, & rurſus circa auroram cantat, non ex ſolo naturæ inſtinctu; ſed etiam quia circa illa tempora humores in gallo ita diſponuntur, & alterantur, fortè ratione concoctionum, ut ſpeciem cantûs tanquam ſibi boni in illo excitent; unde variatio auræ, quæ eſt dictorum humorum alterativa, tempus illud in gallo variare ſolet.

9.
Qua ratione quædam animalia ponant actiones, redolentes operationem ob finem.

Nota quartò: quòd ſi contingat quædam animalia induſtriâ hominum, ita inſtructa edere quaſdam actiones, quæ arguere videntur actionem propter Finem formaliter; uti faciunt urſi, ac canes, qui ad nutum Patroni ſaltant, varios alios motus corporis exercent &c. dicendum eſt, eas cauſari ab ipſis ex quadam naturali combinatione ſpecierum; nam urſi, & canes ſolent ab hominibus ad ejuſdem motus exercendos inſtrui vel propoſitô pabulô, ut bonô delectabili, vel flagris, ut malô diſconvenienti, quod natura eorum abhorret; & quia poſt longum uſum ſpecies oſtenſi pabuli, & flagrorum conjunctæ fuerunt cum ſpeciebus illorum motuum (ſicut experimur in nobis, dum duos ſocios ordinariè ſimul videmus, unô viſô, excitatur quoque ſpecies alterius) quas apprehendit ut conjunctas cũ obtinendo pane, quem apprehendit ut ſibi bonum; & cum flagris, quæ apprehendit ut ſibi diſconvenientia, ſtatim etiam apprehendit ſaltationem, & alios motus; atque adeò ad ipſos movetur.

10.
Etiam animata vegetativa agũt propter finem imperfectè.

Dico quartò: tandem etiam agentia naturalia animata vegetativa; uti & inanimata aliquomodo, etſi imperfectiſſimè, agunt propter Finem. Ita Monturſ. Fuente, & alii DD.

Probatur prima pars: Author naturæ DEUS agentia naturalia vegetativa ad Fines determinatos, à ſe cognitos, & volitos dirigit, & facit, ut in actiones ad illos Fines deſervientes, ac convenientes determinatè erumpant potiùs, quàm in alias: Ergo in hoc ſenſu aliquomodo agunt propter Finem. Probat. Ant. Ex hac DEI directione, ac ordinatione Authoris naturæ plantæ propter conſervationem ſuarum ſpecierum, ſervitia, ac utilitates hominum herbeſcunt, florent, & fructificãt: item arbores inſitos ſibi ſurculos fovent; item creſcunt; ſuccum alimentarium per totum ſuum corpus tempore opportuno diſpenſant; folia, & flores extrudunt gratiâ fructificationis, & utilitatis hominis: Ergo ob certos Fines agunt aliquomodo. Et propterea Philoſophus *2. Phyſ.* & *cap. 2. de gen.* & alibi *2. lib. de ort. & inter.* & *de part. animal.* reijcit illam ſententiam veterum, & ut erroneam confutat, quâ aſſerebant, omnia caſu eveniri ab agentibus natura-

turalibus, & nil fieri propter Finem; cùm tamen pulchritudo orbis, & conſervatio vegetantium ſpecierum, ac impetus agentium naturalium vegetativorum contrarium ſvadeat.

11. *Imo & inanimata.*

Probatur ſecunda pars: quatuor elementa, ignis ſcilicet, aer, aqua, & terra; item lapides, metalla, ac alia inanimata verſus ſua centra feruntur ex naturali inclinatione, ab Authore naturæ eis inſerta; ut ibi quieſcant, & homini proſint: Ergo propter aliquem Finem, ab Authore naturæ cognitum ſic feruntur, & moventur; etſi valde improprius ſit talis motus ob Finem.

12. *Num Cauſa finalis ſit nobilior cæteris.*

Quæres primò: an Cauſa Finalis ſit cæteris Cauſis nobilior? Reſpondeo cum diſtinctione; ſi Cauſa Finalis conſideretur ſecundùm modum cauſandi; eſt phyſicè imperfectior cæteris; Ratio eſt; quia cæteræ cauſant per influxum phyſicum; Finalis verò per metaphoricum tantùm. Si verò conſideretur ſecundùm ſe, eſt cæteris nobilior, ut habet Ariſtoteles *2. Phyſ. tex. 31.* & Scotus *ibidem.* Ratio eſt; quia in ejus gratiam agens efficiens operatur.

13. *Cognitio finis non eſt de ratione intrinſeca ejus.*

Quæres ſecundò: utrùm cognitio Finis ſit de ratione intrinſecè cõſtitutiva Finis. Affirmat Soncin. & Medina: ſed Reſpondeo cum Scoto *2. diſt. inſt. 25. ſſ. ad primam rationem* negativè. Ratio eſt; quia ſola ratio boni deſiderati eſt illud, propter quod conſequendum agentia agunt; ſed cognitio actualis boni non eſt aliquod bonum deſideratum, propter quod agentia agunt: Ergo &c. Probat. Min. quod jam habetur, non deſideratur: ſed cognitio actualis boni jam habetur: Ergo non deſideratur ut aliquod bonum. Eſt itaque cognitio Finis tantùm conditio ſinè qua non; quia cùm voluntas ſit potentia cæca, eget illuſtratione circa objectum, ut in illud feratur ſuo appetitu; & propterea dixit Philoſophus *nil eſſe volitum, niſi præcognitum.*

14. *Dantur fines intermedij.*

Quæres tertiò: utrùm poſſint dati Fines intermedii. Reſpondeo affirmativè. Ratio eſt; quia unum medium eligimus propter aliud in ordine ad unum Finem: Ergo tale medium, cujus gratiâ eligitur aliud medium, erit Finis intermedius; & propterea eligimus deambulationem gratiâ attenuandi ſanguinem; attenuationem autem gratiâ ſalutis, quæ eſt ultimus Finis infirmi.

Quæres quartò: utrùm malum quà malum poſſit habere rationem Finis? Reſpondeo affirmativè in aliquo ſenſu. Ratio eſt; quia etſi malum cognitum quà tale non poſſit movere ad amorem, & proſecutionem ſui; poteſt tamen movere ad fugam, & deteſtationem ſui; quô pactô habet rationem Finis reſpectu actuum fugæ, & deteſtationis. 15.

Malum quà tale poteſt eſſe finis.

QUÆSTIO XXIV.

De Caſu, & Fortuna, ut Cauſis per accidens.

Nota primò: inter Cauſas per accidens recenſentur Caſus, & Fortuna: inter quæ hoc eſt diſcrimen; quòd Caſus tribuatur rebus ratione non utentibus; quales ſunt pueri, amentes, belluæ, & alia carentia ratione: Fortuna verò propriè attribuitur illis duntaxat rebus, quæ utuntur ratione, & ex electione agunt: etſi ab AA. hæc duo quandoque confundantur, & ſynonimè accipiantur. De horum exiſtentia erat vetus opinio Stoicorum, qui teſte Philoſopho *2. Phyſ. cap. 4. tex. 40.* arbitrabantur, omnia fieri neceſſariò, & produci determinatè; quare hi Caſum, & Fortunam repudiabant. Sed 1.

Quibus rebus conveniat Caſus, & Fortuna.

Dico primò: Dantur in rerum natura Caſus, & Fortuna. Ita Scotus *Quodlib. 21.* & *2. Phyſ. q. 10.* S. Thomas, & communis Philoſophorum, ac TT. 2.

Num extent in rerum natura.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui Caſum, & Fortunam exiſtere, & contingere docet *lib. de interp. cap. de futur. conting.* & *2. Phyſ. cap. 4.* Ergo &c.

Probatur ſecundò communi conſenſu omnium DD. qui admittunt plures eſſe effectus fortuitos, id eſt provenientes â Cauſa per accidens præter operantis intentionem, & electionem; qualis eſt inventio theſauri in fodiente terram &c. Ergo datur Fortuna, â qua hi effectus oriuntur. Item dantur plures effectus caſuales; qualis eſt deſcenſus lapidis à tecto domûs in caput tranſeuntis; lapſus equi in flumen, quod ſolet accedere ad bibendum, & ſubmerſio ejuſdem; ſed hi adſcribuntur Caſui: Ergo datur quoque Caſus.

Nota ſecundò: circa *Fortunam* varia fuêre ſentimina veterum: quidam enim putabant eam eſſe Deam quamdam, omnia gubernantem; aut certè in ſe conti- 3.

Somnia Veterum de Fortuna.

nere

ſtere quid Divinum: unde Juvenalis *Satyra 10.* canit, *Te facimus Fortuna Deam, cæloque locamus*: hos redarguit D. Auguſtinus *lib. 4. de Civit. DEI cap. 18.* alii cum Democrito arbitrabantur, eam eſſe conditricem orbium cæleſtium, & elementarium. Ariſtoteles *lib. de bona Fort.* ſenſit eam eſſe quemdam impetum, de categoria qualitatis: alii aliter philoſophati ſunt: Chriſtianorum Philoſophorum mens aperietur ſequenti concluſione: unde

4. *Deſcriptio Fortunæ.* Dico ſecundò: bene deſcribitur Fortuna, *eſt cauſa per accidens in his, quæ per electionem alicujus gratiâ fiunt, & rarò contingunt.* Ita paucis mutatis Ariſtoteles *2. Phyſic. tex. 52.* & Scotus *Quodlib. ult.*

Probatur: hac deſcriptione debitè elucidatur natura Fortunæ: Ergo &c. Ly *Cauſa* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Dicitur *Cauſa* ſcilicet fortuitorum eventuum v. g. inventionis theſauri; non quòd Fortuna conſtituat ſpeciale genus Cauſæ; ſed quia Cauſæ efficienti per accidens adjungitur. Dicitur *per accidens*, ut differat à Cauſa per ſe; & ut inſinuetur Fortunam non agere ad effectũ determinatum, nec ob aliquem finem à ſe intentum; nec ſemper, aut ſaltèm ut plurimum eodem modò operatur; quæ omnia propria ſunt Cauſæ per ſe. Apponitur *in his, quæ per electionem fiunt*; ut diſcriminetur Fortuna à Caſu, qui convenit rebus non agentibus per electionem. Apponitur *alicujus gratiâ*, ut ſignificetur, quòd effectus fortuitus à Fortuna procedens ſit accidentariò conjunctus cum effectu Cauſæ Efficientis per ſe ab Efficiente intento v. g. inventio theſauri eſt accidentaliter conjuncta cum fodiente terram propter inveſtigandam aquam, aut detegenda fundamenta domûs erigendæ. Ly *& rarò contingunt* (ſcilicet non ſolùm ratione temporis; ſed etiam ratione Cauſæ; ut quòd poſitâ tali Cauſâ rarò ſequatur talis effectus v. g. inventio theſauri) petit ad rationem effectûs fortuiti, ut non contingat frequenter, aliàs ſi frequenter; etſi præter intentionem operantis fiant, non adſcribuntur Fortunæ.

5. *Duo ad rationem effectûs fortuiti requiruntur.* Ex his infertur *primò*: ad rationem effectûs fortuiti quà talis, ut ſit verus Fortunæ effectus, neceſſariò concurrere, & requiri duo: unum ut accidat præter intentionem agentis; alterum ut rarò contingat poſitâ tali Cauſâ v. g. fodiente terram. Defectu primi lucrum pecuniarium, etſi rarum in luſu, non cenſetur eſſe propriè effectus fortuitus, ſeu Fortunæ; quia à ludente intenditur. Et defectu ſecundi naufragium factum à Platone, in hyeme ſolvente à portu, pariter non eſt effectus fortuitus; quia licèt præter intentionem Platonis navigantis contingat; tamen non rarò contingit.

6. *Reſpectu DEI non datur Caſus fortuitus.* Infertur *ſecundò*: nullum effectum dici fortuitum reſpectu DEI; ut habet Scotus *Quodlib. 21.* Ratio eſt; quia DEUS infinitâ ſuâ ſcientiâ præcognoſcit ab æterno omnes eventus; hominumque ſortes habet in manibus ſecundùm illud Pſal. 30. *In manibus tuis ſortes meæ*: ac proinde nihil fit præter intentionem ejus. Fortuiti ergo effectus tantùm dicuntur reſpectu hominum, & Angelorum ut Cauſarum particularium creatarum, quatenus non præcognoſcentium, & intendentium ipſos.

7. *Quid Fortuna bona, & mala.* Nota tertiò: Fortunam communiter dividi in bonam, & malam; ut habet Ariſtoteles *in libello de bona, & mala Fortuna*, quæ tales dicuntur à varietate eventuum, quæ hominibus in iſto ſtatu viæ accidere ſolent; unde ſi effectus ſecutus præter intentionem operantis fuerit bonus, vocatur *Fortuna bona*; ſi verò adverſus, appellatur *Fortuna mala*. Et quia eventus fortuiti bonæ Fortunæ rariſſimi ſunt, inſtabiles, inconſtantes, ac leves, ideo veteres Poëtæ Fortunæ inconſtantiam ſequentibus verſibus eruditè expreſsêre:

Paſſibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa, tenaxque loco.
Sed modò læta venit; vultus modò ſumit acerbos,
Et tantùm conſtans in levitate ſua eſt.

8. *Deſcribitur Caſus.* Dico tertiò: bene deſcribitur Caſus, quòd ſit *Cauſa per accidens in his, quæ ſinè electione agunt ex determinatione naturæ, ad quam rarò ſequitur talis effectus.* Eſt ad principia Ariſtotelis *2. Phyſic. cap. 4.* & Scoti *ibidem*.

Probatur: hæc deſcriptio convenit omni, & ſoli: Ergo &c. Ly *Cauſa* eſt genus: reliqua ſubeunt differentiam; per illas particulas *in his, quæ ſinè electione*, differt Caſus à Fortuna; & oſtenditur Caſum convenire ſolis agentibus, quæ ratione, & vi electivâ carent. Per ly *agunt ex determinatione naturæ* inſinuatur, Caſum reperiri in agentibus naturalibus, quæ non liberè; ſed ex impetu quodam ac determinatione ſuæ eſſentiæ operantur; uti ſunt equus, & mulus, qui varios edunt

effectus caſuales, dum v.g. ungulis effodiendo terram, nummum aureum ejiciunt; aut in ſtagnum prolapſi ſubmerguntur &c. Ly *ad quam rarò ſequitur talis effectus* explicatur, ut ſuprà in deſcriptione Fortunæ.

Nota quartò: reſpectu DEI nullum dari Caſum propriè. Ratio eſt; quia ipſe eſt agens ex intentione, electione, & liberum, omnia prævidens, & ſciens. Item Caſum alium eſſe bonum; alium malum, juxta varietatem eventuum bonorum, vel malorum.

9. *Caſus, & Fortuna reducuntur ad cauſam efficientem.* Nota quintò: Caſum, & Fortunam reduci ad genus Cauſæ Efficientis; ut habet Scotus *2. Phyſic. q. 11.* & eſt ratio de Fortuna; quia ut ait Doctor *cit. Habitudo formæ ad effectum fortuitum exprimitur per hanc præpoſitionem A. quæ denotat habitudinem Cauſæ Efficientis*; unde Fortuna non diſtinguitur à natura efficiente intellectuali voluntaria, & electiva, qualis eſt homo, & Angelus. Caſus verò coincidit cum natura efficiente non intellectuali, qualis eſt equus, leo &c.

QUÆSTIO XXV.
De Fato, & Monſtro.

1. *Veterum, & Chriſtianorum ſenſus de Fato.* Nota primò: *Fatum* juxta nominis etymologiam *à fando* derivari, ut notat S. Auguſtinus *tract. 37. in Ioan.* quaſi Fatum ſit quid prælocutum, ſeu prædictum, & diſpoſitum ab aliqua Cauſa ſuperiori, ut infallibiliter eveniat: circa naturam Fati aliter ſentiunt Chriſtiani; & aliter antiqui Ethni. Quidam enim Ethnicorum, ut videre eſt apud Senecam *lib. 22. qq. natural. cap. 36.* ſic illud definierunt, *Fatum eſt indeclinabilis rerum ordo, & inevitabilis earum catena, quam nulla vis poteſt irrumpere; propterea quòd à Iovis diſpoſitione & definito Deorum conſilio pendeat.* Alii, ut Ptolomæus, Firmicus, Apulejus referente Alberto Mag. *2. Phyſ. tract. 2. cap. 19.* quibus ex Chriſtianis conſenſêre Priſcillianiſtæ, Fatum ſic deſcripſerunt, *Fatum eſt colligantia cauſarum, ex aſtrorum motibus, & viribus efficaciam trahens.* Chriſtiani Fatum refundunt in Divinam Providentiã: ſed non omnes eôdem modô; Lutherus enim *in aſſert. art. 36.* & Calvinus *lib. Inſtit. cap. 28.* dicunt, Fatum eſſe Providentiam Divinam, quæ infallibilem rebus omnibus neceſſitatem infert; ita etiam videtur ſenſiſſe Petrus Abailardus, & Wiclephus; ſed hi Errones damnati ſunt ab Eccleſia. Quare Catholici rectiùs dicunt, Fatum eſſe quidem Divinam Providentiam, quæ tamen nullam neceſſitatem, aut vim infert Cauſis ſecundis liberis, & earum effectibus; neque aufert contingentiam ab eis; ſed regit eas, & diſponit in executione ſuarum operationum juxta exigentiam cujuſcunque naturæ.

Dico primò: bene deſcribitur Fatum in ſenſu Catholico, quòd *ſit immobilis diſpoſitio; inhærens rebus mobilibus, per quam Divina Providentia ſuis quæque nectit ordinibus.* Ita in terminis Boëtius *lib. 4. de conſol. Philoſoph. proſa 4.* & communiter recipitur à TT. Clariùs ſic poſſet deſcribi, *eſt infallibilis ordo, & diſpoſitio Cauſarum ſecundarum, cauſantium ſuos effectus ſecundùm DEI ordinationem.* 2. *Deſcribitur Fatum Catholicè.*

Probat. hæc deſcriptio bene explicat naturam Fati in ſenſu Catholico: Ergo eſt amplectanda. Ly *diſpoſitio* eſt genus, reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur *immobilis diſpoſitio*, quæ ſumi poteſt paſſivè, & activè; *paſſivè* eſt ordinatio DEI in Cauſis ſecundis exiſtens. *Activè* eſt actus Divinæ Voluntatis ſtabilis, firmus, & immutabilis, quô regit, & gubernat cuncta in iſto univerſo: dicitur *inhærens rebus mobilibus*, id eſt, cadens ſuper Cauſas ſecundas, quæ mobiles ſunt; quia mutationis obnoxiæ: per reliquas particulas datur intelligi, quòd DEUS ſuâ Providentiâ Divinâ ita diſponat Cauſas ſecundas, ut in ſuis ordinibus, & ſpeciebus operentur conformiter ad exigentiã ſuarum naturarum contingenter. Unde DEUS ſuâ diſpoſitione ſeu Decretô nullam neceſſitat neceſſitate antecedẽte; ſed cum liberis ita concurrit, ut liberè, & cũ indifferentia vera in operationes ſuas exeat: cum naturalibus verò ut exeat determinatè: quam Divinam Diſpoſitionem, & concurſum eleganter expreſſit D. Auguſt. *lib. 7. de Civit. DEI cap. 30.* dicens; *DEUS res, quas condidit, ita adminiſtrat, ut proprios motus agere ſinat.* Ex quo patet, illam particulam definitionis Boëtianæ *immobilis* non dicere neceſſarium, ſed tantùm infallibilem ordinem Cauſarum ſecundarũ cum ſuis effectibus; qui tamen non tollit, ſed ſtat cum libertate humana.

Nota ſecundò: iſto nomine *Fati* ſic deſcripti, & Catholicè explicati, nos uti poſſe: unde quando D. Gregorius *in homil. de Epiphan.* dicit: *Abſit à Fidelium cordibus,* 3. *Licitum eſt uſus Fati Catholicè.*

dibus, ut Fatum eſſe aliquid dicant: intelligendus eſt de Fato in ſenſu Ethnicorum, quòd humanam tolleret libertatem: in quo ſenſu ſanè ſemper abſtinendum eſt etiam à nomine Fati, ſi eô tale Fatum gentile audientibus imprimeretur.

4. *Fatum Gentile non datur.*

Dico ſecundò: nullatenus datur Fatum in ſenſu Gentilium, id eſt tollens libertatem humanam. Ita TT. omnes contra Ethnicos, & Hæreticos *citat.* ſuprà *notabili 1.*

Probatur *primò* authoritate Conc. Bracaren. *1. cap. 9.* & Leonis I. Papæ damnantium Fatum, quod neceſſitatem fatalem infert Cauſis ſecundis: Et Trident. *Seſſ. 6.* ubi adſtruit libertatem in homine: Ergo &c. *Secundò* authoritate SS. PP. idem Fatum gentile; & hæreticum reprobantium, ut videre eſt *lib. 6. de præparat. Evang. cap. 5.* & apud S. Chryſoſt. *Orat. de Providentia*; & ſignanter D. Auguſtinum, qui *lib. 5. de Civit. DEI* fermè per totum agit contra Fatum neceſſitans. *Tertiò* ratione; ſi daretur Fatum neceſſitans, & lædens libertatem, tolleretur negotiatio, & conſultatio admiſſa *1. Perih. cap. ult.* Item homo non eſſet laudandus, nec vituperandus; nec præmiô afficiendus, nec pœnâ plectendus. Tandem nulla foret rerum contingentia, nulla indifferentia, & indeterminatio ad oppoſita; quæ omnia ſunt abſurda; & contra experientiam quotidianam: Ergo nullatenus datur Fatum in ſenſu Gentilium.

5. *Bene tamen Catholicum.*

Dico tertiò: concedendum tamen eſt Fatum in ſenſu Catholico *Concluſ. 1.* tradito. Ita communis TT.

Probatur: Tum quia fatendus eſt Author, & Adminiſtrator naturæ, ejuſque Divina Providentia circa cunctas res hujus Univerſi; utì pluribus demonſtro in *Schola mea Theologica tom. 1. tract. 2. diſt. 3. q. 1.* Et patet ex illo Scripturæ *Sap. 4. Tu autem Pater providentiâ ab initio omnia gubernas.* Et illo *Sap. 6. Æqualiter eſt illi cura de omnibus*: ſed in hujus Authoris, & Adminiſtratoris naturæ diſpoſitione reſpectu Cauſarum ſecundarum, ac in ordine ipſarum Cauſarum exequentium Divinam Voluntatem Authoris naturæ conſiſtit Fatum in ſenſu Catholico: Ergo concedendum eſt Fatum in ſenſu Catholico. Tum quia experientiâ conſtat, Cauſas ſecundas ex Divina diſpoſitione, & ordinatione operari varia; ſic Sol illuminat hæmiſphærium noſtrum per diem, & Luna per noctem; ſic ignis comburit, aqua humectat; animalia maſculum, & fæminam generant pro conſervatione ſpecierum ſuarum: Ergo datur ordo infallibilis Cauſarum ſecundarum, cauſantium ſuos effectus juxta DEI ordinationem: hic autem eſt Fatum Catholicum: Ergo &c. Unde quando D. Auguſtinus *tract. 37. in Joan.* negat dari Fatum; intelligendus eſt de Fato in ſenſu Ethnicorum, quòd ſtâtuebant vel Numen aliquod, vel Decretum Deorum neceſſitans Cauſas ſecundas ad operandum, vel aſtra ſuis influxibus neceſſitantia hæc inferiora. Circa Monſtra

6. *Quid ſit Monſtrum.*

Nota tertiò: *Monſtrum* dici *â monſtrando*, utì patet ex S. Auguſtino *21. de Civit. DEI cap. 18.* eò quòd monſtret, & oſtendat aliquem eventum extraordinarium futurum; hoc ſenſu Cometæ extraordinariæ figuræ, aliæque imagines in cælo quandoque comparentes, Monſtra ſolent vocari. Phyſicè, & propriè Monſtrum ſignificat errorem naturæ, ſeu agentis naturalis propter finem; nam natura in generatione intendit efficere effectum, & opus perfectum juxta exigentiam ſuæ ſpeciei; quando autem accidit, ut deficiat à conſecutione ſui finis, ob aliquod impedimentum, tunc dicitur fieri Monſtrum in natura. Unde

7. *Deſcribitur Monſtrum.*

Dico quartò: bene deſcribitur Monſtrum phyſicum, quòd *ſit effectus naturalis à ſolita ſuæ ſpeciei diſpoſitione notabiliter degenerans.* Eruitur ex Philoſopho *2. Phyſic. tex. 82.* & *4. de gen. animal. cap. 4.*

Probatur: hæc deſcriptio aptè elucidat naturam Monſtri phyſici: Ergo &c. Ly *effectus* eſt genus; reliqua collocantur pro differentia. Dicitur *effectus naturalis*, ut diſcernatur Monſtrum phyſicum, ſeu naturale, à monſtro morali, quale eſt peccatum; & ab artificiali, quale eſt error notabilis in artefactis. Additur *à ſolita ſuæ ſpeciei diſpoſitione degenerans*, ut exprimatur, in quo conſiſtat ratio ſpecifica Monſtri, puta vel in quantitatis, vel qualitatis (quæ ſolent habere individua) defectu vel exceſſu; quando enim naſcitur individuum habens nova membra, vel plura ſolitò, vel nimis improportionata, cenſetur eſſe Monſtrum; quale fuit illud, de quo narrat *Genebra. 4. Chronol. pag. 317. in decimo ſeculo*, quod compactum erat ex corpore humano, & capite canino; & ille infans biceps, ac cum ſexu duplici natus, teſte eodem authore *Seculò duodecimò pag. 356.* Et ille porcus circa ann. 1105. genitus

cum

cum facie humana: & illi gigantes, quos narrat S. Auguſtinus *16. Civit. cap. 23.* Romæ extitiſſe cum inſolita mole corporis. Apponitur tandem ly *notabiliter;* quia ſi effectus naturalis parum degeneret à diſpoſitione ſolita ſuæ ſpeciei, v.g. ſi infans ſex digitos in una manu habeat, non cenſetur propriè eſſe Monſtrum.

8. *Prima cauſa Monſtrorum eſt abundantia materia.*

Nota quartò: â Naturaliſtis varias afferri Cauſas Monſtrorum. *Prima* eſt reduntantia, ſeu abundantia materiæ, ex qua generatur Monſtrum phyſicũ; quando enim plus ſolitò affunditur de materia ad locum generationis, ex ea componuntur vel membra inſolitæ magnitudinis, qualia fuêre gig.ntum Romanorum, de quibus narrat *citatus* Auguſtinus; & quales ſunt pedes Umbripedum, de quibus narrat Plinius *7. hiſtor. cap.* quòd habeant pedes tam largos, ut eis ſibi umbram efficere valeant. Et quales ſunt Labiones, qui unô labiô totam faciem tegunt. Vel formantur plura ſolitò membra; utì in illo puero Romano, quem ſcribit Genebr. *2: Chron. ad annum urbis Romæ conditæ 512.* natum fuiſſe cum quatuor pedibus, totidem oculis, & auribus. Ex eodem principio naſcuntur Hermofroditi, ſeu Androgymi, id eſt, habentes utrumque ſexum maſculinum, & fœmininum; de quibus D. Auguſtinus *12. Trinit. ante cap. 7.*

9. *Secunda, penuria materia.*

Secunda Cauſa eſt penuria materiæ; quando enim valde modica materia defertur ad locum generationis, membra corporis formantur aut non omnia; aut non locô debitô, aut in exigua quantitate: ex hoc cap. oritur, quòd naſcantur monoculi, unimani, unipedes. Item quòd aliqui naſcantur cum oculis, & auribus non in ſolito ſitu collocatis. Item quòd producantur pygmæi, qualis fuit ille Ægyptius, de quo narrat Nicephorus *12. hiſtor. cap. 37.* qui natus fuit cum adeò exili corpore, ut vix perdicis magnitudinem attigerit.

10. *Tertia, virtus ſeminalis, & formatrix.*

Tertia Cauſa eſt, virtus ſeminalis, & formatrix, quæ quandoque non eſt debitè activa; ſed ita debilis, ut fætum juxta ſolitam diſpoſitionẽ ſpeciei efformare nõ valeat; qua de cauſa membra debitè non articulantur, nec coordinantur: ſed monſtruoſa efficiuntur.

11. *Quarta, mala ſecundina.*

Quarta Cauſa eſt, defectuoſa ſecundina, continens fœtum (hæc eſt pellicula quædam ſubtilis fœtum involvens) quæ ſi violenter comprimatur, aut frangatur, tunc unus fœtus cum altero conjungitur, & concreſcit: unde ex hoc capite egrediuntur aliquando Monſtra duplicem hominem præſeferentia quoad omnia membra inſigniora; hinc refertur paſſim anno 1623. Monſtrum prodiiſſe, duos infantes figurans, quorum unus alterum geſtabat; unus comedebat, bibebat, & loquebatur; alter verò non; ſed tantùm ſpumam ex ore vomebat.

Quinta Cauſa eſt, influentia maligna; quando videlicet aër, ubi mater fœtum geſtans habitat, eſt infectus, aut nimiùm inclemens, eô tempore, quô fœtus formatur; unde fit ut fœtus de facili recipiat malignas impreſſiones, & difformetur à ſolita diſpoſitione ſpeciei: ex hoc capite in extremis Aquilonaris climatis terris, ut Lapponia, Islandia, &c. legimus reperiri homines multùm monſtroſos, ac defectuoſos in diſpoſitione faciei humanæ, ac corporis univerſi. 12. *Quinta, influentia maligna.*

Sexta Cauſa eſt imaginatio concipientium; quando enim tempore formationis fœtûs mulier vehementi aliqua fixâ laborat imaginatione circa aliquod objectum, de facili ad ejus ſimilitudinem generat fœtum; ex hoc capite quandoque ab albis matribus naſcuntur Æthiopes, hirſuti infantes, figuræ ſimialis, aut alterius. 13. *Sexta, imaginatio.*

Septima eſt intemperies materiæ; ſi enim contingat materiam eſſe nimìs calidam, naſcuntur infantes dentati exorbitanter; ſicut contigit cum Marco Curio, teſte Plinio; ſi verò ſit nimìs frigida, generantur diſtortis, & inflexis pedibus, ac manibus, ad functiones animaſticas prorſus inhabilibus; ut refert P. Lyranus *ad fin. cap. 1. Gen.* 14. *Septima eſt intemperies*

Octava eſt commixtio animalium diverſarum ſpecierum; quæ ſæpiùs ſolet contingere in Affrica, ubi ob raritatem fontium, & fluminum ſolent ad eandem aquam convenire diverſarum ſpecierum beſtiæ ad bibendum; hacque occaſione commiſcentur, & ſic ab eis naſcuntur varia Monſtra, utì docet Philoſophus *8. de gen. animal. cap. 28.* qualia ſunt ſemiboves, ſemicapræ, ſemiequi &c. unde eadem Regio dici ſolet ab hiſtoricis *fœcunda parens Monſtrorum.* Ex hoc capite ortum ducunt illa Monſtra, quæ aliquando effundunt malæ fœminæ, pariendo ſemihomines, ſemiferas &c. 15. *Octava, commixtio animalium,*

Nona Cauſa aſſignari poteſt quandoque Juſtitia Divina, parentum occulta crimina vindicans, aut ad aliorum emendationem Monſtrum producens v.g. ut naſcantur 16. *Nona pæna DEI.*

naſcantur infantes rictu, ſeu ore caninô, auriculis pendulis inſtar canis venatici; ex eo, quòd Patres eorum dies ſacros venationibus profanaverant.

17. *Natura non intendit per ſe monſtra.* Ex dictis infertur cum Scoto *2. Phyſic. q. 4.* naturam non intendere per ſe Monſtri generationem; ſed per accidens: Monſtrum enim eſt error, & malum naturæ, quod natura abhorret potiùs, quàm intendit; ſi tamen ex Cauſis prærecenſitis effectum naturalem numeris ſuis abſolutum, & conformem ſuæ ſpeciei producere nequeat; per accidens producit defectuoſum, & monſtroſum.

18. *Specialis doctrina de monſtris quibuſdam.* Quæres primò: an cenſendum ſit unum animal illud Monſtrum, quòd haberet membra duplicata, contra ſolitam diſpoſitionem ſpeciei; v.g. humanum habens duo capita, quatuor pedes, quatuor manus? Reſpondeo cum Philoſopho *4. de generat. animal.* ſi ejuſmodi animal poſſideat unicum cor, cenſendum eſt unum animal; ſi duo corda, dicendum eſt duplex animal. Ratio eſt; quia cor eſt origo, & fons vitæ; ac proinde ex ejus unitate, vel duplicitate colligenda eſt unitas, vel dualitas animalis: & hoc ſecundùm Scotum *4. diſt. 6: q. 2.* dignoſci poterit ex pulſu talis Monſtri recens nati; in adultis verò ſi humanum Monſtrum ſit, colligi poterit ex intellectu, & voluntate uniformiter, vel difformiter eodem tempore operantibus.

19. *Quid ſint Satyri, Fauni, & Sirenes.* Quæres ſecundò: quid de Satyris, Faunis, Syrenibus, & Tritonibus ſentiendum? an ſcilicet ſint Monſtra humana; & an conſtituant peculiarem ſpeciem animantium? Fabuloſi aliqui Rabini dixerunt hos omnes eſſe creaturas imperfectas, quas DEUS ſextô die veſperô Sabbathi præventus perficere non potuit; ſed his omiſſis: Reſpondeo probabiliter Faunos, & Satyros, &c. non eſſe Monſtra humana, ſed peculiares ſpecies animatorum. Ratio eſt; quia nullum vel leve habemus indicium eis animas rationales tribuendi; nec refert, quòd aliqui eorum fuerint locuti, aut didicerint formare crucem; quia pſittacus Cardi: Aſcanij totum Credo diſtinctè ſinè ullius litteræ omiſſione recitabat. Præterea ſimiæ multò majores de facto exercent corporis inflexiones, quàm ſit crux: Ergo &c.

Quæres tertiò: quid dicendum de fœminis? an verè adſcribi debeant inter Monſtra? Ratio dubij eſt; quia Ariſtoteles *4. de generat. animal. cap. 3.* Et Galenus *lib. 4. de uſu partium* dicunt, ſolùm maſculum intendi à natura; fœminas verò oriri ex defectu, & per accidens; ideoque vocari eas à Græcis *animal mutilatum*, & *occaſionatum*. Reſpondeo negativè; cùm enim fœmineus ſexus ad generationem perfectorum animalium ſit neceſſarius, dicendum eſt, fœminam per ſe à natura intendi. Ad authoritates Ariſtotelis, & Galeni reſpondeo, eos locutos fuiſſe non abſolutè; ſed comparativè; ſcilicet ut ſenſus ſit, magis principaliter intendi à natura maſculos; quàm fœmellas. 20. *Num fœminæ ſint Monſtra.*

DISTINCTIO XI.

DE MOTU.

Prænotatio.

EXplicatis cauſis corporis naturalis in prioribus Diſtinctionibus; rectò ordine ſubijciuntur diſtinctiones aliæ de proprietatibus, ſeu affectionibus ejuſdem cujuſmodi ſunt motus, locus, duratio, ratio continui, finiti, infiniti &c. quas ſucceſſivè explanabo: primò autē locò de Motu tractabo, qui eſt præcipua, & principalis paſſio, ſeu proprietas corporis naturalis: & quæ Philoſophus de eo ſparſim in 3. 5. 6. 7. & 8. tradidit, hac unica diſtinctione combinabo, ob materiæ connectionem. Unde ſit

QUÆSTIO I.

De Exiſtentia; quidditate; & diviſione Motûs.

1. *Datur Motus.*

DIco primò: datur Motus. Ita præſupponitur à Scoto *9. Met. q. 14.* & *2. diſt. 2. q. 9.* Eſtq; communis Peripateticorum; contra Zenonem, cavillôsè negantem Motum, contra quem Ariſtoteles efficaciter diſputat *8. Top. c. 3.* Unde

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui tum *loc. cit.* tum *6. Phyſic. cap. 9. tex. 75.* exiſtentiam Motûs aſſerit, & probat: Ergo &c. *Secundò* ratione: tum quia experimentô ambulationis ad ſenſum conſtat dari Motum; quô Zenonem convincebat Diogenes: & eundem demonſtrant quotidianæ circulationes orbium cæleſtium aſtrorum; ortûs & occaſus, fluxus & refluxus maris, fluminum curſus: Ergo &c. Nec hujus ratio probativa ulterior quærenda eſt, ubi experimentum omnem ſupplet rationem; unde bene dicit Scotus *4. diſt. 12. q. 2.* fatuum eſſe ibi quærere rationem, ubi habebimus aliquid certiùs ratione, puta ſenſum, & indubiam experientiam. Et ſanè contra Zenoniſtas baculi Motus, & percuſſio tam diu applicanda foret, quouſque faterentur dari Motum.

2. *Zenonis fundamentum evertitur.*

Fundamentum præcipuum Zenonis negandi Motum fuit ſequens: ſi daretur Motus, ſequeretur quòd movens ſuo Motu tranſiret finito tempore infinitum ſpatium: ſed hoc eſt falſum: Ergo &c. Prob. ſequela Maj. demus hominem ſe movere intra horam per unam leucam, tunc debet tranſire omnes partes illius leucæ; ſed iſtæ ſunt infinitæ; quia ſpatium leucæ eſt diviſibile ſemper in alias, & alias partes in infinitum: Ergo movens finito tempore tranſiret ſpatium infinitum. Reſpondeo Neg. Maj. ad ejus Probat. dico, hominem unâ horâ tranſire omnes illius leucæ partes aliquotas, quæ ſunt determinatæ quantitatis, & finitæ, à quibus ſpatia leucæ, & alia denominantur magna, vel parva; non autem pertranſit omnes ejus partes proportionales, quæ ſunt ſemper diviſibiles, ita ut nunquam ad ultimam deveniri poſſit. Quare Zeno in propoſito ſuo argumento cudit ſophiſma; tranſit enim â partibus aliquotis ad proportionales. Pro altero articulo quæſtionis

3. *Deſcriptio Motus ab Ariſtotele data.*

Dico ſecundò: bene definitur ab Ariſtotele Motus, quòd *ſit actus entis in potentia prout in potentia.* Ita in terminis Philoſophus *3. Phyſic. cap. 2. tex 6.* & ſequitur Doctor *Quodlib. 3.* ac communis Peripateticorum.

Probatur: hæc definitio data eſt ſecundùm leges dialecticas probæ definitionis: Ergo &c. Ly *actus* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia: intelligitur autem nomine *actus* non actus perfectus, qualis eſt anima v. g. & quæcunque forma ſubſtantialis, & etiam accidentalis intenſa in ſummo v. g. calor ut octo, quæ actus perfecti dicuntur, quia ſcilicet non ordinantur ad ulterioreǵ actuationem ſeu formam vel actum recipiendum; ſed intelligitur hìc actus imperfectus, qui ordinatur ad ulteriorem actuationem; cùm ſit via, & tendentia ad formam ulteriorem acquirendam, v. g. ad calorem per inchoatam calefactionem ut Motum ulteriùs producibilem in aqua: ſimiliter *actus* hìc non dicitur ex eo, quòd perficiat ſubjectum; quia poſſet fieri, quòd non perficeret; ut ſi Motus eſſet violentus, vel neuter: ſed dicitur *actus* ex eo, quòd determinet ſubjectum ad aliquid, quod antè non habebat. Additur ly *entis*, id eſt phyſici; ſub quo venit tum omne corpus naturale, ut habet Ariſtoteles *8. Phyſ. tex. 10.* tum etiam materia, quæ ut ens phyſicum actuatur per formam Motu phyſico acquiſibilem: dicitur *entis in potentia*, id eſt ſubjecti mobilis, quod eſt potentiale, & capax receptionis ulterioris determinativæ formæ per Motum acquiſibilis, quæ dicitur actus perfectus mobilis: additur *ut in potentia* ad deſignandum quòd Motus conveniat ſubjecto mobili in quantū eſt mobile, id eſt, in quantum eſt potentiale, & capax ulterioris adhuc formæ determinativæ, per Motum acquirendæ.

4. *Authoris deſcriptio.*

Nota primò: cùm hæc definitio Ariſtotelica ſit obſcura; ideo poſſet clariùs ſic deſcribi; *Motus eſt tranſitus ſubjecti de una forma ad aliam:* nomine *formæ* intelligi debet tam negativa, quàm poſitiva; ut contineatur etiam Motus ſubſtantialis, & quivis Motus à privatione formæ ad formam; & econtra. Talis tranſitus eſt in Motu calefactionis aquæ, ubi fit tranſitus aquæ ut ſubjecti mobilis de forma frigoris, ad formam caloris; & in locatione Petri in loco B. qui tranſit de forma relativa ubi A. ad formam relativam ubi B. & in generatione ignis in

ſtupa,

ſtupa, ubi ſubjectum ſtupa tranſit de forma ſtupæ ad formam ignis; & ſic dicendum de alijs motibus phyſicis; quorum præcipuæ ſpecies ſunt ſecundùm Ariſtotelem in *Poſtpræd. cap. 14.* alteratio, generatio, corruptio, accretio, decretio, & locimutatio. Formæ inter quas hi, & alij Motus reperiuntur, dicuntur *termini Motûs*; illa quidem, quæ per Motum deperditur *terminus à Quo*; illa autem quæ per Motum acquiritur *terminus ad Quem*. Subjectum autem quod tranſit ab una forma ad aliam vocatur *Mobile*. Circa tertium articulum quæſt.

5. *Quid Motus inſtantaneus, & ſucceſſivus.*

Nota ſecundò: Motum habere ſui diviſiones eſſentiales, & accidentales; quoad eſſentiales *primò* dividitur tanquam in ſpecies principales in inſtantaneum, & ſucceſſivum. *Motus inſtantaneus* (qui & indiviſibilis dicitur eſt, cujus terminus ad quem acquiritur in inſtanti; talis eſt Motus generationis, corruptionis, multorum in opinione; item Motus illuminationis aëris, & ſimilium. *Motus ſucceſſivus* (qui & diviſibilis appellatur) eſt is, cujus terminus ad quem totalis ita acquiritur, ut una ejus pars acquiritur poſt alteram, tales ſunt Motus augmentationis, diminutionis, alterationis, & mutatio ad locum. Hic vel eſt ſucceſſivus continuè, vel diſcontinuè. *Primò modò* fit, ſi non intercedant aliquæ ſenſibiles interruptiones inter partes acquiſitionis termini ad quē; talis eſt Motus, quô aqua movetur ad calorem ut octo, ita ut quôvis quaſi inſtanti accipiat unum gradum. *Secundò modô* fit, ſi interveniat interruptio; ut in ambulatione.

6. *Quid ſubſtantialis, & accidentalis.*

Nota tertiò: partitur *ſecundò* Motus eſſentialiter in ſubſtantialem, & accidentalem, *Motus ſubſtantialis* eſt, cujus terminus eſt ſubſtantia; talis eſt generatio ignis. *Accidentalis* eſt, cujus terminus eſt accidens; talis eſt alteratio, quâ aqua frigida tranſit ſub formam caloris per motum calefactionis.

7. *Quid naturalis, violentus, & neuter.*

Nota quartò: *tertiò* dividitur Motus accidentaliter in naturalem, violentum, & neutrum; qui dicuntur tales penes diverſam habitudinem, quam habet ſubjectum ad formam in ſe, per motum recipiendam. Unde *Naturalis* eſt, ad cujus terminum, ſeu formam acquirendam inclinat ſubjectum; talis eſt Motus lapidis deorſum. *Violentus* eſt, ad cujus terminum, ſeu formam recipiendam reluctatur ſubjectum; talis eſt Motus lapidis ſurſum. *Neuter* eſt, ad cujus terminum, & formam recipiendam ſubjectum neutrô modô ſe habet; id eſt, nec inclinat, nec reſiſtit; talis eſt Motus circularis ignis in ſuo loco naturali.

8. *Alij Motûs ſpecies.*

Nota quintò: *quartò* dividitur eſſentialiter Motus in Motum ad quantitatem; & ad qualitatem; & ad ubi. *Motus ad quantitatem* eſt, cujus terminus eſt aliqua quantitas; cujus ſpecies ſunt accretio, & decretio. *Motus ad qualitatē* eſt, cujus terminus eſt aliqua qualitas; cujus ſpecies ſunt intenſio, & remiſſio. *Motus ad ubi* (qui & localis dicitur) eſt, cujus terminus eſt locus, & ubi novum; hujus ſpecies referuntur *7. Met. tex. 10.* pulſio, tractio, vectio, & volutatio.

Nota ſextò: *quintò* accidentaliter ſecatur Motus ſucceſſivus in velocem, & tardum; uniformem, & difformem; regularem, & irregularem; *Motus velox* dicitur, per quem brevi tempore acquiritur multum de termino ad quem. *Tardus* eſt ècontra, per quem longo tempore acquiritur parum de termino ad quem. *Uniformis* eſt, cujus omnes partes in diverſis partibus ejuſdem mobilis exiſtentes ſunt inter ſe æqualis celeritatis; talis eſt Motus lapidis deorſum. *Difformis* eſt ècontra, cujus partes ſunt inæqualis celeritatis; talis eſt Motus rotæ in orbem gyratæ; ubi partes ab axe remotiores celeriùs moventur, quàm axi viciniores. *Motus regularis* eſt, cujus omnes partes ſibi in eodem ſuccedentes ſunt æquè celeres; talis eſt Motus primi mobilis cæleſtis. *Irregularis* eſt, cujus aliquæ partes ſibi in eodem ſuccedentes ſunt inæqualis celeritatis; talis eſt motus lapidis ſurſum, vel deorſum; hic enim eſt velocior in fine, quàm in principio; ille verò velocior in principio, quàm in fine.

Nota ſeptimò: *ſextò* accidentaliter dividitur Motus localis in ſimplicem, mixtum, rectum, & circularem. *Motus ſimplex* eſt, qui fit ſuper magnitudine ſimplici; talis eſt Motus gravium deorſum, & Motus perfectè circularis. *Mixtus* eſt, qui fit ſuper magnitudine mixta; talis eſt Motus globi ſuper planum inclinatum, ſeu declive. *Magnitudo ſimplex* vocatur linea aliqua breviſſimè extenſa inter aliqua duo puncta; vel quæ ſecundùm omnes ſuas partes æqualiter diſtat ab eodem centro: *Magnitudo* verò *mixta* eſt linea neq; breviſſimè extenſa inter aliqua duo puncta, neque æqualiter diſtans ſecundùm

dùm omnes ſuas partes ab eodem centro. *Motus rectus* eſt ille motus ſimplex, qui fit ſuper lineam breviſſimè extenſam inter terminum à quo, & ad quem; talis eſt ordinarius Motus lapidis per aërem, ſuppoſito quòd non impediatur in ſua rectitudine. *Circularis* eſt ille Motus ſimplex, qui fit ſuper lineam, cujus omnes partes æqualiter diſtant à centro; talis eſt Motus primi mobilis.

Nota octavò: tandem ex Motibus aliqui dicuntur deperditivi; alii acquiſitivi. *Motus deperditivi* (qui & negativi dicuntur) habentur, quando fit tranſitus de forma ad privationem; talis eſt in aëre, in quo de luce fit tranſitus ad tenebras. Acquiſitivi, qui & poſitivi habentur, quando fit tranſitus de privatione ad formam; ut dum expulſis tenebris illuminatur aër.

9. *Definitio Ariſtotelica Motûs convenit omni ſpeciei Motûs.*

Dico tertiò: definitio Motûs ſuprà ab Ariſtotele tradita convenit omni ſpeciei Motûs phyſici hactenus recenſitæ, etiam Motui inſtantaneo. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 12. q. 1. & in prædicamentis.* Et ſequuntur Ant. Andreas, Maſtrius, Canon. Fuente, Columb. & alij Scotiſtæ, quibus adjunge Ruvi. Complut. &c. contra Jandun. Conimbri. & ex noſtris contra Sulmonenſ. & Catharenſ. negantes dictam definitionem convenire Motui inſtantaneo.

Probatur primò authoritate Philoſophi, de Motu inſtantaneo (de quo tota eſt difficultas) qui pro illuſtranda & explicanda præfata ſua definitione utitur quoque exemplò Motûs inſtantanei, puta generationis, ut videre eſt *3. Phyſ. tex. 6.* volens per hoc ſignificare, quòd etiam Motui inſtantaneo conveniat illa ſua definitio: Ergo &c.

Probatur ſecundò generaliter: omnis Motus in ſuperioribus diviſionibus allatus, etiam inſtantaneus, eſt quidam actus imperfectus entis in potentia prout in potentia ad actum perfectum; quia quilibet eorum ordinat ulteriùs ad actum ultimũ, ſeu perfectum, puta ad formam totalem acquirendam; & quamvis Motus inſtantaneus generationis ſubſtantialis v. g. ponatur totus ſimul, uti & ejus terminus; attamen ordinat adhuc ulteriùs ad actum perfectiſſimum, id eſt ad animam: Ergo definitio Motus ab Ariſtotele tradita convenit omni ſpeciei Motûs phyſici hactenus recenſiti, & etiam inſtantaneo. Præterea tam generatio, qui eſt Motus inſtantaneus, dicitur actus ſubjecti generabilis, ut generabile eſt, quàm alteratio, quæ eſt Motus ſucceſſivus dicitur actus ſubjecti alterabilis, ut alterabilis eſt: Ergo etiam Motui inſtantaneo convenit definitio Motûs allata ab Ariſtotele. 10.

Cuidam objecto occurritur.

Objicies contra ſecundam Concluſionem: nihil eſt in actu, & in potentia ſimul; quia hæc duo ſunt oppoſita: Ergo mala eſt definitio Ariſtotelica Motûs, in qua mobile ponitur eſſe in actu, & in potentia reſpectu Motûs. Reſpondeo Diſt. Ant. nihil eſt in actu, & in potentia ſimul reſpectu ejuſdem, Conc. Ant. reſpectu diverſorum Neg. Ant. Itaque mobile, dum movetur, eſt in actu reſpectu formæ ſubſtantialis, & reſpectu ejus informatur; eſt verò in potentia reſpectu ulterioris formæ acquirendæ; unde reſpectu diverſorum eſt in actu, & potentia; & ſic reconciliatur oppoſitio. 11.

Alia objectio enodatur.

Objicies contra tertiam Concluſionem: ut alicui Motui creato conveniat definitio Motûs Ariſtotelica, debet is juxta communem ſenſum DD. eſſe actus ita imperfectus, ut conſtituat ſubjectum partim in actu, & partim relinquat in potentia, prout in potentia ad partes, vel gradus termini perfectioris ſuſcipiendos: ſed Motus inſtantaneus, ſeu mutatio inſtantanea non eſt talis; cùm ejus terminus acquiratur totus ſimul; quia eſt forma indiviſibilis: Ergo non convenit ei definitio Ariſtotelica Motûs. Reſpondeo primò Neg. Min. nam in eodem inſtanti reali aſſignari poſſunt plura ſigna naturæ, prioritatem, & poſterioritatem quamdam naturæ præferentia, per quæ ſufficienter ſalvatur, ut in primo eorum ſubjectum mobile ſit in actu, id eſt actuatum Motûs actû imperfecto; & ſit adhuc in potentia ad actum perfectum ſuſcipiendum pro poſteriori ſigno naturæ. Reſpondeo ſecundò Diſt. Maj. Motus debet eſſe actus ita imperfectus, ut conſtituat ſubjectum partim in actu, & partim relinquat in potentia; ut ſenſus ſit, quòd debeat quædam ſucceſſio, & diviſibilitas eſſe in partibus, & gradibus termini, ſeu formæ acquirendæ Neg. Maj. hoc enim proprium eſt ſoli Motui ſucceſſivo; ut ſenſus ſit, quòd Motus ſit actus inchoatus, & imperfectus intrinſecè Conc. Maj. Itaque illæ conditiones Motûs, conſtituere *partim in actu, & partim in potentia*, ſolùm deſignant omnẽ Motum phyſicum eſſe actum inchoatum, & imperfectum intrinſecè, & omne mobile phyſicum creatum tendere ad ulteriorem perfectionem ſubſtantialem, vel acci-

accidentalem; ſolum verò DEUM eſſe immutabilem.

12. *Succeſſio nō eſt de eſſentia Motûs.*

Ex dictis infertur: ſucceſſionem non eſſe de eſſentia Motûs ut ſic; neque paſſionem ejus; ut etiam docet Scotus *2. diſt. 2. q. 9.* & eſt contra Racconium &c. Ratio primi eſt; quia in Motu inſtantaneo generationis, qui ut vera ſpecies Motûs a Philoſopho recipitur, non reperitur ulla formalis ſucceſſio; ſed totus ponitur ſimul; quæ tamen deberet in eo ut ſpecie Motûs reperiri, ſi eſſet de eſſentia ſui generis, ſeu Motûs ut ſic. Deinde DEUS poteſt efficere Motum ſinè ulla ſucceſſione; ut dum Corpus Chriſti è cælo in inſtanti adducitur ſub Hoſtiam conſecratam poſt prolata verba Conſecrationis Sacramentalis: ſed ſi ſucceſſio eſſet de eſſentia Motûs, hoc DEUS efficere non poſſet: Ergo &c. Ratio ſecundi eſt; paſſio ſecundùm Scotum *1. diſt. 16. q. un.* realiter identificatur rei, cujus eſt paſſio, & eſt inſeparabilis ab ea: at paſſio non identificatur Motui, ſed eſt ſeparabilis ab eo, ut jam oſtendi de Motu adductivo Corporis Chriſti in inſtanti ſub hoſtiam: Ergo &c. Succeſſio itaque eſt tantùm paſſio hujus in ſpecie Motûs, ſucceſſivi ſcilicet.

QUÆSTIO II.

In quo conſiſtat Motus phyſicus.

NOta primò: Motus poteſt materialiter, & formaliter conſiderari; & ſub utraque conſideratione de eo hic inquiritur in quonam conſiſtat; cùm in quolibet Motu reperiantur ſex entitates, ſcilicet movens, mobile, forma fluens, fluxus formæ, quæ ſunt quatuor entitates abſolutæ; item relatio moventis ad mobile, & relatio mobilis ad movens; v. g. in Motu calefactionis aquæ; movens eſt ignis introducens calorem; mobile eſt aqua recipiens calorem; forma fluens eſt calor, qui ſucceſſivè acquiritur, fluxus formæ eſt ſucceſſio caloris in aqua; relatio moventis ad mobile, eſt reſpectus quô ignis denominatur agens in aquam; hic ſubjectatur in movente, & terminatur ad mobile; Relatio tandem mobilis ad movens, eſt reſpectus, quô aqua denominatur immutata, ſeu calefacta; hic ſubjectatur in aqua mutata, & terminatur ad movens ut immutans.

1. *Opinionum varietas circa naturam Motûs*

Nota ſecundò: multiplicitatem opinionum circa naturam & conſtitutionem Motûs phyſici: nam Averroës, Albertus Mag. Simplicius, & Catharenſis putant, Motum formaliter conſideratum eſſe ipsã formam fluentem, id eſt quatenus ſucceſſivè acquiſibilis eſt, & ſucceſſivè informat ſubjectum mobile. P. de Ales, Sulmonenſis, & Monturſius opinantur, Motum conſiſtere in fluxu formæ fluentis diſtincto ab ipſa forma fluente. Svarez, Moriſan. Conimbr. & Ruvi. arbitrantur eum eſſe modum quemdam abſolutum à forma diſtinctum. P. Tartaretus, Fuente, & Anton. Andreas autumant Motum eſſe, quantitatem quamdam ſucceſſivam. P. Cavellus, & Faber dicunt ipſum eſſe continuatam illam dependentiam formæ ad agens, à quo forma dependet in eſſe; quæ dependentia eſt relatio intrinſecùs adveniens. P. Bonetus, Æmil. Acerbus, & alii judicant eum eſſe actionem, & paſſionem. Sed

2. *Motus phyſicus materialiter eſt ipſa entitas formæ fluentis.*

Dico primò: Motus phyſicus materialiter conſideratus eſt ipſa entitas formæ fluentis, ſeu forma in fieri ſubjecti mobilis; formaliter verò conſideratus eſt relatio extrinſecùs adveniens mobilis ad movens. Prima pars colligitur ex Philoſopho *3. Phyſ. tex. 4.* & *5. Phyſ. tex. 7.* ſecunda eſt Scoti *2. diſt. 14. q. 2. ſ. ad primum argumentum.* & *in Report.* ibidem. & *4. diſt. 13. q. 1.* & ſequuntur Canonicus, Columb. Joannes de Magiſtris, Pariſienſis &c.

Probatur prima pars: Tum quia Motus materialiter conſideratus eſt ipſa res, ad quam terminatur Motus, ſecundùm Philoſophum *3. Phyſ, tex. 4.* ſed res terminans Motum eſt forma fluens ex eodem *1. de gen. & corrupt. tex. 55.* Ergo Motus materialiter conſideratus eſt forma fluens. Tum quia in nullo alio aptiùs ſtatuitur ratio Motûs materialiter conſiderati, quàm in ipſa entitate formæ fluentis; ſeu in forma in fieri ſubjecti mobilis v. g. in calore, vi ignis calefacientis, fluentis, & ingredientis in ſubjectum mobile aquæ: Ergo &c. Tum quia poſitâ tali formâ caloris v. g. fluente in aqua; & præciſô quocunque aliô, verum eſt dicere, in aqua adeſſe Motum materialem, & immutationem aquæ, ejuſque tranſitum de privatione formæ caloris, ad formam caloris: Ergo &c.

3. *Formaliter verò eſt relatio mobilis ad movens.*

Probatur ſecunda pars: tota ratio Motûs formaliter conſiderati eſt ad aliud ſe habere; quia eſt habitudo ſubjecti mobilis ad movens; unde paſſim vocatur via,

 & ten-

Digitized by Google

& tendentia ad terminum ad quem; & propterea ab Ariſtotele *3. Phyſic. cap. 2.* definitur actus entis in potentia prout in potentia; id eſt entis potentis ulteriorem actum perfectum recipere: Ergo Motus formaliter conſideratus conſiſtit in relatione mobilis ad agens. Præterea nulla alia forma aſſignari poteſt, à qua formaliter ſubjectum denominaretur mobile, ſeu immutatum; quam hujuſmodi forma relativa; ut patebit impugnando aliorum opiniones: Ergo Motus formaliter conſideratus eſt quædam relatio extrinſecùs adveniens mobilis ad movens. Tum tandem, quia Philoſophus *3. Phyſic. tex. 16.* dicit, Motum eſſe actum mobilis: Ergo eſt quædam relatio ejus actuans, & informans mobile, & referens illud totum ad movens.

4. *Impugnantur adverſæ ſententiæ de natura Motûs formaliter conſiderati.*

Probatur ulteriùs Concluſio impugnando aliorum AA. Sententias circa formalitatem Motûs phyſici formaliter conſiderati: imprimis Motus phyſicus formaliter conſideratus non poteſt dici forma fluens; quia hæc eſt Motus materialiter conſideratus: formalis autem conceptus ſuperaddit aliquid rei materialiter conſideratæ; uti patet de conceptu formali Cauſæ, quæ ſuperaddit conceptum formalem relativum ſuper Cauſam materialiter conſideratam: Ergo etiam Motus formaliter conſideratus non eſt ipſa forma fluens. Deinde ex Philoſopho *5. Phyſ. tex. 5.* albedo non eſt dealbatio; ubi nomine *albedinis* intelligitur forma fluens, & nomine *dealbationis* Motus dealbativus formaliter conſideratus. Tandem forma fluens poteſt eſſe ſinè Motu formali, ut nigredo ſinè denigratione actuali: Ergo &c.

Secundò: Motus phyſicus formaliter conſideratus nequit dici fluxus formæ fluentis; quia fluxus formæ eſſentialiter dicit ſucceſſionem, Motus verò ut ſic talem non dicit; aliàs talis ſucceſſio ut ratio eſſentialis, & formalis Motûs ut ſic deberet etiam ineſſe illi Motui in particulari, qui inſtantaneus dicitur, quòd falſum eſt: Ergo Motus phyſicus formaliter conſideratus non conſiſtit in fluxu formæ fluentis.

Tertiò: nec etiam Motus phyſicus formaliter conſideratus importat aliquem modum ſubſtantialem; quia vel iſte modus eſſet in forma per Motum acquiſibilem, vel in ſubjecto: ſed neutrum dici poteſt: Ergo &c. Probat. Min. ſi modus iſte eſſet in forma; eſſet poſterior formâ, utpote in qua fundaretur, ipſamque denominaret moventem: ſed Motus nequit eſſe poſterior formâ; cùm ſit via, & tendentia ad formam, quæ ſemper eſt prior; ſi verò talis modus eſſet in ſubjecto, ſequeretur ſubjectum in quolibet Motu dupliciter moveri, puta per receptionem formæ, & per receptionem illius modi abſoluti; ad multiplicationem enim entitatum recipiendarum multiplicatur receptio & Motus. Unde ad Motum eſſet Motus; & ſic proceſſus in infinitum: Ergo ille modus ſubſtantialis nec poteſt eſſe in forma, nec in ſubjecto; & conſequenter fruſtra excogitatur à RR. Deinde dantur Motus ad formam relativam; puta Motus localis ad ubi: ſed ad has non inſerviunt iſti modi ſubſtantiales abſoluti: Ergo in iis malè ſtatuitur ratio formalis Motus ut ſic formaliter conſiderati.

Quartò: ſimiliter Motus phyſicus formaliter conſideratus non poteſt ſtatui formaliter in aliqua quantitate ſucceſſiva; quia ratio quantitatis ſucceſſivæ nequit convenire Motui ſpecifico inſtantaneo: ut ſuprà oſtendi: Ergo in ea malè ſtatuitur formalis ratio Motûs phyſici. Deinde quantitas ſucceſſiva habet partes; Motus ut ſic formaliter conſideratus præſcindit à partibus. Tandem ſi Motus formaliter conſiſteret in quantitate ſucceſſiva, omnis Motus ſpectaret ad prædicamentũ quantitatis: ſed hoc eſt falſum; quia Motus localis ad ubi ſpectat ad genus prædicamenti relativum: Ergo &c.

Quintò: Motus phyſicus formaliter conſideratus quoque non conſiſtit in relatione intrinſeca dependentiæ, quâ forma dependeat ad agens; tum quia iſta relatio dependentiæ eſt in forma; Motus verò ſecundùm Ariſtotelem *3. Phyſic. tex. 16. & 23.* eſt in mobili: Ergo in ea non conſiſtit formaliter Motus. Deinde poteſt dari Motus verus ſinè tali relatione dependentiæ ad agens creatum; quia in generali reſurrectione DEUS inducet animas in corpora per verum Motum ut in ſubjectum, abſque tali relatione dependentiæ ad ullum agens creatum: Ergo &c.

Sextò: Motus phyſicus formaliter conſideratus etiam non eſt formaliter ipſum movens; quia hoc eſt cauſa ejus. Nec eſt mobile; quia hoc eſt ſubjectum Motûs. Nec eſt relatio moventis ad mobile; quia hæc relatio eſt actio quædam moventis ut agentis, & efficientis; actio autem ſe-

cundùm Scotum, & veritatem eſt in agente; ut alibi oſtendetur; Motus vero ſecundùm Philoſophum *3. Phyſic. tex. 16.* eſt in ſubjecto mobili: Ergo Motus phyſicus nō eſt formaliter relatio moventis ad mobile: Ergo remanet, quòd ſit relatio mobilis ad movens: & quidem extrinſecus adveniens; quia non conſurgit neceſſariò, poſitis extremis; ſed ad ſui poſitionem adhuc deſiderat aliquam actionem; v. g. etſi ſint aqua, & ignis à parte rei exiſtentia; non tamen reſultat relatio denominans aquam calefactam, & immutatam; niſi applicetur ignis aquæ, & is agat actione reali in eam.

5. *Reconciliatur Philoſophus, Div. Auguſt. & Scotus.* Objicies: Philoſophus, Scotus, & S. Auguſtinus adverſantur Concluſioni: Ergo &c. Probat. Ant. Philoſophus *5. Met. tex. 18.* & Scotus in *eodem loco*; ac *Quodlib. 11.* collocant Motum in prædicamento quantitatis: S. verò Auguſtinus *lib. 83. qq. quæſt. 35.* dicit, quòd amor ſit quidam Motus: amor autem eſt entitas abſoluta de genere qualitatis: Ergo Concluſioni, quæ Motum formaliter conſideratum ponit relationem, adverſatur Philoſophus, Scotus, & S. Auguſtinus. Reſpondeo Neg. Ant. ad ejus Probat. gloſſo allatas authoritates, & dico eas loqui de Motu materialiter conſiderato; quatenus importat formam fluentem, non verò de Motu formaliter conſiderato, de quo procedit Concluſio.

QUÆSTIO III.

De diſtinctione, unitate, & contrarietate Motûs.

1. *Motus diſtinguitur à ſubjecto.* Dico primò: Motus phyſicus formaliter conſideratus diſtinguitur realiter à ſubjecto, termino ad quem, movente, actione, & paſſione. Prima, ſecunda, & tertia pars eſt Scoti *2. diſt. 1. q. 5. & 3. diſt. 14. q. 1. & 4. diſt. 43. q. 1.* & ſequuntur Tataretus, Canonic. Columb. Maſtr. &c. ac Aureol. & Ruvi. contra Occam, Soncin. Conimbr. &c. ponentes ſolam diſtinctionem rationis inter mobile & terminum. Quarta, & quinta pars eſt Scoti *4. diſt. 13. q. 1.* & ſequuntur Canonic. Columb. Maſtrius &c.

Probatur prima pars *de ſubjecto*: ſubjectum, ſeu mobile poteſt eſſe ſinè Motu formali; ut patet de aqua, quæ poteſt eſſe ſinè actuali calefactione, & immutatione ſui: Ergo realiter diſtinguitur â Motu formali; deinde Motus formalis eſt ens relativum; ſubjectū mobile verò v. g. aqua eſt entitas abſoluta: ſed inter abſolutum, & relativum vertit diſtinctio realis: Ergo Motus diſtinguitur realiter à ſubjecto mobili.

Probatur ſecunda pars *de termino ad quem*: Motus eſt prior terminô ad quem, ſeu formâ acquiſitâ: item Motus eſt actus imperfectus; terminus verò actus perfectus: item terminus productus ſæpe eſt ens abſolutum, ut calor in aqua immutata; Motus verò eſt ſemper relativū quid: Ergo Motus diſtinguitur realiter à termino ad quem. 2. *Et à termino ad quem.*

Probatur tertia pars *de movente*: movens eſt cauſa quaſi effectiva Motûs: Ergo inter movens, & Motum formalem eſt diſtinctio realis, qualis reſultat inter Cauſam Efficientem, & effectum. Deinde movens eſt plerumque aliquid abſolutū; ut generans, alterans &c. Motus verò eſt quid relativum: item Motus eſt in mobili; non ſic movens: Ergo inter ea datur diſtinctio realis. 3. *Similiter à movente.*

Probatur quarta pars *de actione*: Actio, & Motus ſunt in ſubjectis diſtinctis realiter; actio enim eſt in agente, ut alibi docebitur uberiùs; Motus verò eſt in ſubjecto mobili: item actio, & Motus reſpiciunt diverſos terminos realiter diſtinctos: Ergo Motus diſtinguitur realiter ab actione. 4. *Ab actione.*

Probatur quinta pars *de paſſione*: Motus, & paſſio pariter ſunt in ſubjectis realiter diſtinctis; puta Motus in mobili; paſſio in patiente: item Motus, & paſſio habent terminos diverſos; Motus enim terminatur ad movens; paſſio verò ad patiens: Ergo pariter realiter diſtinguuntur. 5. *Et paſſione.*

Objicies: actioni, & paſſioni convenit definitio Motûs; quia actio eſt actus entis agentis, quatenus eſt in potentia agens: ſimiliter paſſio actus paſſi, quatenus paſſum eſt in potentia ad paſſionem, eſt actus mobilis, ut ait Ariſtoteles *3. Phyſic.* & facit ſubjectum aliter ſe habere nūc, quàm priùs: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. cum ſua ratione; ſed actio eſt actus agentis reſpectu paſſi, & paſſio eſt actus paſſi; nam idem ſubjectum dicitur mobile, & paſſum; mobile in ordine ad formam novam; paſſum verò in ordine ad agens inducens formam novam; unde paſſio facit formaliter ſubjectum non mutatum 6. *Objecto reſpond.*

tatum propriè; ſed tranſmutatum ab alio. Circa alterum articulum quæſt.

7. *Quid unitas intrinſeca, & extrinſeca.*

Nota primò: in rebus poſſe attendi duplicem unitatem; intrinſecam, & extrinſecam. *Intrinſeca unitas* eſt, quæ conſequitur naturam rei, ſeu quæ deſumitur à ratione formali rei, cujus eſt unitas; talis eſt unitas ſpecifica, ſeu numerica hominis, quæ deſumitur à natura ejus humana, & hæcceitate. *Extrinſeca* eſt, quæ deſumitur ab aliquo alio, quod eſt extra rationem formalem, ſeu eſſentiam rei; talis eſt unitas ſcientiæ, quæ ab objecto ſcientiæ depromitur *1. Poſt. tex. 43.* Quod attinet unitatem intrinſecam Motûs, certum eſt, eam deſumi ex ejus entitate, & natura. De extrinſeca ergo tam generica, quàm ſpecifica, & numerica reſtat inveſtigandum, unde deſumenda ſit.

8. *Quid terminus à quo negativus, & poſitivus Motûs.*

Nota ſecundò: Motum habere duplicem terminum à quo; unus eſt *negativus*; eſtque negatio termini ad quem, quæ neceſſariò debet præexiſtere in ſubjecto, ut moveatur ad alium terminum: alter eſt terminus à quo *poſitivus*, eſtque aliquid poſitivum, quod tollitur à ſubjecto, quando movetur, ſic v. g. ab aqua tollitur frigus, quando movetur ad calorem. Rurſus juxta varietatem Motuum varii alii conſiderari poſſunt termini eorum ad quem; unde terminus ad quem illius Motûs, qui vocatur generatio, eſt ſubſtantia; terminus ad quem illius Motûs, qui dicitur accretio, eſt quantitas; terminus ad quem Motûs, qui dicitur alteratio eſt qualitas; terminus ad quem Motûs, qui dicitur localis, eſt ubi &c.

9. *Unitas Motûs non deſumitur à motore, vel mobili.*

Dico ſecundò: nec à motore, nec à mobili; nec à termino à quo; nec à medio bene deſumitur unitas generica, vel ſpecifica Motûs.

Probatur prima, & ſecunda pars: Motus plures diverſæ ſpeciei poſſunt provenire ab eodem motore; ſic v.g. ab eodem igne poteſt provenire ignitio, & calefactio: ſimiliter in eodem mobili poſſunt reſidere diverſæ ſpeciei Motûs, ſic v.g. in eadem aqua poteſt eſſe Motus calefactionis, & rarefactionis: Ergo neque à motore, neque à mobili bene deſumitur unitas generica, vel ſpecifica Motûs.

10. *Nec à termino à quo, vel medio.*

Probatur tertia pars: idem terminus à quo poteſt eſſe terminus diverſorum Motuum, puta frigiditatis, & calefactionis: Ergo ab eo non bene deſumitur unitas Motûs.

Probatur quarta pars: medium per accidens ſe habet ad Motûs unitatem, aut diverſitatem: Ergo ab eo malè petitur unitas Motûs.

Nota tertiò: quod in hac, & ſequentibus concluſionibus reſolvitur, & reſolvetur de unitate Motûs; pariter reſolutum cenſebitur de diſtinctione ejuſdem; nam per ordinem ad eadem entia diſtinctio Motuum petenda eſt, per ordinem ad quæ petitur unitas eorum; v. g. tunc cenſendus eſt unus Motus diſtingui ab alio; quia terminus unius eſt diſtinctus à termino alterius; ſicut tunc Motus eſt ejuſdem unitatis, & rationis cum altero; quia terminus ejus eſt ejuſdem unitatis, & rationis cum termino alterius. 11. *Ab eodem deſumitur unitas, & diſtinctio Motûs.*

Dico tertiò: ritè deſumitur unitas generica, & ſpecifica Motûs à termino ad quem. Ita Scotus *1. diſt. 13. q. un.* & *3. diſt. 14. q. 1.* & ſequuntur Columb. Tataret. Joannes de Magiſtris, Pariſien. &c. contra Burlæum, Sampſon. & Saxonium, qui docent à termino à quo petendam eſſe dictam unitatem. 12. *Unitas generica & ſpecifica Motûs deſumitur à termino ad quem.*

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui concluſionem docet *5. Phyſ. cap. 4.* Ergo &c. *Secundò* ratione: tum quia ſpecificatio, & unitas ſpecifica relationum deſumitur à terminis; ut in Logica *tract. de prædicamentis* dixi: ſed Motus eſt formaliter quædam relatio: Ergo unitas generica, & ſpecifica Motûs ritè deſumitur à termino ad quem. Tum quia ab eo ritè deſumitur unitas alicujus rei, à quo denominatur, & ſpecificatur; ſicut patet in ſcientia, quæ ab objecto deſumit ſuam unitatem, quia ab eo denominatur, & ſpecificatur: ſed Motus denominantur à termino ad quem; ſic enim generatio ſubſtantialis dicitur Motus ſubſtantialis à ſubſtantia genita ut à termino; ſic pariter calefactio denominatur à calore, qui eſt ejus terminus ad quem; & ſic de cæteris: Ergo ritè deſumitur unitas generica, & ſpecifica Motûs à termino ad quem.

Objicies *primò*: dantur plures Motus, non habentes eandem unitatem ſpecificam; etſi habeant unum ſpecie terminum ad quem: Ergo ab hujuſmodi termino ad quem non ritè deſumitur unitas ſpecifica Motûs. Probatur Ant. Motus localis rectus & Motus localis circularis habent idem ubi pro termino ad quem; ut docet Scotus *1. diſt. 2. q. 7.* & tamen non habent eandem unitatem ſpecificam; quia diſtinguuntur ſpecie: Ergo &c. *Secundò*: ſi decoloraretur eadem tabula ſæpiùs ita, ut 13. *Oppoſitiones*

ſuper

ſuper eam fiant ſucceſſivæ variæ decolorationes, ſeu Motus, quibus nunc de nigro colore tranſeat ſub album; & de albo ſub rubrum; & rurſus de rubro ſub album; utique eſſet unus idemque terminus ad quem; & tamen multi Motus ſpecie diſtincti: Ergo unitas Motûs malè colligitur ab unitate termini ad quem.

14. *Reſolutiones earundem.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. uti & Probat. ejus Ant. quoad ſecundam partem; & dico, quòd Motus localis rectus & circularis habeant eandem unitatem ſpecificam; & ſub eadem ſpecie Motûs localis collocentur; unde non eſſentialiter, ſed accidentaliter tantùm differunt; ſicut v.g. curvitas, & rectitudo in linea. *Ad Secundum* dico, quòd in tali caſu variarum decolorationum eſſet quidem unus tantùm terminus materialiter; plures verò formaliter; à quibus proinde pluralitas, & diverſitas Motuum deſumeretur.

15. *Unitas numerica motûs deſumitur ab unitate numerica tum mobilis.* Dico quartò: unitas verò numerica Motûs deſumenda eſt ab unitate numerica mobilis, termini, & temporis. Ita Scotus *in Com. 5. Phyſic. tex. 34. & 11. Met. ſum. 4. cap. 3.* & ſequuntur Fraſſen, Columb. Tatar. Joannes de Magiſt. &c.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui concluſionem aſſerit *5. Phyſic. tex. 34. & 11. Metaph. ſum. 4. cap. 3.* & alibi: Ergo &c.

Probatur ſecundò *de mobili*; naturaliter loquendo idem numerò accidens nequit ſubjectari in ſubjectis pluribus diſtinctis: Ergo ubi repetitur idem numerò mobile, quod eſt ſubjectum Motûs ut cujuſdam accidentis relativi, ibi ſimiliter adſtruendus eſt idem numerò Motus; ac proinde ab unitate numerica mobilis, deſumenda eſt unitas numerica Motûs.

16. *Tum termini.* Probatur etiam *de termino*: unitas ſpecifica Motûs ritè deſumitur ab unitate ſpecifica termini ad quem; ut ſuprà dictum eſt: Ergo etiam unitas numerica Motûs deſumenda eſt ab unitate numerica termini ad quem. Deinde unus idemque numerò Motus v.g. dealbationis nequit habere diverſos terminos formales ultimos, & naturales v.g. colorem album, nigrum, & rubrum in ſubjecto inductūr: Ergo unitas numerica Motûs bene deſumitur ab unitate numerica termini ad quē, v.g. hæc dealbatio ab hac albedine; hæc denigratio ab hac nigredine. &c.

Probatur tandem etiam *de tempore* quantùm ad Motum ſucceſſivum; Motus ſucceſſivus eſt quoddam continuum ſucceſſivum; ſed tale deſiderat idem tempus; cùm tempus ſit menſura ejus; menſura autem, & menſuratum ſunt unigena *10. Met. tex. 4.* Ergo à tempore bene colligitur unitas Motûs ſucceſſivi. 17. *Tum temporis.*

Objicies contra mobile: demus aliquod animal cadere ex turri aliqua præalta, & in medio, antequam terram attingat, mori; tunc erit unus numerò Motus iſtius animalis viventis, & mortui; cùm ſit continuus; & tamen mobile erit diverſum; quia animal vivens, & mortuum, ſunt duo corpora diverſa: Ergo ab unitate numerica mobilis non bene deſumitur unitas numerica Motûs. Reſpondeo in tali caſu fore idem numerò mobile, non quidem denominationis; ſed inhæſionis; quia perſeverat idem corpus informatum formâ corporeitatis. Aut ſi contendas eſſe diverſum mobile; dicam Motus quoque eſſe diverſos; etſi contiguos. Circa ultimum articulum quæſtionis. 18. *Satisfit objectioni cuidam.*

Nota quartò: quoſdam Motus habere inter ſe contrarietatem, ſeu oppoſitionem aliquam; v.g. Motus calefactionis, & frigefactionis: quare inveſtigandum erit, unde hujuſmodi contrarietas deſumenda ſit.

Dico quintò: contrarietas Motûs deſumenda eſt potiſſimè à termino ad quem. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 7.* & communis Scotiſtarum. 19. *Contrarietas Motuum petitur à termino ad quem.*

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui concluſionem aſſerit *5. Phyſ. cap. 5. & 6.* Ergo &c. *Secundò* ratione; ab eodem deſumenda eſt contrarietas Motûs, à quo depromitur unitas, & diſtinctio ejus; quia unitas, diſtinctio, & contrarietas conſequuntur ſpecificationem rerum: ſed unitas, & diſtinctio Motûs deſumitur ab unitate, & diſtinctione termini ad quem: Ergo ab eodem deſumenda eſt contrarietas Motûs. Deinde relatio deſumit ſuam unitatem ſpecificam à termino: Ergo etiam ſuam contrarietatem: Motus autem eſt relatio: Ergo Motus ſuam contrarietatem ſumit à termino ad quem; ſic v.g. Motus calefactionis cenſetur eſſe contrarius motui frigefactionis; quia terminus ad quem primi Motûs eſt calor; ſecundi verò frigus.

QUÆSTIO IV.

Varia quæſita circa Motum reſolvuntur.

1. *Ad quam categoriam reducatur Motus.*

Quæres primò: ad quod prædicamentum pertineat Motus phyſicus? Reſpondeo *primò*: ſi Motus phyſicus ſumatur materialiter pro forma fluente, pertinet ad illud prædicamentum, ad quod forma, ſeu terminus ejus ſpectat; v. g. ſi forma fluens, ſeu terminus ſit ſubſtantia, Motus pertinebit ad categoriam ſubſtantiæ; ſi verò forma ſeu terminus ſit quantitas, Motus pertinebit ad prædicamentum quantitatis; & ſic de aliis dicendum. Reſpondeo *ſecundò*: ſi autem Motus accipiatur formaliter, tunc referri poteſt ad categoriam paſſionis. Ratio eſt; quia etſi Motus non ſit formaliter paſſio; eſt tamen quaſi paſſio; & mobile quaſi patiens, quod per Motum refertur ad movens; ſicut paſſum refertur per paſſionem ad agens.

2. *Ad qua prædicamenta detur per ſe Motus.*

Quæres ſecundò: ad quot prædicamenta, ſeu res detur per ſe Motus? Reſpondeo, ſi ſumatur Motus in amplori acceptione, prout dicit pro termino quamlibet entitatem novam in ſubjecto mobili, datur ad omnia prædicamenta, etiam relationes; & reperitur in omnibus categoriis, ut habet Philoſophus *3. Phyſic. 3.* ſi verò in ſtrictiori uſu ſumatur, Motus per ſe datur ad ſola prædicamenta ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, omnéſque ejus ſpecies, & ad ubi; non autem ad cætera. Si tandem ſumatur Motus in acceptione ſtrictiſſima, dabitur tantùm ad prædicamenta quantitatis, qualitatis, & ubi, ut habet Scotus *1. diſt. 3. q. 7.* & colligitur ex Ariſtotele *5. Phyſ. tex. 10.* ad reliqua verò prædicamenta dabitur mutatio; quæ tamen plerumque confunduntur cum Motu.

3. *Qualis ſit contrarietas Motûs.*

Quæres tertiò: qualis ſit contrarietas, & oppoſitio inter Motum, & quietem? pro reſolutione obſerva, nomine *quietis* intelligi permanentiam formæ in termino acquiſito, v. g. caloris in aqua acquiſiti, ut importat carentiam actualis motionis. Reſpondeo nunc cum Philoſopho *5. Phyſ. cap. 6.* contrarietatem, & oppoſitionem inter Motum, & quietem eſſe privativam. Ratio eſt; quia quies dicit privationem, ſeu carentiam Motûs, quemadmodum tenebræ dicunt privationem lucis, inter quæ intercedit contrarietas, & oppoſitio privativa: Ergo inter Motum, & quietem eſt contrarietas, & oppoſitio privativa.

4. *Num idem poſſit moveri Motibus contrariis.*

Quæres quartò: utrùm aliquid poſſit moveri ſimul Motibus contrariis? Reſpondeo negativè naturaliter; affirmativè verò ſupernaturaliter. Ratio primi eſt; quia nulla res poteſt naturaliter ſuſcipere terminos contrarios in ſummo, v. g. calorem, & frigus in ſummo: Ergo neque poteſt moveri ad tales terminos, quod eſt moveri Motibus contrariis. Ratio ſecundi; ſupernaturaliter poſſunt in eodem ſubjecto cohærere termini contrarii, v. g. calor, & frigus; ut alibi dicetur: Ergo ad hos ſupernaturaliter poteſt aliquod ſubjectum moveri motibus contrariis.

5. *Quod ſit ſubjectum Motûs.*

Quæres quintò: quodnam ſit propriè ſubjectum Motûs phyſici? Reſpondeo ſubſtantiam materialem completam. Ratio eſt; Tum quia Motus phyſicus ſupponit quantitatem; hæc autem ſoli ſubſtantiæ materiali completæ ineſt. Tum quia illud eſt ſubjectum propriè Motûs, quod propriè dicitur moveri; ſola autem ſubſtantia completa materialis dicitur propriè moveri; quia partes, & accidentia dicuntur ſolùm per accidens moveri, ad Motum videlicet ſubjecti.

6. *An poſſit dari Motus ſucceſſivus in inſtanti.*

Quæres ſextò: an poſſit dari Motus ſucceſſivus in inſtanti; & inſtantaneus ſucceſſivè? Reſpondeo ad utrumque negativè. Ratio primi eſt; quia Motus ſucceſſivus quà talis includit neceſſariò ſucceſſionem, id eſt acquiſitionē partis poſt partem; talis autem ſucceſſio, & acquiſitio partis poſt partem neceſſariò petit prioritatem, & poſterioritatem temporis in partibus; ac proinde fieri nequit in inſtanti Motus ſucceſſivus. Ratio ſecundi eſt; quia Motus inſtantaneus excludit ſucceſſionem, ſeu acquiſitionem partis poſt partem; aliàs non eſſet inſtantaneus & diſtinctus á ſucceſſivo: Ergo talis Motus fieri nequit ſucceſſivè.

7. *Unde oriatur Motus naturalis gravium velocior.*

Quæres ſeptimò: unde oriatur, quòd Motus naturalis gravium in fine ſit velocior? varias hujus cauſas aſſignāt AA. ſed probabilior eſt illa P. Poncii, quòd gravia in deſcenſu producant in ſe qualitatem impellentem, quæ quò diutius protrahitur Motus, eò magis augetur; ac tandem in fine velociorem efficit Motum.

QUÆ-

QUÆSTIO V.
De Proprietatibus Motûs.

PRoprietates Motûs phyſici à DD. communiter recenſentur præcipuæ ſequentes; unitas, contrarietas, inceptio, deſitio, continuitas, ſucceſſio, tarditas, & velocitas; quæ omnes quidem non ſunt proprietates intrinſecæ, & inſeparabiles Motûs; ſed extrinſecæ, id eſt affectiones quædam phyſicæ. De unitate, & contrarietate jam fuit ſermo *quæſt. 3.* de aliis hìc agitur. Unde

1\. *Quid ſit modus intrinſecus, & extrinſecus incipiendi, & deſinendi.*

Nota primò. *Inceptio* alicujus rei idem eſt, quod initium durationis ejus. *Deſitio* verò eſt terminus, ſeu finis durationis ejus. Duo autem ſtatuuntur modi incipiendi, & duo deſinendi, ut habet Scotus *Quodlib. 12. art. 3.* unus eſt *intrinſecus* & *poſitivus*, quô res incipit per primum ſui eſſe, ſeu per primum inſtans ſui eſſe; in quo verum eſt dicere; nunc res eſt, & immediatè antè non erat: hic modus dicitur *intrinſecus*, & *poſitivus*; quia in eo momento temporis ponit rem incipere, & gaudere propriâ intrinſecâ exiſtentiâ. Alter eſt *extrinſecus*, & *negativus*, quó res incipit per ultimum ſui non eſſe, ſeu per ultimum inſtans ſui non eſſe; in quo verum eſt dicere; nunc res non eſt, & immediatè pòſt erit. Hic modus dicitur *negativus*; quia negat rem eſſe in eo inſtanti; *extrinſecus* verò, quia eſt extra illud met inſtans. Similiter primus modus deſinendi eſt poſitivus, & intrinſecus, quô ſcilicet res deſinit per ultimum ſui eſſe; in quo verum eſt dicere; nunc res eſt, & immediatè pòſt non erit. Secundus eſt negativus, & extrinſecus, quô res deſinit per primum nõ eſſe ſui; in quo verum eſt dicere; nunc res non eſt, & immediatè antè erat. Nunc circa has duas proprietates Motûs inceptionem ſcilicet, & deſitionem.

2\. *Quomodo Motus incipiat & deſinat extrinſecè.*

Nota ſecundò: Motus ut eſt quid ſucceſſivum (idem dic de quavis alia re ſucceſſiva, v.g. de tempore) incipit extrinſecè per primum ſui non eſſe; & deſinit extrinſecè per ultimum ſui non eſſe; ut habet Scotus *2. diſt. 2. q. 9.* Ratio eſt; quia Motus ut eſt quid ſucceſſivum habet partes priores, & poſteriores fluentis; unde quoad modum incipiendi dici nequit pro ullo inſtanti de eis; nunc primò ſunt, & immediatè antè non fuerunt; ſed bene aſſignari poteſt inſtans, in quo ſit verum dicere; jam non ſunt, & immediatè pòſt erunt. Similiter quoad modum deſinendi pro nullo inſtanti poteſt de illis partibus dici, quòd ſint; ſed bene pro aliquo inſtanti poteſt dici; jam non ſunt, & immediatè antè erant: adeoque Motus incipit extrinſecè per primum ſui non eſſe; & deſinit extrinſecè per ultimum ſui non eſſe. Circa proprietatem continuitatis, & ſucceſſionem Motûs

3\. *Quid ſit continuitas, & ſucceſſio in Motu.*

Nota tertiò: per *continuitatem* Motûs intelligi illam affectionem, ſecundùm quàm Motus non interrumpitur in ordine ad fluxum formæ: per ſucceſſionem verò hìc intelligitur affectio illa, ſecundùm quam Motus non ponitur totus ſimul, neque forma fluens, quæ eſt terminus ad quem Motûs: ſed acquirit unam partem poſt alteram: hæc affectio diſtinguitur à priori per hoc, quòd ſucceſſio patiatur interruptionem graduum, ſeu partium formæ fluentis; continuitas verò non permittit ullam interruptionem. Hæ duæ affectiones nullatenus ſunt proprietates intrinſecæ Motûs ut ſic; minus de ejus eſſentia: ut de ſucceſſione jam ſuprà *in fine quæſt. 1.* oſtendi; & de continuitate eadem eſt ratio; quia ipſa non reperitur in Motu inſtantaneo, cùm arguat fluxum partis poſt partem, ſinè tamẽ interruptione; in Motu autem inſtantaneo ſimilis fluxus partium non datur; ſed totus Motus talis, utì & terminus ejus, ponitur ſimul. Continuitas ergo, & ſucceſſio ſunt tantùm proprietates talis in ſpecie Motûs, puta ſucceſſivi: & oriuntur in eo vel ratione agentis, quod eſt limitatæ virtutis; vel ratione ſpacii ſive medii, quod eſt diviſibile, vel reſiſtens; vel ratione mobilis, à quibus nati ſunt proficiſci Motus continui, vel ſucceſſivi. Circa velocitatem, & tarditatem Motûs

4\. *Quid ſit velocitas, & tarditas Motûs.*

Nota quartò: per velocitatem intelligi illam affectionem Motûs, ſecundùm quam brevi tempore cenſetur multùm de termino ad quem acquiri beneficiô Motûs: Tarditas verò eſt illa affectio, quæ arguit parum acquiſitionis termini ad quẽ: etſi duret longo tempore Motus. Sic cenſetur Motus tardus, ſi quis ſpaciô 3. horarum conficiat unam leucam; velox verò ſi quis eandem leucam ſpaciô mediæ horæ pertranſeat. Hæ affectiones pariter nõ ſunt proprietates intrinſecæ Motûs ut ſic; ſed extrinſecæ, & convenientes ſpecificis duntaxat Motibus. Oriuntur autem vel ab impulſu majori, vel minori impreſſo mobili; utì fit in Motu projectorum. Vel ab

ab exceſſu unius virtutis activæ ad aliam; ſic v. g. major ignis velociùs calefacit, quàm minor; vel ab exceſſu reſiſtentiæ majoris unius, quàm alterius; ſic lapis velociùs per aërem, quàm per aquam delabitur in terram; vel ab exceſſu virtutis activæ propter reſiſtentiam, quò fit, ut agens excedens reſiſtentiam paſſi in tripla proportione velociùs moveat, quàm agens excedens reſiſtentiam paſſi in dupla tantùm proportione. Velocitas autem major, vel minor conijcitur ex ſpacio, quod tranſitur; & ex tempore breviori, in quo fit, quod multum termini ad quem acquiritur.

QUÆSTIO VI.

An indiviſibile ſeparatum poſſit moveri localiter; & Motus localis fieri in inſtanti?

1. *Quid indiviſibile ſpirituale, & materiale.* Nota primò: Indiviſibile aliud eſſe ſpirituale, aliud materiale. *Indiviſibile ſpirituale* eſt v. g. Angelus, & anima rationalis. *Materiale* eſt punctum aliquod in linea, quod & indiviſibile quantitatis dicitur; quod conſiderari poteſt, vel ut eſt continuativum lineæ ſeu conjunctum cũ ea; vel ſeparatum à lineâ. De indiviſibili ſpirituali certum eſt, quodlibet tale poſſe moveri localiter per ſe: ut pluribus doceo *tom. 1. Schola meæ Theol. tract. de Angelis diſt. 4. q. 3.* & patet ex illo Matth. 4. *& ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Et illo S. Ambroſij *lib. de Spir. S. cap. 10. Angelus verò, cùm locò definiatur; poteſt locum acquirere, & deſerere.* De materiali ergo indiviſibili movetur hic quæſtio, non ut conjunctum eſt alteri; ſic enim extra controverſiam eſt, ipſum moveri per accidens ad Motum totius continui v. g. lineæ; ſed ſi ſeparatum eſſet à continuò.

2. *Indiviſibile materiale quantitatis ſeparatum poteſt moveri localiter.* Dico primò: indiviſibile materiale quantitatis ſeparatum poſſet per ſe moveri localiter. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 9. ad 3. principale*, & ſequuntur Tatar, Columb. Maſtr. Baſſol. & communis Scotiſtarum; nec non ex alienis Moris. Murc. Amicus &c. contra Conymbr. Ruvi. Maſium, Jand. Averro &c.

Probatur: Tum quia Angelus poſſet ſe collocare in puncto quantitatis ſeparato; ut docet Scotus *2. diſt. 2. q. 6.* ſed Angelus tunc poſſet innatâ ſuâ potentiâ locomotivâ rapere ſecum punctum, & illud ex loco A. transferre ad locum B. Ergo tunc indiviſibile materiale quantitatis ſeparatum moveretur per ſe localiter. Tum quia non apparet ulla repugnantia in ſimili Motu per ſe locali indiviſibilis materialis quantitatis ſeparati: Ergo &c. Tum quia indiviſibile materiale conjunctum alteri per accidens poteſt moveri: Ergo etiam ſeparatum per ſe poteſt moveri. Conſequentia tenet; quia enim aqua in vaſe per accidens poteſt moveri, ſcilicet ad Motum vaſis, ideo etiam poteſt per ſe moveri, id eſt ſine vaſe: Ergo idem de indiviſibili materiali dicendum. Tum quia indiviſibile materiale ſeparatum habet propriam gravitatem, & levitatem, etſi exiguam; grave autem, & leve poteſt moveri localiter: Ergo & indiviſibile materiale ſeparatum.

Objiciunt adverſarii *primò*: Philoſophus paſſim docet, indiviſibile non poſſe moveri: ſic loquitur *6. Phyſ. tex. 7.* & *32.* & *87.* Ergo &c. *Secundò*: quod movetur partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem: ut etiam habet Philoſophus: ſed indiviſibile nequit ita ſe habere; cùm careat partibus: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* cum Scoto interpretando Philoſophum, & dico eum tantùm velle, indiviſibile non poſſe moveri localiter Motu ſucceſſivò, qui proveniret ab ipſomet Mobili; nam cùm tale mobile ſit quoddam mobile indiviſibile, proinde diviſibiliter moveri nequit; cum quo ſtat, quòd moveri poſſit Motu ſucceſſiô, qui proveniret à ſpacio pertranſeundo; nam cùm ſpacium A. v. g. pertranſeundum ab aliquo indiviſibili materiali ſit diviſibile; idcirco ex parte ejus utique Motus ſucceſſivus, & diviſibilis fieri poteſt in eo; atque ita indiviſibile materiale in eo per ſe moveri poterit localiter. *Ad Secundum* Diſt. Maj. quod movetur tanquam mobile diviſibile partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem Con. Maj. quod movetur tanquam mobile indiviſibile partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem Neg. Major. Itaque ſi mobile ſit aliquod indiviſibile, non debet eſſe partim in termino à quo, & partim in termino ad quem; ſed ſufficit quòd ſpacium, quod pertranſit, partim ſit in actu, & partim in potentia, quod fieret, ſi indiviſibile materiale ſeparatum moveretur localiter per ſpacium A. diviſibile in plures partes. Circa ſecundum articulum 3. *Oppoſitiones adverſ.*

Dico ſecundò: nullâ vi naturali poteſt

teſt fieri Motus localis in inſtanti. Ita Scotus *2. diſt. 2. quæſt. 9*, & communis Peripateticorum.

4. *Motus localis non poteſt naturaliter fieri in inſtanti.*

Probatur *primò* authoritate Philoſophi, qui concluſionem tenet *6. Phyſ. cap. 3.* & *5. Met. cap. 13. tit. 18.* *Secundò* ratione; medium, ſeu ſpacium interjacens inter terminum à quo, & terminum ad quem, quod ſtante hoc rerum ordine debet pertranſiri, eſt quid diviſibile, & continuum; ac proinde ſucceſſivè, & in tempore pertranſibile: Ergo nullâ vi naturali poteſt fieri Motus localis in inſtanti. Deinde virtus moventis eſt finita: Ergo nequit naturaliter ſimul ſe movere per medium conſtans pluribus partibus: Tandem medium aliquomodo reſiſtit moventi: Ergo in inſtanti id tranſire nequit Motu inſtantaneô locali.

5. *Bene tamen ſupernaturaliter.*

Dico tertiò: virtute tamen ſupernaturali poteſt fieri Motus localis in inſtanti: Ita Scot. *loc. cit.* quem ſequuntur Pariſienſ. Conimbr. Ruvi. &c. contra D. Thomam, Rich. Tolet. &c.

Probatur *primò* authoritate Sac. Scripturæ; quæ *1. ad Cor. 15.* narrat de Motu locali reſurrectionis mortuorum ad finale judicium, quòd fiet *in momento, in ictu oculi*, id eſt in inſtanti: Ergo &c. *Secundò* ratione: unum corpus virtute ſupernaturali poteſt ſimul poni à DEO in duobus locis diſcontinuis: ſed in tali poſitione intervenit Motus localis inſtantaneus: Ergo &c. Præterea ideo non poteſt in naturali fieri Motus localis in inſtanti, quia vel medium pertranſibile reſiſtit; vel virtus moventis eſt limitata: ſed virtute ſupernaturali hæc tolli poſſunt; DEO enim ſupernaturaliter operanti ut Enti infinitæ activitatis nil reſiſtit, nec is eſt limitatæ virtutis: adeoq; efficere poteſt, ut fiat Motus localis in inſtanti. Tandem DEUS facere poteſt, ut medium tranſire non ſit neceſſe in ordine ad acquirendum terminum ad quem; in hoc enim reſpectu Divinæ Omnipotentiæ nulla videtur eſſe implicantia.

6. *Objectum diluitur.*

Objicies contra hanc Concluſionem: quando contingit Motus in inſtanti, mobile vel totum eſt in termino à quo, aut totum in termino ad quem: ſed in termino à quo incipit moveri, & in termino ad quem ceſſat moveri: Ergo interponitur aliqua mora, & ſucceſſio; atque adeò omnis Motus erit ſemper ſucceſſivus. Reſpondeo in tali Motu mobile totum moveri in termino à quo, & in uno inſtanti mediô non pertranſitô virtute Divina eſſe in termino ad quem; quia in inſtantaneis non diſtinguitur fieri, à facto eſſe; nec mutari, à mutato eſſe; bene tamen prius, & poſterius naturâ, quare in propoſito mobile dicitur eſſe prius naturâ, & moveri à termino à quo, & poſteriùs naturâ eſſe in termino ad quem.

QUÆSTIO VII.

Num idem poſſit moveri à ſeipſo; ubi etiam de Motu naturali gravium, & levium.

Quoniam Philoſoph. *7. Phyſ. tex. 1.* & *8. Phyſic. tex. 29.* dixit, *quidquid movetur, ab alio movetur*: idcirco nonnulli Interpretes ejus, cum D. Thoma arbitrantur præfatum dictum ita univerſaliter verificari, ut nihil poſſit moveri à ſeipſo. 1. *Quid Motus intentionalis, emanativus, & phyſicus.*

Nota autem primò: ad propoſitum triplicem poſſe attendi Motum, intentionalem, emanativum, & realem phyſicum. *Motu intentionali* moventur potentiæ vitales ad ſuos actus. *Motu emanativo* movetur eſſentia ad ſuas paſſiones. *Motu reali phyſico* movetur ſubjectum reale ad aliquã formam phyſicam, v. g. lapis ad ubi deorſum. Non eſt dubium inter AA. multa moventia naturalia poſſe moveri à ſeipſo Motu intentionali; quia Angelus, & anima rationalis moventur intellectualiter à ſeipſis ad varias intellectiones: ſimiliter eſſentiæ Motu emanativô moventur à ſeipſis ad ſuas paſſiones; & ſubjecta ad ſuas relationes. Difficultas ergo eſt, num etiam Motu reali phyſicô aliquid poſſit moveri à ſeipſo.

Dico primò: multa moventia naturalia æquivoca poſſunt moveri intrinſecè à ſeipſis Motu reali phyſicô; unde dictum illud Philoſophi, *quidquid movetur, ab alio movetur*, non verificatur univerſaliter. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 10.* Et ſequuntur Maſtrius, Columb. Ant. Andreas, & alii Scotiſtæ, ac Gregorius, Plaza, Jandun. Averſ. &c. contra Thomiſtas. 2. *Quædam moventia æquivoca poſſunt intrinſecè moveri à ſeipſis.*

Probatur inductione variorum moventium æquivocorum naturalium; nam cor animalis movetur à ſeipſo intrinſecè, ſeu ſuâ nativâ virtute: & aqua calida movetur à ſua forma intrinſeca ad nativum frigus: ſic etiam gravia, & levia moven-

tur ab intrinſeco à ſeipſis ad ſua centra: ſic pariter homo liberè ab intrinſeco à ſeipſo movetur, dum ſe determinat ad agendum: ſic tandem animalia pleraque à ſeipſis, id eſt à forma, & virtute intrinſeca moventur de loco ad locum, & ad varias operationes; puta ad augmentationem, nutritionem &c. Ergo multa moventia naturalia æquivoca poſſunt moveri intrinſecè à ſeipſis: Quare

3. *Qua ratione verificetur illud Philoſophi:* quidquid movetur, ab alio movetur.

Nota ſecundò: illud dictum Philoſophi, *quidquid movetur, ab alio movetur*, verificari tantùm de ſequentibus: *primò* de Motu in ordine ad actum primum ſimpliciter; id eſt, de Motu quô aliquid movetur de non eſſe, ad eſſe; ſic enim omne quod movetur, ab alio movetur; cùm nihil generet ſeipſum. *Secundò* verificatur de ijs, quæ moventur Motu ſubordinatô, v.g. de ſphæra ignis, quæ movetur à cælo; cælum ab Angelo, Angelus à DEO, ideo concludit, *loc. cit:* ipſemet Philoſophus, dari unum primum motorem. Et tandem de ijs, quæ moventur violentè, ut lapis projectus &c. Circa alterum articulum quæſt.

4. *Gravia & Levia non moventur naturaliter à medio.*

Dico ſecundò: Gravia, & Levia proximè non moventur naturaliter versùs ſua centra à medio, nec à cælo, aut aſtris, nec à generante. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 2. q. 10.* & ſequitur communis Scotiſtarum.

Probatur prima pars *de medio*: ſi à medio v.g. aëre moverentur Gravia, & Levia, ſequeretur quod idem aër eſſet cauſa duorum Motuum contrariorum; nam cedendo Gravi eſſet cauſa Motûs deorſum; cedendo verò Levi eſſet cauſa Motûs ſurſum: ſed ſequela videtur eſſe inconveniens: Ergo Gravia, & Levia proximè non moventur naturaliter à medio. Deinde Motus Gravium, & Levium naturalis quà talis congruentiùs refunditur in aliquod intrinſecum principium eorum, puta in propriam intrinſecam gravitatem, & levitatem; quàm in aliquod extrinſecum, quale eſt medium: Ergo &c.

5. *Nec à cælo, & aſtris.*

Probatur ſecunda pars *de cælo, & aſtris*: tum quia gratis recurritur ad cauſas univerſales, quales ſunt cælum & aſtra; ubi haberi poteſt cauſa partialis, uti hic haberi poteſt: Ergo &c. Tum quia homo cadens ex alto (qui eſt quoddam Grave) non experitur in ſe ullum impulſum cæli, aut aſtrorum in ordine ad ejuſmodi Motum deorſum: Ergo Motus Gravium proximè non provenit à cælo, vel aſtris. Tum quia ſi à cælo, vel aſtris moverentur Gravia, & Levia, omnes Motus eorum eſſent violenti; nam quod fit per impulſum extrinſecum, fit violenter: ſed Motus Gravium, & Levium versùs ſua centra ſunt Motus naturales: Ergo proximè non moventur à cælo, vel aſtris. Tum tandem, quia influentia cæli, & aſtrorum eſt uniformis: Ergo non poteſt unum mobile movere ſurſum, alterum deorſum.

Probatur tertia pars *de generante* contra Thomiſtas: Gravia, & Levia ſæpè moventur corruptô jam ſuô generante: Ergo Motus eorum naturaliter ad ſua centra proximè non oritur à generante. Conſequentia tenet; quia Motus nequit haberi abſque exiſtentia ſuæ cauſæ moventis: effectus enim in actu cauſatus, poſtulat cauſam in actu, ex Philoſopho *2. Poſt. 11.* Ergo ſi generans jam ſit corruptum, manifeſtè ſequitur, Motum naturalium Gravium, & Levium ad ſua centra non oriri à generante. Deinde Motus Gravium eſt inæqualis; nam in fine fit velocior; uti apparet de lapide è turri dejecto: Ergo refundi nequit in generans; quia hoc æqualiter movet mobile, ob uniformem virtutem motricem. 6. *Nec à generante.*

Objiciunt Thomiſtæ contra tertiam partem *primò*: Philoſophus expreſsè dicit *8. Phyſic. cap. 2.* & alibi, Gravia, & Levia moveri à generante: Ergo &c. *Secundò*: juxta commune proloquium Philoſophorum, *qui dat eſſe, dat etiam conſequentia ad eſſe*: ſed generans dat eſſe rebus Gravibus, & Levibus: Ergo etiam dat conſequens ad eſſe; quale eſt operari ſeu moveri deorſum, & ſurſum; & conſequenter Motus Gravium, & Levium provenit à generante. 7. *Objecta adverſa.*

Reſpondeo *ad Primum* gloſſando Philoſophum; & dico, eum ſolùm velle, quòd Gravia, & Levia moveantur à generante ut principio remotô; non autem ut à principio proximo, de quo loquitur concluſio. Itaque generans vocatur tantùm principium remotum Motûs Gravium, & Levium, quatenus nimirum generans præbet actum primum, ſeu eſſe Gravibus, & Levibus, v. g. homo generans alium hominem præbet ipſi naturam, & virtutem ſe movendi naturaliter; à qua deinde ut proximô principiô oritur Motus ejùs deorſum. *Ad Secundum* eſt eadem reſponſio; quòd generans det quidem eſſe rebus Gravibus, & Levibus, ac virtutem ſe movendi; ex hac tamen ratione 8. *Reſolvuntur.*

non

non cenſetur eſſe principium proximum Motûs earum; ſed remotum duntaxat, unde ipſæmet res Graves, & Leves ſeipſis, ſeu nativâ ſuâ gravitate, & levitate proximè exeunt in Motus ſuos naturales. Unde

9. *Gravia, & Levia naturaliter moventur â ſuis formis naturis ſubſtant.*

Dico tertiò: Gravia, & Levia moventur proximè, & principaliter â ſeipſis per ingenitas ſuas formas ſubſtantiales, naturaliter gravitantes, & levitantes. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 1. q. 10.* & ſequuntur Anton. Andr. Mayr. Columb. Fraſſen &c. contra Thomiſtas.

Probatur: Tum quia ita conſtat ex Philoſopho, qui *8. Phyſic. ſum. 2. cap. 2. tex. 32.* dicit; ſicut ſe habet ſciens ad contemplationem, & ignis ad combuſtionem, ita ſe habent Grave, & Leve ad ſuos Motus: ſed ſciens, & ignis habent formam ſubſtantialem pro principio interno activo: Ergo etiam Grave, ac Leve pro ſuo Motu. Tum quia ex rejectis jam opinionibus remanet, nil aliud cogruentius poſſe aſſignari, â quo moveantur proximè Gravia, & Levia, quàm ipſamet formas ſubſtantiales eorum, quæ ex naturali ſua conditione gravitant, & levitant: Ergo &c. Tum quia formæ ſubſtantiales rerum alias operationes naturales proximè, & principaliter principiant, ut nutritionem, augmentationem: Ergo etiam Motus naturales Gravium deorſum, & Levium ſurſum verſus ſua centra.

Nota itaque tertiò: formas ſubſtantiales Gravium, & Levium eſſe illas cauſas intrinſecas proximas, & principales activas, â quibus provenit, ut Gravia v. g. lapis, lignum &c. naturaliter tendant deorſum versùs ſuum centrum; & Levia v. g. ignis, fumus &c. naturaliter tendant ſurſum: hæ autem cauſæ principales in ordine ad hujuſmodi effectus principiandos naturaliter affectæ ſunt â tempore conditionis earum nativâ quadam gravitate, & levitate, ratione quarum formæ gravitant, & levitant, ſeu efficiunt Motus gravium, & Levium.

QUÆSTIO VIII.

De Motu violento projectorum; & reſilientium; deque primo Motore.

Nota primò: in Motu violenter projectorum v. g. lapidis, â Petro in altum evibrati, concurrere varia: primò concurrit ipſe Petrus projiciens; ſecundò concurrit medium, per quod tranſit lapis projectus v. g. aër circumſtans; tertiò impulſus Petri, quò propellitur ſurſum lapis projectus, qui eſt quædam virtus projicientis, lapidi projecto impreſſa; & vocatur communiter *impetus*, & *qualitas projectis impreſſa*. Quæritur ergò â quo horum proveniat Motus corporum projectorum, tunc, poſtquam jam ſemel projecta ſunt, & ſeparata â cauſa projiciente; nam dum incipiunt projici, omnes conveniunt, & experientiâ monſtrat, earum Motum principaliter provenire à projiciente.

Dico primò: Motus violentus projectorum jam ſeparatorum non cauſatur adæquatè, & principaliter â medio, v. g. aëre. Eſt Monturſij, Maſtrij, Columbi, Van-Sichen, & aliorum Scotiſtarum; contra Averro. Burlæ. Mayr. & veteres complures. 1. *Motus violentus projectorum nõ provenit â medio.*

Probatur: Tum quia corpora projecta jam ſeparata, ſæpè moventur, etiamſi medium ſit contrarium, & reluctetur; ſic lapis projectus movetur etiam adverſô ventô: Ergo Motus projectorum jam ſeparatorum non cauſatur â medio v. g. aëre. Conſequentia tenet; Motus projectorum nequit cauſari ab eo, quod habet Motum contrarium eis; nam hic corpus projectum deferret in partem contrariam. Tum quia contingere poteſt, ut medium, v. g. aër, ſit penitus quietum, nullô ſcilicet flante ventô; & tamen lapis projectus movebitur per ipſum: Ergo ſignum eſt, medium v. g. aërem ambientem non eſſe cauſam talis Motûs: Tum quia imperceptibile videtur, corpora magnæ molis, & ponderis v. g. lapides, & globos tormentorum moveri ab aëre, elementô tam ſubtili: Ergo &c.

Objicies experimentô conſtat, quòd lapis in altum ejectus in medio velociùs moveatur, quàm in principio: ſed hujuſmodi velocior Motus refundi debet in medium, ſcilicet aërem: Ergo &c. Reſpondeo ex hac experientia ſolùm haberi; quòd medium ſit cauſa coadjuvans Motûs projectorum v. g. lapidis; quatenus ſcilicet aër medius concitatus, parteſque ejus ad invicem compulſæ adjuvant Motum lapidis, atque ita reddunt eum velociorem, eò quòd in medio plures partes aëris concitatæ, & compulſæ lapidem ambiant, quàm in principio. Et hoc eſt, quod tantùm voluit Philoſophus, quandò 2. *Objectio quædam evacuatur.*

8. Phyſ.

Digitized by Google

8. Phyſic. cap. 10. tex. 82. cauſam Motus projectorum refundit in medium: cum quo ſtat, quòd cauſa adæquata, & principalis Motûs talium ſit aliquid aliud, quod infrà ſpecificabitur.

3. *Nec Motus projectorũ violentus provenit à gravitate, & levitate eorum.*

Dico ſecundò: ſimiliter Motus violentus projectorum jam ſeparatorum non cauſatur à gravitate, & levitate eorum; vel ab aliqua antipariſtaſi. ita Ponc. Herman. Monturſius, & alii Scotiſtæ; ſecunda pars eſt contra Platonem.

Probatur prima pars; cauſa Motûs projectorum violenter debet eſſe extrinſeca: ſed gravitas, & levitas ſunt intrinſecum quid corporis projecti; ut habet Ariſtoteles *8. Phyſic. tex. 32.* Ergo Motus projectorum jam ſeparatorum non cauſatur à gravitate, & levitate eorum. Tum quia idem non eſt cauſa contrariorum: gravitas autem, & levitas ſunt cauſa Motuum naturalium: Ergo non ſunt cauſa Motuum violentorum in projectis.

4. *Nec ab antipariſtaſi.*

Probatur ſecunda pars: in aëre ſereno, per quem moveretur lapis projectus, nequit aſſignari aliqua antipariſtaſis impellens, quæ eſt obſeſſio corporis debilioris à fortiori: Ergo Motus violentus projectorum jam ſeparatorum non cauſatur ab aliqua antipariſtaſi.

5. *Sed ab impulſu projicientis, impreſſo projectis.*

Dico tertiò: Motus violentus projectorum jam ſeparatorum cauſatur principaliter ab impulſu, projectis impreſſo. Ita communis Scotiſt. Columb. Mont. Tatar. Joannes de Magiſtris; & ex alienis Tolet. Ruvi. & alii RR.

Probatur *primò* authoritate Scripturæ; in qua impetui, ſeu impulſui adſcribitur Motus violentus; ſic dicitur de navi, violenter impulſa Jac. 3. *Ecce & naves, cùm magnæ ſint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit:* Ergo &c. *Secundò* ratione: tum quia nil congruentiùs aſſignari poteſt pro cauſa, & principio, à quo proveniret Motus violentus corporum projectorum, quæ ſeparata jam à projiciente cientur, & ulteriùs moventur, cujuſmodi ſunt globi tormentarii, lapides manu evibrati, ſagitta &c. quàm impulſus aliquis, à movente impreſſus projectis; non enim medium, nec gravitas, & levitas; nec antipariſtaſis bene aſſignari poteſt pro ejuſmodi cauſa; ut *in præcedenti concluſ.* oſtenſum eſt: Ergo &c. Tum quia quo major eſt projicientis impulſus, projecto lapidi impreſſus; eò citiùs, & longiùs defertur lapis; ut patet experientiâ: Ergo hujuſmodi impulſus eſt cauſa principalis Motûs projectorum. Tum quia ceſſante tali impulſu, & impetu in corpore projecto, ceſſat quoque Motus corporis projecti; & eò durante durat: Ergo in illum ut cauſam principalem refundendus eſt Motus projectorum ſeparatorum.

Ex dictis infertur: majorem vel minorem velocitatem in Motu projectorũ cauſaliter, & effectivè deſumendam eſſe à majori, vel minori impulſu, impreſſo projectis; ut etiam docet Philoſ. *3. de cælo tex. 28.* adminiculatoriè etiam provenit à medii majori, vel minori denſitate. Et tandem ex figura; quia ſphæricum corpus faciliùs deſcendit, quàm quadratum. Circa alterum articulum quæſt. 6. *Adminiculatur tamen medium ut ſit major, vel minor.*

Nota ſecundò: in projectis quandoque contingere Motum reſiſtentiæ; dum ſcilicet mobile impingens in aliquod corpus durum, impediens Motum rectum, reflectitur, ac reſilit; uti fit in pila projecta, deſcendente per Motum naturalem versùs terram, quam dum tangit, reſilit; vel dum vibratur violenter in parietem, in quem dum impingit, cauſatur Motus reſilientiæ, ſeu reflexus. Inquiritur ergo à quo procedat ille Motus reſilientiæ, ſeu reflexus.

7. *Motus reſilientia cauſatur per ſe effectivè à projiciente.*

Dico quartò: Motus reſilientiæ in projectis cauſatur effectivè per ſe à projiciente, imprimente impulſum projectis; à corpore verò impediente, ſeu à quo fit reſilientia, cauſatur per accidens. Ita Ariſtoteles *8. Phyſic. tex. 32.* & ſequuntur Monturſ. Fraſſen &c.

Probatur prima pars primò authoritate Philoſophi; qui *loc. cit.* concluſionem habet, ubi dicit, quod ſphæra reflexa, id eſt reſiliens non moveatur à pariete, qui eſt corpus impediens; ſed à projiciente: Ergo cenſet Motum reflexionis, ſeu reſilientiæ in projectis cauſari effectivè à projiciente.

Probatur ſecundò ratione: tum quia corpus aliquod projectum contra murum v.g. pila, nunc reſilit fortiùs, ſi à projiciente major impulſus ipſi imprimatur; nunc remiſſiùs, ſi minor impulſus ei imprimatur, uti conſtat experientiâ: Ergo cauſa effectiva per ſe reſilientiæ ejus refundi debet in projiciens, imprimens pilæ impulſum.

8. *Per accidens verò à corpore impediente.*

Probatur ſecunda pars: experientiâ conſtat, corpus impediens, ſeu à quo fit reſilientia, multùm juvare, & augere hanc

hanc reſilientiam; ſic ſi pila v. g. projiciatur in corpus lanæ, & corpus lapidis, validiùs reſilit à corpore lapidis, quàm lanæ; non propter impulſum projicientis, qui ſupponitur utrobique eſſe æqualis; ſed propter repulſum lapidis tanquam corporis impedientis, ſeu à quo fit reſilientia: Ergo cùm non per ſe, ſaltèm per accidens Motûs reſilientiæ in projectis cauſatur à corpore impediente.

9. *Projectum quieſcit in puncto reflexionis plerumque.*

Dico quintò: mobile projectum plerumque quieſcit in puncto reflexionis; hoc tamen univerſaliter neceſſarium non eſt in omnibus projectis. Ita colligitur ex Scoto *Quodlib. 12. art. 3.* & ſequuntur P. Van-Sichen, Fraſſen, Maſtrius, Bellutus, & alii Scotiſtæ; contra Mayr. Areſium &c.

Probatur prima pars: ponamus primò pilam aliquam projici in altum, hæc dum ſponte incipit decidere, videtur in puncto reflexionis quieſcere: Ergo &c. Probat. Ant. tam diu movetur ejuſmodi pila ſurſum, quàm diu impetus ſuperat gravitatem, à qua, dum impetus ſuperatur, pila recidit: ſed nequit impetus ſuperare gravitatem reſiſtentem; neque ab ea ſuperari, niſi detur inſtans aliquod, quòd ſit medium inter utramque ſuperationem, in quo impetus, & gravitas ſint paris virtutis; in hoc autem cenſetur pila quieſcere, & eſſe in puncto reflexionis: Ergo pila in altum projecta in puncto reflexionis quieſcit momentaneè. Ponamus ſecundò, pilam aliquam projici contra murum; hæc cùm ſit corpus molle, partes ejus comprimuntur per impingentiam in murum; talis autem compreſſio non fit in inſtanti: Ergo partes viciniores pilæ adhærent quodammodò muro, & quieſcunt in puncto reflexionis, quam diu remotiores à ſuo impulſu adhuc aguntur verſus murum.

10. *Hoc tamen univerſaliter non eſt neceſſe.*

Probatur ſecunda pars: ſi aliqua virgula ſurſum projecta occurrat moli aſinariæ, ſeu maſſæ mille librarum decidenti, à qua ſubitò rapiatur verſus terram, tunc talis virgula reflecteretur; & tamen nullatenus quieſceret in puncto aliquo reflexionis; alioquin & ipſa moles aſinaria, ſeu maſſa illa præponderans quieſceret; quod eſt falſum; cùm tantum pondus ob contactum tam exiguæ virgulæ non remoretur in aëre: Ergo univerſaliter non eſt neceſſarium, quòd omnia projecta quieſcant in puncto reflexionis: Circa tertium punctum quæſtionis

Nota tertiò: Ariſtoteles in *3. 5. 6. & 7. Phyſic.* plura præmiſit de Motu, ut ſibi ſterneret viam ad inveſtigandum, & explanandum Primum Motorem, qui eſt DEUS Benedictus in *8. Phyſic.* ubi ejus exiſtentiam, unitatem, æternitatem, immobilitatem, immaterialitatem, & infinitatem durationis oſtendit; ſed quoniam hæc ſingula, ex profeſſo in Theologia examinantur, in materia de Natura DEI, ejuſque Attributis; & ego exactè trado *tom. 1. Scholæ meæ Theologicæ tract. 1. de DEO in ſe ſubſiſtente, diſtinct. 1. 2. & 3.* per totum; & rurſus in calce Metaphyſices de hoc redibit ſermo; idcirco punctum, iſtud tertium quæſtionis de Primo Motore, ut aliqualis ſaltèm ejus notitia hìc habeatur, ſequentibus breviſſimè expediam. Unde

Nota quartò: nomine *Primi Motoris* venire DEUM Ter Optimum Maximum, in quo datur ſtatus omnium moventium, efficientium, & cauſantium; cùm ipſe ſit movens independens, incauſatum, & à ſe; nam non datur proceſſus in infinitum in moventibus, ſeu motoribus, & cauſantibus, ut dicitur *2. Metaph. tex. 5.* proinde aſſignandus eſt Primus Motor improductus, & incauſatus, qui eſt ſolus DEUS, à quo cuncti motores creati, puta Intelligentiæ, animæ rationales, elementa, omneſque aliæ cauſæ ſecundæ moventur. 11. *Quid ſit primus motor.*

Nota quintò: Primum Motorem debere eſſe immobilem, & immutabilem; ut habet Ariſtoteles *8. Phyſ.* in fine; quod Deo perfectiſſimè cōvenit; ut patet ex illo Mal. *3. ego Deus, & non mutor.* Et illo Jac. *1. apud quem non eſt transmutatio &c.* Debet inſuper eſſe ſpiritualis, ut habet idem Philoſophus *8. Metaph.* in fine; quod pariter DEO convenit; ut patet ex variis S. Scripturæ locis: & quia ratio ſpiritualitatis eſt longè major perfectio, quam ratio materialitatis, & corporeitatis; DEO autem concedenda eſt omnis major perfectio: Ergo &c. 12. *Et qualis ſit.*

DISTINCTIO XII.
DE CONTINUO.

Præambulum.

Altera affectio corporis naturalis eſt Continuitas, quæ hac Diſtinctione *elucidabitur; & tota doctrina de Continuo permanenti, cujuſmodi ſunt corpus organicum hominis, quantitas palmaris &c. tradetur, quæ ſanè ardua eſt; & colliſit ingenia antiquorum, atque modernorum Philoſophorum: ego ad principia Ariſtotelis, & Scoti eam componam, eâ qua fieri poterit claritate. Unde ſit*

QUÆSTIO I.
De definitione, diviſione, partibus, & indiviſibilibus Continui permanentis.

1. *Definitio Continui permanentis.* DIco primò: rectè definitur Continuum permanens, quòd *ſit illud cujus partes copulantur termino communi.* Ita Philoſophus in terminis *6. Phyſic. cap. 3. tex. 26.*

Probatur: hæc definitio convenit omni, & ſoli Continuo permanenti (id eſt cujus partes extant ſimul) habetque cætera requiſita ad bonam definitionem: Ergo &c. Ly *illud* ſubaudi ens, ponitur locô quaſi generis; reliqua pro differentia. Dicitur *cujus partes* ad denotandum in omni Continuo permanenti reverà dari partes, ut infrà oſtendetur: additur *copulantur terminô communi* ad deſinandum in Continuo quoque reperiri indiviſibilia, ſeu puncta copulantia, lineas, & ſuperficies copulantes ipſas partes (ut pariter oſtendetur infrà) ita ſcilicet, ut partes illius Continui, quod vocatur linea, copulentur punctis indiviſibilibus; partes verò illius Continui, quod vocatur ſuperficies, copulentur lineis; partes verò illius Continui, quod vocatur corpus, copulentur ſuperficiebus. Circa Continui diviſionem

2. *Quid Continuum ſubſtantiale, & accidentale.* Nota primò: Continuum permanens aliud eſſe ſubſtantiale; aliud accidentale. *Continuum ſubſtantiale* eſt ſubſtantia aliqua corporea conſtans partibus entitativis ſubſtantialibus, quarum una eſt extra aliam; tale Continuum eſt lignum, corpus organicum hominis &c. *Accidentale* eſt accidens aliquod materiale conſtans partibus entitativis accidentalibus, quarum una eſt extra aliam; tale eſt albedo, quantitas bipalmaris &c. Inter accidentalia Continua omnium frequentiſſimè apud Philoſophos in conſiderationem trahitur Continuum quantitativum; cujus præcipuæ ſpecies numerantur linea, ſuperficies & corpus; & explicatæ ſunt in Logica *tract. de Prædicamentis diſt. 5. q. 6.* hæ vocantur *Continua in mole*, ſeu magnitudine. Præſens diſtinctio indefinitè de quovis Continuo permanente, habente continuitatem phyſicæ conſiderationis, procedet.

Nota ſecundò: ſecundum Philoſophum *5. Phyſic. tex. 26. & 6. Phyſic. tex. 2. & 3.* Continuum diſtingui à Contiguo in hoc, quòd Continuum ſit illud, *cujus partes ſunt unum*, id eſt uniuntur per aliquid, quòd ſit principium unius partis, & finis alterius: Contiguum verò eſt, *cujus ultima ſunt ſimul, vel in eodem loco*; quatenus ſcilicet ſuperficies ultima corporis locati, & loci occupant eundem locum, abſque tamen copulatione phyſica intrinſeca. Circa partes Continui 3. *Differentia inter Continuum, & Contiguum.*

Nota tertiò: In quovis Continuo phyſico attendi poſſe varias partes: nam aliæ ſunt Aliquotæ, aliæ Proportionales. *Partes Aliquotæ* ſic dictæ ſunt; quia aliquoties ſumptæ finiunt totum Continuum; v. g. ſi baculus ſexpedalis dividatur ſimul, & ſemel in 6. pedes: hæ vocantur ab aliis *partes non communicantes*; 4. *Quid partes aliquotæ, & proportionales.*

eò quòd

eò quòd una nihil communicet de altera, ſeu non includatur in altera, v.g. quia unus pes baculi ſexpedalis in altero pede non includitur: vocantur etiam *unicertæ*, *æquales*, *& adæquantes*, *& determinatæ*: *Unicertæ* quidem; quia ſingulæ ſimul ſumptæ cum una certa commenſurari poſſunt: *Æquales* quia omnes habent æqualem, & determinatam magnitudinem, ut patet in exemplo allato baculi ſex pedibus longi: *Adæquantes*, quia ſi ſint extra ſe invicem, ſunt ſibi adæquatæ: *Determinatæ*, quia ſunt determinatæ quantitatis, v.g. unius pedis, palmi &c. *Partes* verò *Proportionales* ſunt, quæ certâ quadam proportione ſeſe mutuò excedunt, ita ut illa pars, quæ ſumitur ex Continuo, ſit ſemper minor illâ, ex qua deſumitur; v.g. ſi virga ſexpedalis dividatur in quaterpedalem; & quaterpedalis in bipedalem; & bipedalis in pedalem, & pedalis in ſemipedalem, & ſemipedalis in alias medietates, & iſtæ iterum in plures alias, & alias in infinitum, quælibet pars deſumpta habet proportionem exceſſi, ex qua deſumitur. Hæ appellantur etiam *communicantes*; quia ſcilicet una includit aliam, puta major minorem; v.g. pes includit medium pedem: item vocantur *inæquales*; quia una eſt major alterâ, ſcilicet includens incluſâ: item *indeterminatæ*; quia ſemper minores fieri poſſunt. Circa Indiviſibilia.

5. *Quid indiviſibile, ſubſtantiale, & accidentale.* Nota quartò: Indiviſibile eſt illud, quod caret partibus entitativis, aut quantitativis. Sunt autem Indiviſibilia alia ſubſtantialia, alia accidentalia. *Subſtantialia* ſunt, quibus repugnat dividi in partes entitativas; talia ſunt Angeli. *Accidentalia* ſunt, quibus repugnat dividi in partes quantitativas, ſeu integrales; talia ſunt punctum quantitativum in linea; item linea in ſuperficie; & ſuperficies in corpore Mathematico. Punctum dicitur *quoddam Indiviſibile ſimpliciter*; quia nullas prorſus habet partes, in quas poſſet ſecari: linea verò, & ſuperficies dicuntur *Indiviſibilia ſecundùm quid*; quia linea eſt tantùm indiviſibilis ſecundùm latitudinem, & profunditatem; non verò ſecundùm longitudinem: ſuperficies verò eſt indiviſibilis ſecundùm profunditatem; non verò ſecundùm longitudinem, & latitudinem.

6. *Puncta continuantia, & terminantia.* Nota quintò: rurſus Indiviſibilia accidentalia quantitatis ſunt in duplici differentia; quædam enim dicuntur *continuativa*, ſeu *continuantia*; & ſunt illa, quæ continuant, & uniunt aliquas partes continui inter ſe; talia ſunt puncta in linea: quædam verò *terminantia*; & ſunt illa, quæ terminant, & veluti claudunt; talia ſunt puncta, quæ lineam terminant; & ſuperficies, quæ terminant corpus Mathematicum.

7. *Phyſica, & Mathematica.* Nota ſextò: ſecundùm Zenoniſtas Punctum aliud eſt phyſicum; aliud Mathematicum. *Punctum phyſicum* appellant illud, quod nulla virtute naturali ulteriùs dividi poteſt, ſed naturaliter indiviſibile omnino eſt; â DEO tamen dividi poteſt, & dicitur minimum phyſicum. *Punctum Mathematicum* eſt illud, quod nec quidem â DEO poteſt integraliter dividi ulteriùs, eò quòd omni parte integrali careat:

8. *In continuo dantur partes actuales.* Dico ſecundò: in Continuô permanenti dantur partes actu, & formaliter componentes illud; & realiter diſtinctæ inter ſe. Ita Scotus *5. Met. q. 9.* & *4. diſt. 12. q. 4. §. de quarta tranſmutatione.* Et ſequuntur Fuente, Lealis, Villaverde, & cæteri Scotiſtæ; contra RR. quoſdam docentes, Continuum non conſtare partibus, quæ actu, & formaliter, ſed in potentia duntaxat habeant rationem partium.

Probatur prima pars *primò* authoritate Philoſophi; qui *5. Met. tex. 25.* definiens Continuum ait, *Continuum eſt diviſibile in ea, quæ inſunt.* *Secundò* ex Trident. quod *Seſſ. 13. cap. 3.* diſſerens de Sacramento Altaris, quod eſt quoddam Continuum, partes actuales in eo adſtruit dicens; *totus & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte*: Ergo &c. *Tertiò* ratione: experientiâ conſtat, in ligno tripalmari poſſe aſſignari tres palmos, quæ ſunt hoc Continuum quantitativum tripalmare actu componentes, tanquam partes actuales, & formales aliquotæ ejus: Ergo &c. Deinde Continuum non eſt quid ſimplex; ſed compoſitum, ut dicunt paſſim Peripatetici: Ergo habet aliquas partes actu, ſeu formaliter componentes.

9. *Et realiter diſtincta.* Probatur ſecunda pars *primò* authoritate S. Auguſtini dicentis *2. de lib. arbitr. cap. 15. quod corpus eſt, innumerabiles habet partes*: id eſt multas: multitudo autem arguit diſtinctionem realem: Ergo partes actuales Continui permanentis ſunt diſtinctæ realiter. *Secundò* ratione; illa diſtinguuntur realiter, quorum una entitas non eſt alia entitas; & quarum una poteſt ſeparari ab alia: ſed ita ſe habent partes

Continui permanentis; nam in ligno ſexpedali primus pes non eſt ſecundus, vel tertius pes; & poteſt ſeparari, ac dividi à ſecundo, & tertio: Ergo partes actuales, & formales Continui permanentis ſunt diſtinctæ realiter.

10. *Philoſophus exponitur pro concluſione.*

Obijcies contra primam partem: Philoſophus *8. Phyſic.* dicit, quòd *partes Continui non ſunt in ipſo actu; ſed potentiâ:* Ergo &c. Reſpondeo interpretando Philoſophum, & dico eum tantùm velle, partes in Continuo non eſſe diviſas, ſeu diſcontinuatas à ſe invicem; ſed continuatas, & terminô communi copulatas; cum quo ſtat, quòd ſint actuales, ſeu actu componentes Continuum.

11. *In continuo etiam dantur puncta.*

Dico tertiò: in Continuo etiam dantur indiviſibilia ſimpliciter, ſeu puncta, tam contuativa, quàm terminantia. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 9.* & *diſt. 1. q. 3.* & ſequuntur Fuente, Lamazares, Columb. & alii Scotiſtæ; ac ex alienis veteribus Thomiſt. Simplic. & Philopon. ex modernis verò Maſius, Plaza, Cajetan. &c. contra P. Occam, & Durand. negantes utraque puncta, & contra Fonſec. & alios RR. proſcribentes indiviſibilia continuativa.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi, qui *5. Met. cap. 5. & cap. de quant.* concluſionem aſſerit: Ergo &c. *Secundò* authoritate S. Auguſtini; qui *lib. de quantitate animæ cap. 11. & 12.* dicit, *ab ipſo* (id eſt puncto) *incipit linea, ipſô terminatur, & figuram rectis lineis nullam videmus fieri poſſe, niſi ipſô angulus claudatur.* Ergo dantur in Continuo v.g. in linea indiviſibilia ſimpliciter, ſeu puncta continuativa, & terminantia. *Tertiò* ratione: ſecundùm Philoſophum *5. Phyſic. cap. 3. quantum Continuum eſt, cujus partes copulantur terminô communi:* Ergo ſicut in Continuo dantur partes copulabiles, & terminabiles; ita etiam dari debent puncta copulantia, ſeu continuativa, & terminantia. Talia autem puncta ſunt indiviſibilia quædam ſimpliciter; alioquin non poſſent eſſe termini communes utrique parti, ſeu ſecundùm ſe totum convenientes utrique parti: nam ſicut una pars quantitatis ideo ſecundùm ſe totam non poteſt contingere aliam, quia diviſibilis eſt in plures partes, quæ ſeipſa, & aliud non penetrant; ita etiam dicendum eſſet de iſto termino communi (id eſt puncto copulante) ſi eſſet diviſibilis, quod ſecundùm aliquid ſui contingeret hanc partem lineæ, & ſecundùm aliud aliam; non autem ſecundùm ſe totum. Deinde ſi iſta puncta continuativa, & terminantia eſſent diviſibilia, ſequeretur, quòd haberent partes aliô communi terminô continuatas: de iſto quæro, num ſit diviſibilis, vel indiviſibilis: ſi indiviſibilis, habetur intentum; ſi diviſibilis, dabitur proceſſus in infinitum: Ergo &c.

12. *Tum continuativa.*

Probatur etiam ſpecialiter *de indiviſibilibus continuativis:* Euclides in ſua Logica *cap. de quantitate*, & alibi demonſtrat, dari lineam, & ſuperficiem: ſed in his reperiuntur neceſſariò indiviſibilia continuativa; quia imperceptibile eſt, quomodo earum partes uniantur abſque aliquo uniente, quale eſt indiviſibile continuativum, & unitivum: Ergo talia indiviſibilia reverà dantur in Continuo.

13. *Tum terminativa.*

Probatur etiam ſpecialiter *de indiviſibilibus terminantibus*; Philoſophus *3. de cælo cap. 8. tex. 69.* dicit, quòd corpus perfectè ſphæricum tangat corpus perfectè planum in puncto tantùm; v.g. globus in puncto, & cylindrus (id eſt columna perfectè rotunda) in ſola linea: Ergo datur in utroque, id eſt corpore tacto, & tangente indiviſibile terminans, ſeu punctum contactûs. Ant. demonſtrant Mathematici *ex propoſitione 16.* Euclidis *lib. 3.* quia tactus indiviſibilis nequit fieri, niſi ſecundùm uniformem extenſionem & figuram: ſed circularis, & curva figura contrariatur plano, utpote cujus figura eſt recta: Ergo non poſſunt ſe tangere invicem in aliqua diviſibili parte: & conſequenter tantùm in puncto: omnis enim pars plani habet extenſionem rectã; omnis verò pars globi perfectè ſphærici habet extenſionem curvam: ſi ergo ſe tangerent in diviſibili parte, vel in plano, eſſet aliquid curvum, vel in ſphæra aliquid rectum; quod perfectè plano, & curvo repugnat.

14. *Puncta ſunt quid reale poſitivum, uti & lineæ, & ſuperficies.*

Dico quartò: hæc indiviſibilia (idem eſt de ſuperficie & linea) ſunt entia verè realia poſitiva; & non negationes, ſeu privationes ulterioris extenſionis. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 9.* Lychet. Fuente, Tartaret. & communis Scotiſtarum, contra P. Occam, Averſ. Pereri. Gregor. Durand. & alios docentes; punctum, & lineam, & ſuperficiem eſſe quid merè privativum, & â nobis conceptum per modum poſitivi carentis extenſione, v. g. punctum eſſe negationem longitudinis, lineam negationem latitudinis, & ſuperficiem negationem profunditatis.

Pro-

Probatur primò in communi de omnibus tribus authoritate Philoſophi, qui *lib. prædicam. cap. de quantitate.* Et *5. Met. cap. 13.* diſcurrit de punctis, linea, & ſuperficie, tanquam de entibus naturalibus poſitivis: Ergo &c.

15. *Specialis ratio pro punctorum realitate poſitiva.* Probatur deinde ſpecialiter *de indiviſibili ſimpliciter*, ſeu puncto: Philoſophus *5. Phyſic.* appellat punctum Continuorum, terminum communem copulantem: ſed ratio termini communis copulantis non privativo enti; ſed poſitivo, & reali cōvenit; ut de ſe patet: Ergo indiviſibilia ſimpliciter, ſeu puncta ſunt entia realia poſitiva, & non privativa. Deinde in iſtis indiviſibilibus fit tactus, dum perfectè ſphæricum movetur ſuper perfectè planum: ſed tactus non fit in privatione: Ergo &c. Tandem quando corpora duo ex colliſione, aut aliunde franguntur, fractio contingit penes iſta indiviſibilia copulantia; non autem penes negationes; negationes enim non cenſentur propriè frangi: Ergo &c.

16. *Et lineæ, ac ſuperficiei.* Probatur etiam *de linea, & ſuperficie*: genus reale poſitivum habet ſpecies, quæ ſunt entia realia poſitiva: ſed linea & ſuperficies ſunt ſpecies generis realis poſitivi puta quantitatis continuæ: Ergo ſunt entia realia & poſitiva. Deinde objecta ſcientiarum realium ſunt entia realia: ſed linea, & ſuperficies ſunt objecta Geometriæ, & Perſpectivæ, quæ ſunt veræ ſcientiæ reales: Ergo &c. Tandem ſecundum ſuperficiem inſunt multæ qualitates corporales & viſibiles, ut figura inciſionum *3. Met. 17.* color & lumen quod in corpore opaco in ſuperficie ſubjectatur: Ergo ſuperficies eſt quid reale. Vide plura de horum reali poſitiva entitate in Logica *Tract. de Prædicam. diſt. 5. q. 6.*

Objicies *primo*: Philoſophus dicit *3. de anima tex. 25.* quòd punctum negativè cognoſcatur: Ergo non eſt quid reale. *Secundo*: punctum neque eſt ſubſtantia, ut habet Ariſtoteles *3. Met. cap. 6.* neque eſt accidens; quia hoc petit ſubjectum, in quo recipiatur; punctum autem ſubjectivè non recipitur; cùm nulla pars ſubjecti materialis ipſi tanquam indiviſibili correſpondere poſſit: Ergo puncta, ſeu indiviſibilia ſimpliciter non ſunt aliqua entia realia. Conſequentia tenet; quia omne ens reale aut eſt ſubſtantia, aut accidens.

17. *Duæ oppoſitiones reſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. nam multa poſitiva, & realia, ut materia prima, & nigredo per negationes & privationes cognoſcuntur; ſic etiam DEUS per attributa ſua negativa incomprehenſibilitatis, infinitatis, & alia cognoſcitur; & tamen in ſe ens reale, & poſitivum eſt: Ergo etſi punctum negativè cognoſcatur; adhuc in ſe quid poſitivum eſt. *Ad Secundum* Neg. Conſeq. nam etſi punctum, ſubſtantia, vel accidens ſenſibile, ac diviſibile non ſit; eſt tamen aliquid utriuſque, ſeu quædam aliquitas ſubſtantiæ, vel accidentis, quorum partes copulat, vel terminat: unde ſicut paſſiones, & modi tam ſubſtantiæ, quàm accidentis, ſubſtantia, vel accidens non ſunt; ſed aliquitates earum; ita dicendum de punctis.

QUÆSTIO II.

Oſtenditur Continuum permanens non componi ex meris indiviſibilibus.

Nota primò: Stoici, quorum antesignanus fuit Zeno; item Plato, Pythagoras, Democritus, Leutippus & alii antiqui complures Zenoniſtæ, quibus ex Scotiſtis ſubſcripsère P. Odonus, & Bonetus, docuerunt, Continuum conflari ex ſolis indiviſibilibus; lineam nimirum ex ſolis punctis; ſuperficiem ex ſolis lineis; & corpus ex ſolis ſuperficiebus; contra quos

Dico primò: Continuum permanens non componitur, ex ſolis indiviſibilibus. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 9. §. ad ſecundum*, ejuſque Schola; & communis Peripateticorum. Hoc aſſertum Philoſophus *6. Phyſic.* demonſtrat duabus rationibus phyſicis; & Scotus addit duas Mathematicas, quibus Zenoniſtica Sententia fortiſſimè convellitur; quas & ego afferam; priùs autem 1. *Continuum non componitur ex meris punctis.*

Probatur Concluſio primò authoritate Conc. Conſtant. quod *Sess. 12.* contra Joan. Huſſ. *annotare volens* (inquit P. Fuente) *errores, quos adverſus primam Phyſicam tenuit, hunc inter alios retulit; nempe Continuum componitur ex indiviſibilibus; quod Sacrum Concilium appellat errorem in Philoſophia*: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione phyſicâ Philoſophi *tex. 6. Phyſic.* quam etiam affert

 Sco-

Scotus *lib. 3. in Met. ſum. 2. cap. 4.* indiviſibile additum indiviſibili non poteſt facere majus extenſivè, & quoad molem: Ergo ſi Continuum componatur ex ſolis, & meris indiviſibilibus, unum Continuum non erit majus alterô: quod ad ſenſum patet falſum; nam major eſt palmus, quàm ſemipalmus; & gigas major pigmæô. Probat. Ant. ſi indiviſibile additum indiviſibili faceret majus, deberet in indiviſibili aſſignari pars tacta, ratione cujus tale indiviſibile eſſet unitum alteri; item pars non tacta, ratione cujus eſſet extra illud; quia ut fiat aliquod majus ex duobus entibus unitis, quàm ex uno ſolo, debent ita inter ſe uniri, ut ſecundùm aliquid ſui ſint extra ſe: ſed in indiviſibili quà tali nullæ dantur partes tactæ, vel non tactæ; ſed ſecundùm ſe totum tangit alterum, ita ut ſit adæquatè in eodem ſpacio compenetratum cum altero: Ergo indiviſibile additum indiviſibili non poteſt facere majus.

2. *Alia ratio phyſica Philoſophi ad idem.*

Probatur tertiò aliâ ratione phyſicâ Philoſophi *cit.* ſi Continuum componeretur ex meris indiviſibilibus, ſequeretur mobile velociſſimum v. g. aquilam volantem, & mobile tardiſſimum v. g. teſtudinem gradientem eôdem, & æquali tempore idem ſpacium ſuo Motu deſcribere; quod eſt contra experientiam: Ergo Continuum permanens non componitur ex meris indiviſibilibus. Probat. Ant. ponamus quòd aquila, & teſtùdo ſimul incipiant moveri, & moveantur à loco A. verſùs locum B. per duas lineas paralellas octo inſtantibus; teſtudo quovis inſtanti in ſua linea paralella deſcribet ſuo motu unum indiviſibile talis lineæ; & ſic in octo inſtantibus deſcribet octo indiviſibilia illius lineæ: ſed aquila in octo inſtantibus temporis non poterit plura indiviſibilia ſuo motu deſcribere in ſua paralella; quia aquila in inſtanti non poteſt tranſire ad duo, vel plura indiviſibilia loci; aliàs in uno inſtanti eſſet in pluribus locis adæquatis naturaliter; quod dici nequit: Ergo mobile velociſſimum aquila v. g. & mobile tardiſſimum v. g. teſtudo eodem, & æquali tempore idem ſpacium ſuo motu deſcriberent.

3. *Ratio Mathematica Scoti contra compoſitionem continui ex punctis.*

Probatur quartò ratione Mathematica Scoti *2. diſtinct. 2. quæſt. 9.* ſi Continuum componeretur ex ſolis indiviſibilibus, ſequeretur, quòd circulus major, & minor in hac *Figura I.* repræſentati eſſent æquales; quia tot eſſent indiviſibilia ſimpliciter, ſeu puncta in uno, quot in altero: ſed ſequela eſt contra experimentum viſus: Ergo &c. Probat. ſequela Maj. ſit circulus major 100. indiviſibilium ſeu punctorum; & trahantur ex centro A. hujus figuræ meræ lineæ, una penes alteram per circulum minorem, & terminentur in circulo majori, tunc quævis linea interſecat minorem circulum in alio, & alio indiviſibili puncto, & ſimiliter etiam terminatur ad aliud indiviſibile, ſeu punctum majoris: tunc ſequitur manifeſtè circulum majorem, & minorem eſſe æquales; quia tot ſcilicet 100. ſunt puncta in uno, quot in altero. Nec dicas quaſdam lineas debere circulum minorem interſecare ſimul in uno eodemque puncto, ut paralellæ è centro educantur ad ſingula 100. puncta majoris circuli; quia hoc eſt contra principia bonæ Matheſeos; nam eſt maxima Mathematicorum, quòd *lineæ rectæ; ſeu paralellæ à circumferentia ductæ ad centrum nunquam coëant, ſeu concurrant, niſi in centro:* ac proinde nullæ duæ lineæ in aliquo puncto minorem circulum ſimul interſecant.






fig. I

4. *Rurſus aliud argumentum Mathematicum ejuſdem.*

Probatur quintò rurſùs ratione Mathematica Scoti *cit.* ſi continuum eſſet compoſitum ex ſolis indiviſibilibus, ſequeretur, quòd aliquis Diameter eſſet commenſurabilis & æqualis Coſtis: ſed ſequela eſt falſa, utì demonſtrat Euclides, & ad oculum apparet in hac *Figura II.* in qua Diameter eſt illa linea ex angulo acuto A. protracta ad angulum acutum oppoſitum B. Coſtæ verò ſunt illæ duæ lineæ laterales ab A. ad C. & à D. ad B. protractæ: Ergo &c. Probat. ſequela Maj. ſupponamus in hac quadrata figura quam-





quamlibet Coſtam conſtare 12. punctis, ſeu indiviſibilibus; protrahantur ex quolibet puncto unius Coſtæ ad puncta alterius Coſtæ lineæ parallelæ, hæ ſecabunt Diametrum, & occupacunt totum ſpacium, per quod Diameter eſt tractus, cùm paralellæ ſint, & penes ſe invicem ductæ: Ergo occupabunt omnia puncta Diametri: & conſequenter ſicut 12. tantùm ſunt puncta in Coſtis, ex quibus iſtæ lineæ trahuntur, ita 12. tantùm erunt puncta in Diametro; & ſic Diameter erit commenſurabilis, & æqualis Coſtis; quod ad ſenſum patet falſum; cùm is multò longior ſit, quàm Coſtæ. Nec dicas aliquas iſtarum linearum ſecare Diametrum in pluribus punctis, quàm unô; nam cùm lineæ ex punctis ſibi immediatis unius Coſtæ egrediantur, & paralellæ rurſus terminentur ad puncta ſibi immediata alterius Coſtæ; ideo Diametrum protractum in ſpacio medio non niſi in puncto ſecare poſſunt; aliàs aut paralellæ non eſſent; aut cum quadam latitudine inſtar ſuperficiei fluerent, quod eſt contra hypotheſim, & caſum.

5. *Proba Geometrica ad idem.* Probatur ſextò ratione Geometrica: Si Continuum conflaretur ex meris indiviſibilibus, ſequeretur rurſus, quòd punctum eſſet majus lineâ, & indiviſibile, diviſibili: ſed ſequela eſt falſiſſima: Ergo &c. Probat. ſequela Major. ponamus unam pyramidem, cujus baſis ſit compoſita ex 30. punctis; Coſtæ verò, ſeu latera in conum concurrentia ex 60. punctis, in hac *Figura III.* in iſta pyramyde ducantur ex pūctis unius Coſtæ 60. lineæ paralellæ ad punctū alterius Coſtæ; hæ quò magìs à baſi recedunt, eò fiunt breviores; unde ſecunda linea prope baſim tracta conſtabit tantùm 29. punctis; & tertia conſtabit tantùm 28. & quarta 27. & ſic deinceps; & tandem trigeſima erit unicum duntaxat punctum: ſuperſunt autem in pyramide aliæ 30. lineæ, quæ debent eſſe minores puta per rationē Geometricam: Ergo ſequeretur quòd punctum, id eſt trigeſima à baſi linea eſſet majus linea trigeſimâ primâ, & ſic indiviſibile majus diviſibili.

Objiciunt Zenoniſtæ primò priſcum illud argumentum, quod multis Peripateticis viſum eſt nodus Gordius: volvatur inquiunt, aliquis globus perfectè ſphæricus ſuper aliquod perfectè planum, quouſque finiat, vel tranſcurrat illud planum; talis globus ſuo motu ſemper in indiviſibili duntaxat tanget illud planum: Ergo totum illud planum (quod Continuum quoddam permanens eſt) compoſitum eſt ex meris indiviſibilibus. Reſpondeo Neg. Ant. nam in tali ſucceſſiva volutione globus ſphæricus etiam tanget planum in parte ſaltèm inadæquatè & indeterminatè; cùm illud planum tanquam quoddam Continuum ex punctis, & partibus ſimul ſit compactum; ut infrà oſtendetur. 6. *Achilles Zenoniſtarum proſternitur.*

Objiciunt ſecundò: indiviſibile additum diviſibili poteſt facere majus: Ergo argumentum Peripateticorum, quô ſuprà compactio Continui ex ſolis indiviſibilibus impugnatur, eſt nullum: & conſequenter Continuum ex talibus conflatur. 7. *Aliud argumentum eorum enervatur.*

tur. Probat. Ant. replicatio ſpiritualis Angeli v.g. (quæ eſt indiviſibile quoddã ſpirituale) addita alteri replicationi, ſeu ſæpiùs multiplicata efficit ſpiritualem extenſionem majorem, ſecundùm quam Angelus dicitur ad majus ſpacium ſe extendere v.g. ad integram aliquam Eccleſiam: Ergo à pari idem dici poteſt de indiviſibili materiali, & quantitativo, quod tale additum alteri, & ſæpiùs multiplicatum poſſit extendere lineam v.g. & conſequenter illam facere majorem. Reſpondeo Neg. Ant. uti & Ant. Probat. ejus; nam Angelus non occupat majus ſpaciũ, ſeu non extenditur ad integram aliquam Eccleſiam per replicationes ſpirituales, tanquam indiviſibilia quædam ſpiritualia; ſed per unam æquabilem ſuæ eſſentiæ diffuſionem ſic, ut totus quidem Angelus ſit in quovis puncto, ac parte Ecleſiæ; non tamen completè: ac proinde adhuc remanet vis argumenti Peripatetici ſuprà allati, quòd indiviſibile additum indiviſibili non faciat majus.

8. *Rurſus aliud excutitur.* Objiciunt tertiò: illud argumentum Ariſtotelicum de æqualitate ſpacii, deſcripti à mobili velociſſimo aquila, & mobili tardiſſimo teſtudine non evertit compoſitionem Continui ex ſolis indiviſibilibus: Ergo adhuc ſubſiſtit talis compoſitio. Probat. Ant. motus non eſt aliqua quantitas continua, ut illud argumentum Ariſtotelicum ſupponit; ſed quantitas diſcreta per morulas imperceptibiles, quæ quò breviores ſunt, motum velociorem efficiunt, & quò longiores tardiorem; quarum morularum brevitas, & longitudo provenit ex majori, vel minori conatu mobilis: unde teſtudo tardiùs movetur; quia plus in morulis ſiſtit; aquila verò minùs; ac proinde ratione talium morularum aquila plus ſpacii ſuô motu deſcribit æquali tempore, quàm teſtudo; quia motus teſtudinis multis morulis intercipitur, tadiuſque provenit ad finem ſpacii. Reſpondeo Neg. Ant. ad Probat. ejuſdem dico, iſtas morulas ſinè ullo fundamento adſtrui: nam ſi tales darentur in motu maximè teſtudinis, cùm is valde tardus ſit, utique ſenſu perciperentur, ſicut univerſaliter quies ex deſitione motûs percipitur. Præterea ſi extarent hujuſmodi morulæ in motu, ſequeretur, quòd aliqua rota in gyrum ciriſſimè acta, non moveatur ſecundùm omnes ſuas partes; quia partes exteriores rotæ tanquam à centro remotiores, velociùs moventur, quàm interiores; cum æquali tempore majorem circulum efficiant: unde ſi ex morulis intercedentibus ſecundùm adverſarios proveniat tarditas motûs, pars interior rotæ aliquando quieſcet, dum exteriores moventur: hoc autem eſt contra ſenſum: Ergo iſtæ morulæ ſinè fundamento aſſeruntur.

9. *Inflatores Zenoniſtæ rejiciuntur.* Obiciunt quartò Zenoniſtæ recentiores Inflatores dicti: etſi adſtruatur compoſitio Continui ex ſolis diviſibilibus, adhuc unum indiviſibile additum alteri poteſt facere majus; cujus contrarium intendit evincere illud argumentum Peripateticum ſuprà pro Achille allatum *probat. 2.* Ergo dicendum eſt Continuum ſic componi. Probat. Ant. ſtatuantur indiviſibilia eſſe quædam *puncta inflata*, quæ faciant talem aut talem extenſionem, hôc poſitô, plura indiviſibilia ſibi addita facient majus; quia majorem extenſionem, ſeu inflationem: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. & ad Ant. Probat. ejus dico, nullâ ratione poſſe ſtatui, aut concedi ejuſmodi puncta inflata: nam ſi concederentur, utique eſſent tantæ excellentiæ, ac perfectionis, ſicut anima rationalis, vel Angelus, quorum tanquam ſubſtantiarum ſpiritualium tantùm proprium eſt, ut manentes actu indiviſibiles formaliter, & entitativè, adhuc tamen poſſint virtualiter ſuſcipere extenſionem. Deinde inflatio horum punctorum arguit quandam diviſibilitatem; quia facit extenſionem, & magnitudinem quamdam molis; quæ non ſtat cum conceptu formali puncti ut talis, ſeu ratione indiviſibilitatis. Tandem demus aliquam lineam conflari ex tribus punctis inflatis; quæro ab his Zenoniſtis, num talis ſit diviſibilis in duas partes æquales? ſi dicant, quòd ſic: *Contrà:* Ergo medium punctum inflatum eſt diviſibile; quod eſt contra rationem indiviſibilis: ſi dicant quòd non: *Contra*, hoc eſt contra rationem lineæ, quæ quà talis in partes æquales eſt ſecabilis.

10. *Quædam declarationi adverſar.* Objiciunt quintò: ipſemet Philoſophus adverſatur Concluſioni: Ergo &c. Probat. Ant. Philoſophus *1. Top. cap. 14.* ait; ſicut numerus componitur ex unitatibus; ita linea ex punctis: ſed linea eſt Continuum: Ergo Continuum componitur ex punctis, ſeu indiviſibilibus. *Secundò:* ſecundùm Euclidem *1. Elem.* in definitione lineæ ponitur punctum: Ergo linea componitur ex punctis. *Tertiò:* Continuum dividitur in ſola indiviſibilia: Ergo ex talibus

libus meris componitur. Conſequentia patet; quia quodlibet reſolvitur in ea, ex quibus componitur.

11. *Eluduntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad authoritatem Philoſophi dico, ipſum *loc. cit.* non comparare unitatem cum puncto quoad rationem formalem componendi; ſed quoad rationem principiandi, acſi diceret: ſicut unitas eſt principium numeri, ita punctum eſt principiũ lineæ. Aut ſi contendas Philoſophum loqui etiam quoad rationem componendi, dico ipſum quidem adſtruere compoſitionem lineæ ex punctis; at non ex ſolis; ſed etiam ex partibus, ut infrà dicetur. *Ad Secundum* dico ſimiliter, Euclidem puncta ponere in definitione lineæ ut aliquid lineæ; quia ſunt termini communes continuativi, & terminantes lineam; non verò ut totam lineæ eſſentiam, quaſi tota linea componeretur ex ſolis punctis. *Ad Tertium* Neg. Ant. quia Continuum etiam dividitur in partes aliquotas, & proportionales.

QUÆSTIO III.

Oſtenditur Cõtinuum componi ex partibus, & indiviſibilibus ſimul; ubi etiam de ejus partium finitate, & aliis.

1. *Neque ex ſolis partibus ſit compoſitio continuus.* DIco primò: nec Continuum componitur ex ſolis partibus; ſed ex partibus, & indiviſibilibus ſimul. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 9.* & communis Scotiſt. Thomiſtarum, & magna pars Neutralium. Prima pars eſt contra Nominales: ſecunda contra Zenoniſtas.

Probatur prima pars: ſi Continuum componeretur ex ſolis partibus, jam non eſſet differentia inter contiguum, & Continuum: ſed hoc eſt contra Philoſophum *5. Phyſic. tex. 26.* & *6. Phyſic. tex. 1.* Ergo &c. Probat. ſequela Maj. etiam contigua conſtarent ſolis partibus, quarum ultima ſunt ſimul, ſicut eſſent partes Continui: Ergo nulla eſſet differentia inter illa Nec valet dicere; quòd partes Continui ſuperaddant unionem à ſeipſis; non ſic contigua. *Contrà* enim eſt; quia non admittitur talis unio, niſi adſit fundamentum, & ratio eam fundandi in partibus Continui; relatio namque hæc exigit de neceſſitate: ſed non magìs videtur hæc ratio fundandi in partibus Continui, quàm contigui: Ergo non magìs partes contigui, quàm partes Continui ſuperaddent unionem â ſeipſis.

Probatur ſecundò: adſunt in Continuo vera realia indiviſibilia, ut ſuprà *quæſt. 1. Concluſ. 3.* oſtendi: Ergo hæc quoque ingrediuntur compoſitionem Continui; adeoque id ex ſolis partibus non componitur. Unde

Probatur ſecunda pars: Tum quia ex *priori quæſt.* patet Continuum non componi ex ſolis, & meris indiviſibilibus; 2. *ſed ex partibus, & punctis ſimul.* conſtat pariter ex mox præmiſſa *Concluſ. 1.* Continuum non componi ex ſolis partibus: Ergo relinquitur, quod ex partibus & indiviſibilibus ſimul conſletur. Tum quia Philoſophus definiens *6. Phyſic. cap. 3. tex. 26.* Continuum dicit *eſſe illud, cujus partes copulantur termino communi*; ubi pro eſſentia Continui, ſtatuit partes, & terminum communem, ſeu punctum: Ergo Continuum in ſua compoſitione utrumque importat. Tum quia ut ſuprà *quæſt. 1. Concluſ. 2.* oſtendi, in Continuo reverà reperiuntur partes actu, & formaliter illud componentes; item *Concluſ. 3.* in eodem inveniuntur indiviſibilia conſtitutiva, & terminantia: Ergo ex utriſq; ſimul conflatur Continuum. Tum quia in linea ſexpalmari reperire eſt ad ſenſum ſex palmos veluti ejus partes aliquotas; item terminos communes, quibus copulantur inter ſe iſti palmi, & hi ſunt indiviſibilia connectentia: Ergo ex his reverà componitur hoc Continuum linea: & eſt eadem ratio de aliis: Ergo &c. Circa alterum articulum quæſt.

Dico ſecundò: partes componentes Continuum tam proportionales, quàm 3. *Partes Continui non ſunt actu infinitæ.* aliquotæ non ſunt infinitæ actu, ſeu categorematicè; ſed infinitæ ſyncategorematicè duntaxat, id eſt, finitæ in infinitum. Ita Tartaret. Canonic. Maſtrius, Pariſienſ. Amicus, Averſa, Aureol. &c. contra Nominales, Conimbr. Ruvi. Moriſan. & alios; categorematicam infinitatem partium, & indiviſibilium, ſtatuentium in Continuo.

Probatur *primò*: ſi partes componentes Conuinuum tam proportionales, quàm aliquotæ eſſent infinitæ actu, ſeu categorematicè; ſequeretur, omnia Continua eſſe æqualia: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. Probat. ſequela Maj. omnia Continua componuntur ex partibus æqualibus

multitudine, & magnitudine; multitudine quidem, quia tam ſunt infinitæ partes proportionales in grano milii, quàm in maximo monte Pyrenæo; cùm utrumque ſit diviſibile in infinitum: ſimiliter omnia Continua componerentur ex partibus æqualibus magnitudine; quia ſi partes unius eſſent majores, poſſent dividi in partes æquales partibus alterius Continui, & adhuc non eſſent plures illis; quia cùm partes alterius ſint infinitæ actu, non poteſt in illo aſſignari major pluralitas: infinitò enim nihil eſt majus: Ergo ſequeretur omnia Continua eſſe æqualia. *Secundò*: admiſsâ partium infinitate categorematicâ in Continuo, ſequeretur dari infinitum actu à parte rei in multitudine: ſed hoc communiter negatur in Schola Peripatetica; ut infrà impugnabitur: Ergo &c. *Tertiò*: ponendo partes Continui eſſe tantùm ſyncategorematicè infinitas, optimè ſalvatur in Continuo majori eſſe partes majores, & plures numerò, quàm in minori, etiamſi utrobique ſint infinitæ: nam quamvis infinitati categorematicæ repugnet habere majus ratione ſuæ actualitatis, & multitudinis in gradu ſupremo; tamen infinitas ſyncategorematica poteſt habere majus ratione ſuæ potentialitatis, & indeterminationis; ac conſequenter optimè ſalvatur in Continuo majori eſſe partes majores, & plures numerô, quàm in minori.

4. *Explicatur infinitas ſyncategorematica.* Nota autem: rationem infinitatis ſyncategorematicæ partium in hoc conſiſtere; quòd totum Continuum ſit ita indeterminatum, ut omnes partes Continui nunquam poſſint ſimul & ſemel accipi, id eſt numerari & ſignari; ſed quibuſcunque acceptis, vel ſignatis: adhuc remanent aliæ infinitæ, ſeu finitæ in infinitum ſignandæ, & accipiendæ; unde modus hujus infinitatis propriè conſiſtit in accipiendo partem poſt partem ſucceſſivè, ut docet Scotus *1. diſt. 3. q. 2. ad tertium*. Et quamvis hujuſmodi indeterminatio etiam conveniat infinitati categorematicæ; peculiari tamen modo tribuitur ſyncategorematicæ: ut infrà dicetur.

QUÆSTIO IV.

De terminis Continuorum naturalium.

Poſteaquam explicata eſt compoſitio Continui ex partibus ſemper diviſibilibus, operæ pretium eſt, ut reſolvatur quoque de eodem; num ex propria natura petat terminos, tam versùs magnitudinem, ita ut non poſſit ſub quacunque magnitudine exiſtere; quàm versùs parvitatem, ut nequeat actualiter in quamcunque partem minimam dividi.

Nota autem primò; quæſtionem hic inſtitui poſſe tam de Continuis, ſeu rebus animatis; quàm de inanimatis. Ad animata reducuntur omnes res diviſibiles prædita aliquô principiô vitæ; cujuſmodi ſunt homines, plantæ, & beſtiæ. Ad inanimata reducuntur reliquæ res corporeæ, vitâ deſtitutæ, cujuſmodi ſunt omnia corpora ſubſtantialia, quantitas, & qualitates. 1. *Quid res animatæ & inanimatæ.*

Nota ſecundò: termini Continuorū naturalium, ſeu rerū naturalium versùs magnitudinē, & parvitatē ſunt in duplici differentia; alii enim ſunt intrinſeci, alii extrinſeci. *Terminus intrinſecus magnitudinis* eſt ille, quem res naturalis poteſt attingere, ſed non majorem; v.g. ſi homo attingat quantitatem 6. cubitorum; non verò ſeptem, vel octo; quantitas 6. cubitorum erit terminus intrinſecus magnitudinis hominis; hic terminus vocatur *maximum quod ſic*; quia inter magnitudines, quas homo poteſt attingere, hæc eſt maxima. *Terminus magnitudinis extrinſecus* eſt ille, ad quem nequit res pervenire; poteſt tamen attingere minorem illô v.g. ſi homo non poſſit eſſe ſub magnitudine 7. cubitorum; poſſit tamen eſſe ſub magnitudine 6. vel 5. cubitorum, quantitas 7. cubitorum erit terminus extrinſecus magnitudinis hominis: hic dicitur *minimum quod non*; quia inter magnitudines, quas nequit attingere homo, quales ſunt 7. 8. 9. cubitorum, magnitudo cubitorum 7. eſt omnium minima. *Terminus* deinde *parvitatis intrinſecus* eſt illa quantitas, ſub qua poteſt reperiri res aliqua naturalis; non tamen ſub minori, v.g. ſi homo poſſit vivere ſub quantitate unius cubiti; non verò ſub quantitate medii cubiti; quantitas unius cubiti erit terminus intrinſecus parvitatis; & dicitur *minimum quod ſic*; quia inter omnes parvitates, ſeu quantitates minores, ſub quibus vivere poteſt homo, hæc eſt minima. *Terminus extrinſecus parvitatis* eſt illa parvitas, ſub qua nequit eſſe res; 2. *Quid ſit terminus intrinſecus & extrinſecus magnitud. & parvit.*

res; bene tamen ſub qualibet majori v. g. ſi homo nequeat eſſe ſub quantitate unius cubiti; poſſit verò eſſe ſub quantitate duorum cubitorum, vel trium; quantitas unius cubiti diceretur eſſe extrinſecus terminus parvitatis hominis; & appellatur *maximum quodnon*; quia inter parvitates, ſub quibus homo eſſe nequit, hæc eſt maxima.

3. *Res animata habent terminum intrinſecum magnitud: & parvit.*

Dico primò: Continua naturalia animata, ſeu res naturales viventes ex propria natura ita ſunt terminatæ, ut naturaliter habeant terminos magnitudinis, & parvitatis intrinſecos; Ita Scotus *q. 24. prædicamentali ʃʃ. ad quæſt.* & *5. Met. in expoſit. cap. 15. tex. 21.* & *2. diſt. 2. q. 9.* quem ſequuntur Maſtrius, Columb. Tartar. & alii Scotiſtæ; ac P. Occam, Gabriel, Durand. Richard. &c. contra Paul. Venetum, & alios docentes, viventia nullo limite, & terminô ſuæ magnitudinis, vel parvitatis cohiberi.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui *1. Phyſ. cap. 4. tex. 36.* & *2. de generat. animal. cap. 11.* & *2. de anima cap. 4. tex. 41.* ait, quòd *omnium naturâ conſtantium certus eſt terminus augmenti, & decrementi*: ſed omnia continua animata conſtant naturâ: Ergo omnia talia habent terminos. Et *7. Polit. cap. 4.* dicit, *urbes determinatis vallantur terminis, veluti animalia, & plantæ*: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: hoc Continuum animatum, quod dicitur corpus organicum, habet ex propria natura terminos magnitudinis, & parvitatis intrinſecos: Ergo etiam quodcunque aliud. Probat. Ant. ſecundùm Philoſophum *2. de anima tex. 37. anima eſt actus primus corporis organici, potentia vitam habentis*; unde hæc utitur membris dicti corporis tanquam inſtrumentis ad exercendas varias operationes: Ergo corpus organicum habet terminos magnitudinis, & parvitatis intrinſecos. Conſequētia patet; quia aliàs anima non poſſet uti ejus membris; cùm corpus ſub quacunq; maxima magnitudine, vel minima parvitate informare non poſſit; & ſi informaret membra, hæc evaderēt planè improportionata inſtrumēta; ſicut inſtrumenta artificialia ob excedentem magnitudinem, vel parvitatem nimiā evadūt improportionata ad opus artificis. Præterea experientiâ conſtat, omnia viventia, ut hominem, equum, canem, arborem &c. poſtquam ad certam quantitatem magnitudinis perveniunt, ampliùs non creſcere; ſed paulatim potiùs decreſcere deficiente calore naturali, & humidô radicali; & reagendo tandem conſumi, ac finiri: Ergo habent certos terminos magnitudinis, & parvitatis.

4. *Etiam gigātes, pigmæi, crocodilli, hedera, & vitis &c. habent terminum talem,*

Objicies *primò*: in variis hiſtoriis, imo & in S. Scriptura *Geneſ. 6.* legimus, olim extitiſſe Gigantes, id eſt homines inſolitæ magnitudinis, & ultra ſtatum naturæ proceros: dantur etiam Pigmæi, qui infra terminum parvitatis ſpeciei humanæ minorati ſunt: item extant Crocodilli, Dracones, & Balenæ, quæ dicuntur toto vitæ tempore creſcere; idem aſſeritur de hedera, & vite: Ergo hæc Continua naturalia nō habent terminum intrinſecum magnitudinis. Præterea homo in juſtam ſtaturam jam perductus comedendo augmentat utique molem corporis; quia alimentum aſſumptum tranſit in ſubſtantiam aliti: Ergo ulteriùs adhuc creſcit; & conſequenter non habet terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis.

Reſpondeo *ad Primum, & Secundum* de Gigantibus, & pigmæis; quod Gigantes tales non exceſſerint ultimum, & abſolutum terminum intrinſecum accretionis ſpeciei humanæ, ſeu ſtatum naturæ humanæ; utì nec pigmæi ultra ultimum terminum intrinſecum parvitatis imminuuntur; etſi comparativè quoad habitatores talis regionis videantur monſtruoſi; eò quòd in ea communiter homines naſcantur cum tali, vel tali quantitate juſta molis corporeæ. *Ad Tertium* de Crocodillis, hedera, & vite dico, etiam hæc compoſita naturalia viventia tandem habere ſtatum accretionis, & terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis; quia calidum, & humidum eorum (in quo vita conſiſtit) tandem etiam debilitatur per continuam nutritionem, & deperditur tandem ita, ut ulteriùs creſcere nequeant; ſed ſenſim deficiant. *Ad Quartum* de homine maturo comedente dico, talem poſtquam pervenit ad maximum quod ſic accreſcentiæ, ſeu ætatem conſiſtentem, comedendo ampliùs non augmentatum iri; ſed aſſumptô alimentô reparabit tantùm naturam ad æquale ſecundùm partes deperditas.

5. *Res inanimatæ nō habent terminum intrinſecum magnitud.*

Dico ſecundò: Continua inanimata, ſeu res naturales non viventes nō habent ex propria natura terminum intrinſecum magnitudinis. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 2. q. 9. ʃʃ. ad argumenta*, Et ſequuntur Tartar. Maſtr. Columb. Lychet. & communis

communis Scotiſt. ac Occam, Ruvius; Amicus, Dandinus &c. contra Thomiſt. Dur. Greg. Sonc. &c.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui *2. de anima tex. 41.* docet ignem (qui eſt quoddam Continuum inanimatum) poſſe creſcere in infinitum, ſi ei ſemper apponerentur combuſtibilia; & patet ex illo S. Scripturæ Prov. 30. *ignis verò nunquam dicit, ſufficit*: quia ut ibidem ſubijcit P. Lyranus, ex appoſitione combuſtibilium ſemper creſcit virtus ejus ad ampliùs comburendum: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: Tum quia experientiâ conſtat, flumina continuò augeri per affluxum novarum aquarum. Tum quia Continua inanimata non per intraſuſceptionem; ſed per juxtapoſitionem augentur: Ergo cum aliqua agentia juxtaponentia ſemper poſſint adeſſe, ſequitur ipſa ſemper poſſe augeri; ac conſequenter nullô terminô limitari, cohiberi, vel reſtringi ab intrinſeco ad certum ſtatum.

6. *Philoſophus objicitur.* Objicies: Philoſophus adverſatur Concluſioni: Ergo &c. Prob. Ant. nam *2. de anima tex. 41.* dicit univerſaliter, quòd *omnium naturâ conſtantium eſt determinatus terminus augmenti, & decrementi*: ſed inanimata Continua conſtant naturâ: Ergo habent terminos ſuæ magnitudinis, & parvitatis. Et *lib. de ſenſ. & ſenſ. cap. 6.* vult paſſiones naturales, id eſt qualitates, non eſſe in infinitum diviſibiles: nec conſequenter intenſibiles; adeoque habent terminos ſuæ intenſionis, ſeu magnitudinis.

Reſpondeo *ad Primum* gloſſando cum Scoto *2. diſt. 2. q. 9.* Ariſtotelem, & dico eum loqui de Continuis animatis; non verò inanimatis. *Ad Secundum* interpretor pariter Philoſophum, & dico eum loqui de qualitate ſenſibili non ſecundum ſe; ſed ut ſenſibilis eſt, ſub qua ratione requirit determinatam magnitudinem. 7. *Et exponitur.*

Dico tertiò: neque Continua inanimata habent terminum parvitatis. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 9.* & ſequuntur Tartar. Lychetus, Sghema, Maſtrius, Columb. &c. ac ex alienis Ruvi. Areſi. &c. contra Thomiſtas Durand. Greg. &c. 8. *Inanimata habent terminum parvitatis.*

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *lib. de ſenſ. & ſenſ. 16. cap. 3.* tenet Concluſionem: Ergo &c. *Secundò* ratione: tum quia Continua inanimata non habent terminum magnitudinis: Ergo neque parvitatis. Conſequentia tenet à paritate. Tum quia in Continuo ſunt partes finitæ in infinitum, ſeu diviſibiles in alias, & alias partes proportionales: ſed Continuum inanimatum eſt verum Continuũ: Ergo in eo ſunt partes in infinitũ diviſibiles; & conſequenter Continuum talibus partibus conſtans non habet terminum parvitatis, ſeu minimum; cùm ulteriùs ſemper ſit diviſibile quoad partes proportionales.

DISTINCTIO XIII.

DE INFINITO.

Præfatio.

UT magis appareat finitas tanquam affectio corporis naturalis; Philoſophus, & poſt eum omnes Peripatetici, agunt de Infinito, cujus examen veluti quidam labyrinthus eos mirè intricavit, & abduxit in arduas difficultates, atque varietatem opinionum, maximè circa exiſtentiam Infiniti Cathegorematici; ita ut ipſemet Doctor Subtilis circa hoc varius, aut ſaltem problematicus eſſe videatur. Ego ejuſdem principia profundiùs ſcrutando conabor ea aſſertivè in medium afferre, quæ rationi magis conſentanea judicavero, & in qua idem Doctor magis propendere videtur. Unde ſit

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De definitione; diviſione; & affectionibus Infiniti.

NOta primò: Ly *Infinitum* ſecundùm ethymon grammaticale nominis eſt id, quod non eſt terminatum, nec limitatum; quo ſenſu punctum Mathematicum dici poteſt Infinitum, quòd, cùm extenſione careat, caret pariter terminô, & fine. Verùm in ſenſu Philoſophorum.

1. *Deſcriptio Infiniti.* Dico primò: bene deſcribitur Infinitum in communi, *eſt illa res, cujus partes accipientibus, ſemper reſtat aliquid accipere ex his, quæ vel actu, vel potentiâ in ipſa ſunt.* Eſt ad principia Ariſtotelis *3. Phyſic. tex. 63.* & Scoti *Quodlib. 5. ʃʃ. de primo.*

Probatur hac deſcriptione bene explicatur natura Infiniti in communi: Ergo &c. Ly *illa res* ponitur locô generis; reliqua pro differentia. Dicitur *cujus partes accipientibus ſemper reſtat aliquid accipere* per quod res infinita differt a finita, cujus partes accipiendæ tandem finiuntur. Additur *ex his quæ vel actu*, ut ſub iſta deſcriptione comprehendatur Infinitum categorematicum, quod omnes ſuas partes habet actu, ſeu jam poſitas ita, ut nihil deſit, ſpectans ad gradum infinitatis ejus; unde habet rationem totius perfecti, & completi. Additur tandem ly *vel potentiâ in ipſa ſunt;* ut comprehendatur Infinitum ſyncategorematicum, quod non habet omnes partes actu; ſed poteſt eas habere, unam ſcilicet poſt altaram accipiendo; unde habet rationem partis, & incompleti, non verò totius, ſeu completi.

2. *Quid Infinitum per eſſentiam, & participationem.* Nota ſecundò: Infinitum primâ ſui diviſione rectè â Scoto *4. diſt. 13. q. 1.* dividi in Infinitum ſecundùm eſſentiam, & Infinitum per participationem. *Infinitum ſecundùm eſſentiam,* quod & *Infinitum ſimpliciter* & *extra genus* appellatur, eſt illud, cujus eſſentialis entitas ab intrinſeco principio, & fine caret; habetque omnia ſua prædicata quidditativa, & formalitates ſimul actu â ſe. Tale eſt ſolus DEUS Opt. Max. qui ratione talis eſſentialis infinitatis ſibi identificat omnem poſſibilem perfectionem; de hac infinitate vide *Scholam meam Theologicam tom. 1. tract. de DEO in ſe ſubſiſtente diſt. 3. q. 1. Infinitum per participationem;* quod & *Infinitum ſecundùm quid;* ſeu *cum addito;* & *intra genus* vocatur, eſt illud, quod caret principiô, & fine ab extrinſeco, & habet infinitatem ab alio; tale eſſet infinita multitudo hominum; vel calor infinitè intenſus.

3. *Quid categorematicũ & ſyncategorematicũ.* Nota tertiò: Infinitum per participationem ſeu in genere ſubdividitur ſolemniter in Infinitum Categorematicum, & Syncategorematicum, ſecundùm Scotum *lib. 2. Met. ſum. un. cap. 2. n. 20.* & Philoſophum *3. Phyſic. cap. 6.* exemplum primi eſſet calor in Infinitum actu intenſus: exemplum ſecundi eſt lignum palmare, quod habet tot partes indeterminatas, ut ſemper alia & alia poſſit aggregari. Categorematicũ vocatur etiam *Infinitum in actu;* quia actu includit omnem ſuam infinitatem, & idcirco etiam nominatur *categorematicum;* quia ſicut terminus Categorematicus, ut dixi *in Dialect. diſt. 1. q. 2. not. 6.* eſt ille, qui per ſe eſt ſignificativus, ita ut conſortiô alterius termini non egeat, ita pariter Infinitum Categorematicum propter ea, quæ actu includit, ita Infinitum eſſet, ut conſortiô, & additione alterius non egeret v. g. calor infinitè actu intenſus. Syncategorematicum verò vocatur *Infinitum in potentia;* quia ſecundùm ea, quæ actu includit, finitum eſt; unde etiam *Syncategorematicum* dicitur; quia ſicut terminus ſyncategorematicus eſt ille, qui non per ſe; ſed cum altero tantùm ſignificat; ita hoc Infinitum non ſecundùm ea, quæ actu includit, ſed per conſortium alterius in potentia exiſtentis evadit Infinitum. Utriuſque definitionem infrà afferam.

4. *Quid Infinitum categor. in intenſione, magnitud. & multitud.* Nota quartò: Infinitum Sycategorematicum contingere poteſt vel in additione ut ſi DEUS per omnem æternitatem ſemper crearet plures, & plures homines: vel in determinatione; uti fit in numero: vel in ſucceſſione; ut in tempore, & motu. vel in diviſione; ut in Continuo: ſimiliter Infinitum Categorematicum cogitari poteſt vel ſecundùm intenſionem qualitatis; vel ſecundùm extenſionem quantitatis; vel ſecundùm numerum in quantitate diſcreta: unde ſurſus triplex oritur Infinitum Categorematicũ, ſcilicet *in intenſione;* & eſt illud, quod haberet infinitos gradus intenſionis; v. g. aliquis calor infinitis gradibus intenſus. Et *Infinitum in magnitudine,* quòd eſſet quantum aliquod, habens infinitas partes, ita ut nunquam deveniri poſſit in ultimam partem; tale eſſet linea in Infini-

tum protracta. Et *Infinitum in multitudine*, quòd eſſet numerus, ſeu multitudo habens infinitas unitates, ita ut nulla alia unitas ei addi poſſit; talis eſſet infinita multitudo Angelorum, ſi ſimul crearentur.

Nota quintò: Infinitum per participationem rurſus ſolere dividi in *Infinitum in ſubſtantia*; quale eſſet Angelus creatus cum infinita perfectione ſubſtantiali: Et *Infinitum in accidente*, quale eſſet calor infinitè intenſus: Et *Infinitum à parte antè*, quale eſſet aliquis Leo ab æterno productus, quòd careret principiô: Et *Infinitum à parte pòſt*, quòd careret fine, quale eſt anima rationalis, & Angelus. Ex his omnibus ſpeciebus famoſiſſimæ ſunt Infinitum Categorematicum, & Syncategorematicum; unde earum definitiones, & differentiam ſpecialiùs tangam in ſequentibus.

5. *Quid ſubſtantiale, accidentale, à parte ante, & à parte poſt.*

6. *Definitur Infinitum Syncategorematicum.*

Dico ſecundò: aptè definitur Infinitum Syncategorematicum *eſt id, cujus ſemper eſt aliquid extra accipere*. Ita Philoſophus in terminis *6. Phyſic. tex. 26.* ubi etſi nō exprimat hanc eſſe definitionem Syncategorematici Infiniti, attamen Scotus *Quodlib. 5. §. de primo* eam huic Infinito convenire principaliter docet, ex mente ejuſdem Philoſophi *loc. cit.* ubi ait, quòd ſicut Infinitum habet eſſe in fieri, & in potentia; ita etiam habet rationem partis, & non totius; ſeu habet rationem incompleti, & non completi; quod de Infinito Categorematico verificari nequit; hoc enim habet rationem totius, & completi: adeoq; ſolo de Syncategorematico verificatur.

Probatur: hæc definitio ritè elucidat naturam; & differentiam Infiniti Syncategorematici â Categorematico, & quocunque alio continet: Ergo &c. Et ejus ſenſus ſecundùm Scotum eſt, quòd infinitum Syncategorematicum ſit id, quod habet tantam partium multitudinem, ut acceptâ quacunque ejus parte, ſemper reſtet alia, & alia accipienda extrà.

7. *Similiter categorematicum.*

Dico tertiò: Infinitum Categorematicum ritè definitur, *eſt id, cujus nihil eſt extrà*. Ita Scotus *Quodlib. 5.* & eſt antiquorum Philoſophorum; quam etiam refert Ariſtoteles *6. Phyſic. tex. 62.*

Probatur: hæc definitio convenit omni, & ſoli Infinito Categorematico; habetque reliquas conditiones probæ definitionis: Ergo &c. Et ejus ſenſus eſt, quòd Infinitum Categorematicum ſit illud, quod habet ita omnes partes ſimul in actu, quæ ſpectant ad ejus conſtitutionem, ut nihil ſui ſit extrà, quòd ei poſſit addi.

8. *Multiplex differentia Infiniti categorematici à ſyncateg.*

Ex his definitionibus patet varia differentia Infiniti Categorematici à Syncategorematico; *prima* eſt, quòd Infinitum Categorematicum ſit Infinitum perfectū, eò quòd nihil ipſi deſit in illo gradu, genere, & ordine, nec deeſſe poſſit, nec per aliquod augeri; item quòd ſit totum, quia nihil ſui eſſet extrà: Syncategorematicum verò eſt imperfectum; quia non ponitur in actu ſecundùm omnes ſui partes; item quia non eſt totum; cùm ei ſemper fieri poſſit additio partium, vel numerorum, & conſequenter habet capacitatem ad augeri. *Secunda* eſt, quòd partes, quæ conſtituunt Infinitum Categorematicum ſint partes ejus internæ, ſeu intra ipſum complentes, & integrantes ipſum; partes verò, quas reſpicit Infinitum Syncategorematicum, ſunt extra ipſum, ſeu externæ, & in ipſo non exiſtentes; v. g. ſit Infinitū Syncategorematicum omnium cogitationum, quas homines defacto habent; huic una cogitatio poſt alteram addi poteſt in Infinitum, & abſque fine per totam æternitatem, & quævis talis addita eſt extra Infinitum hoc Syncategorematicum. *Tertiò* differentia eſt, quòd Categorematicum ſit formaliter, & actu infinitum ſecundùm ea, quæ actu includit; Syncategorematicum verò ſecundùm ea, quæ actu includit eſt finitum; quia ejus infinitas eſt tantùm potentialis, quatenus ſcilicet ei ſemper alia, & alia ab extra addi poteſt pars; & non tot adduntur, quin ſemper plures addi poſſint; ut patet in exemplo mox allato Infiniti Syncategorematici cogitationum humanarum: Circa tertium articulum quæſtionis

Nota ſextò: diverſæ affectiones, & attributa paſſim ſolent enunciari de Infinito; quæ breviter hìc proferam, ut magìs ejus natura cognoſcatur. *Prima affectio* Infiniti eſt, *non poſſe menſurari*: hæc convenit utrique Infinito, tam Categorematico, quàm Syncategorematico: & ratio ejus eſt; quòd illa res dicatur propriè menſurari, quæ cognoſcitur determinatè, quanta ſit; ſcilicet tanta, & non major; ſed hoc neque de Categorematico, neque Syncategorematico Infinito verificari poteſt: Ergo neutrum menſurabile eſt. 9. *Prima affectio Infiniti.*

Secunda, quæ de eo effari ſolet, eſt, quòd *Infinitum totaliter pertranſiri non poſſit*, 10. *Secunda ejus affectio.*

ſit, nec numerari, ut habet Philoſophus *3. Phyſic. tex. 41.* hæc convenit rurſus utriq; definito: & ratio ipſius redditur; quia illud cenſetur totaliter tranſiri, & numerari, cujus ultima pars attingitur: ſed hoc repugnat utrique Infinito: Ergo &c.

11. *Tertia.* *Tertia* ſolita ei attribui eſt, quòd *Infinitum cognoſci non poſſit diſtinctè, & perfectè*, ut habet Philoſophus *1. Phyſic. tex. 35.* hæc etiam utrique convenit; & ejus ratio eſt; quia quoad noſtrum intellectum (reſpectu enim Divini Infinitum utrumq; perfectè cognoſcibile eſt) quomodocunque cognoſcatur multitudo partium utriuſque Infiniti, ſemper aliquid reſtat cognoſcendum; cùm intellectus noſter infinita diſtinctè cognoſcere nequeat: Ergo &c.

12. *Quarta.* *Quarta* eſt; quòd Syncategorematicum Infinitum *poſſit eſſe majus, & minus*; non tamen Categorematicum, ut habet Scotus *1. diſt. 2. q. 2. §. quarta via.* Ratio primi eſt; tum quia de ratione Syncategorematici Infiniti eſt, quòd extra illud ſemper remaneat aliquid, quod ſibi poſſit addi: Ergo per talem additionem effici poteſt majus. Tum quia ſub ſpecie humana poſſunt multiplicari individua in Infinitum; & ſimiliter ſub ſpecie equina, quâ ratione ſunt duo Syncategorimatica Infinita; major autem eſt numerus individuorum poſſibilium ſub utraque ſpecie, quàm ſub una tantùm: Ergo &c. Ratio ſecundi, quia de ratione Infiniti Categorematici eſt, ut nihil ſibi deſit in tali genere, nec deeſſe poſſit, aut addi: Ergo ſi poſſet eſſe majus, aliquid ipſi deeſſet, ratione cujus augeretur: Ergo &c.

QUÆSTIO II.

Num defactò detur Infinitum per Eſſentiam; vel creatum Categorematicū, vel Syncategorematicum?

1. *Datur infinitum per eſſentiam, DEUS.* DIco primò: defactò extat Infinitum per Eſſentiam, ſcilicet DEUS Opt. Max. Ita Scotus *1. diſt. 1. q. 2.* & communis Theologorum ac Philoſophorum, maximè Chriſtianorum contra Atheos.

Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ, Exiſtentiam DEI Infiniti paſſim aſſerentis; ſic dicitur Pſal. 146. *Magnus Dominus, & magna virtus ejus, & magnitudinis ejus non eſt finis.* Et Job. 30. cap. *Excelſior cælis, profundior abyſſis:* Ergo &c. *Secundò* authoritate Concilii Lateran. *cap. firmiter* Infinitatem, utique per Eſſentiam, DEO attribuentis: Ergo &c. *Tertiò* authoritate SS. PP. unde Divus Dionyſius *lib. de Div. Nom. cap. 9.* dicit: *Magnus eſt DEUS, & ſupra omnem magnitudinem, & omnem tranſiliens infinitatem;* quæ verba Infinitatem per Eſſentiam indicant: Ergo &c. Et D. Damaſcen. *lib. 1. de Fid. Orth.* ait, *DEUS eſt quoddam pelagus ſubſtantiæ Infinitum.* Vide etiam S. Auguſtinum, *lib. 1. de Doctr. Chriſt. cap. 7.* Et D. Anſelmum *in Monol. cap. 15.* Nazianzenum &c. DEI infinitatem in Eſſentia deprædicantes: Ergo &c. *Quartò* ratione: DEUS eſt à ſe; cùm ſit primum omnium Entium; excellit omnes creaturas, etiam excogitabiles in dignitate, & perfectione, ut bene arguit Scotus *1. diſt. 2. q. 2.* Item habet virtutem cognoſcendi ſimul omnes creaturas actuales, & poſſibiles, & in omnem æternitatem futuras, v. g. omnes volitiones Angelorum futuras: Ergo pollet Infinitate eminentiſſimâ; & conſequenter eſt Ens Infinitum per Eſſentiam. De hoc vide plura, quæ dico *1. tom. Schol. Theol. tract. 1. diſt. 3. q. 1.*

Dico ſecundò: Infinitum Syncategorematicum etiam datur. Ita Scotus *Quodlib. 2.* & *2. Met. q. 6.* & *2. diſt. 3. q. 6. & 7.* & *1. diſt. 2. q. 1.*

Probatur *primò* authoritate Ariſtotelis; qui *3. Phyſic. tex. 68.* dicit, numerum poſſe creſcere in Infinitum; ſed hic eſt quoddam Syncategorematicum Infinitum: Ergo cenſet Philoſophus dari Syncategorematicum Infinitum. *Secundò* ratione; tum quia intellectus Angeli poteſt ſucceſſivè per omnem æternitatem plures, & plures cogitationes efformare: Ergo hæ ſunt Infinitum quoddam Syncategorematicum. Similiter continuum aliquod palmare poteſt ſaltèm à DEO ſemper in plures, & plures partes minores proportionales dividi: Ergo ibi adeſt quoddam Infinitum Syncategorematicum. 2. *Datur etiā Syncategorematicum.*

Dico tertiò: non datur tamen defactò ullum Infinitum creatum Categorematicum. Ita Scotus *2. Met. q. 6.* & ſequuntur communiter Scotiſtæ Fraſſen, Van-Sichen, Columbus &c. contra antiquos Philoſophos (quos refutat Ariſtoteles *3. Phyſic. tex. 40.*) ponentes Infinitum Categorematicum in naturalibus; ſignanter contra Democritum, qui cenſet 3. *Non tamen Categorematicum.*

dari

dari actu infinitos mundos; quam doctrinam percipiens Alexander Magnus in lachrymas fuit reſolutus ex eo, quod tunc needum unicum mundum ex his ſibi ſubjugaverat.

Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ; ex qua colligitur omnes res defactò creatas eſſe actu finitas; maximè ex illo Sap. 11. *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti*: Ergo &c. *Secundò* authoritate Philoſophi, qui Concluſionem tenet *3. Phyſic. tex. 40.* & ſequentibus: Unde *1. Poſt.* ante *tex. 35. cap. 16.* ait, *neceſſe eſt omnia eſſe finita*: Ergo &c. *Tertiò* ratione, tum quia omnes res creatæ defactò aut ſunt cæleſtes, ſeu in ſphæris cæleſtibus contentæ; aut ſub concavo cæli comprehenſæ: ſed hæ omnes ſunt finitæ: Ergo non datur defactò aliquod creatum Categorematicum Infinitum. Probat. Min. imprimis cælum, ejuſque partes, ſeu contenta materialia in ipſo ab Aſtrologis menſurantur: Ergo ſunt actu finita quædam entia, quibus convenit menſurabilitas; Angeli verò ſeu Intelligentiæ, & animæ rationales beatæ in cælis ſubſiſtentes habent limitatum intellectum, & voluntatem; cùm ſint creaturæ, impares DEO in potentiis; & conſequenter etiam habent totam ſubſtantiam limitatam, ſeu finitam: Res verò ſub concavo cæli exiſtentes, ſi materiales ſint, pariter menſurari poſſunt, ut ligna, lapides, montes, homines &c. Si verò ſpirituales ſint, ut intellectiones, & volitiones hominum &c. creaturæ ſunt, & conſequenter finitæ entitatis: Ergo omnes res creatæ defactò cæleſtes, & ſublunares ſunt finitæ. Præterea omnes res creatæ defactò concluduntur decem categoriis, ſeu prædicamentis: ſed quæ in categoriis, & prædicamentis concluduntur, atque collocantur, ſunt entia finita, puta ſubſtantialia, vel accidentalia, genera, ſpecies, individua, & differentiæ: Ergo &c. Tandem veritas hujus concluſionis ampliùs patebit ex ſequentibus quæſtionibus, ubi refutabuntur Infinita Categorematica in perfectione eſſentiali, in magnitudine, in multitudine, & in intenſione.

4 *Objecta pro categorem. Infinito.* Objicies *primò*: puncta, & partes in continuo defactò dantur: ſed hæc ſunt Infinita Categorematica: Ergo &c. *Secundò* Eccleſ. 1. dicitur, quòd defactò *ſtultorum infinitus eſt numerus.* *Tertiò* Philoſophus dicit *6. Top. cap. 3.* quòd linea infinita, nec medium nec fines habet. Et *1. Elench. cap. 3.* ait, *nomina quidem infinita ſunt, & orationum multitudo; res verò numerò infinita ſunt*: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Min. nam puncta, & partes in continuo ſunt Infinita tantùm ſyncategorematicè. *Ad Secundum* explico cum P. Lyrano illum textum Scripturæ, & dico eum intelligi de ingenti multitudine, ac numero valde excedente; eô modô quo intelligitur ille alius Sap. 7. *Sapientia infinitus Theſaurus eſt hominibus.* *Ad Tertium* dicit Scotus *2. Met. in com. tex. 11.* quòd Philoſophus loquatur de linea potentiâ, ſeu ſyncategorematicè tantùm Infinita. *Ad Quartum* interpretor Philoſophum, & dico eum per infinitatem rerum intelligere innumerabilitatem, ſeu inſupputabilitatem quamdam, ac ſi diceret, quòd res ſunt innumerabiles, & inſupputabiles à nobis. 5. *Rejiciuntur.*

QUÆSTIO III.

Utrùm ſaltèm ſupernaturaliter poſſit creari Infinitum Categorematicū, vel Syncategorematicum in eſſentia.

NOtá primò: ſenſus quæſtionis iſtius eſt, an Deus de abſoluta ſua potentia poſſit creare aliquam creaturam, quæ quoad gradum eſſentialem eſſet actu Infinita, ſeu infinitæ perfectionis ſpecificæ ſubſtantialis; non ſimpliciter, qualem habet DEUS; ſed quæ eſſet participata; Affirmat Averſa, & alii pauci veteres, ſed

Dico primò: DEUS de abſoluta potentia nequit creare aliquam creaturam, categorematicè infinitam in eſſentia participatam, ſeu quæ haberet perfectionem ſpecificam infinitam. Ita colligitur ex Scoto *1. diſt. 8. quæſt. 3* & tenet communis TT. & Philoſophorum. 1. *Deus nequit creare creaturam infinitam in eſſentia.*

Probatur: ens Infinitum categorematicè in eſſentiali, ſeu ſpecifica perfectione identificat ſibi omnem perfectionem, ut docet communis TT. & patet de DEO, qui ratione ſuæ infinitatis in eſſentiali perfectione identificat ſibi omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices, & ſecundùm quid; ut doceo ex profeſſo *1. Tom. Schol. Theol. tract. 1. diſt. 3. q. 1.* & conſtat ex illo Divi Dionyſij *lib. de Div. Nom. cap. 5.*

cuncta

cuncta continet DEUS ſecundùm ſuperexpanſam ſimplicem infinitatem ſuam: Ergo tale ens Infinitum categorematicè identificaret ſibi Deitatem, & omnes Divinas perfectiones. Subſumo, ſed hoc dici nequit; aliàs eſſet ens ita neceſſarium ſicut DEUS; imò eſſent duo Dii, quorum quilibet haberet infinitam perfectionem eſſentialem, etſi aliô, & aliô modô, ſcilicet imparticipatè, & participatè: Ergo DEUS de ſua abſoluta Potentia nequit creare aliquam creaturam categorematicè infinitam in eſſentia participata.

Probatur ſecundò: omnis creatura quà talis eſt ponibilis ſub genere; ut tenet communis Peripateticorum: ſed quod ponitur ſub genere, nequit etiam de Potentia abſoluta eſſe Infinitum categorematicè: Ergo DEUS nequit creare creaturam aliquam categorematicè infinitam in eſſentia participata. Probatur Min. ex Scoto *1. diſt. 8. q. 3.* quod ponitur ſub genere, conſtat actu, & potentiâ, ſcilicet materiâ, & formâ metaphyſicâ, & eſt componibile, ut patet de homine, leone, lapide &c. Ergo quod ponitur in genere, nequit etiam de Potentia abſoluta eſſe Infinitum categorematicè. Conſequentia patet, quia eſſet Infinitum, & non eſſet Infinitum: eſſet, ut ſupponitur; non eſſet etiam, quia conſtaret potentiâ, & eſſet componibile, quod arguit perfectibilitatem & imperfectionem; Infinitum autem non eſt ſecundùm aliquam ſui partem perfectibile, & imperfectum; ſed habet omnem perfectionem; adeoque quod ponitur ſub genere nequit eſſe Infinitum categorematicè.

Probatur tertiò: DEUS de Potentia ſua abſoluta nequit aliquod attributum ſuum in perfectione eſſentiali, & ſpecifica quà tali communicare creaturæ; aliàs talis creatura eſſet creatura, & non eſſet creatura: eſſet ut ſupponitur; non eſſet etiam, quia haberet aliquid increatum ſibi intrinſecum: ſed Infinitas categorematica eſſentialis eſt attributum Divinum: Ergo nequit ulli creaturæ communicari; & conſequenter DEUS nequit creare ullam creaturam categorematicè Infinitam in eſſentia. Nec refert, quòd Infinitas eſſentiæ talis creaturæ ſit per participationem; quia non obſtante tali participatione adhuc eſſet vera & propria Infinitas categorematica eſſentialis perfectionis, quæ identificaret ſibi omnem perfectionem; & conſequenter eſſet ſimilis Attributo Divino Infinitatis, quod pariter ſibi identificat omnem perfectionem.

Probatur quartò: omnis creatura eſt dependens: ſed quod eſt dependens, eſt finitum eſſentialiter: Ergo &c. Probat. Min. quod eſt à ſe, & independens, eſt Infinitum: Ergo quod eſt dependens eſt finitum.

Objicies *primò*: defactò DEUS creavit in anima Chriſti Infinitam gratiam: item in ejuſdem natura humana Infinitam eſſentialiter Unionem hypoſtaticam, terminatam ad Verbum: Ergo &c. *Secundò*: DEUS pollet Potentiâ creativa infinitè categorematicè perfectâ: Ergo eâ creare poteſt aliquem effectum ſimilem, ſeu Infinitum categorematicè in perfectione eſſentiali. *Tertiò*: DEUS poteſt creare aliquã creaturam, quæ ab æterno duret, & eam ubique replicare: Ergo etiam aliam, quæ ſit categorematicè Infinita in eſſentiali perfectione. Conſequentia tenet à pari. 2. *Objectiones adverſar.*

Reſp. *ad Primum* Neg. Ant. nam ut fuſiùs oſtendo *tom. 2. Scholæ Theol. tract. 1. de Incarnat. diſt. 8. q. 3.* gratia Chriſti fuit in ſua phyſica entitate finita: ſumma tamen omnium hactenus creatarum. Similiter Unio hypoſtatica fuit relatio quædam finita eſſenrialiter, & entitativè; maxima tamen in ratione doni, & unionis, ut doceo ibidem *diſt. 2. q. 1. Ad Secundum* Neg. Conſeq. nam perfectio Potentiæ creativæ DEI categorematicè infinitæ ſufficienter ſalvatur per hoc, quod ſucceſſivè ſemper plures, & plures creaturas poſſibiles producere poſſit; quod nulla potẽtia creata præſtare poteſt: & quòd DEUS ſuâ Potentiâ creativâ infinitè categorematicè perfectâ non poſſit creare creaturam ſimiliter infinitè categorematicè perfectam, non oritur ex parte talis Potentiæ; ſed ex parte ipſiuſmet creaturæ, quæ repugnantiam dicit ad poſſe ſic creari. *Ad Tertium* Neg. Cõſeq. diſparitas eſt; quia etſi aliqua creatura ab æterno duraret, & ubiq; replicaretur adhuc maneret creatura propriè, & in linea entis creati; at ſi aliqua crearetur cũ infinita perfectione eſſentiali; talis non eſſet propriè creatura, ſed tranſcenderet lineam entis creati, fieretq; Divinum quid, quia ratione infinitatis eſſentialis contineret eminenter ſaltèm omnes perfectiones ſpecificas, nam identificaret ſibi omnes aliquomodo; ſicut DEUS ſibi omnes identificat ratione ſuæ Infinitatis eſſentialis, atq; ita evaderet Divinum quid. Circa alterum articulum quæſt. 3. *Refelluntur*

Nota ſecundò: duæ ſunt famoſæ opiniones circa Infinitum Syncategorematicum; una tenet, DEUM de Potentia abſoluta non poſſe procedere in Infinitũ Syncategorematicè creando ſemper ulteriùs aliam, & aliam ſpeciem, ſeu creaturam ſive ſubſtantialem ſive accidentalem perfectiorem in eſſentia; ſed dari ſtatum in aliqua ſuprema ſpecie, quâ non poſſet dari perfectior: ita Henricus, Durand. Aureol. Et ex Scotiſtis recentioribus, Poncius, Columbus, Galvia, Catharenſ. Vulpes, Smiſing, & ſequente, quorum ſententia probabilis eſt. Sed

4. *DEUS procedere poteſt in Infinitum ſyncategorematicè in creandis ſpeciebus perfectioribus.* Dico ſecundò: probabiliùs DEUS de Potentia ſua abſoluta poteſt Syncategorematicè in Infinitum procedere in creandis creaturis, ſeu ſpeciebus ſemper perfectioribus in eſſentia producendis, ita ut nunquam deveniatur ad ſupremam, & omnium perfectiſſimam, in qua neceſſariò daretur ſtatus. Ita colligitur ex Scoto *2. Met. q. 6. §. de multitudine eſſentiali*, qui etſi in hoc problematicus ſit; ad hanc tamen ſententiam *loc. cit.* & alibi magìs propendere videtur: eandem ſententiam tenent famoſiſſimi Scotiſtæ Ord. noſtri Baſſolius, Canonicus, Cavellus, Herrera, Maſtrius, Monturſ. &c. item S. Bonaventura, S. Thomas, Richardus, Ægidius, Conimbric. Fonſeca &c.

Probatur primò ratione P. Baſſolii: ſpecies ſunt ſicut numeri ſecundum Philoſophum *5. Met. tex. 10.* ſed in numeris poteſt dari proceſſus in Infinitum, maximè reſpiciendo Potentiam abſolutam DEI, ſecundùm D. Auguſt. *lib. 12. de Civ. DEI cap. 18.* Ergo etiam in ſpeciebus: Ergo DEUS de Potentia ſua abſoluta poteſt ſyncategorematicè in Infinitum procedere in creandis ſpeciebus, ſeu creaturis in eſſentia ſemper perfectioribus producendis, ita ut creatâ quacunque perfectâ, adhuc poſſit perfectiorem in Infinitum creare ſinè termino.

Prob. ſecundò ratione Scoti *loc. cit.* ubi ait; *quælibet ſpecies factibilis in Infinitum diſtat à DEO: Ergo ſi perfectior intelligatur, adhuc ſtat limes creaturæ*: & cõſequenter ſemper alia perfectior poteſt intelligi, & creari: nam omnis talis adhuc erit creatura, & non Divinum quid; uti foret illa creatura, quæ à DEO crearetur cum Infinita Syncategorematica perfectione in eſſentia.

Probatur tertiò: hujuſmodi proceſſus in Infinitum ſyncategorematicè in creandis creaturis, & ſpeciebus ſemper perfectioribus in eſſentia non involvit ullam implicantiam, ſive ex parte DEI, ſive ex parte ipſarum creaturarum, & ſpecierum: Ergo DEUS de Potentia ſua abſoluta ita procedere poteſt. Prob. Ant. non ex parte DEI, quia ipſe pollet Omnipotentia, quæ ſe extendit ad omne factibile: Ergo ſi aliunde non adſit implicantia, ex parte DEI concedi debet, eum de abſoluta ſua Potentia poſſe procedere in Infinitum ſyncategorematicè in creandis ſemper perfectioribus creaturis, & ſpeciebus. Nec etiam ex parte ipſarum creaturarum eſt ulla implicantia; tum quia nunquam in tali proceſſu deveniretur ad aliquam creaturam, quæ eſſet Infinita categorematicè; ſed quævis, etſi ſemper perfectior creata, adhuc maneret finita: Tùm quia quævis de novo creata eſſet ſub prædicamento, & ſuo genere: tum quia eſſet tantùm pars Infiniti potentialis, ſeu ſyncategorematici: tum quia quævis adhuc infinitè diſtaret à DEO, ut bene obſervat Scotus *loc. cit.* Ergo non videtur eſſe ulla implicantia ex parte creaturarum, & ſpecierum.

Probatur quartò authoritate S. Dionyſij, qui *lib. de Div. Nom.* dicit, *DEUS eſt infinita vi, & Potentiâ præditus, non ſolùm, quòd vim omnem in lucem proferat; ſed etiam quòd omnem quoque vim ipſarum multùm ſuperet; quodquè poſſit etiam infinitè infinitas alias potentias præter eas, quæ ſunt, in lucem proferre*: Ergo cenſet hic S. Pater, DEUM poſſe ſuâ infinitâ Potentiâ proferre in lucem, ſeu creare in Infinitum ſemper alias, & alias perfectiores creaturas. Favet etiam Concil. Conſtantienſe, quod, ut refert Valdenſis *tom. 1. lib. 1. art. 1. cap. 11.* damnavit opinionem Abaylardi, & Wiclephi, docentium DEUM non poſſe plures ſpecies producere præter eas, quas produxit, & producet; eò quòd ſic dicendo læderent DEI infinitam Potentiam: ſed etiam videtur lædi infinita DEI Potentia, ſi dicatur, DEUM non poſſe procedere in Infinitum ſyncategorematicè in producendis ſemper perfectioribus creaturis: Ergo &c. Probat. Min. tunc cenſetur lædi infinita DEI Potentia, quando limitatur, uti eam limitabant præfati Hæretici: ſed limitaretur ad creandam aliquam ſupremam creaturam, in qua producta daretur ſtatus: Ergo læderetur.

Objicit *primò* P. Columbus: Auguſtinus *12. Confeſſ. cap. 7.* alloquens DEUM ait; *duo feciſti Domine, unum prope te*, id eſt 5. *Columbi rationes oppoſitæ.*

eſt Angelum, *& aliud prope nihil*, id eſt materiam primam: Ergo cenſet hic S. Pater Angelum eſſe creaturam perfectiſſimam, quâ perfectior creari nequit, quod enim prope DEUM eſt, perfectiſſimum eſt. *Secundò* Ariſtoteles dicit *2. Met. cap. 2.* quòd in eſſentialiter ordinatis non detur proceſſus in Infinitum: ſed omnes ſpecies ſunt eſſentialiter ordinatæ: Ergo DEUS in eis creandis nequit facere proceſſum in Infinitum.

6. *Diſſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* gloſſando S. Auguſtinum, & dico eum ſolùm velle, quòd Angelus ſit omnium perfectiſſima creatura reſpectu defactò creatarum à DEO; unde etiam eſt prope DEUM: cum quo ſtat, quòd DEUS de poſſibili poſſit longè perfectiores illô creare; ejus enim Potentia creativa abſoluta non alligatur legibus Univerſi, quas ab initio ſtatuit; ſed ut inquit Scotus *1. diſt. 44.* poteſt aliter, & aliter res ordinare, ſicut ſibi placet; modò non adſit repugnantia ex parte rerum; quæ nulla eſt in creatione novarum creaturarum, & perfectiorum Angelô, defactò creatô. *Ad Secundum* dico, illud axioma Philoſophi intelligendum eſſe defactò, & ſpectatâ præſenti ordinatione Univerſi, ab Authore naturæ DEO factâ; non verò de poſſibili; nam de abſoluta potentia DEUS aliter res ordinare poſſet, ut mox ex Scoto dixi. Deinde illa maxima ſolùm intelligi debet de cauſis eſſentialiter ſubordinatis; cùm enim ibi una eſſentialiter dependeat ab altera, utique omnes actu debent eſſe in rerum natura; atque ita proceſſus in Infinitum in eis dari nequit: at ſpecies illæ poſſibiles ſemper perfectiores non ita ſubordinantur ſibi; ſed in hoc ſenſu duntaxat; quòd una aliâ ſemper excedat in perfectione, & nunquam fieri poſſit, ut duæ ſint pares.

7. *Alia objectiones.* Objicit præterea idem P. Columbus, & P. Smiſing: defactò quædam in ſuo genere ita perfectè creata ſunt à DEO, ut in ulteriori gradu perfectiora fieri nequeant; talia ſunt unio hypoſtatica Verbi Divini cum humanitate Chriſti; Maternitas B. V. Gratia, & Viſio beatifica Chriſti; & ſecundùm aliquos etiam Euchariſtia: Ergo nec de Potentia abſoluta DEI in his procedi poteſt in Infinitum. Præterea communiter Philoſophi docent hominem eſſe ſubſtantiam perfectiſſimam in genere ſubſtantiæ corporeæ, & ſupremum in genere animalium: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad exempla allata dico, Unionem hypoſtaticam, Maternitatem B. V. Gratiam, viſionem beatificam Chriſti, ac Euchariſtiam eſſe quidem res in genere ſuo phyſico, & morali ſummè perfectas reſpectu rerum, & formarum defacto creatarum, & communicatarum à DEO; non verò reſpectu poſſibilium, & de Potentia abſoluta DEI creabilium; quæ Potentia cùm infinita ſit, utique aliam Unionem hypoſtaticam, ſi Spiritus S. v. g. aſſumere hypoſtaticè naturam Angelicam; & aliam Gratiam, Viſionem &c. phyſicè perfectiorem efficere poſſet in alio rerum, & decretorum ordine. *Ad Secundum* dico ſimiliter, hominem poni perfectiſſimum in genere ſubſtantiæ corporeæ, & animalis reſpectu ſpecierum defactò productarum in genere ratione ſubſtantiæ corporali; non verò reſpectu producibilium à DEO. 8. *Diſcutiuntur.*

QUÆSTIO IV.

An ſupernaturaliter dari poſſit Infinitum Categorematicum, vel Syncategorematicum in magnitudine, ſeu quantitate continua?

DIco primò: Deus nequit etiam de potentia abſoluta efficere Infinitum Categorematicum in magnitudine, ſeu quantitate. Ita colligitur ex Scoto *2. Met. q. 6. & 2. diſt. 2. q. 9. & 1. diſt. 8 q. 1.* quem ſequuntur ex ſuis Canonic. Sargi. Maſtr. Monturſ. Columb. &c. Item S. Bonaventura, S. Thomas, Cajetan. Ferrar. Aureol. &c. contra Occam, Gabriel. Almai. Vaſq. & ex Scotiſtis contra Fuent. Vulp. &c. Adverte ſub hac concluſione comprehendi Infinita Categorematica in extenſione, longitudine, altitudine, & ſimilia, quæ quantitatem dicunt continuam. 1. *DEUS nequit producere infinitam multitudinem categorematicam ob varias repugnantias.*

Probatur primò authoritate Philoſophi, qui *3. Phyſic. à tex. 40.* uſque ad *55.* validis quinque rationibus comprobat, non poſſe dari Infinitum in actu, ſeu Categorematicum in quantitate & magnitudine. Nec valet dicere cum P. Fuente, Philoſophum locutum fuiſſe de Potentia ordinaria; quia abſolutam DEI diſtinctè non agnovit. *Contra* enim eſt; quòd etſi Potentiam abſolutam DEI non agnoviſſet;

cognovit tamen repugnantias, & abſurda, quæ impediunt efficientiam Infiniti Categorematici in quantitate, ſeu magnitudine; quæ infra adducentur; ac proinde rectè aſſeruit ejuſmodi Infinitum nullâ ratione poſſe dari.


Probatur ſecundò ratione: illud nequit DEUS de abſoluta potentia efficere, quod manifeſtas involvit repugnantias: ſed Infinitum Categorematicum in magnitudine, ſeu quantitate manifeſtas involvit repugnantias phyſicas, & mathematicas: Ergo &c. Probatur Min. allegando varias repugnantias, quæ ex Infinito Categorematico in magnitudine, ſeu quantitate oriuntur: *Prima repugnantia phyſica* eſt, quòd ex aſſertione hujus Infiniti ſequatur, totum non eſſe majus ſuâ parte; quod ſenſui repugnat, & D. Auguſtino *lib. de immortal. animæ cap. 4.* quia ponamus lineam aliquam infinitam (quæ eſt Infiniti in quantitate) quælibet pars hujus lineæ foret Infinita; quia Infinitum non coaleſcit ex finitis; ſed infinitis, ut habet Ariſtoteles *3. Phyſ. 37.* ſicut ſubſtantia non coaleſcit ex non ſubſtantiis; ſed ſubſtantiis partialibus: Ergo quævis pars illius lineæ eſſet infinita ſicut tota linea: & conſequenter totum non eſſet majus parte, ſcilicet tota linea non eſſet major parte lineæ. Confirmatur: ſupponamus unam lineam protrahi in Infinitum ab Oriente in Occidentem; ſecetur deinde illa â Deo per medium, tunc quæro, num utraque pars ſit finita, vel infinita; ſi dicas quòd ſit finita. *Contrà*; Ergo linea illa ex utraque parte coaleſcens non eſt infinita; cùm Infinitum ex finitis non conſtet. Si dicas, quòd ſit infinita. *Contrà*; Ergo quælibet pars eſt æqualis ſuo toti; & ſic totum non eſt majus ſuâ parte.

Secunda repugnantia phyſica eſt; ex aſſertione Infiniti Categorematici in magnitudine ſequeretur tot eſſe palmos in uno Infinito, quot ſemipalmos: ſed hoc eſt falſiſſimum: Ergo &c. Prob. Maj. creetur à DEO una columna à baſi terræ versùs cælum in Infinitum protracta; hæc habebit infinitos palmos, ex quibus coaleſcit; quilibet autem talis palmus conſtat duobus ſemipalmis, & tamen tot tantùm eſſent ſemipalmi, quot palmi; quia utrobique tantùm eſſent Infiniti, & unum Infinitum non datur formaliter majus alterô; aliàs illud minùs Infinitum eſſet Infinitum, & non eſſet: eſſet ut ſupponitur; non eſſet etiam, quia ei aliquid poſſet addi, quô æquetur alteri majori; quod eſt contra rationem Infiniti quà talis: Ergo &c.

Tertia repugnantia eſt Mathematica iſta; ex aſſertione Infiniti Categorematici in quantitate ſequeretur, poſſe dari aliquam lineam, quæ eſſet actu infinita, & finita; & conſequenter infinita, & non infinita: ſed hoc eſt falſum: Ergo &c. Probat. Maj. ducātur duæ lineæ ex uno eodemque puncto in forma pyramidali, juxta IV. figuram appoſitam; hæ quò plùs à puncto A. protrahuntur, eò plùs diſtabunt inter ſe; unde ſi per infinitum ſpacium protrahantur, tandem infinitè diſtabunt inter ſe; tunc ducat Deus in baſi lineam tertiam ab una illarum linearum ad alteram; iſta tertia linea eſſet actu infinita, ſeu infinitè longa, & etiam finita; eſſet infinita; quia flueret per ſpacium infinitum, ſeu traheretur inter duas alias infinitè diſtantes lineas: eſſet etiam tantùm finita; quia clauderetur, & terminaretur duabus aliis lineis; omne autem terminatum eſt finitum: Ergo ſequeretur, quòd eſſet actu infinita, & finita. 2. *Alia repugnantia mathematica.*



Quarta repugnantia eſt Mathematica hæc: ex ſententia adverſariorum rurſus ſequeretur, lineam aliquam ſimul eſſe finitam, & infinitam: ſed hoc eſt falſum: Ergo &c. Prob. Maj. conſtruatur à DEO figura aliqua pyramidalis, juxta ideam hanc V. appoſitam; cujus cuſpis ſit illud punctum A. ducatur una linea ab uno latere pyramidis ad alterum, quæ ſit diſtans unô palmô â puncto A. hæc linea erit unius palmi in magnitudine, ſeu quantitate; poſt intervallum ducatur pariformiter alia, quæ ſit diſtans duobus palmis ab illo puncto; iterum ducatur tertia eodem modô, quæ ſit tribus palmis diſtans; & ſic deinceps quouſque ultima tandem linea conſtitutiva baſis v. g. ſeptima in figura iſta evadat infinita; hæc linea baſis erit infinita, ut ſupponitur, & quia fluit inter

fig: V.


latera

latera pyramidis infinitè diſtantia; erit etiam finita; quia unô tantùm palmô excedit lineam ſibi proximam finitam: finitum autem additum finito, non facit infinitum: Ergo ſequeretur, quòd talis linea eſſet ſimul infinita, & finita; & conſequenter infinita, & non infinita.

Probant alii rurſus variis aliis rationibus: quibus tamen adverſarii, maximè Scotiſtæ, facilè reſpondent. *Primò* ajunt, ſequeretur ex productione Infiniti Categorematici in magnitudine; quòd exhauriretur Omnipotentia Divina; quia nihil ampliùs in hoc genere producere poſſet. *Secundò* ſequeretur, quòd corpus v. g. infinitæ magnitudinis categorematicæ productum non poſſit moveri in aliquo ſpacio; cùm ſpacium, in quo fit motus, debeat eſſe majus. *Tertiò* Infinitum actuale in magnitudine eſt figurabile; quia figura reſultat ex terminatione partium quantitatis continuæ: ſed omne figurabile eſt neceſſariò finitum; quia eſt terminatum.

3. *Varia argumenta in contrarium.* Objiciunt adverſarii *primò*: DEI Omnipotentia eſt dignificanda omni meliori modô quoad efficiendas creaturas, ſecundùm Scotum: Ergo ei concedenda eſt efficientia Infiniti Categorematici in magnitudine. *Secundò*: DEUS ſuâ Omnipotentiâ de facto mirabiliora efficit, quàm ſit Infinitum Categorematicum in magnitudine; ſic de facto conſtituit myſterium Euchariſtiæ, in quo Divinitas, & tota humanitas Chriſti continetur ſub ſpeciebus ſenſibilibus; ſic myſterio Incarnationis univit naturam humanam naturæ, & Perſonæ Divinæ admirabili illo nexu Unionis hypoſtaticæ; ſic in Nativitate Chriſtus vi ſupernaturali illæſô clauſtrô virginali exivit de utero Deiparæ Virginis Mariæ; Ergo &c. *Tertiò*: Philoſophus ponit infinitatem eſſe paſſionem realem entis: Ergo cenſet ens Infinitum eſſe factibile; & conſequenter Infinitum Categorematicum in magnitudine. *Quartò*; DEUS videt infinitam lineam poſſibilem: Ergo poteſt illam producere actu. Conſequentia tenet; quia quod DEUS videt poſſibile, hoc poteſt efficere actu. *Quintò*: DEUS poteſt aliquam lineam dividere in infinitas partes proportionales: Ergo etiam eaſdem reunire: tunc autem erit Infinitum Categorematicum in magnitudine: Ergo &c.

4. *Quæ eliminantur.* Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Ant. Dei Omnipotentia eſt dignificanda omni meliori modô quoad efficiendas creaturas, niſi ipſæ creaturæ dicant repugnantiam manifeſtam ad ſic, vel ſic effici Conc. Ant. ſi dicant talem repugnantiam Neg. Ant. Itaque Infinitum Categorematicum in magnitudine, ut ſuprà oſtenſum eſt, dicit manifeſtas repugnantias, ratione quarum à DEO effici non poſſit. Quando autem creaturæ ipſæ repugnant ſic vel ſic effici, Omnipotentiæ Divinæ nil ſubtrahitur de ſibi debita dignificatione, infinitate, & perfectione; ſed totum obſtaculum productionis earum ex parte ipſarum creaturarum reperitur. *Ad Secundum* Neg. Ant. & ad allata exempla de Euchariſtia, Incarnatione, & Nativitate dico, illa reſpectu Omnipotentiæ Divinæ effectricis non eſſe mirabiliora, quàm efficientia Infiniti Categorematici in magnitudine; quia continentur ſub linea entium effectibilium ab eadem infinita potentia; cùm nullam dicant apertam repugnantiam; non ſic Infinitum Categorematicum in magnitudine. *Ad Tertium* dico, Philoſophū loqui de infinitate Syncategorematica; non verò Categorematica; in quam acriter invehitur *3. Phyſic. tex. 40.* uſque ad 53. *Ad Quartum* Neg. Ant. nam cùm talis linea repugnet, non videt eam ut poſſibilem poſitu. *Ad Quintum* dico, quòd ſicut DEUS poteſt tantùm ſucceſſivè dividere aliquam lineam in infinitas partes proportionales; ita etiam ſucceſſivè tantùm poteſt eas reunire; tunc autem non dabitur Infinitum Categorematicum in magnitudine. Circa alterum articulum quæſtionis

Dico ſecundò: poteſt tamen DEUS de potentia ſua abſoluta efficere aliquod Infinitum Syncategorematicum in magnitudine, ſaltèm in corporibus homogeneis. 5. *Syncategor. Infinitum eſt dabile à DEO.*

Probatur, tum quia DEUS poteſt aliquam lineam tricubitalem dividere ſucceſſivè in infinitas partes proportionales ſecundùm longitudinem, & eaſdem combinare ſimul ſecundùm latitudinem, & ſic augere ſucceſſivè quantitatem in Infinitum: ſed tunc efficeret Infinitum Syncategorematicum in magnitudine: Ergo &c. Tum quia DEUS poteſt alicui igni continuò apponere materiam combuſtibilem, quo caſu ignis creſceret ſyncategorematicè in Infinitum, ut habet Scotus *2. diſt. 2. q. 9.* ex Philoſopho: item DEUS poſſet erigere aliquam columnam; & ei quotidiè per totam æternitatem apponere unum palmum; in hoc enim non ap-

 paret

paret ulla implicantia; ſed talis columna eſſet infinita ſyncategorematicè in magnitudine: Ergo &c.

QUÆSTIO V.

An ſupernaturaliter poſſit dari Infinitum Categorematicum, vel Syncategorematicum in multitudine, ſeu numero?

1. *DEUS nequit efficere Infinitum actu in multitudine.*

DIco primò: ſimiliter de potentia abſoluta DEUS nequit producere Infinitum Categorematicum in multitudine, ſeu numero. Ita Scotus *2. diſt. 1. q. 3.* & *Quodlib. 2. & 3. q. 2.* & *1. Report. diſt. 36. q. 4.* Et ſequuntur Bargius, Maſtrius, Columb. Canonic. Smiſing, & alii Scotiſtæ; & S. Bonavent. S. Thomas, Richard. Durand. & Thomiſtæ plerique; contra Occam, & ejus ſequaces Nominales, ac Vaſq. Hurtad. Arriag. &c. & ex noſtris etiam contra Vulp. Baſſol. Nolan. & Fuent.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui docet repugnare Infinitum actu in multitudine, ſeu numero, ut videre eſt *3. Phyſic. tex. 41.* & alibi: Ergo &c.
Probatur ſecundò ratione: Etiam productio Infiniti Categorematici in multitudine, ſeu numero involvit varias repugnantias: Ergo DEUS de Potentia ſua abſoluta nequit illud producere. Probat. Ant. afferendo varias repugnantias: *Prima repugnantia* eſt; repugnat aliquid eſſe ſimul finitum, & infinitum: ſed aliqua multitudo categorematicè infinita, ſi à DEO de abſoluta potentia produceretur, eſſet ſimul finita, & infinita: Ergo &c. Probat. Min. ponamus DEUM producere ſecundùm adverſarios infinitam actu multitudinem hominum; in hac utique reperientur plures oculi, capilli, digiti, & aures, quàm ſint homines; uti patet ad ſenſum: Ergo hæc multitudo hominum eſſet infinita ut ſupponimus: eſſet etiam finita ſimul, quia ibi neceſſariò finiretur, ubi à pluralitate oculorum, capillorum, digitorum, & aurium excederetur; nam ab alio excedi, eſt ab illo finiri, & reddi finitum.

2. *Alia repugnantia ad idem.*

Secunda repugnantia eſt; repugnat unum Infinitum eſſe formaliter majus alterô: alioquin Infinitum minus non eſſet Infinitum; quia excederetur à majori; & conſequenter deeſſet ei aliquid, quó additó poſſet reddi æquale majori Infinito; quod eſt contra rationem Infiniti actu dicentis omnes partes ſui conſtitutivas: ſed admiſsó Infinitô Categorematicó in multitudine, ſeu numero, unum Infinitum eſſet formaliter majus alterô: Ergo &c. Probat. Min. ponamus DEUM producere infinitam actu multitudinem hominum, quorum quivis habeat in manu burſam repletam mille nummis; tunc Infinitum Categorematicum nummorum utique eſſet formaliter majus Infinitô ſolorum hominum; item Infinitum capillorum talium hominum eſſet majus Infinitô ipſorum hominum: Ergo unum Infinitum eſſet formaliter majus alterô. Confirmatur: DEUS poſſet creare aliam multitudinem Angelorum infinitam duplô majorem multitudine hominum; quia ejus potentia non eſt exhauſta: Ergo &c.

Tertia repugnantia eſt; repugnat in una eademque maſſa multitudinem importante eſſe tot milliones, quot unitates: ſed hoc ſequeretur ex aſſertione Infiniti Categorematici in numero: Ergo &c. Maj. patet; quia millio coaleſcit ex unitatibus, & conſtat decies centenis millibus unitatum, v. g. unus millio hominum decies centenis millibus hominum; adeoque repugnat in una eademque multitudine tot eſſe milliones, quot unitates. Probat. autem Min. omnes milliones talis maſſæ eſſent infinitæ formaliter; quia ex eis conflatur infinita illa maſſa; Infinitum autem non conflatur ex finitis, ſed infinitis, ut ſuprà oſtendi: ſed etiam unitates eſſent infinitæ: Ergo tot erunt milliones, quot unitates.

Quarta repugnantia eſt; ex Infinito Categorematico in multitudine v. g. arenularum ſequeretur, has arenulas occupare infinitum ſpacium; & conſequenter tantum, quantum infiniti Montes: item ſequeretur, quod ex ijſdem arenulis poſſent conſtrui Infiniti montes Æthnæ; quia non minùs ſpacium occupare poſſunt, quàm Infinitum: item ſequeretur, quod ad conſtitutionem talis Infiniti Categorematici infinitæ arenularum unitates eſſent neceſſariæ, & non eſſent neceſſariæ: eſſent; quia Infinitum debet conflari ex infinitis; aliàs ſi ex finitis conflaretur, reſultaret finitum: non eſſent etiam neceſſariæ; quia infinitudo unitatum ſecum trahit infinitatem binariorum; multitudo enim

enim coaleſcens ex unitatibus infinitis, coaleſcere quoque debet ex infinitis binariis, ternariis &c. aliàs in multitudinem finitam degeneraret, puta talem, quæ ex binariis, ternariis &c. finitis conſtaret: ſed binariorum infinitas deſtruit neceſſitatem infinitarum unitatum, ita ut hæ ampliùs neceſſariæ non ſint; cùm enim quilibet binarius includat duas unitates, ſi ab infinita multitudine auferrentur infinitæ unitates, adhuc reſtarent aliæ infinitæ, ſcilicet ex ſingulis binariis una: Ergo &c.

Quinta repugnantia eſt; repugnat, quòd Infinitum Categorematicum in multitudine vel exhauriretur aliquando; vel augeretur notabiliſſimè abſque additione novarum unitatum: ſed hoc ſequeretur ex admiſſo Infinito Categorematico in numero: Ergo &c. Prob. Maj. ponamus DEUM producere infinitos homines, quorumquivis haberet lapidem; tunc ſi ſinguli homines, conijcerent ſuos lapides in unum cumulum, quæro an ex illo poſſit unuſquiſque tres lapides accipere? ſi dicas quod ſic; ergo jam erunt plures lapides in illo cumulo, quàm ante in manibus hominum exiſtebant, abſque additione novarum unitatum, id eſt lapidum: ſi dicas, quod non; ergo tandem exhaurietur tota illa multitudo lapidum, & ſic fuiſſet finita contra hypotheſim.

3. *Stabilitur conclusio aliis rationibus.* Confirmari poteſt Concluſio *primò* à paritate Infiniti Categorematici in magnitudine, quòd cùm de Potentia abſoluta DEI effici non poſſit, idem dicendum erit de Infinito iſto Categorematico in multitudine: non enim eſt potior ratio de uno, quàm de altero. *Secundò*; quia Infinitum Categorematicum nõ eſt pertranſibile; ut docet Ariſtoteles *3. Phyſic. 41.* & *1. Poſt. cap. 16. tex. 35.* & *cap. 3. tex. 6.* & eſt ratio; quia aliàs haberet limitem, & menſuram: ſed omnis numerus (ex quo coaleſcit Infinitum Categorematicum in magnitudine) eſt pertranſibilis, & numerabilis; ut inſinuat idem Ariſtoteles *cit.* Ergo &c.

4. *Objectiones quædam adverſar. enervantur.* Objiciunt Fautores Infiniti *primò*: illas omnes repugnantias hactenus pro cõcluſione allatas videri tantùm repugnantias illis hominibus, qui naturam Infiniti Categorematici in multitudine non penetrant; utpote aſſveti conditionibus entis finiti; in ſe tamen repugnantiæ non ſunt; unde ijs non obſtantibus Deus poſſet producere de abſoluta Potentia Infinitum Categorematicum in multitudine.

Reſpondeo, ſi hæc adverſariorum doctrina ſubſiſteret, profectò hác viá poſſet à protervientе defendi, etiam poſſibilem eſſe Chimæram; item à DEO poſſe fieri contradictoria, aſinum rationalem &c. nam protervus cõtra impugnantem Chimæræ poſſibilitatem &c. inſoleſcere poſſet dicendo, ipſum hoc aſſerere ex eo, quòd aſſvetus ſit contemplari entia duntaxat poſſibilia, hominem rationalem &c. Itaque illæ repugnantiæ allatæ pro concluſione ſunt veriſſimæ; & quæ ex aſſertione Infiniti Categorematici in multitudine ſequerentur (uti ea ſequi oſtendunt præmiſſa argumenta, illarum repugnantiarum probativa) tam ſunt incredibilia, ut ſi inter credenda Fide Divinâ ponerentur, inter difficiliora credita primum locum haberent, ut advertit Pat. Maſtrius hic.

Objiciunt ſecundò varias rationes *primò*: Eſſentia Divina eſt idea, & exemplar infinitarum rerum factibilium: Ergo DEUS eadem poteſt producere ſimul; & conſequenter efficere Infinitum Categorematicum in multitudine. *Secundò*: dantur defactò ſimul infinitæ privationes rerum factibilium, quia res ipſæ factibiles non exiſtunt actu ſimul; adeoque eorum privationes exiſtunt: Ergo dabile eſt Infinitum Categorematicum in numero. *Tertiò*: Scotus *1. diſt. 2. q. 1.* oſtendit Intellectum Divinum eſſe Infinitum actu; quia cognoſcit actu infinita cognoſcibilia: Ergo talia cognoſcibilia à Potentia Divina poſſunt ſimul effici; & ſic dabitur Infinitum Categorematicum in multitudine. *Quartò*: in quovis continuo dantur defactò infinita actu puncta, & partes proportionales: Ergo &c. *Quintò*: in permanentibus quidquid poteſt DEUS ſucceſſivè, poteſt ſimul ob ſui infinitam Potentiam, ut habet Scotus *2. diſt. 1. q. 3.* ſed DEUS poteſt ſucceſſivè producere infinitos homines: Ergo & ſimul. 5. *Aliæ oppoſitiones.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam cùm infinita ob rationes pro concluſione allatas non ſint factibilia; conſequenter nec ſcibilia ſunt, ut notat Scotus *quæſt. 2. Prolog. §. ſed dubium*; ita eorum exemplar non eſt Eſſentia Divina. *Ad Secundum* dico, cùm negationes non ſint entia rigoroſa realiá poſitivá; ſed potiùs remotiones entium realium poſitivorum; ideo non cenſentur conſtituere veram, & realem multitudinem actu infinitam. *Ad Tertium* dico Scotum *loc. cit.* procedere tantùm arguitivè; 6. *Quæ infirmantur.*

guitivè; non verò aſſertivè; cùm ibi ex profeſſo de Infinito Categorematico non tractet; ſed alibi, ubi pro hac concluſione ſtat. Loquitur ergo Scotus *loc. cit.* ex hypotheſi adverſariorum, quæ ſi vera eſſet, quòd dentur actu Infinita cognoſcibilia; bene exinde poſſet inferri, intellectum DEI eſſe Infinitum actu. *Ad Quartum.* Neg. Ant. ſed tantùm in Continuo dantur puncta, & partes proportionales ſyncategorematicè infinitæ. *Ad Quintum* dico, illam Majorem ex Scoto *cit.* tantùm verificari in illis permanentibus, quæ habent aſſignabilem, & determinatam magnitudinem, quæ ſucceſſivè tota attingi poteſt; non autem de multitudine Infinita Categorematica, quæ repugnat: impedimentum autem, ob quod multitudo Infinita à DEO produci nequit, non ſtat ex parte DEI, qui infinità pollet Potentià effectrice; ſed ex parte ipſarum rerum, quæ cum Infinita multitudine produci nequeunt. Circa alterum articulum quæſt.

7. *Infinitum Syncateg: in multitud: eſt poſſibile.* Dico ſecundò: poteſt nihilominus DEUS de abſoluta Potentia producere Infinitum Syncategorematicum in multitudine, & numero. Ita Scotus *Quodlib. 1.* & *2. Met. q. 6.* & ſequuntur Columb. Maſtrius, Bargius, & alii Scotiſtæ.

Probatur: tum illis rationibus, quibus ſuprà *quæſt. 2. Concluſ. 2.* oſtendi in communi, dari Infinitum Syncategorematicum; quæ omnes militant pro Infinito Syncategorematico in multitudine. Tum quià poteſt DEUS creare Angelos ſemper plures, & plures per omnem æternitatem: & hi poſſunt ſemper alias, & alias elicere intellectiones; imò Angeli ſancti jam de facto creati, & animæ rationales beatæ tales probabiliter elicient circa objecta in Eſſentia Divina repræſentata: ſed hujuſmodi Angeli à DEO creabiles, & eorum intellectiones eſſent Infinitum quoddam Syncategorematicum in multitudine: Ergò &c.

QUÆSTIO VI.

Utrùm ſupernaturaliter poſſit dari Infinitum Categorematicum, vel Syncategorematicum in intenſione?

Dico primò: DEUS pariter de Potentia abſoluta non poteſt efficere aliquod Infinitum Categorematicum in intenſione, ſeu qualitatem infinitam actu. 8. *Deus nequit facere Infinitum Categorem: in intenſione.* Ita Scotus *3. diſt. 13. q. 1.* ubi dicit, non poſſe dari infinitam qualitatem, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem: & ſequuntur Canonic. Tartar. Maſtrius, Sghema, Cavell. Herrer. &c. D. Thomas, & Thomiſtæ, Aureol. ac Durand. contra Nominales, & Hurtad. &c.

Probatur primò: DEUS nequit de abſoluta ſua Potentia efficere Infinitum Categorematicum in multitudine: Ergo neque Infinitum Categorematicum in intenſione. Conſequentia tenet à pari; & quià in qualitate infinitè actu intenſa invenitur quædam infinita multitudo graduū intenſionis: & quia eædem repugnantiæ adſunt pro iſto, ac illo; nam ſicut in Infinito in multitudine deberent eſſe tot milliones, quot unitates; ut ſuprà *quæſt. 5. probat. tertia* urſi; ſic in Infinito in intenſione deberent eſſe tot gradus, quot ſemigradus; & ſic de aliis portionibus majoribus, & minoribus qualitatis: item ſicut ex aſſertione Infiniti Categorematici in multitudine, ſeu quantitate daretur unum Infinitum formaliter majus alterò, puta Infinitum mille nummorum, quos quilibet homo ex Infinito hominum teneret; ut *loc. cit.* urſi; ita pariter ex aſſertione Infiniti Categorematici in qualitate ſequeretur, unam qualitatem infinitam à qua divinitùs auferrentur infiniti milliones graduum intenſionis, fore minorem aliâ qualitate infinitâ, in qua remanerent hi milliones graduum: item ſicut ex aſſertione Infiniti Categorematici in multitudine ſequeretur, infinitas unitates arenularum eſſe neceſſarias ad conſtitutionem illius. & non eſſe neceſſarias, ut *cit. quæſt.* oſtendi, ita ſimiliter ex aſſertione Infiniti Categorematici in intenſione ſequeretur, infinitas unitates graduum talis eſſe neceſſarias ad conſtitutionem talis Infiniti; & nō eſſe neceſſarias: Ergo ſicut DEUS de abſoluta ſua Potentia nequit efficere Infinitum Categorematicum in multitudine; ita neque Infinitum Categorematicum in intenſione.

Probatur ſecundò ſpecialiter diſcurrendo per claſſes qualitatis naturalis, & ſupernaturalis. Imprimis DEUS nequit qualitatem aliquam naturalem in Infinitum actu intendere, v. g. calorem; aliàs talis

talis qualitas in ſuo genere evaderet Divina, aut æqualis ſaltèm eſſet Divinis perfectionibus v. g. Intellectioni, & Volitioni Infinitis, quæ rationem quaſi qualitatis, identificatæ tamen habent: hoc autem dici nequit ſecundùm Scotum *2. Met. q. 6.* Ergo &c. Deinde nequit etiam qualitatem ſupernaturalem infinitam categorematicè creare v. g. lumen gloriæ, & viſionem beatificam; quia aliàs creatura poſſet mediante tali lumine, & viſione perfectè comprehendere DEUM, quod negant Theologi; & ego pluribus oſtendo *tom. 1. Schol. meæ Theol. tract. 1. diſt. 3. q. 6. concluſ. 5.* patetque ex illo Scripturæ Hierem. *32. magnus conſiliò, & incomprehenſibilis cogitatu:* Ergo &c.

2. *Variæ rationes afferuntur.*

Objicies *primò*: DEUS poteſt Antonio dare gratiam, ut in primo inſtanti hujus horæ eliciat actum meritorium, & mereatur per determinatum gradum meriti; continuet deinde iſtum actum per totum ſpacium horæ, in fine horæ ejus meritum erit Infinitum categorematicè; quia ibi ſunt Infinita inſtantia: Ergo &c. *Secundò*: meritum Chriſti defactò fuit Infinitum quoddam Categorematicum in intenſione; quia procedebat à Perſona Infinita; Ergo &c. *Tertiò*: quodvis peccatum mortale defactò eſt Infinitæ malitiæ categorematicè, ob dignitatem Perſonæ Divinæ offenſæ: Ergo &c. *Quartò*: gratia ejuſdem Salvatoris eſt qualitas quædam infinitè categorematicè intenſa: uti patet ex illo Joan. 3. *non enim ad menſuram dat Deus Spiritum Filio*: Ergo &c.

3. *Quæ diſſolvuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. illam partem Ant. quòd ſcilicet in fine horæ ſit meritum Antonii futurum Infinitum categorematicè ob Infinita inſtantia; quia ratio meriti, & ejus augmentum non datur propter inſtantia: ſed propter ſubſtantiam actûs meritorii, quem Antonius ponit, & continuat per tantum tempus; unde tempus unius horæ, cui correſpondet poſitio talis actûs, & ejus augmentum, eſt extra rationem intrinſecam meriti; ſicque ab ejus Infinitis inſtantibus nullam attrahit infinitatem categorematicam: committitur ergo in præfato argumento fallacia *non cauſæ ut cauſa*; quaſi inſtantia temporis eſſent cauſa tanti, vel tanti meriti; quod eſt falſum. *Ad Secundum* Neg. Ant. nam ut oſtendo *tom. 2. meæ Scholæ Theolog. tract. 1. de Incarnatione Verbi diſt. 10. q. 6.* meritum Chriſti fuit quidem ſummi valoris; non tamen intrinſecè, & formaliter Infiniti; quia ejus principia erant finita, puta voluntas creata, & gratia habitualis: nec ullam infinitatem intrinſecam accepit à Perſona Verbi infinita; quia ſicut viſio beatifica non ſortitur ullam infinitatem entitativam, & intrinſecam ab Eſſentia Divina, ut objecto viſo; ita neque actio à perſona eliciente; maximè cùm perſona ſe habeat per modum principii Quod; non Quo, à quo menſuratur actionis finitas vel infinitas. *Ad Tertium* Neg. Ant. nam certiſſimum eſt in omni bona Theologia, & Fide orthodoxa creditum, unum peccatum mortale eſſe gravius alterô; ſic v. g. idololatria eſt gravior peccatô fornicationis ſimplicis; & peccata in Spiritum Sanctum ſunt graviora peccatis avaritiæ, vel ebrietatis; ut pluribus oſtendo *tom. 2. Scholæ meæ Theologicæ tract. 8. diſtinct. 1. quæſt. 3. concluſ. 2.* & patet ex illo Thren. 4. *major effecta eſt iniquitas Filiæ populi mei peccatô Sodomorum*; adeoque peccatum mortale ex genere ſuo non eſt Infinitæ malitiæ categorematicè; alioquin daretur unum Infinitum Categorematicum formaliter majus alterô. Etſi ergo creſcat malitia peccati mortalis ob dignitatem perſonæ offenſæ, puta DEI; creſcit tamen ſecundùm proportionem duntaxat; non ſecundùm æqualitatem, quaſi æqualis, & æquè infinita eſſet malitia, ac infinita eſt perſona offenſa. *Ad Quartum* Neg. Ant. nam ſuprà *quæſt. 3. in objectionibus Concluſ. primæ* jam dixi, gratiam Salvatoris noſtri in entitate phyſica eſſe finitam; ſummam tamen: unde ille textus Scripturæ Joan. 3. intelligendus eſt non de infinitate aliqua Categorematicæ menſuræ; ſed de ſummitate gratiæ, reſpectu hactenus collatarum gratiarum, & conferibilium juxta præſentes Leges Divinas, cadentes ſuper creaturas gratiis Divinis replendas.

4. *Deus poteſt intendere in Infinitum ſyncategorematicè qualitatem.*

Dico ſecundò: poteſt tamen DEUS de Potentia abſoluta aliquam qualitatem in Infinitum ſyncategorematicè intendere. Hæc non eſt contra ſinceram Scoti mentem; quam ſtatuunt Maſtrius, Bellutus, & propendent Cavellus, Canonic. Tartaret. Herrera, Sghema; & expreſsè tenet S. Thomas, cum ſuis omnibus Cajetanô exceptô; contra Columb. Lychet. Fabrum, Ovand. Herman, & alios Scotiſtas.

Probatur: tum quia DEUS de Potentia abſoluta poteſt ſyncategorematicè in Infinitum procedere in creandis creatu-

tis, ſeu ſpeciebus ſemper perfectioribus; ut ſuprà *q. 3. concl. 2.* oſtenſum eſt; item poteſt de eadem potentia efficere aliquod Infinitū Syncategorematicū in magnitudine; ut ſuprà *q. 4. concl. 2.* docui; item ſimile Infinitum in multitudine, ut viſum eſt *q. 5. concl. 2.* Ergo etiam efficere poterit Infinitum Syncategorematicum in intenſione qualitatis. Tum quia omni meliori modo dignificanda eſt DEI Omnipotentia quoad efficientiam rerum creatarum, ita ut efficere valeat omne id, quod nullam involvit repugnantiam: ſed poſſe intendere in Infinitum ſyncategorematicè aliquam qualitatem, nullam involvit repugnantiam; ut patebit ſolvendo objectiones oppoſitorum Scotiſtarum: Ergo &c. Tum quia qualitatis eſt ſuſcipere magis, & minùs, eſſeque intenſibilem, & remiſſibilem, ut docet Philoſophus *cap. de qualitate*: Ergo reverà aliqua qualitas à DEO poteſt intendi in Infinitum ſyncategorematicè. Tum quia non videtur, ex quo capite limitetur DEI Potentia ad non poſſe in Infinitum ſyncategorematicè intendere aliquam qualitatem v. g. calorem in Infinitum ſyncategorematicè: Ergo &c. Tum quia res inanimatæ non habent terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis, ut colligitur ex Scoto *2. diſt. 2. q. 9. §. ad argumenta*: & jam *priori diſt. q. 4. concl. 4.* ſtabilitum eſt; unde rectè dicit Philoſophus *2. de anima tex. 41.* ignem aliquem poſſe creſcere in Infinitum per appoſitionem continuam materiæ combuſtibilis: Ergo hæc qualitas calor v. g. quæ eſt res quædam inanimata, & paſſio ignis, poterit unà cum igne creſcere in Infinitum ſyncategorematicè. Tandem Conc. Viennenſe ſub Clemente V. reijcit tanquam errorem illam doctrinam Begardorum, & Beguinarum, hominem ſcilicet poſſe pervenire ad ſtatum, in quo ampliùs non poſſit proficere, nec ulla bona opera edere; ac conſequenter reijcit etiam opinionem, aſſerentem dari poſſe ſummam qualitatem gratiæ, quæ neceſſariò foret ad profectum ulteriorem per bona opera.

5. *Scotiſtarum objectiones.* Objiciunt Scotiſtæ oppoſiti maximè Columbus *primò*: Scotus expreſsè adverſatur Concluſioni; Ergo &c. Prob. Ant. Scotus *3. diſt. 13. q. 1.* & *2. Met. q. 2.* docet, gratiam Chriſti Domini, quæ eſt qualitas quædam, eſſe ſummam negativè: Ergo cenſet eam etiam divinitùs non eſſe intenſibilem ulteriùs. Ant. poteſt oſtendi; tum quia Chriſtus eſt DEI Patris unigenitus Filius naturalis. Tum quia ſi Pater omnia communicavit Filio ad intrà; utique Eidem ad extrà omnia ſumma poſſibilia, & conſequenter ſumam gratiam communicavit. *Secundò* S. Auguſt. citatus à Gloſſa *de pœnitentia parte prima*, reſpondens objectionibus Pelagianorum probabile cenſet, quoſdam perveniſſe ad ſummum gradum charitatis, & gratiæ, ultra quem aſcendere nō potuerint: Ergo qualitas charitatis, & gratiæ non poteſt in Infinitum ſyncatecorematicè à DEO intendi. *Tertiò*: Philoſophus *3. Phyſic. 68.* dicit, proceſſum ſecundùm materiam poſſe fieri in Infinitum; non verò ſecundùm formā, qualis eſſet intenſio alicujus qualitatis in Infinitum ſyncategorematicè. *Quartò*: nullum ſubjectum habet capacitatem recipiendi qualitatem talem, cui ſemper à DEO alius & alius gradus in Infinitum ſyncategorematicè adderetur, cùm omne ſubjectum ſit eſſentialiter limitatum ad certas formas; & gradus formæ: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad ejus Probat. dico *primò*: gratiam Chriſti utique eſſe ſummam reſpectu omnium hactenus creatarum, & de lege ordinaria creabilium; non tamen ſummam abſolutè, ſeu reſpectu earum, quæ de abſoluta Potentia DEI creari poſſent. Nec hæc reſponſio contrariatur piæ ſententiæ Auguſtini *3. de lib. arbitr. c. 5.* dicentis, *quidquid enim tibi vera ratione meliùs occurrerit, ſcias feciſſe DEUM, tanquam bonorum omnium conditorem*; meliùs autem eſt creare in Chriſto gratiam ſummam reſpectu omnium prorſus creabilium: Dico enim quod talis gratia ſumma omnimodè utique melior foret in Chriſto, ſi poſſibilis foret; nunc autem poſſibilis non eſt; quia ejus creatio limitaret, & exhauriret Omnipotentiam DEI creatricem; ita ut eâ productâ nullam ampliùs perfectiorem creare poſſet: illud ergo pium dictum Auguſtini intelligi debet ex ſuppoſitione, quòd illud melius ſit poſſibile, & Deo nō præjudicet. Dico *ſecundò* ad eandem objectionem ex Scoto, Doctorem ſolùm ex quadam devotione, & reverentia erga Chriſtum *loco citatô 3.* poſuiſſe ejus gratiam ſummam, & intenſibilem, ut ipſemet proteſtatur ibidem illâ devotiſſimâ ſententiâ, *in commendando Chriſtum, malo excedere, quàm deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oportet in alterum incidere.* Neque propterea altera opinio, quæ ſummitatem gratiæ in Chriſto reſpectu 6. *Refutantur*

crea-

creabilium per abſolutam Potentiam negat, â reverentia Chriſti deficit; quia adhuc fatetur gratiam Chriſto collatã quoad modum, quô Chriſto data fuit, eſſe ſpecialiſſimam, & ſummam ſingulariter ex eo, quòd hæc Chriſti gratia ſit gratia capitis; item quod Chriſtus eandem receperit inamiſſibiliter proximè, cùm fuerit viator, & comprehenſor ſimul; & quòd nulla creatura ſimilem unquam ſit acceptura. *Ad Secundum* dico, S. P. Auguſtinum loqui ſecũdùm præſentes vires gratiæ ſolitas dari Sanctis: cum quo ſtat, quòd tales Sancti reſpiciendo Potentiam abſolutam DEI ulteriùs aſcendere poſſint in charitate. Deinde S. Pater loquitur tantùm opinativè; non verò aſſertivè.

Ad Tertium gloſſo Philoſophum, & dico eum loqui regulariter, acſi vellet dicere, regulariter ordinariè, & defactò non dari proceſſum in Infinitum ſecundùm formã: cum quo ſtat, quod extraordinariè, Deô ſcilicet abſolutâ Potentiâ ſuâ operante talis proceſſus contingere poſſet, creando ſemper perfectiorem, & perfectiorem formam, aut priorem intendendo. *Ad Quartum* dico, ſi DEUS intenderet aliquam qualitatem ſyncategorematicè, eum aut de Potentia ſua abſoluta creaturum ſubjectum cum ampliori capacitate receptiva talis qualitatis; aut illam qualitatem conſervaturum extra omne ſubjectum.

DISTINCTIO XIV.

DE LOCO.

Procemium.

Ad proprietates, ſeu affectiones corporis naturalis pertinet quoque Locus; cum omnia corpora ſemper aliquo locò circumſcribantur. Quare de eo quoque tractandum erit hac Diſtinctione *poſt Philoſophum* 4. Phyſic. cap. 1. *& ſequentibus. Sit ergo*

QUÆSTIO I.

De acceptione, exiſtentia, & diviſione Loci.

1. *Acceptio Loci.*

Nota primò: hoc vocabulum *Locus* duas habet acceptiones uſitatiores. *Primò* enim accipitur metaphoricè, & impropriè; & hoc dupliciter, vel pro receptaculo aliquarum formarum; hoc ſenſu ab Ariſtotele *3. de anima tex. 6.* intellectus appellatur *Locus formarum, ſeu ſpecierum*: vel pro eo, ex quo eruuntur argumenta; hoc ſenſu Dialectici vocant Loca Topica illas ſedes, ex quibus depromunt varia argumenta: vel pro aliquo continente aliud; quo ſenſu vas dicitur Locus aquæ, & quodlibet corpus continens aliud vocatur Locus ipſius ſcilicet *Locus artificialis*. *Secundo* ſumitur propriè pro illo extrinſeco, quod in ſe recipit, & continet locatum, & vocatur *Locus Phyſicus*; talis eſt aër ambiens meum corpus; & aqua ambiens piſcem &c. & ita ſumit Locum Philoſophus *4. Phyſic.* & ego ſub hac acceptione de eo impoſterum agam. Cica ejus exiſtentiam

Dico primò: in confeſſo eſt, exiſtere Locum. Ita comunis Philoſophorũ. Probat. tum quia experientiâ conſtat, corpora gravia prolabi ad Locum ſuum deorſum, & levia ferri ad Locum ſuum ſurſum. Tum quia ex motione noſtrorum corporum idem conſtat; quando transferimur de domo in domum, de regione in regionem &c. in qua translatione acquirimus novas ſuperficies corporis ambientis, ſcilicet aëris, & continentias novas ejuſdem. Tum quia ita docet communis conſenſus Philoſophorum. Tum quia extat Cælum, quod eſt locus communis omnium inferiorum: Ergo &c. Cica Loci diviſionem. 2. *Extat Locus*

Nota ſecundò: Locus phyſicus *primò* dividitur in communem, & proprium. 3. *Locus alius communis, & proprius.*
Locus communis eſt, qui continet plures res ſimul; talis locus eſt cælum ſupremum con-

continens omnia inferiora; item mare continens varias ſpecies, & individua piſcium. *Proprius* eſt, qui tantùm continet unum locatum; talis eſt ſuperficies mei corporis ambiens me in hac aula: & de iſto potiſſimè procedit iſta diſtinctio.

4. *Alius proximus, alius remotus.* Nota tertiò: *ſecundo* partitur Locus in proximum, & remotum. *Locus proximus*, ſeu propinquus eſt ſuperficies aëris, quæ immediatè tangit corpus locatum; & coincidit cum Loco Proprio; *Remotus* eſt corpus aliquod continens locatum; & coincidit cum Loco communi.

5. *Quid Locus realis, & imaginarius.* Nota quartò: rurſus Locus aliùs eſt realis, alius imaginarius. *Realis* dicitur ille, qui verè realiter, & phyſicè continet aliquod locatum; talis eſt ſuperficies ambiens meum corpus, & cælum ambiens terram, omniaq; quæ in ea ſunt. *Imaginarius* eſt illud ſpacium fictum, quod imaginari poſſumus extra ſphæram hujus Univerſi.

6. *Surſum, deorſum &c.* Nota quintò: Locus iterum alius vocatur ſurſum, alius deorſum, alius ſiniſtrorum, alius antrorſum, alius tandem retrorſum; qui tales dicuntur propter diverſam habitudinem ad partes alicujus locati; vel ad quatuor plagas Univerſi Orientalem, Occidentalem, Septemtrionalem & Meridionalem; vel ad hæmiſphærium ſuperius, & inferius ſphæræ mundialis.

7. *Violentus, & naturalis.* Nota ſextò: Locus prætereà alius vocatur violentus, alius naturalis. *Violentus* erit, ſi locatum illum occupet contra ſuam naturalem inclinationem; talem habet lapis, qui in aëre ſuſpenſus detinetur. *Naturalis* erit, ſi locatum ipſum occupet ſecundùm ſuam naturalem inclinationem: talem habet lapis, dum fertur deorſum.

8. *Circumſcriptivus, diffinitivus, & immenſivus.* Nota ſeptimò: tandem à Philoſophis ſolemnitur dividitur Locus in circumſcriptivum, diffinitivum, & immenſivū. *Locus circumſcriptivus* eſt, cujus partes commenſurantur, & correſpondent partibus Locati; talem Locum habet meum corpus (& quodvis aliud corpus ſive homogeneum, ſive hetherogeneum) in hac cella, ubi una pars ſuperficiei aëris ambientis tanquam Loci correſpondet capiti meo, tanquam parti corporis locati, & alia pectori, & alia aliis partibus ejuſdem corporis, & tandem totus Locus toti corpori locato. *Locus diffinitivus* eſt, qui totus toti locato commenſuratur, & correſpondet, & totus cuilibet parti locati; quia nimirum totum locatum caret extenſione quantitativâ, talem locum habent omnes res ſpirituales creatæ, ut Angelus, & animæ rationales; hæ ſubſtantiæ cùm ſpirituales ſint, ſunt indiviſibiles, unde exiſtunt totæ in toto Loco, & totæ in qualibet parte Loci: talem Locum etiam habet Chriſtus in Euchariſtia; cùm ſit totus in tota Hoſtia, & totus in qualibet ejus parte. *Locus* tandem *Immenſivus* eſt, quem occupat DEUS quà Ens immenſum; ipſe enim occupat omnem Locum, & eſt ubique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam; ut oſtendo *tom. 1. Schola Theolog. tract. 1. diſt. 3. quæſt. 5.* & propterea eſt in Loco immenſivè.

QUÆSTIO II.

De quidditate, & definitione Loci.

1. Varietas opinionum. NOta primò: varias fuiſſe opiniones veterum, & recentiorum Philoſophorum circa naturam Loci; nam Stoici, & Academici ſenſerunt Locum cōſiſtere in ſpacio aliquo imaginario, quod intercedit inter latera corporis continentis, & locatum, v. g. inter ſpacium, ſeu vacuum, quod eſt inter latera vaſis, & occupatur ſeu repletur ab aqua vel aëre: alii ut Platonici Proclus, Strates, Vall. & Marſius docuerunt, Locum conſiſtere in ſpacio aliquo reali inter latera corporis continentis reperto, quod eſt corpus quoddam mathematicum de genere quantitatis, conſtans tribus dimenſionibus, longitudine ſcilicet, latitudine, & profunditate; quod quia dicunt carere materiâ, & formâ, & eſſe indiviſibile, ideo penetratur. Alii ut Jandunus putavit Locum circumſcriptivum dicere duo, ſuperficiem continentem, & virtutem conſervativam locati, quæ eſt quædam qualitas locati. S. Thomas, Conimb. Tolet. &c. volunt Locum eſſentialiter importare ſolam ſuperficiem, ut hæc dicit longitudinem, & latitudinem. Alii rurſus ſenſerunt Locum conſiſtere in ſitu, quem habent corpora in Univerſo, quatenus ſingula ſitū quemdam in mundo occupant, quem præcipuè deſignare ſolemus per comparationem ad puncta fixa Univerſi, quæ ſunt Poli, & centrum mundi; ſub qua comparatione dicimus lapidem eſſe hic, lignum ibi,

ibi; abſtrahendo à quacunque ſuperficie: ita ex priſcis Damaſcius, Simplicius, & ex recentioribus Aureol. & multi Thomiſtæ.

2. *Locus non conſiſtit in ſpacio imaginario.*

Dico primò: Loci quidditas non conſiſtit in aliquo ſpacio imaginario, intercedente inter latera continentis corporis. Colligitur ex Scoto *Quodlib. 11.* & ſequuntur Fraſſen, Maſtrius, Villaverde, Columbus, & communis Scotiſt.

Probatur: tum authoritate Philoſophi, qui hanc Loci quidditatem â priſcis Stoicis aſſertam efficaciter impugnat, & reijcit *4. Phyſic. tex. 36. & ſequentibus*: Tum quia Locus debet eſſe aliquid reale; cùm habeat proprietates reales v.g. continere locatum; eſſe æquale locato; eſſe terminum locationis &c. Ergo ejus quidditas non conſiſtit in aliquo ſpacio imaginario, & quod nullam realem habet exiſtentiam, & fingitur intercedere inter latera corporis continentis. Tum quia Locus eſt terminus noviter acquiſitus motûs localis, qui eſt quid reale: Ergo nequit eſſe aliquod ſpacium imaginarium. Conſequentia tenet; quia ſpacia imaginaria non terminant propriè Ens reale. Tum quia ab Authore Naturæ Locus maximè naturalis datur, ut juvet ad conſervationem entis naturalis; ſic v.g. aqua data eſt pro Loco piſcium, & aër pro Loco volatilium, ut earum conſervationem adjuvent: ſed ſpacium imaginarium taliter non adjuvat; cùm ſit quid ficititium, aut negativũ: Ergo non eſt Locus.

3. *Nec in ſpacio reali trium dimenſionum.*

Dico ſecundò: ſimiliter quidditas Loci non conſiſtit in aliquo ſpacio reali, ſeu intervallo intercedente inter latera corporis continentis, quòd importaret trinam dimenſionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Ita Scotus *Quodlib. 11.* & ſequuntur Columb. Maſtrius, Villaverde, cæterique Scotiſtæ.

Probat. tum authoritate Philoſophi, hanc opinionem pariter reijcientis *4. Phyſic. tex. 36. & ſequentibus.* Tum ratione; in omni bona Philoſophia negatur penetratio dimenſionum: ſed ſi Loci quidditas conſiſteret in ſpacio reali trium dimenſionum corporis continentis, daretur penetratio dimenſionũ; quia dimenſiones corporis locati penetrarent dimenſiones Loci, in quo locarentur; cùm tamen Locus non ſortiatur dimenſiones diſtinctas à locato, ut habet Philoſophus *loc. cit.* Ergo &c. Deinde illa quantitas dimenſionum vel eſt ſeparata à locato; vel non eſt? ſi eſt ſeparata: Ergo accidens exiſtit naturaliter ſinè ſubjecto: ſi non eſt ſeparata: Ergo locatum ſemper eſt in eodem Loco; quia ſemper ſecum habet illam quantitatem dimenſivam connexam. Tandem Locus eſt immobilis, ut infrà dicetur: trina autem dimenſio movetur ad motum corporis locati; cùm ſit in locato tanquam in ſubjecto: Ergo &c.

4. *Nec in ſuperficie, & virtute conſervativa ſimul.*

Dico tertiò: Locus circumſcriptivus non conſiſtit in ſuperficie, & in virtute conſervativa ſimul. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 6.* & ſequuntur Monturſ. Columb. &c.

Probat. tum quia poteſt eſſe Locus ſinè qualitate, ſeu virtute conſervativa locati; imò poteſt eſſe in illo qualitas deſtructiva; ut ſi canis locetur in aqua: Ergo &c. Tum quia æqualitas, & continentia commenſurativa ſunt attributa ſeu proprietates Loci circumſcriptivi; ut infrà oſtendetur: ſed hæc duo non conveniunt virtuti conſervativæ locati, quia ſunt proprietates quantitatis, ex Philoſopho *5. Metaph. tex. 18.* &c. virtus verò conſervativa eſt qualitas: Ergo in ipſa non conſiſtit Locus.

5. *Nec in duplici dimenſione longitud. & latitud.*

Dico quartò: Locus etiam non conſiſtit formaliter in duplici dimenſione longitudinis, & latitudinis. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 6.* & *Quodlib. 2.* & ſequuntur Monturſius, & communis Scotiſtarum, Fabrô exceptò.

Probatur: Locus formaliter importat continentiam quamdam corporis continentis ad contentum, ſeu locatum; ut habet Scotus *2. diſt. 2. q. 4. §. dico igitur*, & probabitur ampliùs infrà: hæc autem cõtinentia eſt de genere relativorum; duplex verò dimenſio longitudinis, & latitudinis eſt de genere quantitatis continuæ: Ergo in illa continentia conſiſtit formaliter Locus; & non in duplici dimenſione longitudinis, & latitudinis.

6. *Nec in ſitu.*

Dico quintò: neque quidditas Loci conſiſtit in ſitu, quem habent corpora in hoc Univerſo in ordine ad polos fixos, & centrum mundi. Ita Maſtrius, Belluтus, Sampſon, & Scotiſtæ communiter.

Probatur: tum quia iſte ſitus eſt relatio intrinſecùs adveniens, ad quam non datur motus ſecundùm Philoſophum *5. Phyſic. tex. 9.* ad Locum autem datur motus: Ergo in tali ſitu non conſiſtit quidditas Loci. Tum quia ſitui, qui eſt quædam poſitio, & diſtantia talis à Polis, & Centro, non conveniunt munera, & attributa Loci; Locus enim eſt rei locatæ ex-

Digitized by Google

extrinſecus, eſtque in locante; ſitus verò, & poſitio eſt in locato; item locus continet locatum, illud recipit, & eſt ei æquale, eſt inſuper terminus motûs localis; nō ſic ſitus, & poſitio: Ergo in eo non conſiſtit quidditativè Locus. Tum quia ponamus aliquem funem in aëre eodem numerô ſuſpenſum manere per ſpecialem DEI operationem, poteſt tota ſphæra Univerſi moveri versùs unam differentiam poſitionis v.g. versùs Antipodas, quo caſu diſtantia talis funis ad Polos, & Centrum mundi, variatur; & tamen manet Locus ejus: Ergo Locus non conſiſtit in diſtantia tali, ſeu ſitu ad Polos, & Centrum mundi. Itaq; pro ſententia vera.

Nota ſecundò: Locum poſſe conſiderari dupliciter pro materiali, & pro formali; cùm ſit concretum, cujus abſtractum eſt localitas; omne autem concretum duo ſignificat, materiale ſcilicet, & formale.

7. *Sed in ſuperficie corporis continentis.* Dico ſextò: Locus pro materiali conſiſtit in entitate quadam abſoluta, ſcilicet ultima ſuperficie corporis continentis. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 6.* & *Quodlib. 11.* & alibi; & ſequuntur Lamazar. Columb. Gad. Lychet. Tartar. Maſtrius, Monturſ. & alii Scotiſtæ; ac Peripatetici pleriq;.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *4. Phyſic. tex. 41.* & alibi aſſerit concluſionem: Ergo &c. *Secundò* ratione: Tum quia nil congruentius pro materiali Loco aſſignari poteſt; ut ex hactenus rejectis opinionibus AA. patuit; quàm iſta entitas abſoluta, quæ dicitur ultima ſuperficies corporis continentis, ſeu ambientis corpus locatum: Ergo &c. Tum quia illud debet ſtatui pro ratione materiali Loci, ſuper quod fundatur Locus pro formali: ſed Locus pro formali, puta relatio continentiæ corporis continentis ad corpus contentum fundatur ſuper ſuperficiem corporis continentis: Ergo &c. Maj. patet; quia ſicut materia prima eſt fundamentum formæ; ita Locus pro materiali eſt ille, ſuper quem fundatur Locus pro formali. Prob. Min. relatio ſimilitudinis inter duo alba fundatur ſuper parietem album tanquam fundamentum & materiale: Ergo etiam relatio continentiæ ſuper ſuperficiem continentem. Tum quia proprietates Loci conveniunt ſoli ſuperficiei ultimæ corporis ambientis; ipſa enim continet locatum, eique æquatur &c. Ergo in tali ſuperficie conſiſtit Locus pro materiali.

Dico ſeptimò: Locus pro formali conſiſtit in quadam entitate relativa, puta in relatione continentiæ; quam dicit corpus continens ad corpus contentum, ſeu locatum. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 6.* & *5. Met. q. 9.* & *Quodl. 11.* & ſequuntur Villaverde, Monturſ. Fuente, Columb. Lychet. Tartar. & cæteri Scotiſtæ.

8. *Locus pro formali eſt relatio.* Probatur: Tum quia ita colligitur ex Philoſopho, qui definiens Locum dicit *4. Phyſic. tex. 41. Eſt ultimum corporis continentis immobile primum*, ubi exprimit præter ſuperficiem (quæ inſinuatur illa dictione *ultimum*) etiam continentiam per illam dictionem *continentis*, quæ eſt relatio quædam, quam dicit corpus continens ad corpus contentum, ſeu locatum v.g. ad corpus meum in hac cella locatum: Ergo cenſet hanc relationem continentiæ eſſe formale loci: relatio enim eſt forma quædam. Tum quia poſitâ relatione continentiæ corporis ad locatum, ponitur per ſe Locus pro formali; & eâ ablatâ, tollitur: Ergo Locus pro formali conſiſtit in iſta entitate relativa, ſeu relatione continentiæ. Tum quia Locus formaliter nec eſſe, nec concipi poteſt abſque tali relatione; cùm Locus dicat habitudinem locantis ad locatum: Ergo &c. Eſt autem iſta relatio continentiæ reſpectus quidam extrinſecùs adveniens. Ratio eſt; quia exiſtente corpore locandô, & ſuperficie continente non ſtatim conſurgit iſta relatio; ſed ad ipſam neceſſarius eſt motus: Ergo &c. Ex his

9. *Deſcriptio Loci pro materiali.* Dico octavò: rectè deſcribitur Locus phyſicus proprius circumſcriptivus (de quo principaliter, & per ſe hìc) pro materiali, quòd *ſit ultima ſuperficies concava corporis continentis, ſeu ambientis immobilis*; v. g. ultima ſuperficies concava aëris ambientis meum corpus eſt Locus mei corporis. Hæc deſcriptio eſt conformis illi, ſed clarior illâ, quam dat Philoſophus *4. Metaph. tex. 41.* dicens, *eſt ultimum corporis continentis immobile primum.*

Probat. hæc convenit omni, & ſoli Loco phyſico proprio pro materiali: Ergo &c. Ly *ſuperficies* ponitur pro genere; reliqua pro differentia; intelligitur autem per ſuperficiem illa ſpecies quantitatis, diviſibilis ſecundùm longitudinem, & latitudinem, cui ſoli competit proximè, & immediatè continere, ſeu ambire corpora locanda. Dicitur *ultima* ad differentiam Loci proprii â Loco communi; & ut inſinuetur, quod non quæcunque ſuperficies;

cies; ſed illa ſola, quæ immediatè circumagit locatum, ſit Locus proprius. Additur *concava* ad differentiam ſuperficiei convexæ, quæ non cenſetur locare propriè; ſed ſola concava, v. g. aëris interior ſuperficies, quæ immediatè tangit ſuperficiem convexam, ſeu extimam capitis mei in hoc cubiculo. Apponitur *corporis*, quia in his Phyſicorum libris potiſſimè agitur de Loco phyſico corporum, quæ ſunt objectum Phyſicæ, ſeu de Loco rerum corporalium; non verò ſpiritualium; de quorum Loco diffinitivo non niſi per accidens tractatur. Ly *continentis*, ſeu *ambientis* inſinuat Loci munus, quod eſt continere, ambire, ſeu circumſcribere, & intra ſe tenere rem locatam. Ly tandem *immobilis* indicat, quòd Locus non ſit mobilis mobilitate oppoſitâ motui locali; & quòd ſit terminus à quo ſit motus localis.

10. *Et pro formali.* Dico nonò: Locus phyſicus proprius circumſcriptivus pro formali bene definitur, quòd *ſit relatio extrinſecùs adveniens continentiæ ſubjectata in corpore continente, ſeu ambiente, & terminata ad corpus contentum, ſeu locatum.* Eſt ad principia Scoti *2. diſt. 2. q. 4. §. dico igitur*; v. g. relatio continentiæ, ſeu ambientiæ in aëre ambiente meum corpus ſubjectata, & terminata ad meum corpus, eſt formaliter Locus mei corporis.

Probatur: hæc definitio convenit omni, & ſoli; habetque reliquas conditiones bonæ definitionis: Ergo &c. Ly *relatio* eſt genus, reliqua ponuntur pro differentia. Nec eget declararatione, ob ſui claritatem. Huic relationi continentiæ (id eſt intra ſe tenentiæ, ſeu complectentiæ, ut ita loquar) quæ *continentia activa* ſeu *circumſcriptio activa* dicitur, correſpondet alia correlatio *continentia paſſiva*, quæ eſt reſpectus extrinſecùs adveniens continentiæ paſſivæ, ſeu locationis paſſivæ, fundatus in corpore locabili, & terminatus ad ſuperficiem locantem, & ambientem ipſum corpus: prima relatio vocatur *Locus formalis activus*; altera *Locus formalis paſſivus.*

11. *Una objectio ſollitur circa primam concluſ.* Objicies primò contra primam Concluſ. corpus aliquod locari eſt teplere Locum: ſed repletio præſupponit vacuum ſpacium: Ergo Locus dicit aliquod vacuum; non verò reale: Ergo imaginarium. Reſpondeo Diſt. Min. repletio præſupponit vacuum ſpacium, quòd eſſet merè imaginarium, & abſque omni ente Neg. Min. quòd eſſet abſque tali corpore de novo locando, & replente de novo Conc. Min. Itaque quando corpus aliquod locatur, & circumſcribitur à ſuperficie aëris hujus cubiculi v. g. ſpacium cubiculi priùs non fuit propriè vacuum, id eſt expers omnis entis in eo contenti; quia ſaltèm aër per totum occupabat illud, qui deinde ad ingreſſum corporis de novo ibidem locandi tantùm receſſit, quantum corpus locandum exigebat, & ſuâ ſuperficie concavâ circumſcripſit, ac locavit corpus.

Objicies contra ſecundam: quodvis corpus eſt in Loco per trinam dimenſionem; quia ratione talis circumſcribitur, & commenſuratur Loco: Ergo Locus cōſiſtit in ſpacio reali importante trinam dimenſionem. Reſpondeo Diſt. Ant. quodvis corpus eſt in Loco per trinam dimenſionem fundamentaliter Conc. Ant. formaliter Neg. Ant. Itaque trina dimenſio cùm ſit quantitas, eſt corpori ratio eſſendi in Loco fundamentaliter tantùm; formaliter verò eſt in Loco per relationem continentiæ, quæ circumſcriptio activa dicitur. 12. *Rurſus alia evacuatur circa ſecundam.*

Objicies contra tertiam Concluſionem: Philoſophus *4. Phyſic. tex. 40.* docet, quòd Locus trahat locatum, illud foveat, & conſervet; Ergo cenſet rationem formalem Loci conſiſtere in virtute conſervativa. Reſpondeo gloſſando Philoſophum, & dico eum *loc. cit.* intelligendum de munere ſecundario Loci, & plerumque; ac ſi diceret, quòd Locus ſecundariò, & plerumque foveat, ac conſervet locatum, quatenus præbet ſalubritatem locato, quando v. g. aër locans Platonem eſt ſalubris, & complexioni ejus conducens; primaria autem ratio, ſeu munus Loci eſt continere locatum: breviter Philoſophus loquitur de Loco, ut naturalis eſt; non verò ut mathematicus eſt, ſeu reduplicativè Locus, qua ratione tantùm ipſi convenit ambire locatum. 13. *Refellitur iterum alia circa tertiam.*

Objicies contra quartam Concluſionem: attributa, & munera Loci formaliter ſunt continere locatum, & eſſe æqualem Loco, ſeu ei commenſurari, ex Philoſopho *4. Phyſic.* ſed hæc nequeunt convenire Loco, niſi pro formali importet ſuperficiem ſeu duplicem dimenſionem longitudinis, & latitudinis. Min. patet, quia continentia præfata ſupponit diviſibilitatem, æqualitas quantitatem, & commenſuratio menſuram, quæ tria ſunt attri- 14. *Et alia circa quartam.*

tributa quantitatis diviſibilis, cujuſmodi eſt ſuperficies, ut habet Philoſophus *cap. de quantita*: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Min. ad ejus Probat. concedo Locum ſupponere formaliter ſuperficiem, ratione cujus prætata attributa, & munera ipſi Loco conveniunt; non eſt tamen formaliter ſuperficies; ſicut nec ſuperficies eſt formaliter continentia, æqualitas, aut menſura; cùm hæ ſint relationes, ſuperficies autem eſt quantitas.

15. *Et alia circa quintā.* Objicies contra quintam Concluſionem. defactò per reſpectum, & diſtantiam ad Polos fixos, & Centrum Mundi res dicuntur eſſe hìc, vel ibi; id eſt in Loco tali, vel tali: Ergo Loci quidditas conſiſtit in ſitu; quem habent corpora in hoc Univerſo ad Polos, & Centrum mundi: Ergo &c. Confirmatur; ſurſum, & deorſum, aliæque differentiæ poſitioni, ſeu ſitui conveniunt, quâ res aliqua cælo magis appropinquat, vel ab eo magis recedit, & ad Centrum accedit: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. quia per accidens eſt, quòd res dicantur eſſe hìc, vel ibi per reſpectum, & diſtantiam ad Polos, & Centrum; cùm defactò Poli ſint immobiles; nam ſi DEUS volveret ſphæram mundi versùs aliam partem ad Antipodas, & moveret Polos, immotâ terrâ; adhuc ædificia haberent eundem Locum, ſicuti nunc, & tamen non retinerent eandem diſtantiam â Polis.

16. *Et alia circa ſextam concluſ. reijcitur.* Objicies contra ſextam: ſi Locus pro materiali conſiſteret in ſuperficie corporis ambientis, poſſet locatum aliquod v.g. columna manens immota mutare Locum: ſed hoc eſt falſum: Ergo &c. Probat. Maj. ſi ventus afflaret illam columnã, ſuperficies aëris eam ambiens tanquam Locus mutaretur, immotâ columnâ: Ergo columna poſſet immota manens mutare Locum. Reſpondeo cum Scoto *2. diſt. 2. q. 6.* Neg. Maj. & ad ejus Probat. dico, tametſi ſuperficiei aëris ambientis locatum v.g. columnam flante vento alia numerò ſuccederet; cenſetur tamen eadem per æquivalentiam; quatenus ſuccedit alia ſuperficies aëris quæ æquivalet primæ, & cenſetur eſſe eadem; quia columna illa non movetur, vel transfertur ad novum Locum motu locali, quod neceſſarium eſt ad acquirendum proximè novum Locum.

QUÆSTIO III.

De Loci immobilitate, ac Attributis ejus.

Nota primò: Locum eſſe immobilem docuit Ariſtoteles *4. Phyſic. tex. 41.* & patet experientiâ, quâ videmus corpora v.g. homines de uno ubi ad aliud transferri per motum localem, remanentibus Locis; ſi enim Loca ſimul cum locatis transferrentur, locata non dicerentur rectè mutare Locum. Sed de modo, quò conveniat Locis talis immobilitas, lis eſt inter DD. qui tot ſtatuunt fermè opiniones de hoc, quot gerunt capita. Contra principaliores ſtatuo ſequentes concluſiones; Et

Dico primò: Locus non dicitur immobilis â Stagirita per comparationem, & diſtantiam ad Polos Arcticum, & Antarcticum, ac Centrum Mundi. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 2. q. 6.* & ſequuntur Monturſius, Columbus, & alii Scotiſtæ, contra Thomiſtas. 1. *Locus nō dicitur immobilis ratione diſtantia ad Polos.*

Probatur: tum quia, ut ſuprà dixi, Poli Mundi poſſunt mutari, ſi DEUS machinam cæleſtem moveret ab Aquilone ad Auſtrum; quo caſu mutarentur diſtantiæ corporum locatorum v.g. columnæ erectæ, vel arboris ad Polos Arcticum, & Antarcticum Mundi; & tamen eorum Locus maneret immobilis; quia corpora locata manerent immobilia: Ergo immobilitas Loci non bene petitur à comparatione, & diſtantia ad Polos præfatos, & Centrum Mundi: tum quia in ſententia Thomiſt. Locus conſiſtit formaliter in entitate abſoluta, puta ſuperficie, ſeu quantitate: Ergò ejus immobilitas nequit peti ex relatione ad Polos memoratos Mundi.

Objicies: Philoſophus *4. Phyſic. tex. 42.* volens probare Locum eſſe immobilem, dicit; ſurſum, quod eſt in concavo Lunæ, & deorſum, quod eſt Centrum, eſſe penitus immobilia: ſed hæc ſunt talia ob diſtantiam Loci ad Polos cæli, & ad Centrum Mundi: Ergo immobilitas deſumenda eſt per comparationem, & diſtantiam ſuperficiei ad Polos fixos, & Centrum Mundi. Reſpondeo Neg. Min. nam cùm Poli poſſint mutari, ſaltèm à DEO, ut paulò antè dixi; idcirco ab eis immobilitas Loci non rectè deſumitur. 2. *Philoſophus gloſſatur.*

Itaque

Itaque Philoſophus *loc. cit.* non loquitur de prima radice immobilitatis Loci ſurſum, & deorſum; quaſi hæc eſſet ipſa diſtantia ad concavum Lunæ, & Centrum mundi; ſed tantùm vult illa Loca ſurſum, & deorſum habere immobilitatem, quæ arguitur, & colligitur à poſteriori per diſtantiam Loci ad concavum Lunæ, & Centrum mundi.

3. *Nec dicitur immobilis ab immobilitate elementorum.*

Dico ſecundò: Locus non dicitur immobilis ab Ariſtotele ideo, quia Loca corporum ſimplicium, ſeu elementorum ſunt immobilia. Colligitur ex Scoto *loc. cit:* & ſequuntur Columbus, Monturſius, Lychetus, & alii Scotiſtæ, contra Perrerium, & alios AA.

Probatur: Ariſtoteles *4. Phyſic. tex. 41.* definiens Locum, & ponens in ejus definitione immobiſitatem, dedit definitionem in communi Loci proprii circumſcriptivi, comprehendendo omnem Locum omnium corporum phyſicorum, quæ circumſcribi poſſunt: Ergo voluit Loci immobilitatem non tantùm competere Locis corporum ſimplicium, ſeu elementarium; & conſequenter Locus non dicitur ideo immobilis, quia Loca elementorum ſunt immobilia.

4. *Sed quia nõ movetur localiter ſicut corpora.*

Dico tertiò: Locus dicitur â Philoſopho, & ipſa veritate im̃obilis ex eo, quod is, ut Locus eſt, non poſſit moveri motu locali ſicut corpora; ſed maneat ſemper idem ſaltèm ſecundùm æquivalentiam circumſcribendo locatum. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 2. q. 6.* & *Quodlib. 11.* & ſequuntur Lychet. Monturſ. Columb. &c. Scotiſtæ.

Probatur: Tum quia meliùs immobilitas Loci explicari non poteſt; ut patet ex rejectis opinionibus; quàm per talem immobilitatem oppoſitam motui locali: Ergo &c. Tum quia Locus circumſcriptivus reverà non eſt mobilis localiter, ſicut ſunt mobilia corpora; aliàs non poſſet eſſe terminus motûs localis; & quia ſequeretur Locum acquirere Locum; ſicut corpus motum acquirit novum Locum; & quia Locus non foret Locus, quod reijcit Philoſophus *4. Phyſic. tex: 12.* Ergo quia Locus ut Locus non poteſt moveri localiter, idcirco bene dicitur immobilis, immobilitate ſcilicet oppoſitâ motui locali, quæ habetur per æquivalentiam.

5. *Exponitur conclusio.*

Nota itaque ſecundò: hanc Scoti doctrinam de Loci immobilitate per æquivalentiam ita eſſe intelligendam; quòd nimirum ſeperficiei aëris ambientis per modum Loci aliquam v. g. turrim motæ, & depulſæ per ventum, ſuccedat alia ſuperficies aëris (uti & alia numerô relatio continentiæ priori relationi, per primam ſuperficiem motam deſtructæ) quæ quia æquivalet priori ſuperficiei in ratione locandi idem numerô corpus immotum, ſcilicet turrim; ideo dicitur Locus eſſe idem, & immobilis per æquivalentiam: & hæc eſt genuina Scoti mens *in cit. 2.* Mirum proinde, cur P. Maſtrius ab ea recedat, explicando immobilitatem Loci per determinatum ordinem; & reſpectum, quem dicit ad partes virtuales Divinæ ſubſtantiæ.

6. *Cuidam objectioni obviatur.*

Objicies: ſuperficies aëris eſt propriè Locus turris: ſed hæc ſuperficies eſt mobilis formaliter: Ergo Locus eſt formaliter mobilis. Reſpondeo Diſt. Min. hæc ſuperficies eſt mobilis ut Locus eſt Neg. Min. ut accidens quoddam abſolutum eſt Conc. Min. Itaque ſuperficies aëris, dum flante vento circa turrim movetur, movetur quidem in quantum accidens eſt; ſed non in quantum Locus eſt; quia talis ſuperficies flante vento non continet ampliùs turrim; adeoque ejus Locus dici nequit. Poteſt etiam Neg. Min. quia cùm ſuccedat æquivalens ſuperficies, cenſetur illa ſuperficies in ratione Loci eſſe immobilis. Circa alterum articulum quæſtionis.

7. *Attributa Loci explanantur.*

Nota tertiò: Primum attributum Loci pro materiali ſumpti eſt ut *contineat locatum*, id eſt, ita ambiat, circumſcribat, ac terminet rem locatam v. g. palum aquæ infixum, ut tamen non ſit aliqua pars intrinſeca ejus, puta materia, vel forma; nec pars ipſius integralis; nec aliquod accidens ipſi inhærens, nec aliô aliquô modô ita illi adjacens, ut cum ea moveatur; ſicut movetur veſtis cum Platone: ſed ſit aliquid extrinſecum rei locatæ, tangens illud per modum ſuperficiei concavæ. Eſt autem *Superficies concava* illa corporis alicujus continentis interior extrema pars, quæ immediatè tangit & continet extimam ſuperficiem corporis contenti v. g. in cælo Lunæ illa pars ultima interior, quæ tangit, & continet ſphæram ignis, dicitur ſuperficies concava cæli Lunæ. *Superficies* verò *convexa* dicitur illa pars exterior corporis contenti, quæ tangitur, & continetur à ſupeficie concava alicujus corporis continentis; v. g.

illa extima, ſeu exterior pars ſphæræ ignis, quæ tangitur à ſuperficie concava Cæli Lunæ dicitur ſuperficies convexa ſphæræ ignis. Secundum attributum Loci eſt, quòd *ſit æqualis, & commenſuratus locato*; intellige ſecundùm extenſionem; v. g. ut Locus turris ſit ita extenſus, ſicut eſt alta, & lata turris, & undique eam ambiens ſecundùm longitudinem, & latitudinem per commenſurationem omnium partium ſic extenſarum ejuſdem turris. Tertium eſt *eſſe ſeparabilem à locato quocunque diſtributivè*; quòd hoc attributum conveniat Loco, patet in ſolidis Locis; nam ſuperficies ſolidæ corporum ſolidorum remanent diſcedentibus corporibus, ſeu illis hominibus, ita ut alii ſubintrare poſſint; & conſequenter tales ſuperficies, ſeu Loca ſunt ſeparabilia à ſuis locatis: in fluidis etiam Locis v. g. mari, aëre &c. quamvis recedentibus corporibus, priùs in ipſo locatis, partes ejus concurrant, & concavum ejus deſtruatur; hoc tamen illi merè accidit; quatenus ſcilicet corpus fluidum eſt; non verò ut Locus eſt; nam ſi intra terminos prioris locati ſuccederet iterum corpus novum æquale priori, illa ſuperficies eadem numerò maneret. Quartum attributum Loci eſt, quòd *ſit terminus lationis, ſeu motûs localis*, ut ait Philoſophus 4. *Phyſic. tex.* 32. Hoc convenire Loco inde patet; quòd experientiâ conſtet, omne corpus in pleno ita moveri, ut alicui corpori ambienti vel aëri, vel aquæ, vel alteri appropinquet; quod proinde mediante ſuâ ſuperficie concavâ corpus ſic motum contínet, & terminat ejus lationem, ſeu motum localem. Quintum eſt *eſſe immobilem*: quod jam ſuprà *Concluſ.* 3. explicatum eſt. Plura de attributis Loci vide apud Ariſtotelem 4. *Phyſic. tex.* 30. & ſequentibus, & Scotum *Quodlib.* 11.

QUÆSTIO IV.

An omnes res ſint in aliquo Loco?

1. *Omnium rerum reductio ad duas claſſes.* Nota primò: res omnes poſſe reduci ad duas claſſes corporalium, & ſpiritualium. *In prima Claſſe* corporalium continentur omnia corpora naturalia tam ſubſtantialia, quàm accidentalia, cujuſmodi ſunt homines, ligna, calor, frigus &c. Ex corporibus naturalibus alia ſunt ſimplicia ſublunaria, quorum quodlibet non habet omnes quatuor qualitates ſibi intrinſecas; ſed duas tantùm; ut dicetur *in Tract. de Elementis*, & ſunt quatuor elementa ignis, aër, aqua, & terra. Alia ſunt ſimplicia cæleſtia; qualia ſunt omnes ſphæræ cælorum; puta cælum Lunæ, Mercurii, Veneris &c. de quibus dicetur *in Tract. de Fabrica Mundi, & Cæli*: alia mixta, quæ habent ſibi intrinſecas permixtas omnes 4. qualitates, humiditatem ſcilicet, ſiccitatem, caliditatem, & frigiditatem; hæc ſubdividuntur in viventia, & non viventia. Ex viventibus aliqua vivunt vitâ ſenſitivâ, & vegetativâ, ut animalia omnia; alia vitâ vegetativâ tantùm, ut Plantæ; alia tandem vitâ ſenſitivâ, vegetativâ, & rationali, ut homines. Ex non viventibus ſunt nubes, vapores, lapides, metalla &c. In ſecunda claſſe ſpiritualium locantur DEUS, Angeli, animæ rationales, & accidentia ſpiritualia.

2. *Omnia corpora quanta ſunt in Loco.* Dico primò: omnia corpora naturalia quanta, tam mixta, quàm ſimplicia, exceptâ ultimâ ſphærâ empyreâ cæleſti, ſunt propriè in Loco circumſcriptivè. Prima pars eſt Scoti 2. *diſt.* 2. *q.* 6. ſecunda de ſphæra empyrea eſt ejuſdem Doctoris *Quodlib.* 11. & ſequuntur Ant. Andre. Bonet. Canonic. Tartar. & alii Scotiſtæ; contra Thomiſt. Ægid. Averſa. quoad ſecundam partem.

Probatur prima pars primò authoritate Philoſophi, qui 4. *Phyſic. tex.* 43. dicit, illud eſſe propriè in Loco circumſcriptivè, quod habet extra ſe continens corporeum: ſed omnia corpora naturalia quanta, tam mixta, quàm ſimplicia habent extra ſe continens corporeum; ut infrà oſtendam: Ergo omnia ſunt in Loco circumſcriptivè. Præterea, illa dicuntur propriè circumſcriptivè eſſe in Loco, quæ faciunt actu diſtare latera continentis illa; ut dicit idem Philoſophus *loc. cit.* ſed omnia corpora naturalia quanta, tam mixta, quàm ſimplicia faciunt diſtare latera alicujus continentis: ut patet de homine, leone, & turri, locatis in aëre: Ergo &c. Tandem ſecundùm eundem Philoſophum 4. *Phyſic. tex.* 41. quod habet ſuperficiem ultimam continentem, eſt in Loco: ſed omnia corpora naturalia quanta talem habent: Ergo &c.

Pro-

Probatur ſecundò inductione ſingulorum corporum naturalium quantorũ: corpus naturale ſimplex terra, quæ craſſior eſt aliis elementis, circumſcribitur, & continetur ab ultima ſuperficie concava aquæ veluti Loco, & omnia mixta terreſtria circumſcribuntur aëre ambiente, ut Loco. Deinde corpus naturale ſimplex aquæ, quod craſſius eſt aëre circumſcribitur, & continetur pariter ab ultima ſuperficie aëris; mixta verò aquæ locantur ab ipſa aqua: præterea corpus ſimplex aëris circumſcribitur, & locatur ab ultima ſuperficie ignis; mixta verò aëris ab ipſo aëre: item corpus ſimplex elementare ignis continetur ut Loco ab ultima ſuperficie concava cæli Lunæ: Sphæra Lunæ à ſuperficie concava Sphæræ ſecundæ cæleſtis; & ſic aliæ deinceps, uſq; ad ultimam Sphæram empyream cæleſtem excluſivè: Ergo omnia corpora naturalia quanta tam ſimplicia, quàm mixta ſunt propriè circumſcriptivè in Loco.

3. *Exceptio cæli empyrei.* Probatur ſecunda pars authoritate Philoſophi, qui *4. Phyſic. tex. 43.* docet, illud non eſſe propriè, & circumſcriptivè in Loco, quod non habet corpus extra ſe continens: ſed ultima Sphæra cæleſtis Empyrea non habet corpus extra ſe continens; quia extra talem Sphæram nihil reale reperitur, quòd ambiret, & circumſcriberet illam: Ergo hæc non eſt propriè circumſcriptivè in Loco.

4. *Objecta pro Loco cæli empyrei.* Objicies contra hanc partem *primò*: Philoſophus expreſsè adverſatur huic ſecundæ parti Concluſionis: Ergo &c. Probat. Ant. Philoſophus *4. Phyſic. tex. 45.* diſertis verbis docet, Cælum eſſe in Loco per partes. Et *eodem 4. tex. 13.* dicit indefinitè, omne corpus eſſe in Loco: Ergo & corpus Sphæræ empyreæ. *Secundò*: Sphæra ultima movetur localiter ab ortu ad occaſum ſecũdùm Philoſ. Ergo eſt in Loco circũſcriptivè. Conſequentia tenet, quia motus localis exercetur in Loco, & denominatur talis à Loco; & quia Locus inventus eſt propter motũ localem, ſecundùm eundem Philoſophum *4. Phyſic. tex. 32.*

5. *Reſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad ejus Probat. interpretor Philoſophum, & dico ipſum *loc. cit.* per cælum intelligere Univerſum; cujus partes omnes, præter Sphæram empyream, ſunt in Loco, ut idem Philoſophus ſe explicat *cit. 4. tex. 46.* de terra, quæ ut pars Univerſi eſt in aqua, tanquam in Loco; & aqua in aëre, tanquam in Loco; & ſic de aliis Univerſi partibus. *Ad alterum textum* Philoſophi dico, eum loqui in ſententia Philoſophorum ſuo tempore comuni de aliquo ſpacio, quòd talè eſſet Locus: & juxta hanc ſententiam dicit *cit. 4. tex. 13.* quòd omnia ſint in Loco; quam tamen ſententiam idẽ Philoſophus deinde rejecit, & aliam de ſuperficie ultima continente docuit; ut ſuprà *q. 2. concl. 8.* *Ad Secundum* argumentum Neg. Ant. ut patebit *in tract. de Fabrica mundi, & cæli diſt. 2. q. 4.* ubi aſſero Cælum empyreum immobile, tanquam Sedem Beatorum ſtabilem. Deinde Philoſophus poſuit pro ultimo Cælo Primum Mobile; quod utique movetur localiter: at hæc ſententia à Philoſophis modernis reijcitur, & Cælum Empyreum ponitur pro ultimo cælo.

6. *DEUS nec circumſcriptivè, nec definitivè eſt in Loco.* Dico ſecundò: DEUS neque diffinitivè, neque circumſcriptivè eſt in Loco. Ita communis Catholicorum.

Probatur *primò* authoritate SS. PP. omnem Locum à DEO excludentium; unde D. Auguſtinus *lib. 7. de Trin. cap. 30.* ait: *DEUS ubique totus eſt, nullis incluſus Locis*: Ergo &c. *Secundò* ratione: DEUS eſt immenſus, & ratione ſuæ immenſitatis nullô corpore extra ſe poſitô contineri poteſt & localiter terminari; aliàs eſſet naturæ limitatæ: Ergo non eſt in Loco. Eſt ergò DEUS tantùm cum Loco, quatenus omni rei eſt intimè præſens per illapſum generalem.

7. *Objectioni obviatur.* Objicies: Scriptura S. exprimit Deum eſſe in Loco, illis verbis: *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum*: Ergo &c. Reſpondeo gloſſando Scripturam, & dico per eam ſolùm ſignificari DEI immenſitatem, quâ rebus omnibus tam cæleſtibus, quàm terreſtribus præſentialiter adeſt per illapſum generalem.

8. *Angeli, & animæ ſunt in Loco.* Dico tertiò: Subſtantiæ Angelicæ, & animæ rationales ſunt in Loco diffinitivo. Ita Scotus *2. diſt. 2. quæſt. 5.* & communis Catholicorum.

Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ, quæ varia Loca ſubſtantiis Angelicis, ſeu Angelis aſſignat, unde de quodam Angelo malo dicitur Tob. 8. *tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium; & relegavit illud in deſertum ſuperioris Ægypti.* Et Apocal. 12. dicitur de Angelis lapſis, quòd perdiderint ſuum Locum cæleſtem, *Locus eorum non eſt ampliùs inventus in cælo*: Ergo &c. *Secundò* authoritate SS. PP. Angelis Locum concedentibus; ut videre eſt apud S. Gregorium *lib. 2. Moral.* & S. Ber-

nardum *Serm. 7. in Cantic.* ubi ait: *Credimus Angelos ſanctos adſtare orantibus*, quod localem præſentiam Angelorum indicat: Ergo &c. *Tertiò* ratione: illud eſt in Loco, extra quod extat aliquod corpus continens *4. Phyſic. tex. 43.* ſed ſubſtantiæ Angelicæ bonæ extant in Cælo, extra quod extat Sphæra cæleſtis empyrea eos continens; item malæ extant in inferno, in centro terræ, extra quem extat corpus ſphæricum terræ illos continens: Ergo omnes ſunt in Loco. Eadem eſt ratio de animabus beatis & damnatis.

Quod autem Angeli, & animæ rationales ſint in Loco Diffinitivô tantùm, inde patet; quia ſunt ſubſtantiæ ſimplices indiviſibiles, & inextenſæ; adeoque Locô circumſcriptivô contineri nequeunt: & conſequenter locantur tantùm Locô Diffinitivô, ita ſcilicet, ut ſint totæ in toto Loco, & totæ pariter in qualibet parte Loci.

9. *Angeli non ſunt in Loco per operationem.*

Dico quartò: Subſtantiæ Angelicæ non ſunt in Loco per operationem, ſed per ſuam ſubſtantiam. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 6.* & communis Scotiſtarum; S. Bonaventura, & Nominales, contra Thomiſtas.

Probatur prima pars ratione Scoti *cit.* Angelus deputatus ad movendam aliquã Sphæram cæleſtem, in tota Sphæra operatur; quia eam totam movet; & tamen non toti Sphæræ, ſed uni determinatæ parti ejus localiter aſſiſtit; aliàs eſſet in Oriente, & Occidente ſimul: Ergo ille Angelus non cenſetur eſſe in ſuo Loco Angelico ratione operationis. Deinde Angelus poſſet ceſſare in Loco A. ab omni operatione, tum ob ſuam libertatem; tum ob denegatum concurſum DEI; & tamen manebit locatus in Loco A. ubi priùs operabatur, & nunc ceſſat: Ergo &c.

10. *Sed per ſuam ſubſtantiam.*

Probatur ſecunda pars: res aliqua materialis v. g. homo eſt in Loco per ſuam ſubſtantiam corpoream; ita ut ſi DEUS ab eo auferret quantitatem, non propterea deſineret eſſe in Loco: Ergo etiam res ſpiritualis, cujuſmodi ſunt Subſtantiæ Angelicæ, ſunt in Loco per ſuam ſubſtantiam, quatenus ſcilicet ſeſe diffundunt per omnes partes ſui Loci.

11. *Thomiſtis ſatisfit.*

Objiciunt Thomiſtæ contra ſecundam partem: ex hac Scotiſtica Sententia ſequeretur, quemlibet Angelum ſemper habere æqualem Locum; quia eſt in eo ratione ſubſtantiæ, quæ ſemper eſt eadem: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. Reſpondeo Neg. ſequelam Maj. quia ſubſtantia eſt quidem ratio fundamentalis Angelo eſſendi in Loco; quia tamen hæc ſubeſt imperio voluntatis Angelicæ, idcirco Angelus pro arbitrio nunc majorem Locum intrà Sphæram ſuam; nunc minorem occupare poteſt.

QUÆSTIO V.

Utrùm plures res poſſint ſimul locari in eodem Loco?

1. *Quid oppoſitio formalis, & virtualis.*

Nota primò: ſecundùm Scotum *4. diſt. 49. q. 16.* quaſdam res habere inter ſe oppoſitionem formalem; quaſdam verò virtualem, ut dixi *tomo 1. Scholæ Philoſoph. tract. de Prædicam. diſt. 6. q. 4.* Illæ res cenſentur habere *oppoſitionem formalem*, quæ ſibi contrariantur penes formas, ſubſtantias, & naturas, ita ut una alteram ex eodem ſubjecto expellat; talis oppoſitio formalis eſt inter calorem, & frigus; item inter humiditatem, & ſiccitatem. Illæ verò dicuntur habere *oppoſitionem virtualem*, quæ penes naturas ſibi nõ contrariantur, ſed penes ſuos effectus à naturis procedentes; qui non ſe compatiuntur in eodem; talis oppoſitio eſt inter duo quanta v. g. lignum, & lapidem, quorum unum non compatitur aliud in eodem Loco ratione ſui effectûs, qui eſt repletio; quare ſi Locus aliquis ſit repletus lignô, non poteſt ampliùs naturaliter repleri lapide.

2. *Plures res ſpirituales poſſunt eſſe in eodem Loco ſimul.*

Dico primò: plures res ſpirituales poſſunt naturaliter eſſe ſimul in eodem Loco; & etiam cum alia re corporea. Eſt communis Philoſophorum.

Probatur ex S. Scriptura Novi Teſtamenti conſtat in uno eodem homine obſeſſo naturaliter fuiſſe integram legionem dæmonum, quæ conflatur ex ſex millibus, ſexcentis, & ſexaginta ſex diabolis, qui ſunt res purè ſpirituales: Ergo plures res ſpirituales poſſunt naturaliter ſimul eſſe in uno eodemq; Loco; & etiam cum alia re corporea, qualis erat præfatus obſeſſus.

3. *Oppoſitiones.*

Objicies *primò*: hæc machina Univerſi videtur ita à DEO inſtituta, ut res participantes diſtinctas entitates, habeant quoque diſtincta Loca: Ergo plures

res

res ſpirituales nequeunt eſſe naturaliter ſimul in eodem Loco. *Secundò:* plures res non poſſunt ſe naturaliter penetrare; ſed ſi plures res ſpirituales eſſent in eodem Loco, ſe penetrarent: Ergo &c.

4. *Reſolutiones deſuper.*

Reſpondeo *ad Primum* Ant. eſſe verum quoad res corporeas, & quantitate affectas, quæ quia habent entitatem diſtinctam, & quantitate affectum, diſtincta quoque Loca habent: non verificatur autem quoad res ſpirituales, quantitate carentes. *Ad Secundum* Neg. Min. penetratio enim ad ſolas res quantas pertinet; de quarum numero non ſunt res ſpirituales, v. g. Angeli. Itaque quando plures res ſpirituales, v. g. Angeli, vel animæ rationales ſe ponunt naturaliter ad eundem numerò Locum, non dicuntur ibi locari per penetrationem; ſed per ſimul poſitionem definitivam ubicari.

5. *Plura corpora nequeunt eſſe naturaliter ſimul in eodem Loco.*

Dico ſecundò: plures res corporeæ, ſeu plura corpora phyſica nequeunt naturaliter eſſe Locata ſimul in eodem Loco. Ita Scotus *4. diſt. 49. q. 16.* & *Quodlib. 11.* cum tota ſua Schola; item S. Thomas cum ſua; & S. Bonaventura, Richard. Henric. & communis Philoſophorum, ac Theologorum contra Fernelium, Argent. & Provenzalem.

Probatur primò authoritate Philoſophi, qui *4. Phyſic. tex. 27.* tenet pro inconvenienti, illam opinionem, quæ aſſerit, duo corpora poſſe exiſtere in uno eodemque Loco. Et in eodem *4. tex. 76.* dicit, dimenſiones quantitatis, quæ inſunt naturaliter omni corpori quanto, ita naturaliter inter ſe pugnare, ut etiam pugnarent inter ſe, ſi eſſent ſeparatæ à corporibus; quod de Fide conſtat in Sacramento Altaris, ubi duæ hoſtiæ conſecratæ ratione dimenſionum ſeparatarum à ſubſtantia corporea nequeunt eſſe ſimul in eodem Loco: Ergo cenſet plures res corporeas naturaliter non poſſe eſſe ſimul in eodem Loco.

Probatur ſecundò: tum quia ita experientiâ conſtat in corruptione, ubi ad introductionem unius formæ ſubſtantialis corporeæ expellitur alia præexiſtens; & cuneus, cuneum pellit; & per incuſſionem clavi in aſſerem expellitur pars corporea aſſeris; unus item homo alium extrudit ab eadem ſede phyſica, & ubi: Ergo &c. Tum quia plura corpora quanta habent oppoſitionem virtualem ratione ſuorum effectuum, repletionis ſcilicet, phyſicæ, ita ut ſi unum repleat adæquatè Locum A. aliud eundem Locum replere nequeat adæquatè; aliàs Locus ille eſſet repletus adæquatè, & non eſſet repletus; quod implicat: Ergo plura corpora quanta nequeunt naturaliter eſſe ſimul in eodem Loco. Tum tandem, quia omnes Philoſophi negant poſſibilem eſſe naturaliter penetrationem corporum; unde, Chriſtiani ſemper pro magno miraculo habuerunt, quòd Chriſtus in ſua S. Nativitate egreſſus fuerit de ſacratiſſimo utero Deiparæ abſque violatione clauſtri virginalis; quod contigit per penetrationem: Ergo &c.

6. *Oppoſitæ rationes.*

Objicies primò varias experientias phyſicas, quæ militant contra Concluſionem: *Primò*, vas cinere repletum multũ aquæ infuſæ capit: Ergo ibi per penetrationem naturaliter ſunt ſimul plura corpora aquæ, & cineris. *Secundò:* ferrum candens habet ſimul duas formas corporeas quantas, ignis ſcilicet, & ferri: Ergo &c. *Tertiò:* panis recens immerſus vino, imbibit vinum: Ergo ſimul duo corpora panis, & vini morantur. *Quartò:* vapores cum aëre tenent ſimul eundem Locum: Ergo &c.

7. *Expenduntur.*

Reſpondeo: has, & ſimiles experientias non militare contra Concluſionem; nam *ad Primam* dico, cineres eſſe poroſos, & cum parvis intervallis ſibi invicem juxta poſitos: unde tam diu recipiunt aquam infuſam, quouſque illa intervalla ſint repleta; atque ita aqua cum cineribus non eſt naturaliter in eodem Loco. *Ad Secundam* dico, ferrum pariter eſſe poroſum; unde in ejus poris duntaxat latitant particulæ formæ ignis, & formæ ferri. *Ad Tertiam* eadem eſto reſponſio; quia & panis recens eſt poroſus valde. *Ad Quartam* dico, quòd aër ſit naturæ tenuis, & raræ, ac proinde cedit Locum vaporibus, utpote groſſiorem naturam habentibus, & ipſe reducit ſe ad Locum minorem; ſicut cineres humectatæ in vitro ad minorem Locum ſeſe reducunt.

8. *De abſoluta Potentia Dei plura corpora poſſunt eſſe ſimul in eodem Loco.*

Dico tertiò: de abſoluta tamen Potentia DEI, ſeu ſupernaturaliter poſſunt plures res corporeæ, ſeu plura corpora locari in eodem numerò Loco. Ita Scotus *4. diſt. 49. q. 16.* & *Quodl. 11.* cum tota ſua Schola Subtilium, & D. Thomas cũ ſua Schola Angelica; item S. Bonav. Rich. & comũnis Philoſoph. ac TT. contra Durandum.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; ex qua conſtat defactò ſupernaturaliter duo corpora ſe penetrâſſe: Ergo

in

in inſtanti penetrationis fuerunt ſimul in eodem Loco. Probat. Ant. *primò*: Chriſtus Salvator noſter *Luc. 2.* egreſſus eſt per penetrationem de utero B. V. M. illæsô clauſtrò virginali. *Secundò*: *Joan. 20.* idem Salvator januis clauſis ingreſſus eſt ad diſcipulos, utique penetrando per januarum corpus. *Tertiò*: idem in Aſcenſione penetravit Cælos, juxta illud ad Hebræos 4. *habentes ergo Pontificem, qui penetravit Celos, JESUM.* *Quartò*: *Joan. 20.* idem egreſſus eſt de ſepulchro abſque motione lapidis: Ergo duo corpora de facto ſe penetrârunt; & conſequenter in inſtanti penetrationis fuerunt ſimul, ſcilicet corpus Chriſti cum corpore uteri virginalis, januarum, Cælorum, & lapidis ſepulchralis.

Probatur ſecundò Authoritate D. Auguſtini, qui expendens præfata myſteria Salvatoris noſtri, dicit ea contigiſſe per penetrationem, & exiſtentiam duorum corporum in eodem Loco, *lib. de agone Chriſti cap. 24.* unde *Sermone 159. de tempore* exprimens, quâ potentiâ dicta myſteria ſint facta, dicit: *DEUS eſt, qui fecit; conſidera Authorem, & tolle dubitationem.*

9. *Durandus refutatur circa egreſſum Chriſti de utero virginali.* Reſpondet Durandus ad allegata myſteria dicens; in eis nullam penetrationem duorum corporum contigiſſe; ac proinde duo corpora non fuiſſe ſimul in eodem Loco. *Ad Primum* de egreſſu Chriſti ex utero virginali dicit, quòd partes illius uteri fuerint dilatatæ; atque ita abſque penetratione egreſſum ſit Corpus Chriſti. *Contra primò*, hoc eſt directè contra SS. PP. explicantes illum egreſſum per penetrationem, ut videre eſt apud S. Auguſtinum *loc. cit.* & alios. *Contrà ſecundò*, hæc explicatio Durandi non modicè derogat integritati Matris DEI; nam cùm virginitas conſiſtat in ſoliditate, & compreſſione partium virginalium, & in pellicula integra, quæ dicitur membrana, cui dilatatio opponatur; planè ſequitur, clauſtrum virgineum non manſiſſe integrum, ſolidum, & inviolatum. *Contrà tertiò*; hic egreſſus Chriſti celebratur ut quoddam miraculum grande á SS. PP. Ergo ſanè per naturalem dilatationem partium non contigit.

10. *Item de ingreſſu ad Diſcipulos januis clauſis.* *Ad Secundum* de januis clauſis dicit; illas januas fuiſſe ſubitò apertas, ut corpus Chriſti ingrederetur, & illico iterum velociſſimè occluſas. *Contrà primò*, hoc dictum pariter reprobatur à SS. PP. Athanaſio *Orat. 4. adverſùs Arium*, & S. Hieroni. *in cap. 28. Matth.* & S. Hilario *lib. 3. de Trinit.* qui illum ingreſſum explicant per miraculoſam penetrationem. *Contrà ſecundò*; illud ablativum abſolutum *januis clauſis* ſignificat perſiſtentiam januarum clauſarum in occluſione: & momentanea apertio earum ſanè violentiam manifeſtam facit S. textui, recenſenti ingreſſum Chriſti ad Diſcipulos januis clauſis.

Ad Quartum de egreſſu è ſepulchro dicit; non ſatis conſtare ex Evangelio, Chriſtum è ſepulchro egreſſum fuiſſe abſque amotione lapidis. *Contrà*; ſufficit SS. PP. á DEO inſpiratos communiter expreſsè tenere talem egreſſum factum eſſe per penetrationem, abſque lapidis amotione; ita docet S. Bernardus *Serm. 1. de Reſurrect.* & S. Chryſoſt. *Homi. 9. in Matth.* & S. Auguſt. *Serm. 36. de tempore.* & S. Hieronymus *Epiſt. 150. ad Hedibiam* &c. Tandem his omnibus reſponſionibus Durandicis utuntur hæretici, ad plures errores ſuos defendendos, & ſcripturas eludendas, præſertim Calvinus, ut ſcribit Maldonatus *Joan. 20.* quare omninò repudiandæ, & abjiciendæ ſunt à Philoſophis Catholicis. 11. *Similiter de egreſſu è ſepulchro.*

Objicit Durandus *primò*: quod dicit implicantiam, non poteſt fieri de Potentia abſoluta: ſed eſt implicantia plura corpora eſſe ſimul in eodem Loco: Ergo &c. Probat. Min. effectus formalis rei non poteſt impediri á DEO: ſed expulſio unius corporis à Loco per aliud corpus, eſt effectus formalis corporis quanti: Ergo his non poteſt impediri á DEO; & conſequẽter eſt implicantia, quòd duo corpora poſſint eſſe in eodem Loco; nam DEUS poſſet, & non poſſet impedire illum effectum formalem. *Secundò*: impenetrabilitas eſt paſſio quantitatis: Ergo nequit à corpore quanto tolli de abſoluta DEI Potentia. *Tertiò*: duæ partes ejuſdem motûs, ſeu quantitatis ſucceſſivæ non poſſunt correſpondere eidem durationi: Ergo neque duæ partes quantitatis permanentis, ſeu corporis quanti eidem Loco. *Quartò* ſequeretur idem bis replere: Ergo &c. *Quintò*, ſequereretur, Locum non eſſe adæquatum, ſeu æqualem locato; quia ipsô receptô, adhuc aliud recipere poteſt: Ergo &c. *Sextò* ſequeretur, illa duo corpora compenetrata eſſe unum; quod eſt falſum: Ergo &c. 12. *Objecta Durandi proponuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Min. & Diſt. Maj. Probat. ejus, effectus formalis primarius rei non poteſt à DEO impediri 13. *Eadem refelluntur*

Conc.

Conc. Maj. effectus formalis ſecundarius non poteſt impediri Neg. Maj. expulſio autem corporis à Loco eſt effectus tantùm formalis ſecundarius corporis quanti, & extenſi; ſeu potiùs quantitatis extenſæ; hunc autem poteſt DEUS impedire, ſcilicet non concurrendo cum quantitate ad extenſionem in ordine ad Locum; quo caſu unum corpus non expellet aliud à Loco. *Ad Secundum* Neg. Conſeq. nam impenetrabilitas habet annexam extenſionem; extenſio verò poteſt à DEO tolli à quantitate; quia ut dicit Scotus, omne abſolutum, & prius aliô poteſt, eſſe ſinè alio poſteriori; quantitas autem ſecundùm eſſentiam eſt abſolutum quid, & priùs extenſione in ordine ad Locum: in caſu itaque, quô DEUS tollat ab uno corpore extenſionem quantitativam ad Locum, poterit cum eo aliud locari in eodem Loco. *Ad Tertium* Neg. Conſequentiam, diſparitas eſt; quia partes motûs ſunt eſſentialiter ſucceſſivæ; cùm ſucceſſio ſit de eſſentia motûs, ſeu entis ſucceſſivi; unde duæ partes ſucceſſivæ ejus nequeunt correſpondere eidem durationi: at duæ partes corporis habent quantitatem permanentem; & Locus ſimiliter, ſeu ſuperficies eſt quid permanens; quare tales partes de potentia abſoluta poſſunt correſpondere, & coaptari eodem Loco; maximè ſi ab una DEUS tollat extenſionem quantitativam. *Ad Quartum* concedit Scotus *Quodlib. 11.* de potentia abſoluta aliquod ſpacium poſſe formaliter bis repleri: nec ex hoc ſequitur, eundem effectum produci à duabus cauſis adæquatis; quia repletio oritur à quantitate, quæ non eſt activa, ſeu productiva; ac proinde non cenſentur in caſu repletionis geminatæ intervenire duæ cauſæ productivæ adæquatæ. Poſſet etiam dici; quòd in caſu locationis duorum corporum in eodem Loco unum eorum à DEO poſſet abſolvi à repletione locali, & eſſe cum altero pèr penetrationem; ſicut Corpus Chriſti in Euchariſtia abſolvitur ab extenſione locali, & eſt in eodem Loco cum quantitate hoſtiarum extenſarum. *Ad Quintum* Neg. Ant. quia ut eruditè docet P. Baſſolius adæquatio inter Locum, & locatum, eſt ſecundùm magnitudinem, & extenſionem, quæ haberetur in caſu plurium corporum in eodem Loco; non verò ſecundùm multitudinem corporum receptorum. *Ad Sextum* Diſt. Ant. ſequeretur illa duo corpora compenetrata eſſe unum unitate locali, id eſt ſimul locata in eodem ubi Conc. Ant. eſſe unum unitate individuali, id eſt tali, quá eſſentiâ eandem numerò acciperent Neg. Ant.

QUÆSTIO VI.

Utrùm eadem res poſſit eſſe ſimul in pluribus Locis adæquatis? ubi etiam de natura actionis replicativæ.

Dico primò: nulla res ſpiritualis vel corporea poteſt naturaliter eſſe ſimul in pluribus Locis adæquatis; aut etiam inadæquatis, quæ eſſent extra ſphæram propriam Loci naturalis. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 7.* & *4. diſt. 10. q. 2.* & communis Philoſophorum, ac TT. 1. *Nulla res ſpiritualis poteſt naturaliter eſſe in pluribus Locis ſimul, ſive adæquatis.*

Probatur prima pars: quia ille cenſetur eſſe Locus adæquatus alicujus rei v. g. Angeli, vel hominis, quem Angelus, vel homo replet juxta limitationem ſuæ ſubſtantiæ, vel quantitatis; & ad quem replendum Angelus, vel homo ſe movet ſecundùm ultimum ſuæ potentiæ motricis: Ergo naturaliter non poſſunt occupare plura alia Loca ſimul. Conſequentia tenet; quia alias Angelus non cenſeretur limitatæ ſubſtantiæ, & homo limitatæ quantitatis materialis; & Locus eorū primus diceretur adæquatus, & non adæquatus; quæ ſunt falſa. Tum quia communi conſenſu DD. conſtat, quamlibet rem ſpiritualem, & incorpoream eſſe finitam, & circumſcribi limite locali: experientia etiam id docet clarè de corporibus, quæ nulla vi naturali videmus poſſe occupare duo Loca: Ergo &c.

Probatur ſecunda pars: Tum quia res tam ſpirituales, quàm corporeæ ſunt limitatæ quoad Locum inadæquatum, ita ut extra ſphæram illius locari non poſſint. Tum quia ſi aliquod corpus v. g. homo poſſet occupare plura Loca inadæquata extra ſphæram Loci ſui naturalis, ſequeretur, quod Locus adæquatus, intra cujus ſphæram comprehenditur Locus inadæquatus alicujus rei, eſſet adæquatus rei, & non eſſet: eſſet, ut ſupponitur; non eſſet etiam; quia in eo res inadæquata adhuc alibi locari poſſet inadæquatè: ſed hæc ſunt contradictoria: Ergo &c. 2. *Sive inadæquatis extra ſpharā propriam Loci naturalis.*

Dico ſecundò: de potentia tamen abſoluta idem corpus poteſt ſimul in pluribus

3\. *Divinitus unum corpus poteſt ſimul ubicari in pluribus Locis circumſcriptivè in uno, & diffinitivè in altera.*

bus Locis poni, in uno circumſcriptivè, in altero definitivè. Ita Scotus *4. diſt. 10. q. 3.* & *in Report. 4. diſt. 10. q. 2.* & *Quodlib. 11.* & communis Theologorum. Eſtque de Fide de Corpore Chriſti, contra Calvinum, & alios hæreticos.

Probatur primò authoritate Juris Canonici; quod *in 3. par. Decreti de Conſecratione diſt. 2. cap. prima quidem*, de Corpore Chriſti in pluribus Locis locato dicit, *donec ſæculum finiatur, ſurſum eſt Dominus; ſed tamen hic etiam nobiſcum eſt veritas Dominus*: ubi per ly *ſurſum* intelligit Locum cæli, in quo Corpus Chriſti circumſcriptivè; & per ly *hic* intelligit Locum ſublunarem Hoſtiarum conſecratarum, in quo definitivè, & ſacramentaliter eſt idē Corpus nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi: Ergo &c.

Probatur ſecundò auhtoritate Concilii Tridentini, duplicem Locum unum circumſcriptivum, ſeu naturalem; alterum definitivum eidem Corpori Chriſti concedentis; unde *Seſſ. 13. cap. 1.* ait, *nec enim inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dexteram Patris in cælis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in Locis ſacramentaliter præſens ſuâ ſubſtantiâ nobis ſit*: Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS. PP. Locum circumſcriptivum cæli, & definitivum in Sacramento Altaris Corpori Chriſti ſimul concedentium; unde S. Chryſoſtomus *3. de Sacerdotio* ait, *ô miraculum, ô DEI benignitatem, qui cum Patre ſurſum ſedet, & in illo ipſo temporis articulo hominum manibus pertrectatur*. Ergo &c.

Probatur quartò ratione: Corpus Chriſti tempore ultimæ Cœnæ fuit in Loco Cœnaculi circumſcriptivè; quia fuit ibi viſibiliter, & loquebatur ſenſibiliter, manus extendebat &c. & ſimul etiam fuit ſub qualibet parte panis conſecrati definitivè, ſeu ſacramentaliter, juxta illud Sac. Scripturæ Matth. 26. *accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meum*: Ergo de Potentia abſoluta DEI idem Corpus poteſt ſimul poni in pluribus Locis, in uno circumſcriptivè, & in altero definitivè. Objectiones Calviniſtarum vide ſolutas *tom. 3. Schol. Theolog. diſt. 4. q 21.* Quod dixi de Corpore Chriſti, idem dici poteſt de quovis alio corpore; nam ſicut à Chriſti Corpore in Sacramento Altaris tollitur extenſio externa, ut poſſit eſſe ſub quavis Hoſtia definitivè & ſacramentaliter; ita à quovis alio de Potentia abſoluta DEI tolli poteſt; & tunc in uno Loco poterit eſſe circumſcriptivè; in aliis verò definitivè.

Dico tertiò: ſimiliter ſupernaturaliter poteſt idem corpus eſſe circumſcriptivè ſimul in pluribus Locis adæquatis; & eadem ſubſtantia ſpiritualis in pluribus diffinitivè; ac proinde poſſibilis eſt replicatio unius rei ad plura Loca. Ita Scotus *4. diſt. 10. q. 2.* cum tota ſua Schola; & S. Bonavent. P. Alenſis, P. Occam cum ſuis Nominalibus; & Bellarmin. Svar. Valent. Conimbr. Hurt. Averſ. &c. contra Thomiſtas Henric. Vaſq. &c. dicentes, eſſe implicantiam unum corpus poſſe ſimul in duobus Locis modô extenſivô, ſeu circumſcriptivô collocari, ſeu replicari.

4\. *Imo & circumſcriptivè in utroque.*

Probatur prima pars: Corpus Chriſti ſimul & ſemel fuit circumſcriptivè in Loco cæli, & in Loco ſublunari: Ergo idem corpus ſupernaturaliter poteſt eſſe circūſcriptivè ſimul in pluribus Locis. Prob. Ant. *Act. 9.* apparuit Chriſtus in corpore viſibili D. Paulo Damaſcum proficiſcenti; item dum detineretur in cuſtodia juſſu Lyſiæ Tribuni, ut habetur *Act. 13.* & conſequenter tunc Corpus Chriſti fuit circūſcriptivè in illo Loco ſublunari, ubi apparuit: ſed eodem tempore etiam fuit circumſcriptivè in Loco cæli; quia Chriſtus poſt Aſcenſionem ſuam nec ad momentum reliquit Locum cæli, neque deſeret uſque ad finem ſæculi; uti conſtat ex S. Auguſtino *tract. 30. in Joan.* dicente; *donec finiatur ſæculum, ſurſum eſt Dominus*: & patet ex S. Scriptura *Act. 3. quem oportet cælum ſuſcipere, uſque in tempora reſtaurationis omnium*; quem Locum expendens P. Lyranus dicit, à die Aſcenſionis uſque ad diem Judicii Univerſalis Chriſtum ſeſſurum ad dexteram DEI Patris: Ergo Corpus Chriſti ſimul & ſemel fuit circumſcriptivè in Loco cæli, & in Loco ſublunari; & conſequenter eſt poſſibilis replicatio unius rei ad plura ubi.

Probatur ſecundò: idem Corpus poteſt ſimul eſſe in uno Loco circumſcriptivè, & in altero diffinitivè, ſeu ſacramentaliter; uti ſuprà *Concluſ. 2.* de Corpore Chriſti oſtendi: Ergo idem Corpus etiam poterit eſſe ſimul in duobus Locis circūſcriptivè, & propriè replicatum. Conſequentia tenet à pari; & quia faciliùs eſt idem Corpus poni in duobus Locis circumſcriptivè; quàm in uno circumſcriptivè, & in altero diffinitivè; nam in poſitione ejus per primum modum intervenit

nit unum duntaxat miraculum, puta replicatio unius corporis in duplici Loco; in poſitione autem ejuſdem corporis per ſecundum modum duo intervenire debent miracula, puta replicatio corporis in duobus Locis; & etiam abſtractio quantitatis ejus ab extenſione externa, & commenſuratione locali: faciliùs itaque idem homo v. g. poteſt replicari ad duo Loca cum modo ſuo naturali id eſt commenſurativè, ſeu circumſcriptivè; quam ad duo; ſed in uno duntaxat cum ſuo modo naturali, & in altero ſine ſuo modo naturali, ſcilicet diffinitivè.

Probatur tertiò: ex authenticis Hiſtoriis conſtat, quoſdam Sanctos eodem tempore divinitùs fuiſſe replicatos circumſcriptivè ad plura Loca ſimul; ſic de S. Antonio Paduano narrat Chronica Ord. FF. Min. Sic de S. Franciſco Xaverio Annales Soc. JESU; ſic de S. Ambroſio pariter refert Breviarium Roman. quòd fuerit in Loco Mediolanenſi, & ſimul Turonenſi, aſſiſtendo funeri S. Martini: & de S. Adalberto atteſtantur Lectiones Breviſrii pro Clero Bohemiæ confecti, eum ſimul fuiſſe Pragæ & Romæ: & de replicatis aliis aliæ hiſtoriæ approbatæ ſimile quid narrant: Ergo &c.

Probatur quartò ratione: Tum quia ut diſcurrit Scotus in *4. diſt. 10. q. 2.* eſſe formaliter in Loco, nil aliud eſt, quàm habere relationem corporis contenti ad corpus continens, ſeu circumſcribens; & eſſe in pluribus Locis, nil aliud eſt, quàm habere ſimul plures relationes ubicationis ad diverſa corpora continentia: ſed idem corpus poteſt habere ſimul plures relationes ubicationis ad diverſa corpora continentia v. g. ad tres ſuperficies aëris in Bohëmia, Sileſia, & Moravia corpus aliquod divinitùs replicatum ambientis: Ergo idem corpus poteſt ſupernaturaliter eſſe ſimul circumſcriptivè in pluribus Locis. Prob. Min. idem Corpus Chriſti poteſt habere plures relationes præſentiæ, & plures ubicationes diffinitivas ſub pluribus hoſtiis conſecratis: Ergo quodcunq; aliud corpus poteſt habere plures relationes ubicationis ad diverſa corpora continẽtia, ſeu ſuperficies aëris circũſcribentis. Præterea relationes poſſunt plurificari ad diverſos terminos, nõ plurificatô fundamentô; ut ait *cit.* Doctor, ſic ſuper eandem albedinem poſſunt fundari duæ ſimilitudines ad duos terminos: quæ ſunt duæ relationes extrinſecæ ubicationum in eodem corpore ad plures terminos, ſeu ſuperficies continentes. Tum quia Divina Omnipotentia exaltanda eſt, eique concedendum, quòd omne id facere poſſit, quod manifeſtam non involvit implicantiam, aut abſurdum: ſed ponere aliquod corpus ſimul in pluribus Locis circumſcriptivè, nullam involvit implicantiam, neque abſurdum; ut patebit infrà ſolvendo implicantias, & abſurda à Thomiſtis objecta: Ergo &c.

5. *Etiam eadẽ res ſpiritualis poteſt diffinitivè replicari ad plura ubi.*

Probatur ſecunda pars concluſionis: tum à paritate ejuſdem corporis, quod (uti jam probatum eſt) poteſt replicari, & locari in pluribus Locis circumſcriptivè: Ergo etiam eadem Subſtantia ſpiritualis in pluribus Locis diffinitivè. Tum quia non variatô, nec multiplicatô priori, poteſt variari & multiplicari poſterius: ſed Loca diffinitiva ſunt poſteriora ſubſtantiâ ſpirituali v. g. Angelicâ; cum ſint ejus accidentia: Ergo non variatâ, vel multiplicatâ ſubſtantiâ ſpirituali, poſſunt divinitùs multiplicari Loca diffinitiva. Maj. patet; quia non multiplicatâ formâ ſubſtantiali contingit multiplicari accidentia; cùm ſint poſteriora ſubſtantiâ. Probat. Min. Loca diffinitiva pro formali ſunt accidentia relativa de prædicamento ubi; ſubſtantia verò ſpiritualis eſt abſolutum de prædicamento ſubſtantiæ, & fundamentum talium relationum: ſed relationes ſunt poſteriores fundamentô, & terminô: Ergo Loca diffinitiva ſunt poſteriora ſubſtantiâ ſpirituali.

6. *Thomiſtarũ implicantiæ putatitiæ afferuntur.*

Objiciunt Thomiſtæ varias implicantias, quas putant ſequi ex prima parte concluſionis. *Primò* dicunt, ſi unum corpus poſſet circumſcriptivè eſſe ſimul in pluribus Locis; poſſet eſſe in infinitis, & ubique; & ſic fieret immenſum, ſicut DEUS: nam ſi poſſibile eſt eſſe in duobus, & pluribus; etiam poſſibile eſt eſſe ubique: ſed hæc eſt implicantia aperta: Ergo &c. *Secundò*, ſi idem corpus replicaretur ad duo Loca, primus Locus adæquatè circumſcriberet tale corpus; & non circumſcriberet adæquatè; quia admittit adhuc ſecundum Locum circumſcriptivum: ſed hæc eſt rurſus implicantia quædam: Ergo &c. *Tertiò*: ex poſitione ejuſdem corporis in duobus Locis circumſcriptivè ſequeretur, illud corpus eſſe indiviſum; & diviſum à ſeipſo; eſſet indiviſum; quia ex ſe unum: eſſet etiam diviſum; quia diſtaret à ſeipſo: ſed hæc eſt pariter implicantia: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* hanc implicantiam retorqueri poſſe contra Thomi-
7. *Enodantur.* ſtas, admittentes idem corpus in duobus Locis ſupernaturaliter, & diffinitivè: deinde Neg. Maj. nam infinitum categorematicum repugnat; & ubiquitas, quæ eſt prædicatum DEI, nequit creaturæ communicari, etiam de Potentia abſoluta. Itaque etſi corpus aliquod Divinâ virtute poſſit replicari ad plurima Loca, imò ad omnia, quæ defactò extant numerô finita actu; non tamen ad infinita actu, ob ejus limitationem; neque evaderet immenſum, ſicut DEUS; quia DEI immenſitas eſt per Eſſentiam, & Potentiam; hæc verò corporis replicati eſſet participata, & limitata ad omnia Loca, ſed finita. *Ad Secundum* Neg. Maj. nam adæquatio Loci primi in hoc conſiſtit, ut totum locatum circumſcribat, ita ut nihil ſit corporis, quod â Loco non contineretur; quod fieret in caſu replicationis ejuſdem corporis ad alium quoque Locum; cum hujuſmodi tamen ſua circumſcriptione permittit, ut idem corpus ab alio quoque Loco ſic iterato circumſcribatur; ſicut Locus cæli circumſcriptivus Corporis Chriſti, non obſtante quòd ſit adæquatus, adhuc permittit, ut idem Corpus ſacramentaliter locetur ſub hoſtijs conſecratis. *Ad Tertium* dico primò, quòd hæc implicantia etiam militet contra poſitionem Corporis Chriſti in duobus Locis, uno circumſcriptivè, & altero diſfinitivè; quam tamen concedunt Thomiſtæ. Deinde Neg. Maj. nam cùm tale corpus replicatum adhuc retineat eandem entitatem intrinſecam; propterea nô cenſetur eſſe diviſum, & indiviſum; ſed ſimpliciter indiviſum entitativè; diviſum verò localiter, ſeu habens plures relationes ubicationis, ſeu præſentiæ.

Objiciunt ſecundò ijdem AA. varia abſurda, quæ imaginantur ſequi ex con-
8. *Varia putatitia abſurda Thomiſtica proponuntur.* cluſione: *Primò* ſequeretur, inquiunt, quòd idem corpus eſſet ſimul frigidum, & calidum, ex ſuppoſitione quòd replicaretur ad Locum calidum, & frigidum: ſed hoc eſt abſurdum: Ergo &c. *Secundò* ſequeretur, quòd idem corpus eſſet eſuriens, & ſaturatum: ſaturatum ex ſuppoſitione, quòd in uno aſſumpſiſſet cibum; eſuriens verò ex ſuppoſitione quòd in alio Loco replicationis cibô careret: ſed hoc eſt abſurdum: Brgo &c. *Tertiò* ſequeretur, quòd idem corpus eſſet ſanum, & infirmum: infirmum, ſi locaretur in aëre peſtilenti; ſanum ſi locaretur in Loco puri aëris: ſed & hoc eſt abſurdum: Ergo &c. *Quartò* ſequeretur, idem corpus ſimul vivere, & mori, ſcilicet in Loco Romano, vivere, & in Loco Pragenſi mori: ſed hoc eſt abſurdum: Ergo &c. *Quintò* ſequeretur, quòd poſſet ſimul ſalvari, & damnari; mereri, & demereri ex ſuppoſitione replicationis ad duo Loca; in uno poſſet conteri, & confiteri; ſicque ſalvari; in altero verò negligere contritionem, & confeſſionem, atque ita damnari; in uno occaſionem merendi arripere, & ſic mereri, in altero conſentire peccato oblato, & ſic demereti: ſed hæc omnia ſunt pariter abſurda: Ergo &c. *Sextò* ſequeretur, quòd quis Pragæ poſſit vulnerari ab hoſte obſidente urbem; & Niſſæ non, defectu hoſtis vulnerantis; ſed hoc eſt ſimiliter abſurdum: Ergo &c. *Septimò* ſequeretur, eundem hominem poſſe integrum exercitum conflare per ſui replicationem; item ſecum ducere choræas: ſibi occurrere, quô caſu difficile eſt divinari, an ſeipſum expelleret ab eodem ubi, vel potiùs ſeipſum penetraret: item eadem gutta aquæ poſſet toties replicari, ut tandem conficeret integrum mare, ita intumeſcens, ut totum mundum ſubmergeret; quo caſu tota machina Orbis ab una gutta aquæ ſubmergeretur: item ſequeretur quod ſuper talem guttam replicatam bellum navale confici poſſit; quæ omnia ſunt abſurda: Ergo &c.

Reſpondeo: hæc, & ſimilia â Thomi- 9. *Eadem diſcutiuntur.*
ſtis imaginata nullô modô ſequi ex concluſione; & ab eis propterea ita concipi, quia imaginationem ſenſui innixam ſequuntur, qui eſt aſſvetus corporibus in uno duntaxat Loco exiſtentibus: at â Scotiſtis rationem attendentibus facilè intelliguntur; pro quorum proinde reſolutione ſtatuunt cum Scoto certas regulas, clarè indicantes, quaſnam formas corpus replicatum habere poſſit. Unde

Ad Primum Neg. ſequelam Maj. nam 10.
pro regula generali veridica ſtatuitur hic *Variæ regulæ generales bene notandæ pro ſ..o Scoti.*
â Scoto *4. diſt. 10. q. 2.* & Scotiſtis, quòd *ad plurificationem Loci non plurificetur; nec augeatur virtus activa, vel paſſiva ejuſdem corporis replicati ad plura Loca ſed manet eadem;* Ratio eſt, quia neutra virtus pendet â Loco, & eſt eſſentialiter prior Locô; ac proinde non variatur ad variationem Loci, ſed ineſt, locato uniformiter: unde

unde in caſu replicationis ejuſdem corporis ad duo Loca unum calidum, alterum frigidum, virtus paſſiva illius corporis non plurificatur, vel augetur, ita ut calorem, & frigus ſimul recipere valeat in diverſis Locis; quia nec in uno Loco utrũque ſimul recipere poteſt: reciperet ergo in uno Loco v. g. Pragenſi vel calorem ſolum, vel frigus ſolum, juxta prædominium cauſæ efficientis introducentis has qualitates, & talis calor, vel frigus receptum replicaretur à DEO in corpore poſito in Loco Romano; ac proinde in utroque Loco eſſet corpus calidum tantùm.

Ad Secundum Neg. Sequelam Maj. quia eſt rurſus regula generalis fundamentalis Scoti *cit. loc.* & Scotiſtarum hìc, quòd *formas abſolutas, & à Loco non dependentes corpus replicatum recipiat in utroque Loco*; Ratio eſt; quia una eſt ejus potentia paſſiva in quocunque Loco ponatur; adeoque eaſdem formas abſolutas ubique recipit: unde in caſu replicationis ejuſdem corporis ad duo Loca, in quorum uno eſſet cibus, & in altero non, illud corpus comedens in uno, utrobique eſſet ſaturatum; quia fames, & ſaturitas ſunt formæ abſolutæ, quæ corpus replicatum, ubique concomitantur.

Ad Tertium Neg. Sequelam Maj. ob rationem modò allatam; nam ſanitas, & infirmitas oriuntur ex temperamento primarum qualitatum non alteratarum; unde pariter ſunt formæ abſolutæ, ſimpliciter à Loco non dependentes; & ſic in caſu replicationis ejuſdem corporis ad aërem peſtilentem, & ad purum illud erit in utroque vel ſanum tantùm, vel infirmum tantùm, juxta prædominium hujus, vel illius aëris; vel ſi neuter aër prædominium in corpore replicato exercere queat, uterque aget ad effectum quemdam medium; & ſic illud corpus nec erit ſanum, nec infirmum perfectè.

Ad Quartum Neg. ſequelam Maj. nam eſt iterum regula generalis veriſſima Scoti *loc. cit.* & Scotiſtarum; *quòd ea, quæ ut priora præcedunt Locum, conveniant uniformiter & eodem modo corpori locato in cunctis Locis, in quibus exiſtit, ſicut ſi exiſteret in uno tantùm*: Ratio eſt; quia priùs non variatur, nec multiplicatur ad variationem, & multiplicationem poſterioris: unde in caſu replicationis unius corporis ad ubi Pragenſe, & Romanum, ipſum in utroque vivet; quia vita præcedit Locum, & conſequenter ei convenit in utroque Loco.

Ad Quintum Neg. Sequelam Maj. quia rurſus extat regula generalis vera Scoti *loc. cit.* & Scholæ Scotiſticæ, quod *corpus replicatum ea, quæ activè agit, & operatur in uno Loco, pariter & in alio operetur: & non aliter.* Ratio eſt; quia in utroque pollet eâdem virtute, & potentiâ. Unde in caſu replicationis unius corporis ad plura Loca; ſi conteratur in uno, vel confiteatur, conteretur, & confitebitur etiam in aliis; item ſi mereatur in uno, in aliis quoque merebitur; ſiquidem habet unum idemque principium merendi, & demerendi utrobique, ſcilicet voluntatem.

Ad Sextum Neg. Sequelam Maj. & dico cum Scoto *4. diſt. 10. q. 2. n. 17.* cùm vulneratio dicat diviſionem alicujus continui ſcilicet carnis, ſeu diviſionem partium corporis, quæ eſt à Loco independens, idcirco ſi corpus Pragæ vulneretur, etiam Niſſæ vulneratum apparebit; ob regulam generalem datam *in reſponſione ad ſecundum*, nam partes diſcontinuatæ ſunt independentes à Loco.

Ad Septimum Neg. *primam* ſequelam, & dico in caſu, quô idem homo ita replicaretur, ut conflare videretur totum exercitum, non propterea augeretur virtus ejus activa, nec intenſivè, nec extenſivè; per regulam generalem datam *ad ſolutionem Primi*: ſed ſolùm majorem Locum occuparet; & ſolas plures præſentias cauſaret; unde exercitum propriè dictum nõ conſtitueret: in hoc enim multiplicatæ virtutes arma gerendi reperiri debent. *Ad ſecundam Sequelam* dici poteſt, ſecundùm regulam datam *in ſolutione Quinti*, quod ſicut corpus in uno Loco non poteſt operari, choreas ſecum ducere, & ſibi ipſi occurrere; ita pariter in caſu replicationis ad duo Loca propriè ſecum choreas ducere, & occurrere non poſſet; ad hos enim motus requiritur plurificatio ſubſtantialis corporum. *Ad Tertiam Sequelam* dico; in caſu replicationis unius guttæ aquæ in mare integrum, non poſſe ſequi ſubmerſionem mundi, aut navalem pugnam ſuper eam; quia ad hæc requiritur ſubſtantialis multiplicatio aquæ, quæ in caſu replicationis non fit; ut infrà dicetur; & aliunde vires, & virtutes corporis replicati non creſcunt, nec plurificantur ad plurificationem Loci, ut dicit regula generalis ſuprà *pro reſolutionene Primi* adducta.

11. *Alia rurſus regula Scotiſtica gener.* Nota primò: præter regulas jam inter reſolvendum aſſignatas pro dignoſcendis formis corporis replicati, addi adhuc ſequentem ex Scoto *loco cit.* quòd nimirum *ea, quæ ſunt poſteriora, vel ſimul naturâ cum ipſo Loco, ac ab eo dependeant in eſſe, & conſervari varientur ad variationem Loci.* Ratio primi petitur ex natura dependentiæ, quæ facit, ut unô mutatô, & aliud mutetur; ut patet in relationibus, quæ quâ dependentes â fundamento, & termino mutantur ijs mutatis; unde circa idem corpus replicatum variantur relationes â Loco dependentes, dum Locus variatur. Ratio ſecundi eſt; quia quæ ſunt ſimul, ita ſe habent, ut unô poſitô ponatur; & unô demptô & reliquum demi neceſsè ſit. Unde ſi Plato ſe moveat â Loco Athenarum ad Locum Thebarum, variatô ejus Locô variatur relatio ejus ad tales partes Univerſi, quàm ſimul naturâ habuit cum Loco Athenarum. Circa alterum articulum hujus quæſtionis

Nota ſecundò: oriri controverſiam inter DD. qualis ſit illa actio replicativa, quâ DEUS ponit unum corpus in pluribus Locis. Moriſan. Conin. &c. docent, quòd ſit actio ſubſtantialis, quâ ſæpiùs in illis Locis reproduceretur ſubſtantia corporis locati. Sed

12. *Actio replicativa eſt tantùm adductiva corporis replicati.* Dico quartò: actio replicativa alicujus corporis eſt tantùm actio ſimplex adductiva ejus, qua in eodem corpore producuntur tantùm plures præſentiæ locales. Ita Scotus *4. diſt. 10. q. 2.* & eſt communis Scholaſticorum antiquorum, & Scotiſtarum.

Probatur: actio replicativa alicujus corporis in pluribus Locis nequit eſſe ſubſtantialis iterata reproductio ejuſdem: Ergo eſt tantùm adductio ejus, quâ plures præſentiæ locales in ipſo producuntur. Prob. Ant. tum quia nequit propriè exerceri ſubſtantialis reproductio rei, niſi priùs corrumpatur res: ſed corpus replicatum ad plura ubi antè replicationem â DEO non corrumpitur: Ergo nequit circa ipſum exerceri ſubſtantialis aliqua reproductio. Tum quia productio ſubſtantialis ex communi ſenſu DD. importat relationem ad non eſſe immediatè præcedens rei ſubſtantialis productæ, ut patet de productione plantæ, vel hominis: Ergo etiam reproductio diceret talem relationem: ſed hoc eſt falſum: Ergo &c. Præterea actio, quâ Corpus Chriſti ponitur ſupernaturaliter ſub ſpeciebus conſecratis, non eſt actio ſubſtantialis reproductiva ejus; ſed tantùm adductiva, ut ex profeſſo doceo pluribus *tom. 3. Schol. Theolog. tract. de Sacramentis diſt. 4. q. 23.* & quia alias Sacerdotes conſecrantes poſſent dici Patres Chriſti; cùm ei conferrent eſſe ſubſtantiale; quod videtur abſurdum: Ergo idem dicendum de actione replicativâ, quâ corpus aliquod poneretur in pluribut Locis.

Objicies: corpus replicatum ad tria Loca, & poſtea deſinens in duobus, deſinit diverſis deſitionibus ſubſtantialibus. Reſpondeo Neg. Ant. nam in illis duobus Locis deſineret tantùm deſitione accidentali, quatenus nimirum amitteret duas præſentias locales, quæ ſunt accidentia. 13. *Objectum expenditur.*

QUÆSTIO VII.

Utrum poſſit aliqua creatura produci abſque ullo Loco? & de Locis imaginariis.

AFfirmat P. Poncius, Lamazar. Vaſq. & Moncæus: ſed ego dico primò: an poſſit â DEO creari aliqua creatura abſque ullo ubi, quæ eſſet, & nullibi eſſet præſentialiter, eſto problema. Eſt conformis Doctoris principiis *2. diſt. 2. quæſt. 6.*

Probatur una pars, quòd poſſit, ratione Scoti; omne abſolutum priùs aliô abſolutô, & ab eo realiter diſtinctum poteſt eſſe ſinè omni alio poſteriori: ſed creatura eſt prior omni corpore locante, ut abſolutô, & ab eo realiter diſtincta: Ergo poterit ſinè illo eſſe. 1. *Suſtinetur una pars problematis, quòd poſſit creari creatura abſque ullo ubi.*

Dices duo alba non poſſunt eſſe ſinè ſimilitudine, licèt ſint priora & diſtincta: Ergo non valet major aſſumpta. Reſpondeo Neg. Ant. quia duo alba ſunt entitates relativæ, fundantes neceſſariò ſimilitudinem; quod non eſt verum de quocunque corpore poſito ſinè ubi vel Loco.

Probatur ſecundò: ubicatio non eſt de intrinſeco conceptu ſeu conſtitutione rei; Ergo eâ ablatâ non ſequitur rem debere perire. Confirmatur: Sol poteſt eſſe divinitùs ſinè luce, ignis ſinè calore: Ergo & res ſinè ubi.

Dices, quod nullibi eſt, eſt nihil: ſed hæc creatura nullibi eſſet: Ergo eſſet nihil. Reſpondeo Neg. Maj. quia DEUS ante

ante mundi creationem nullibi fuit; & tamen fuit aliquid.

2. *Suſtinetur & altera negativa.*

Probatur altera pars problematis, quòd non poſſit: non poteſt res produci ſinè duratione: Ergo nec ſinè Loco, vel ubicatione. Conſequentia tenet; quia tam neceſſaria eſt connexio rei cum ubicatione aliqua; ac cum duratione: Ergo &c.

Probatur ſecundò; correlativa nequeunt eſſe ſinè correlatione etiam de potentia abſoluta, ſeu relatio ſinè termino: ſed creatura, & ſubſtantia DEI ubique diffuſa ſunt duo correlativa: Ergo ſemper dicent aliquam correlationem ad invicem. Subſumo, ſed illa erit relatio coëxiſtentiæ, ſeu alicujus ubi, quæ ſubjectatur in creatura, & terminatur ad ſubſtantiam DEI: Ergo &c. Itaque licet creatura poſſit eſſe diſtributivè ſinè hoc, vel illo ubi, aut Loco; non tamen collectivè; quia ſemper ſibi aliquod vagè determinat, per quod dicatur præſens ſubſtantiæ Divinæ: unde bene dicit Ariſtoteles 4. *Phyſic. cap. 1. quidquid eſt, alicubi eſt*: non enim poteſt aſſignari, ubinam poneretur talis creatura, nam non poneretur in imaginariis ſpaciis; cùm hæc non dentur. Utraque pars probabilis eſt; ſecunda probabilior.

3. *Diſtincta ſunt præſentia ſubſtantiarum, & accidentiũ.*

Quæres primò: an ſubſtantia corporea cum ſuis accidentibus ſit per unam præſentiam localem in Loco, vel per plures? Reſpondeo probabiliter tam partes ſubſtantiales, quàm accidentales abſolutas habere ab invicem diſtinctas præſentias. Ratio eſt; quia poteſt DEUS accidentia à ſubſtantia ſeparare, & tunc illa, & hæc exiſtent in Loco diſtincto: Ergo & dum uniuntur.

Dices ſuperfluit omnis alia præſentia accidentium; quia per præſentiam ſubſtantiæ accidentia exiſtere poterunt. Reſpondeo Neg. Aſſumptum; quia cùm entitates iſtæ diviſibiles ſint à ſe invicem; ſuas proprias præſentias habere debent.

4. *Duabus replicis obviatur.*

Dices: omnes partes, & accidentia ſubſtantiæ ſunt quanta unicâ quantitate: Ergo & locata unicâ præſentiâ. Reſpondeo Neg. Conſeq. quia plures quantitates ſunt incompatibiles in ſubſtantia, & accidentibus propter impenetrabilitatem; at non plures præſentiæ.

Quæres ſecundò: quænam ſit cauſa ubicationum productiva? Reſpondeo quod ipſæmet entitates ubicatæ & locatæ. Ratio eſt; quia iſtæ entitates habent ſufficientem activitatem producendi has ubicationes: Ergo hæc ipſis denegari non debet. Idem judicium eſto de conſervatione earundem. Circa alterum arculum quæſtionis

Nota: quòd Hurtado, Molina, Svar. & alii RR. aſſerant, extra mundum dari Loca quædam Vacua, quæ *ſpacia imaginaria* appellant; & variant mirabiliter circa naturam horum ſpaciorum explicandam. Aliqui putant eſſe vera loca realia poſitiva, capacia recipiendi aliqua alia corpora exiſtentia extra cælum. Alii dicunt ècontra eſſe pura entia rationis; alii aliquas negationes; ſed quæſtio multùm nominis habet; proinde

5. *Non extant ulla ſpacia imaginaria.*

Dico ſecundò: nòn ſunt admittenda extra Cælum Empyreum aliqua Loca, ſeu ſpacia imaginaria, quæ verè ſint entia realia poſitiva defactò; bene tamen de poſſibili talia poſſunt dari. Colligitur ex Scoto *1. diſt. 33. quæſt. un.* S. Bonavent. Richard. &c.

Probatur primò authoritate Philoſophi *1. Cæli tex. 99.* dicentis; *manifeſtum eſt, extra cælum quod neque Locus, neque vacuum, neque tempus eſt*: Ergo &c.

Probatur ſecundò: quia nulla experientia, ratio, vel Fidei articulus hujuſmodi ſpacia dari actu ſvadet: Ergo &c. Cum hoc tamen ſtat, quòd intellectualiter nobis imaginari poſſimus vaſtas aliquas vacuitates extra mundum totum, eô modô, quô imaginamur nobis vaſtum aliquod chaos, vel ſpacium fuiſſe, ubi modò eſt mundus; actu tamen hujuſmodi non datur; ſicut nec ſpacium illud fuit, ubi modò mundus eſt.

6. *Replica enodatur.*

Dices: poſſet Angelus ſe ponere ad ultimam ſuperficiem Cæli Empyrei; & tunc haſtam ſurſum extrudere, quæ ſinè dubio tunc erit in aliquo Loco, & ſpacio reali: Ergo dantur hujuſmodi ſpacia actu. Reſpondeo Neg. Ant. nullum enim hujuſmodi motum Angelus defactò facere poſſet; niſi DEUS priùs crearet ſpacium, vel Locum, in quo fieret ille motus, motus enim nequit fieri, niſi in ſpacio, vel repleto, vel vacuo ad minùs; reali tamen, & reali ſuperficie circumſcripto.

7. *In ſpacijs imaginarijs, ſi darentur, DEUS eſſet diffuſus.*

Dico tertiò: ſi darentur hujuſmodi Imaginaria ſpacia, DEUS per omnia illa eſſet diffuſus ſecundùm Subſtantiam ſuam. Eſt in re communis.

Probatur ex SS. PP. qui ex illo S. Scripturæ *3. Reg. 8. Cælum, & cæli cælorum te non capiunt.* Et Job 11. *excelſior cælo eſt*, colligunt

DEUM etiam in omnibus poſſibilibus entibus reperiri, ſaltèm per aptitudinem: Ergo à fortiori reperiretur in his ſpaciis, ſi darentur. Ita ſentiunt S.Greg. *lib. 10. Moralium.* S. Auguſt. *tom. 4. lib. de Divina Eſſentia* &c.

8. *Inſtantia quadam adverſar. diluuntur.* Dices primò: ex allegato Scripturæ textu videtur colligi, quòd etiam de facto dentur Spacia Imaginaria, quibus DEUS actu adeſt: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. per dictas enim authoritates ſolùm explicatur, & exprimitur immenſitas Dei, & aptitudo ad eſſendum in talibus Locis, ſi darentur; ita intelligunt Ven. Beda, & Hieronymus.

Dices ſecundò: ſaltèm ante Mundi fabricationem fuerunt hujuſmodi ſpacia, in quibus DEUS erat diffuſus; aliàs ubi fuiſſet? Reſpondeo Neg. Ant. & ad interrogationem, quæ eſt Manichæorum hæreticorum, reſpondet D. Auguſt. *lib. de Fide, contra Manichæos cap. 35. quæris*, inquit, *antequam DEUS cælum, & terram crearet, ubi erat, aut ubi habitabat? reſpondeo quod in ſe, & apud ſe habitabat.*

Si Adverſarii intelligant per Spacia Imaginaria negationes omnium corporum extra cælum ultimum, uti ſentiunt multi; poteſt concedi, DEUM de facto eſſe in Spaciis Imaginariis; quia eſt præſens illis negationibus, utpote entibus aliquomodo realibus.

DISTINCTIO XV.
DE VACUO.

Prænotatio.

POſt Loci explicationem, rectè agitur de Vacuo, utpote quod Loco opponitur; eſt enim carentia quadam ſuperficiei ambientis locatum, ſeu Loci materialis. De Vacuo plura extant apud AA. ego quæ conſideratione digna de eo judicavero, præſenti diſtinctione proferam. Unde eſto

QUÆSTIO I.
De quidditate, & poſſibilitate Vacui, ac mediis illud naturaliter impediendi.

1. *Vacui acceptiones.* NOta primò: Ly *Vacuum* triplicem habet acceptionem. *Primò* enim capitur pro quodam inani, ſeu fictitio ſpacio extra Sphæram Univerſi; hoc ſenſu quidam AA. putant extra cælum ultimũ continens totam creaturarum collectionem, dari Vacuum quoddam, id eſt ſpacium Imaginarium. *Secundò* accipitur pro carentia corporum ſolidorum, opacorũ, & ſenſibilium; hoc ſenſu Eccleſia aliqua dicitur vacua, quando ab ea abſunt omnes homines; ſic etiam ſacculus dicitur vacuus, quando in eo nulli ampliùs continentur nummi, etſi adſit in utroque corpus fluidum, & diaphanum aëris. *Tertiò* ſumitur pro carentia omnis omninò corporis contenti, vel locati; tale eſſet, ſi v. g. inter concavum Lunæ, & terram elementa aëris, ignis, aquæ, & in eis contenta corpora annihilarentur; & in hac acceptione quæ propria eſt, & ad propoſitum, procedit hæc Diſtinctio.

Dico primò: rectè deſcribitur Vacuum propriè dictum, quòd *ſit locus carens corpore; aptus tamen repleri.* Ita Philoſophus *4. Phyſic. cap. 7. tex. 60.* & ſequitur Scotus *4. diſt. 49. q. 6.* ac communis Scholaſticorum. 2. *Deſcriptio Vacui.*

Probatur: hac deſcriptione aptè exprimitur natura Vacui propriè dicti: Ergo &c. Ly *Locus* eſt genus: & accipitur non formaliter; ſed materialiter, ſcilicet pro ſuperficie: reliqua ponuntur pro differentia. Ly *carens corpore*, accipiendum eſt generaliter, ut dicit carentiam omnis prorſus corporis quantitativi, ſolidi, & fluidi; & per hoc diſcriminatur Vacuum propriè dictum à Vacuo impropriè dicto, quod

quod ſaltèm admittit præſentiam aliquorum corporum fluidorum, & ſubtilium. Ly *aptus tamen repleri*, apponitur ad majorem elucidationem carentiæ, quam dicit Vacuum, quod ipſa nimirum non ſit ſimplex negatio; ſed carentia aptitudinem ſubjecti concernens.

3. *Spectando vires naturæ abſolutè poſſibile eſt Vacuum naturaliter.*

Dico ſecundò: ſpectando ſimpliciter, & abſolutè naturæ vires poſſet naturaliter dari Vacuum; ſpectando tamen eas, ut defactò ſubſunt Divino Decreto, non datur, nec dabitur unquam. Prima pars eſt Scoti *4. diſt. 43. q. 5.* & ſequuntur Smiſing, Maſtrius, Sulmon. Catharen. &c. contra Fuente, & Poncium; quibus adhærent Complut. & Conimbric. ſecunda pars colligitur ex Scoto *2. diſt. 2. q. 12. ſub litt. C.* & *3. diſt. 27. quæſt. un. ſub F.* & ſequuntur Smiſing, Maſtrius, Monturſius, Sulmon. & alii Scotiſtæ, & ex forenſibus Averſa, Moriſan. contra veteres Philoſophos quoſdam, quos refutat Philoſophus, & Scotus *4. diſt. 49. q. 16.*

Probatur prima pars: aliquis Angelus de ſupremo ordine cæleſtis hierarchiæ pollens perfectâ activitate, & expeditâ potentiâ loco motivâ poſſet ſpectatis ſuis viribus naturaliter expellere totum aërem ex aliqua Eccleſia, & impedire, ne ullus alius aër eò ampliùs ingrederetur; hoc enim non videtur eſſe contra ejus potentiam; cùm totum elementum aëris poſſit commovere; & alia majora efficere: ſed in tali caſu daretur naturaliter Vacuum: Ergo ſpectando ſimpliciter, & abſolutè naturæ vires poſſet naturaliter dari Vacuum.

Objicies: ſi ſpectando vires naturæ poſſet naturaliter dari Vacuum, natura non abhorreret Vacuum: ſed natura illud abhorret; ut patet in vino aſcendente per extractorium canalem, ſeu fiſtulam, ut impediat Vacuum illius inſtrumenti, poſt aërem ore extractum: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Maj. nam â compluribus operibus natura abhorret; ut patet de potione amara ſumenda &c. & tamen ad ea habet vires ſufficientes.

4. *Ob ordinationem tamen authoris naturæ naturaliter non datur.*

Probatur ſecunda pars primò: Decretum DEI poſitum pro natura non poteſt â natura, vel cauſis ſecundis perverti, aut infringi: ſed DEUS poſuit decretum defactò de impediendo Vacuo: Ergo hoc â natura per vires congenitas non poteſt perverti, aut infringi; & conſequenter ſpectando vires naturæ, ut ſubſunt Decreto Divino, non datur, nec dabitur unquam. Probat. Min. DEUS condidit, totam ſphæram elementorum, & Univerſi contiguam; ut patet ex illo D. Auguſtini *8. de Civit. DEI, cap. 21. elementorum concatenata, & colligata ſeries extat*; & ſuô æternô Decretô decrevit illum ſic contiguam conſervare, quia talis contiguitas corporum hujus Univerſi valde neceſſaria eſt ad conſervationem naturalem rerum creatarum, maximè ſublunarium, ut ſcilicet influentiæ cælorum in ea meliùs fieri poſſint; quæ abſque contiguitate non ita exercerentur; unde rectè Philoſophus *1. Metaph. cap. 1. oportet mundum hunc inferiorem contiguum eſſe lationibus ſuperioribus, ut inde regatur, & gubernetur: & propterea natura abhorret Vacuum*, ut intrà oſtendetur: Ergo DEUS poſuit Decretum defactò de impediendo Vacuo.

Probatur ſecundò: variis experientiis conſtat, naturam abhorrere Vacuum, ac ad ejus impeditionem ſibi, ſuæque inclinationi propriæ ita vim facere, dum imminet Vacui periculum, ut gravia faciat aſcendere ſurſum, & levia deorſum: ſic videmus in canali, ſeu fiſtula extractoria vini immerſa in vas vini, & attracto ex ea toto aëre intus latitante, vinum grave ex viſceribus vaſis aſcendere contra ſuam naturalem inclinationem ad impepiendum Vacuum: ſic pariter cucurbitulæ carnem, cui applicantur, ſurſum attrahunt, dum aër, qui ignis virtute fuerat rarefactus, extinctâ flammâ condenſatur, & minorem in locum contrahitur, efficeretque Vacuum, niſi caro intumeſceret: ſic etiam follium latera diduci, & elevari non poſſunt, quàm diu orificiô clauſô aëris ingreſſus prohibetur; quia aliâs eis deductis, & elevatis Vacuum in ipſis daretur: ſic ſimiliter bombardæ ſolidiſſimæ exploſæ quandoque diſrumpuntur, dum videlicet ignis tanto impetu erumpit, ut æquali celeritate ſubitò aër ſufficiens in ejus locum ſubintrare nô valeat: ſic quoque ex lagena conſtante orificiô anguſtiori inverſa non effluit contenta aqua, quando orificium ſubitò invertitur: ſic etiam ex lucerna inſtar turris constructa oleum non effluit per canalem inferiorem, niſi in ſuperiori ejus parte aperiatur aliquod foramen, per quod aër ingredi, & ſuccedere poſſit partibus olei effluentis: ſic tandem ſi orificium alicujus phialæ caleſiat, & conſequenter aër in ea contentus, ponaturque dictum orificium ſuper aquam

5. *Roboratur concluſio variis experientiis.*

aquam contentam in aliqua pelvi ita, ut aër ingredi nequeat; aqua aſcendet, & intumeſcet ad Vacuum impediendū, quod ibidem daretur propter frigiditatem, quâ aër condenſatur, & minorem locum occupat: & ſi dictum orificium calefactum phyalæ applicaretur corpori ſolido perfectè pleno, ut aër ingredi nequeat, potius rumperetur, quàm Vacuum permittat, ob aëris condenſationem: quæ & plures aliæ experientiæ naturæ horrorem à Vacuo, ejuſque impoſſibilitatem naturalem probant, ſtante DEI Decreto præſenti, quo naturæ horrorem præfatum implantavit: Ergo &c.

6. *Experientiæ in contrarium afferuntur.* Objicies contra hanc partem varias experientias ſvadentes exiſtentiam Vacui de facto. *Primò*, ponamus duas tabulas perfectè planas ſibi conjunctas, hæ ſeparentur in inſtanti, tunc inter eas dabitur Vacuum; quia tam ſubitò, & in momento nequit ſubintrare aër replens illud ſpacium: Ergo &c. *Secundò*: ponamus vas metallicum ex ære ſecundùm omnes ſui partes æquè compactum, ita ut nullô modô aër poſſit intrare, impleatur deinde aquâ calidâ, & perfectè obduretur orificium ejus, & exponatur rigidiſſimo frigori; tunc congelabitur aqua calida ob illud frigus; & conſequenter ratione conſtrictionis dabitur Vacuum: Ergo &c. *Tertiò*: omnes orbes machinæ cæleſtis ſunt figuræ rotundæ ſeu ſphæricæ, exceptô cælô Empyreô, ſeu Sede Beatorum, quæ obtinet figuram quadratam, juxta illud Apoc. 21. *Civitas in quadro poſita*: Ergo inter illud cælum, & reliquos inferiores orbes eſt quoddam Vacuum naturaliter. *Quartò*: conſtruatur lucerna in modum turris, ita ut in eam aër introire nequeat, hujus flamma ſenſim abſumet notabiles partes olei: Ergo in loco illarum partium cauſatur Vacuum.

7. *Quæ diſcutiuntur.* Reſpondeo *ad Primum*: tales tabulas non poſſe ſeparari in inſtanti ſecundùm omnes partes, ſed ſecundùm aliquam partem priùs ſeparabuntur; ita ut detur aëri tempus ad ſubintrandum, & replendum illud ſpacium: quod in ſimili docet alia experientia, quando nimirum aliquam tabulam aquæ innatantem elevare volumus ſecundùm omnes partes ſimul, tunc maxima aquæ copia ſimul elevatur, quæ recedere noluit antè aëris acceſſum ad ſpacium Vacuum replendū. *Ad Secundum* dico, illam aquam vaſis metallici nunquam fore congelandam ob periculum Vacui, quod Univerſum abhorret; aut ſi congelata fuerit, tunc orificium vaſis non fuit perfectè obturatum. *Ad Tertium* poteſt dici, Cælum Empyreū ad intrà, ſeu ſecundùm ſuperficiem concavam eſſe quoque figuræ rotundæ, & ſecundùm convexam duntaxat quadratam obtinere figuram: poteſt etiam dici, quod etſi etiam ſecundùm ſuperficiem concavam eſſet quadratæ figuræ, ſpacium tamen interjacens inter eam, & inferiores orbes eſſe forſitan aliquibus corporibus cæleſtibus fluidis repletum inſtar aëris: vel tandem dic illud Vacuum virtute ſupernaturali efformatum, & ſic de factô ſupernaturaliter conſervari, ut ſit receptaculum capax, & ſpacium idoneum SS. Angelorum, & animarum BB. aliquando corporibus reaſſociendarum: nam Vacuum poſſe dari virtute ſupernaturali, paulò poſt docebo. *Ad Quartum* dico, in locum partium olei abſumptarum intrare tandem aërem per canalem lychni; unde ſi inclinetur talis lucerna, ut oleum effluat per canalem, auditur quidam fragor, ſeu bombus, qui eſt ſignum ingreſsûs aëris.

Objicit ſpeciales duas experientias quidam nuperus Valerianus Magni Capucinus, tanquam irrefragabilia argumenta, probativa Vacui naturaliter poſſibilis, etiam ſtante præſenti Decretô DEI: 8. *Speciales duæ experientiæ cujuſdam Valer. Magni.* fumatur, inquit, tubus vitreus duorum cubitorum longus, cujus una extrema pars, habens rationem fundi, ſit vitrô hermetis, id eſt vitrô liquato, vel alio ſolido corpore apprimè obturata; impleatur deinde iſte tubus Mercuriô uſque ad ſummum, & digitô interea obturetur; ſumatur rurſus aliquod vaſculum oblongum, pariter Mercuriô repletum ſed ex parte tantùm, in hoc repente immergatur ille tubus inversô modô, id eſt, ut orificium fiat fundus, cum eminentia quadam extra Mercurium in vaſculo contentum, & factâ immerſione ſubtrahatur ſenſim ab orificio digitus occludés; & experientia dabit, quod Mercurius effluet ad cubitum circiter plus minúſve, juxta elevationem, & eminentiam tubi ex illo vaſculo ſubjecto: ex hoc ſic formatur argumentum: in illo cubito tubi, ex quo defluxit Mercurius, nullum adeſt corpus replens v.g. aër; quia vel hic tranſiret per orificium tubi mercurio vaſculi immerſum; vel per potos: ſed non per orificiū; quia Mercurius circumquaque illud obſidet, & aëris ingreſſum impedit, nec Mer-

Mercurium ipſum pervadit: nec etiam per poros; quia tubus ille, maximè ſi cryſtallinus eſſet, poros non habet; aut ita tenues, ut in momento ſufficiens aër per eos ingredi nequeat ad replendum illam partem cubitalem ſuperiorem tubi evacuatam à Mercurio: Ergo tunc in illo cubito tubi adeſt de facto naturaliter Vacuum: confirmat ſuam opinionem Magni alterâ experientiâ dicens: ſi orificium dicti tubi rurſus digitô obſtruatur, tubuſq; eximatur à vaſculo præfato, & transferatur in aliud vaſculum repletum aquâ hîc removeaturque digitus obturans, ſtatim aqua factâ ſibi viâ per medium Mercurii ſtillatim aſcendit ad ſuperiorem partem tubi vacuam: ex quo ſic diſcurrit *cit.* Author; grave non aſcendit niſi ob metum Vacui: Ergo cùm aqua illa gravis aſcendit, præfuit Vacuum.

9. *Eadem explodunter.* Reſpondeo has experientias, quas ſuum inventum facit Magni, & gloriatur ſe illis coram Rege Poloniæ Vacuum naturale demonſtraſſe, jam pridem fuiſſe objectas à quodam Toricello Florentino; & noſter P. Fraſſen teſtatur *quæſt. 3. de Vacuo*, eaſdem jam pridem ſæpiùs in Pariſienſi Academia fuiſſe evulgatas & examinatas; ſuntque parvi valoris, & Vacui naturalis nullatenus probativæ: nam ad primam dico illum cubitum ſuperiorem tubi, ex quo defluit Mecurius, & apparet vacuus, repleri partim ab aëre, qui tum per poros illius tubi (nam & vitra ſunt ſuô modô poroſa) penetravit, tum per orificium, quod non ita perfectè digitô obturari poteſt, ob manuum inſenſibilem tremulationem; partim verò repletur per evaporata corpuſcula, & tenuiſſimas illius Mercurii partes, quas Mercurius emittit ad illud ſpacium, quod Vacuum apparet; & quia hæc omnia non ſufficiunt ſecundùm ſuam propriam extenſionem ad replendum totaliter illud ſpacium, idcirco tam aër, quàm corpuſcula rareſiunt, ut ita ſe extendant per illud: & ſic evacuata manet prima experientia. Præterea cùm corpora rarefacta propter nimiam ſuarum partium diſtenſionem ſint in proximo periculo ſuæ deſtructionis; propterea illa aqua ingrediens, quæ eſt tenuior Mercuriô, ſtillatim aſcendit per illius ſinuoſitates, ut repleat ſuperiorem tubi partem, & aëri rarefacto ſit in ſubſidium, ad impediendum imminens Vacuum; & ſic iſta experientia eſt potiùs pro Concluſione.

Dico tertiò: DEUS poteſt de Potentia abſoluta efficere aliquod Vacuum propriè dictum. Ita Scotus *Quodlib. 11. art. 2.* & *4. diſt. 43. quæſt. 5.* & ſequuntur Lychet. Gadiu. Tart. Monturl. Colum. Fraſſen &c. Scotiſtæ, contra P. Vulpem, Perrerium, Bannum, Div. Thomam &c. 10. *Deus poteſt facere Vacuum.*

Probatur *primò*: DEUS, qui condidit hoc Univerſum, poteſt etiam illud in aliqua parte rurſus deſtruere, & annihilare omnes cælos inferiores Empyreô; vel totum elementum aëris interjacens inter Elementum ignis, & terræ; in hoc enim nulla videtur implicantia; & quia Potentia DEI eſt infinita: Ergo tunc in præfatis locis efficeret Vacuum. *Secundò*: DEUS poteſt efficere, ut duo corpora ſe penetrent in eodem loco, ut ſuprà oſtendi, & alia opera patrare altioris efficientiæ: Ergo etiam poteſt facere, ut latera iſtius aulæ, vel cellæ diſtent abſque omni corpore replente ſpacium interjacens; quo caſu erit Vacuum propriè dictum. Circa ultimum punctum Quæſt.

Nota ſecundò: naturam impedire Vacuum per viciniora corpora, quando imminet ejus periculum; hoc enim poſtulat connexio Univerſi: fit autem tribus potiſſimum modis. *Primò* per elevationem, aut depreſſionem corporum viciniorum; hôc modô gravia elevantur, & aſcendunt furſum contra ſuam naturalem propenſionem, ut vinum in canali extractorio, immiſſo in dolium vini, & extracto aëre priùs latente in canali; hoc etiam modo levia deprimuntur, & deſcendunt deorſum contra ſuam inclinationem, ut aër deſcendit in aquam, dum ejus ſuperficies, & profunditas aperitur, atque ſcinditur per injectum aliquod corpus, v. g. poſt projectum lapidem in flumen apparent bullulæ ſurſum ſeſe moventes, quæ nihil aliud ſunt, quàm aër locum ſibi naturalem repetens. *Secundò* per condenſationem, vel evaporationem, vel rarefactionem; ut patet in tubo Mercurii ſuprà; ac tandem per fractionem rumpendo ſcilicet latera corporis continentis; uti contingit in bombarda exploſa rupta. *Tertiò* per reſiſtentiam, non permittendo corpus à proprio loco dimoveri; hôc modô reſiſtunt obturatæ folles volenti eas aperire. 11. *Quæ cauſa impedientes Vacuum.*

QUÆSTIO II.

An datò Vacuò poſſit in eo exerceri aliquis motus?

1. *Eſt poſſibilis motus in Vacuo.*

Dico primò: non repugnat motus fieri in Vacuo. Ita Doctor *2. diſt. 2. q. 9.* & ſequuntur Monturſ. Maſtrius, Poncius, Ruvi. D. Thomas &c. contra Albertum, Averſam, Gregor. Arimin. Burlæum, Jandun.

Probatur primò authoritate Philoſophi, qui *1. Cœli ſum. 8. cap. 2.* dicit: ſi forent duo mundi, terra unius mundi cieretur ad terram alterius; inter illos autem mundos interciperetur Vacuum: Ergo in illo Vacuo exerceretur motus.

Probatur ſecundò: ubi datur movens mobile, & extrema, ibi poteſt eſſe motus: ſed in Vacuo, ſi daretur, eſſet movens mobile, & extremum, latus ſcilicet: Ergo &c. Prob. Min. in ſpacio interjecto intra concavum Lunæ, & terræ, ſi eſſet Vacuum, poſſet deſcendere Angelus localiter; quia â pleno non dependet: ſed tunc haberetur movens, puta virtus Angeli ſe impellens, habetur mobile, puta ipſa ſubſtantia Angeli, & extremum, ſuperficies ſcilicet terræ: Ergo &c.

Confirmatur primò ex D. Aug. *11. Confeſſionum* ſtante cælô, adhuc rota figuli moveretur; & tempore Joſue ſtante Sole adhuc cauſæ ſublunares operabantur, Iſraëlitæ enim interficiebant inimicos ſuos; & hoc ideo; quia hujuſmodi actiones non dependebant à motu cæli & Solis: Ergo cùm motus non neceſſariò ſemper dependeat â medio pleno, poterit etiam exerceri in Vacuo, data hypotheſi, quòd detur.

Confirmatur ſecundò: ſi Angelus reſideret in ultima ſphæra cæli, immediatè contigua cum Vacuo, & in Vacuum expoſitam virgam haberet, certè ad motum Angeli cum ſua ſphæra, etiam hæc virga moveretur & non alibi, niſi in Vacuo: Ergo poteſt dari motus localis, ſeu lationis in Vacuo. Idem dicendum de motu progreſſivo animalium, ſi reſpiratio non impediret, uti erit poſt Judicium in corporibus Beatorum.

Confirmatur tertiò: ſaltèm motus augmentationis, & alterationes poſſent fieri in Vacuo, ſi daretur; quia ad locum non terminantur; ſed ad qualitatem, & quantitatem: Ergo &c.

Objicies *primò*: omnis motus ſublunaris pendet â motu cæli & influxu *8. Phyſic. 56.* ſed in Vacuo non poteſt eſſe influxus; quia nullum eſt medium plenum, ibi: Ergo neque motus. *Secundò*. omnis motus debet fieri in loco: ſed in Vacuo nullus eſſet locus: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum*, quòd motus ſublunaris, quoad principalitatē conſervationem, & uniformitatem defactò tantùm pendeat ab influxu, & motu cæli; non verò quoad cauſalitatem, quaſi omnis motus à cælo cauſaretur, etiam qui in Vacuo fieret. *Ad Secundum* dico, quòd licèt motus localis ad ubi locale fieri debeat in pleno; tamen motus lationis ſecundùm totam ſuam realitatem fieri poteſt tam in pleno, quàm in Vacuo; quia per ſe terminus ejus eſt ubi præſentiale tantùm, quod adhuc in Vacuo habetur; quia Divina Subſtantia ibi eſſet diffuſa. 2. *Objecta diſſolvuntur.*

Dico ſecundò: motus ille in Vacuo fieret ſucceſſivè; non inſtantaneè. Ita Doctor *cit.* & *2. diſt. 2. q. 10.* & ſequuntur Columbus, Maſtrius, Bellut. &c. contra Averro. Sveſſan. &c. 3. *Motus in Vacuo fieret ſucceſſivè.*

Prob. ab eodem; ſucceſſio in motu provenit ex reſiſtentia aliqua: ſed in Vacuo datur hujuſmodi reſiſtentia: Ergo & motus erit ſucceſſivus. Prob. Min. licèt reſiſtentia proveniens ex raritate, vel denſitate medii, quæ â Scoto accidentalis dicitur, eò quòd poſſit â motu ſeparari, non ſit in Vacuo; reperitur tamen reſiſtentia eſſentialis, quatenus ſpacium illud, & diſtantia terminorum ſaltèm privativa nequit ſimul pertranſiri; ſed priùs ſecundùm unam partem: Ergo &c. Obſerva autem, quòd hæ duæ reſiſtentiæ diſtinguant, & faciant duos motus, eſſentialem ſcilicet, & accidentalem, taliter denominatos ab iſtis reſiſtentiis.

Confirmatur *primò*: corpus movens ſe in Vacuo non eſt infinitæ virtutis, ut poſſit ſe in inſtanti movere tam procul, & inducere terminum lationis: Ergò ſucceſſivè ſe movet; & cōſequenter motus in Vacuo fieret ſucceſſivè. Confirmatur *ſecundò*: motus cæli eſt ſucceſſivus, quamvis nulla ſit reſiſtentia medii; ſed ſolùm quia adeſt eſſentialis reſiſtentia ex parte termini, & mobilis reſpectu moventis, quod non poteſt ſtatim ultimum terminum ad Quem inducere: Ergo & in Vacuo ſic fieri debet: unde ſi eſſet columna aliqua in Vacuo uſque ad cælum extenſa, & duo lapides ſimul ex illa deſcenderent, unus ex ſumitate, alter ex medio,

ille

ille qui in medio eſſet, priùs deſcenderet, & alter poſteriùs; quod arguit in motu ſucceſſionem manifeſtam.

4. *Ariſtoteles explanatur pro concluſione.* Objicies: Ariſtoteles *4. Phyſic. 65.* demonſtrat Vacuum deſtruere motum: Ergo &c. Quamvis DD. laborent in exponendo Ariſtotele: Reſpondeo tamen, ipſum tantùm locutum fuiſſe ad hominem contra antiquos, qui Vacuum admittebant propter motum localem; & tamen ex alia parte aſſerebant omnem ſucceſſionem provenire ex reſiſtentia medii pleni: contra quos Ariſtoteles *cit.* rectè arguit, quod juxta illos motus fieret in Vacuo in inſtanti; quod impoſſibile eſt, & deſtruit formaliter motum.

Dices: ubi eſt minor reſiſtentia medii velocior eſt motus, & minor eſt ſucceſſio: Ergo in Vacuo ubi nulla eſt reſiſtentia, debet fieri velociſſimus, & in inſtanti. Reſpondeo Diſt. Ant. pro ſecunda parte; eſt minor ſucceſſio, ſi proveniat â reſiſtentia medii Conc. Ant. ſi proveniat â diſtantia terminorum, ſeu reſiſtentia eſſentiali Neg. Ant. in Motu ergo ſucceſſivo Vacui proveniret ex diſtantia terminorum, & virtute limitata mobilis.

DISTINCTIO XVI.

DE DURATIONE RERUM.

Præfatio.

DUratio eſt quoque affectio corporis naturalis, quod durare dicitur, uti & omnes aliæ res naturales; quare de ea non tantùm, ut dicit unam ſpeciem, ſcilicet tempus; ſed tum in communi, tum in particulari, de alijs quoque ſpeciebus ejus hac diſtinctione agam, ut expedita notitia menſurarū ac rerum omnium naturalium habeatur; cùm Philoſophia iſta ordinetur ad SS. Theologiam, faciliùs capeſſendam ex præmiſſis univerſalibus principijs, huic facultati inſervientibus. Quare ſit

QUÆSTIO I.

De quidditate Durationis; & duabus ſpeciebus ejus, æternitate ſcilicet, & ævo.

1. *Durationis uſurpatio.* NOta primò: nomine *Durationis*, ſi vis vocabuli attendatur, intelligitur id, quô res perſiſtit in rerum natura, & propriè dicit quamdam permanentiā rei in ſuo eſſe, ac perſeverantiam in eodem ſtatu: unde Virgilius dixit:

Durate, & vosmet rebus ſervate ſecundis.

Circa autem formalitatem Durationis multæ ſunt opiniones: aliqui tenēt ipſam ſuper exiſtentiam rei addere formaliter rationem menſuræ: ita Thomiſtæ. Complutenſes dicunt eam ſuperaddere modum quemdam. Svar. dicit eam ſuperaddere reſpectum permanentiæ rationis.

Nota ſecundò pro reſolutione: quòd exiſtentia correſpondeat productioni tanquam ejus effectus; & Duratio ſimiliter conſervationi; unde Duratio nil erit aliud, quàm exiſtentia rei continuata, & conſervata; ſicut ergo philoſophamur de conſervatione in ordine ad productionem; ſic etiam philoſophari debemus de Duratione in ordine ad exiſtentiam, ut monet Scotus *2. diſt. 2. q. 1.* quapropter ſicut conſervatio ex impoſitione nominis ſignificat realem dependentiam rei à ſua cauſa; ita dicendum erit de Duratione.

Dico primò: Duratio formaliter nec dicit rationem menſuræ, nec aliquem modum â re diſtinctum, nec negationem deſitionis, nec reſpectum permanentiæ; ſed exiſtentiam rei cum connotato rationis, ſeu reſpectus coëxiſtentiæ alicui Durationi imaginariæ, v. g. tempori. Colligitur ex Scoto *2. diſt. 2. quæſt. 2.* & ſequuntur Baſſol. Maſtr. &c. & explicatur 2. *Duratio nil dicit formaliter menſuram.*

quoad ſecundam partem *de connotato* exemplo; nam quamvis anima Adæ, v. g. & anima D. Franciſci in exiſtentia conveniant; quia una non habet majorem exiſtentiam, quàm altera; cùm ſint illæ exiſtentiæ indiviſibiles; dicimus tamen plus duràſſe animam Adæ ob hoc, quia pluribus partibus temporis, vel alterius imaginariæ Durationis concipitur coëxtitiſſe; quæ coëxiſtentia eſt connotatum rationis.

Probatur prima pars *de menſura*: menſurare eſt intellectum certificare de quantitate ignota; adeoque menſura dicit ſemper ordinem ad intellectum, ſive menſura conſideretur actualirer, ſive aptitudinaliter; ſed res durans formaliter non dicit ordinem ad intellectum: Ergo Duratio non dicit formaliter rationem menſuræ. Probat. Min. accidit rei duranti, quòd unus intellectus ſit certus vel incertus de Duratione ipſius: Ergo res durans formaliter non dicit ordinem ad intellectum.

3. *Nec modum diſtinctum à re.*

Probatur ſecunda pars *de modo*: quod DEUS poteſt facere pro uno ſolo inſtanti ſinè alio, poteſt etiam conſervare tempore ſequenti ſinè illo; cùm non minor ſit Potentia DEI pro ſequenti; quàm pro primo inſtanti: Ergo ſi Duratio formaliter diceret modum diſtinctum â re; cùm res iſtô modô ſit prior, pro aliquo inſtanti poſſet eſſe ſinè Duratione, quod implicat; imò toto tempore ſequenti de Potentia abſoluta; & ſic duraret, & non duraret: Ergo non dicit talem modum diſtinctum.

4. *Nec negationem, vel reſpectum rationis.*

Probatur tertia pars *de negatione*: negationis eſt affirmatio: Ergo ſi Duratio conſiſtit in negatione deſitionis, idem erit dicere, quòd conſiſtat in exiſtentia; quia negatio deſitionis rei eſt exiſtentia rei; & ſic coincident cum concluſione adverſarii: & non docebunt aliquid novi, quod Duratio in aliquo negativo diſtincto ab Exiſtentia conſiſtat.

Probatur quarta pars *de ſola reſpectu* permanentiæ rationis quia Duratio eſt quid reale; ille autem reſpectus eſt quid rationis: Ergo Duratio formaliter non dicit reſpectum permanentiæ. Hanc tamen partem ſat probabilem, judicat Scotus, & modum eam tuendi inſinuabo in explicatione definitionis æternitatis. Ex his manet ultima pars concluſionis probata, nam nihil congruentiùs dicere poteſt formaliter Duratio, quam exiſtentiam rei cum connotato rationis; ut patet ex refutatione dictarum Sententiarum: Ergo &c. Confirmatur, quia nullum ſignum diſtinctionis realis apparet inter Durationem, & exiſtentiam rei; & ſi eſſet aliquod; poſſet tunc res ſaltèm per Omnipotentiam DEI exiſtere, & non durare; quod implicat: Ergo &c.

5. *Sed exiſtentiam rei cũ connotato rationis.*

Objicies *primò*: Duratio ſuperaddit aliquid rei exiſtenti: Ergo diſtinguitur à re durante, & exiſtente. Probat. Ant. Duratio eſt prædicatum tranſcendens, DEO & creaturæ conveniens, reducibile ad prædicamentum Quando: Ergo ſuperaddit aliquid diſtinctum exiſtentiæ, quæ ſemper collocatur in eodem prædicamento cum ſua re, quam facit exiſtere. *Secundò*: ſicut ſe habet locatum ad eſſendum in loco, ita res durans ad durandum: ſed locatum non eſt in loco per aliquod ſibi identificatum; ſed per relationem: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum*: Durationem ad prædicamentum Quando reduci ſecundùm id, quod connotat; non verò ſecundùm formale ſignificatum, & principale. *Ad Secundum* negatur paritas; quia locatum dicit ordinem ad aliquod extrinſecum locans; adeoque locus poteſt eſſe reſpectus formaliter; at rem eſſe, vel durare principaliter dicit conceptum abſolutum in ordine ad ſe; licèt ut à nobis adæquatè concipitur explicetur per reſpectum ad aliud extrinſecum ſpacium imaginariè fluens, quod modo non fluit, ſed fluxit cum extrinſeco illo durante. Circa ſecundum articulum Quæſt. 6.

Reſpondetur objectis.

Nota tertiò: quòd ſpecies Durationis ſint Æternitas, Ævum, & Tempus. *Æternitas* aliquando accipitur pro re antiqua; unde Pſalmiſta *Pſalm. 26.* dixit, *cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Et *Gen. 17. Dabo tibi, & ſemini tuo omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam.* Aliquando accipitur pro re ſine carente; ita *Matth. 25.* altera vita dicitur æterna. Aliquando pro re carente principio, & fine; ſed dependenter ab alio exiſtente; ut ſi aliqua creatura fuiſſet ab æterno à DEO producta. Aliquando tandem pro re principiô, & fine carente, & hoc independenter ab omni alio; & hæc eſt propriiſſima acceptio æternitatis conveniens DEO; de qua hìc 7.

Variæ acceptiones æternitatis.

Dico ſecundò: Æternitas formaliter non dicit rationem menſuræ; nec negationem deſtructionis ipſius Eſſe Divini; nec 8.

Æternitas non dicit menſuram.

nec formalitatem quamdam poſitivam ab Exiſtentia Divina diſtinctam; ſed formaliter dicit Exiſtentiam Divinam, connotando reſpectum aptitudinalem neceſſariò ab intrinſeco coëxiſtendi cuicunque temporis differentiæ. Ita Scotus *Quodlib. 6*. ubi licèt probabiliter putet, quod ſuperaddat triplicem negationem deſitionis, ſucceſſionis, & dependentiæ; problematicè tamen ibi loquitur, & utrumq; affirmat.

Probatur: Concluſio *de menſura*; quia Duratio non menſurat Eſſe Divinū; aliàs menſuraret etiam ſeipſum; & diceret reſpectum tantùm rationis: nec menſurat alias creaturas; quia non ſunt coævæ ipſi Durationi Divinæ: Ergo non conſiſtit in menſura activa.

9. *Nec triplicē negationem.* Probatur etiam *de illa triplici negatione*; quia hujuſmodi negationes tantùm inſerviunt ad circumſcribendam differentiam conſtitutivam Æternitatis: & deinde negatio deſitionis eſt ipſa Exiſtentia Divina formaliter: Ergo in his ſimiliter nequit poni formalitas æternitatis DEI.

10. *Nec formalitatem.* Probatur tertia pars *de formalitate*; quia fruſtra hujuſmodi alia formalitas poſitiva diſtincta multiplicaretur: Ergo &c.

11. *Sed Exiſtentiam Divinam coexiſtentem omni differentia temporis* Probatur quarta pars; quia nil congruentiùs poteſt aſſignari, quàm ipſa Exiſtentia Divina, ut potens coëxiſtere cuicunque differentiæ temporis, etiam imaginarii: Ergo &c. & in hoc ſenſu Boëtius *5. de conſolatione Philoſophiæ Proſa 6.* definit Æternitatem dicens: *Æternitas eſt interminabilis vitæ, tota ſimul & perfecta poſſeſſio*; ubi inquit Scotus ly *vitæ*, quæ accipitur pro actuali exiſtentia, eſt connotatum; quia tunc concipimus Æternitatem habere rationem completam, quæ connotabatur, cùm ſupra exiſtentiam, relationem illam aptitudinalem coëxiſtentiæ intelligimus fundari, quæ ſit velutì forma ejus. Unde datur modus ſuſtinendi aliam opinionem, de qua dixi ſuprà, quòd connotet etiam reſpectum permanentiæ, quem facit intellectus noſter concipiens illam relationem aptitudinalem. Dicitur *interminabilis*, id eſt ſinè principio, & fine. Dicitur *tota ſimul*, id eſt ſinè variatione, & ſucceſſione. Dicitur *perfecta poſſeſſio*, id eſt non dependens in exiſtendo; ſed â ſeipſo exiſtens.

12. *Æternitas ſoli DEO convenit.* Ex quo infertur primò: quòd Æternitas ſit Soli DEO conveniens; & nulla creatura hac ſpecie Durationis durare poſſit. Infertur *ſecundò*; quod licèt Æternitas ſit indiviſibilis formaliter, eſt tamen diviſibilis virtualiter, quatenus æquivalet infinitæ Durationi ſucceſſivæ temporis: Et hoc ſenſu de DEO enunriantur differentiæ temporis, quatenus eis ſucceſſivè coëxiſtit ſecundùm diviſionem virtualem: hoc etiam ſenſu de DEO æterno dicuntur bene contradictoria pro diverſo temporis intervallo, quòd v. g. creet, & non creet Angelum, vel animam; producat, & non producat &c.

Dices SS. PP. docent DEUM abſtrahere ab omni tempore; *quia*, inquit S. Auguſt. *lib. de vera Relig. In Æternitate nulla ſpacia temporis cerno*: Ergo nec virtualiter coëxiſtit DEUS per æternitatem tempori. Reſpondeo Neg. Conſeq. quia DEUS verè coëxiſtit tempori; dicitur enim Proverb. 8. *Quando præparabat cælos aderam, cum eo eram cuncta componens.* SS. ergo PP. tantùm volunt, quòd ſecundùm intrinſecam Exiſtentiam abſtrahat à tempore; quia non durat tempore; non verò abſtrahit à tempore ſecundùm coëxiſtentiam: idem etiam dicitur de Angelo, quod non intrinſecè duret tempore, ſed ævô; bene tamen coëxiſtat tempori. Circa Ævum 13. *Replica diluitur.*

Nota quartò: *Ævum* idem ſonare, quod ſæculum; communiter tamen à Philoſophis, & Theologis accipitur pro Duratione alicujus entis propriè creati, præcipuè Angeli: ut hujus eſſentia: bene explicetur, priùs videndum eſt de differentia, quâ ab Æternitate, & Tempore differat: unde 14. *Quid ævum.*

Dico tertiò; differentia, quâ Ævum differt, ab Æternitate eſt, quòd Æternitas ſit Duratio rei permanentis neceſſariò, & ſimpliciter coëxiſtentis cuicunque Temporis differentiæ; at Ævum eſt Duratio permanens rei ſecundùm totum, & non per partes poſt partes exiſtentis, & potentis coëxiſtere omni differentiæ Temporis, ſi ab æterno fuiſſet producta; non tamen neceſſariò, ſed contingenter, & ab extrinſeco. Eſt Scoti *2. diſt. 2. q. 4.* 15. *Quæ ejus differentia ab æternitate.*

Probatur: quia nil congruentius poteſt aſſignari pro differentia ævi: Ergo &c.

Dices primò: SS. PP. ſoli DEO attribuunt permanentiam; creaturis autem præteritum, & futurum: Ergo Duratio, ſeu Ævum Angeli debet eſſe non permanentis, ſed ſucceſſivi. Reſpondeo SS. PP. ideo tantùm ſoli DEO attribuiſſe perma- 16. *SS. PP. gloſſantur.*

manentiam, & creaturis præteritum, propter defectibilitatem, quàm intrinſecè habent creaturæ, & ob potentiam ad non eſſe,

17. *Replica ſatisfit.* Dices ſecundò: ſi Angelus permaneat in æternum, & duret Ævô indiviſibili, ac ſimul exiſtenti: Ergo erit modò infinitus actu. Conſequentia tenet; quia habet modò totum Ævum ſimul, quô infinito tempore durabit. Reſpondeo Neg. Conſeq. quia infinitas Durationis, ſeu Ævi Angelici eſt tantùm ſyncategorematica; quæ Angelo convenire poteſt, eſtque ei tantùm extrinſeca, ſeu contingens. Itaque Ævum Angeli diſtinguitur ab Æternitate, quòd ſuper Durationem permanentem indiviſibilem addat defectibilitatem ab intrinſeco: eſt ergo Ævum indiviſibile de facto.

18. *Differentia ævi à tempore.* Dico quartò: Ævum differt â Tempore, eò quòd Ævum ſit Duratio rei permanentis, defectibilis tamen; Tempus verò eſt Duratio entis ſucceſſivi.

Probatur: quia etiam hìc pro differentia Ævi â Tempore nil congruentius poteſt aſſignari: Ergo &c.

19. *Varia corollaria de ævo* Collige ex dictis primò: quare Ævum poſuerit Doctor indiviſibile, & permanens; non verò ſucceſſivum, ſicut voluit D. Bonaventura; quia tota ſubſtantia Angeli, & animæ, quæ Ævô durant, ſimul ponitur: Ergo cum ab hac Duratio ejus non diſtinguatur, conſequenter Ævum; quod hanc Durationem dicit, non debet acquiri ſucceſſivè, ſed indiviſibiliter, & ſimul totum; coëxiſtit tamen ſucceſſivè omnibus differentiis Temporis, quod Ævo eſt purè extrinſecum; quia ſinè omni Tempore duraret.

Collige ſecundò: Ævô menſurari omnes ſubſtantias Angelicas, & animas rationales; quia ſunt entia permanentia, & ſimpliciter defectibiles ſaltèm reſpiciendo Potentiam abſolutam DEI: & patet ex Ariſtotele *1. Cæli tex. 100.* ſimiliter ſubſtantiæ cæleſtes metiuntur Ævô ob eandem rationem. Et tandem etiam ſubſtantiæ ſublunares generabiles, & corruptibiles, uti colligitur ex Scoto *2. diſt. 2. q. 4. §. concedo*; & eſt eadem ratio, quia hæ ſubſtantiæ habent quantitatem permanentem; cùm ſint totæ ſimul, & habentes ſuas partes copulatas termino communi.

Collige tertiò: ſi Ævum accipiatur pro menſura extrinſeca æviternorum, dari unum tantùm Ævum genericum pro omnibus rebus permanentibus æviternis; quia omnes in uno conceptu communi, ſcilicet indiviſibilis permanentiæ, ab intrinſeco tamen defectibilis, conveniunt: ſi verò ſumatur pro intrinſeca Duratione; tot erunt Æva, quot æviterna; quia quodlibet propriâ exiſtentiâ exiſtit.

Collige quartò: Ævum ex dictis ſic bene explicari ac deſcribi; *eſt Duratio rerum ſemper permanentium, ab intrinſeco tamen defectibilium, connotans reſpectum aptitudinalem ad poſſe coexiſtere omnibus differentijs temporis.*

QUÆSTIO II.

De tertia ſpecie Durationis, ſcilicet Tempore.

Per Tempus non intelligimus hìc aëris conſtitutionem ſerenam, vel calidam; neque genialem vitam, quo ſenſu dicimus de voluptuoſo, quòd habeat bonum tempus: ſed intelligimus Durationem rei ſucceſſivæ per partes continuò fluentis; hujusmodi res ſucceſſivæ ſunt actiones, paſſiones, coëxiſtentia tempori ſucceſſivo, ubi locale per motum ſucceſſivum acquiſibile, & motus ipſe; quorum omnium nulla pars eſt ſimul cum altera. Verùm quia entia iſta ſucceſſiva ferè ſemper cum motu exiſtunt, & motus eſt nobis notior, factum eſt, ut motus anthonomaſticè ens ſucceſſivum dicatur, & tempus motui tanquam paſſio attribuatur; unde ab Ariſtotele definitur in ordine ad motum dicente, *tempus eſt numerus motûs ſecundùm prius & poſterius.* 1. *Quid veniat nomine Temporis.*

Hoc tempus duplex eſt, Intrinſecum, & Extrinſecum, *Intrinſecum* eſt propria cujuslibet motûs ſucceſſiva Duratio. *Extrinſecum* eſt Duratio alicujus ſucceſſivi entis, in qua cæteri motus exercentur, ipſique coëxiſtunt; qua ratione dicitur menſura motûs. Et hoc eſt iterum, vel Reale, vel Imaginarium. *Reale* eſt Duratio realis alicujus motûs realis, quâ cæteri motus menſurantur; qualis eſt motus Primi Mobilis cæleſtis; item minùs propriè motus horologii, qui noſtras menſurat actiones per quadrantes, horas &c. *Imaginarium* eſt Duratio alicujus motûs non actualis, ſed poſſibilis; imaginati tamen â nobis ad ſimilitudinem motûs actualis; ut ſi hodie non eſſet motus hodiernus cæli, totum hoc ſpacium, ſeu intervallum ſucceſſivũ, quod modò concipitur repleri, & pertranſiri â motu diurno cæli, diceretur tempus imaginarium, quatenus concipitur 2. *Varia temporis diviſio.*

tur motus poſſibilis fieri in tali intervallo; tale fuit tempore Joſue, quando ſtetit Sol.

3. *Deſcribitur Tempus.*

Dico primò: datur tempus intrinſecum, ſeu Duratio ſucceſſiva rerum. Eſt communis

Probat. *primò*: authoritate S. Scripturæ, in qua exiſtentia Temporis exprimitur illis verbis Gen. 1, *Fiant luminaria magna, & ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos. Secundò* D. Auguſt. *11. Confeſſ. cap. 14.* dicente: *nil eſt notius Temporis exiſtentiâ*: Ergo &c. *Tertiò* ratione: non tantùm datur à parte rei Ens permanens; ſed & ſucceſſivum: Ergo præter Durationem permanentem, dari debet etiam Duratio ſucceſſiva; quia res exiſtens eſt ſemper durans: hæc autem eſt Tempus: Ergo &c.

Nota primò: Tempus dici exiſtere hoc ſenſu, licèt in ſe ſit ſucceſſivum quid; quia ſicut ens permanens ex eo, quòd habet totum eſſe ſimul, habet quoque exiſtentiam, & præſentiam ſimultaneam; ſic & ens ſucceſſivum, quia habet eſſe non ſimul, ſed in continuo fluxu ejus exiſtentia, & præſentia erit fluens, & ſucceſſiva in continuo tranſitu ſecundùm quamlibet partem; quod exemplô Fluvii poteſt oſtendi, qui non eſt totus in aliqua parte; ſed ubique eſt ſecundùm Eſſe fluens.

4. *Tempus ritè explicare eſt difficile.*

Quid verò formaliter importet Tempus, difficile eſt aſſignare; unde dicit S. Auguſtinus *cit. quid eſt Tempus? ſi nemo ex me quærit, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio*: Et alibi; *Domine uſque modò non ſcio, quid ſit Tempus.* Et hæc fortè etiam eſt cauſa, cur Ægyptii pinxerint Tempus ſub ſimilitudine ſerpentis, caudam in ore occultantis; per ſerpentem exprimentes volubiles annos & dies; per caudam autem occultam ejus naturam, & formalitatem. Svar. Fuente, & alii nō diſtinguunt Tempus à motu; alii dicunt addere rationem menſuræ ultra motum.

5. *Dicit exiſtentiam entis ſucceſſivi*

Dico ſecundò: Tempus preſsè ſumptum, & intrinſecum formaliter dicit exiſtentiam entis ſucceſſivi, & ſucceſſionem partium, ſi eſt ſucceſſio eſſentialis, ſi verò accidentalis, ſolùm illam connotat. Patet; quia meliùs nequit explicari Tempus intrinſecum. Hæc de Tempore intrinſeco, nunc de extrinſeco agamus.

6. *Motus primi mobilis eſt tempus*

Dico tertiò: Tempus univerſale, commune, & extrinſecum eſt motus primi cæli, ſeu ipſius Duratio ſucceſſiva, cum regularitate, velocitate & notificatione, quæ ſunt conditiones requiſitæ ejus, ſi materialiter ſumatur Tempus extrinſecum; ſi verò formaliter addit ſuper iſtum motum rationem menſuræ activæ in actu primo, ſecundùm deſignationem partium Primi Mobilis, quales partes habent horæ, medietates, & minuta: menſuratio verò actualis per accidens ei convenit. Ita Doctor *4. diſt. 48. quæſt. 2.* & Scotiſtæ.

universale; ſi materialiter ſumatur

Probatur prima pars: quia nullus alius motus v.g. augmentationis, alterationis &c. poteſt eſſe menſura cæterorum corporum durantium; cùm non ſint uniformes, velociſſimi, & omnibus noti, ſicut motus primi cæli: Ergo motus primi cæli optimè conſtituit Tempus Extrinſecum.

Et licet etiam utamur horologiis ſolaribus, & lunaribus, tamen illorum motus non ſunt propriè Tempus; ſed ſigna tantùm primi motûs, & ſubſtituta locô Primi Mobilis.

7. *Si verò formaliter addit ulteriùs menſuram.*

Probatur ſecunda pars de illa menſura; quia motus primus ex ſe non eſt potens aſſumi ad menſuram; cùm ejus partes ſint diviſibiles in plurimas partes; ideo requiritur etiam deſignatio facta ab intellectu in certas, [illegible] determinatas partes, puta 12. vel 24. horas æquales, quæ dependet ab hominum beneplacito, per quam formaliter completur Tempus extrinſecum omnium rerum, quia per has partes omnia metimur, & ſecundùm has dicimus res cunctas creatas ſucceſſivas durare.

8. *Varia corollaria ex dictis.*

Ex quo colligitur primò: quòd Tempus ſit Ens reale, dicens entitatem motûs cum uniformitate, velocitate, partibilitate ſecundùm prius, & poſterius; ac menſuram in potentia.

Colligitur ſecundò: quòd ratio menſuræ ſoli Tempori, & ſucceſſivæ Durationi conveniat; non verò Durationi permanenti, juxta Scotū *2. diſt. 2. q. 3.* & ſic ſola entia ſucceſsiva tam materialia, quàm ſpiritualia, & eorum privationes menſurantur noſtro tempore: Ratio eſt; quia Duratio permanens manet ſemper invariata, ſicut res ipſa; eſtque ut plurimùm indiviſibilis; ac proinde repugnat ei ſucceſsio, quæ in menſura ſemper involvitur: Ergo res permanens nequit Tempore menſurari; ſed ſolæ ſucceſsivæ.

Colligitur tertiò: quòd Tempus noſtrum menſuret etiam motus Angelorum, contra Thomiſtas; quia motus Angelorum

rum quoad Durationem ſunt ejuſdem rationis cum tempore noſtro; & materialitas ac ſpiritualitas non faciunt ad rem; quia hoc non obſtante motus Angeli, & rei materialis ſunt ejuſdem prædicamenti.

Thomiſtæ dicunt, dari aliud Tempus in ſublimiori aliquo Angelo collocatum, quô deinde aliorum Angelorum motus metiuntur. *Sed contra*; quia imprimis hujus nullum habemus indicium. *Secundò*; datò, quòd daretur hujuſmodi Tempus; cùm tamen nobis ignotum ſit, non poterit eſſe menſura motuum Angelicorum; menſura enim debet eſſe notior re menſuratâ.

Colligitur quartò: bonam eſſe definitionem temporis extrinſeci, datam ab Ariſtotele, dum dixit; *Tempus eſt numerus motûs ſecundum prius, & poſterius*. Ly enim *numerus* eſt genus; & accipitur pro menſura aptitudinali, quæ poteſt menſurare res ſucceſsivas. Ly *motus* ſupponit pro omni motu tam locali, quàm alterativo, & augmentativo. Ly *ſecundum prius, & poſterius* indigitat diviſibilitatem motûs, & ſucceſsionis, quæ habetur per deſignationem factam ab intellectu ſecundùm horas, medietates, & quadrantes Primi Mobilis.

DISTINCTIO ULTIMA.

DE INCEPTIONE & DESITIONE RERUM.

Prooemium.

RECtè poſt durationem rerum, earum quoque Inceptio, & Deſitio examinatur; quæ duplex eſt, æterna, & temporalis: de temporali procedet ſequens Quæſtio; de æterna ſit hæc

QUÆSTIO I.

An DEUS potuiſſet condere aliquam creaturam æternam?

1. *Quid æternitas à parte antè, & poſt.*

NOta primò: quòd duplex ſit æternitas; una à parte antè, quâ duraret Angelus, ſi eſſet coævus DEO, & ſinè principio; alia â parte poſt, quâ durabunt omnes animæ, & Angeli; & quæ caret fine, liceat habeat principium; de ſecunda æternitate conceditur quæſtio ab omnibus, de prima.

2. *Deus potuiſſet condere creaturam permanentem ab æterno.*

Dico primò: DEUS potuiſſet creaturam aliquam permanentem condere ab æterno. Doctor *2. diſt. 1. q. 3.* in hoc eſt problematicus; ad hanc tamen partem magìs inclinat, & ſequuntur Canonic. Tartar. Faber, Maſtrius &c.

Probari poteſt primò omnibus rationibus, & reſolutionibus, quæ infrà *Tract. de fabrica Mundi, & Celi*, afferuntur pro æternitate poſſibili mundi *diſt. 1. quæſt. 3. Concluſ. 2.*

Probatur ſecundò: juxta Doctorem *4. diſt. 10. q. 2.* DEO omne eſt poſsibile, quod non includit evidenter contradictionem; vel ad quod non ſequitur neceſſariò contradictio: ſed ponendo creaturam aliquam permanentem ab æterno â parte antè poſsibilem, nullum aſſeritur contradictorium, nec ſequitur tale neceſſariò: Ergo &c. Min. Probat. ſolvendo rationes in oppoſitum. Confirmatur: quia hoc conſonat authoritatibus SS. PP. nam D. Auguſtinus *6. de Trin. cap. 1.* dicit; *quod ſi ignis eſſet æternus, ſplendor ab eo cauſatus eſſet coæternus.* Item *10. de Civit. DEI cap. 12.* dicit; *quod ſi ab æterno eſſet pes in pulvere, ſemper ei ſubeſſet veſtigium.*

Objicies primò D. Auguſtinum contra Felicianum Arrianum; ubi ſic deſinit creaturam, *creatura eſt ex eo, quod nondum eſt*, 3. *S. Aug. objectus reconciliatur.*

eſt, vel aliquando non fuit, corruptibilis rei ſubſtantia: Ergo implicat, ut creatura fuerit ab æterno ſemper. Reſpondeo Divum Auguſtinum adducere illam definitionem ad hominem; Arrius enim contendebat de ratione creaturæ defactò exiſtentis eſſe Inceptionem ejus temporaneam, ex quo principio Sancti Patres ipſum redarguebant oſtendendo Filium DEI non eſſe creaturam propter ſui æternitatem; non tamen per hoc negabant poſſibilitatem creaturæ ab æterno.

Dices: creatura eſt ab alio: Ergo eſt poſterior aliô pro aliquo inſtanti: Ergo non ab æterno. Reſpondeo, quòd creatura ſit poſterior naturâ tantùm DEô; non verò tempore, cum poſterioritate autem naturæ ſtat æternitas.

4. *Alia objectio diſſolvitur.*

Objicies ſecundò: iſta creatura aut ſemper producetur quando eſt, aut non ſemper, ſed aliquando; ſi ſecundum: Ergo tempore incipit; ſi primum: Ergo eſſet in continuo fieri, & ens ſucceſſivum, contra ſuppoſitum concluſionis: Ergo &c. Reſpondet Doctor; quòd ſicut Filius in Divinis ſemper generatur; & tamen eſt ſummè permanens; ſic creatura eſſet ſemper producta, & adhuc permanens; quia ly *ſemper* non dicit ſucceſſionem durationis temporis, ſed exiſtentiam, & durationem ævi.

5. *Rurſus alia enervatur.*

Objicies tertiò: de intrinſeca ratione creaturæ eſt, quòd ſit contingens; ſed ſi eſſet ab æterno, non eſſet contingens; ſed neceſſariò exiſtens, quod creaturæ rationem deſtruit: Ergo &c. Reſpondeo Diſting. Min. eſſet neceſſariò exiſtens neceſſitate ſimpliciter tali, & ab intrinſeco Neg. Min. neceſſariò neceſſitate ſuppoſitionis Decreti Divini, quæ eſt extrinſeca Conc. Min. Itaque talis creatura eſſet ab æterno tantùm neceſſariò exiſtens, extrinſecè ſcilicet propter Decretum DEI, quô ipſam voluit ab æterno; ex ſe tamen ſemper eſſet contingens ab intrinſeco; quia dependens â DEO.

6. *Quas operationes creatura æterna potuiſſet elicere.*

Quæres: quales operationes ab æterno elicere potuiſſet hujuſmodi creatura æterna? Reſpondeo, quòd non potuiſſet ab æterno exercere illas operationes, quæ neceſſariò includunt motum, vel mutationem propriè dictam; Ratio eſt; quia ad veram mutatioem requiritur, ut terminus â Quo duratione temporis præcedat terminum ad Quem; quod circa creaturam æternam non poteſt haberi: unde Eva, ſi fuiſſet ab æterno, non potuiſſet generare Abel æternum; quia Abel æternus debuiſſet eſſe poſterior tempore Evâ; conceptio enim prolis, formatio, & augmentatio ſit tantùm in tempore, quod eſt contra rationem æternitatis, in qua non datur poſterioritas temporis. Potuiſſet tamen hujuſmodi creatura æterna habere operationes, non includentes in ſuo conceptu motum; ſed tantùm rationem productionis, v.g. intellectionem, volitionem, & alios actus immanentes, vel etiam tranſeuntes, utì eſt productio lucis, ſi Sôl eſſet æternus, ita Scotus *2. diſt. 5. q. 2.* Ratio eſt; quia hi effectus non debent neceſſariò præſupponere cauſam tempore priorem. Deberet tamen creatura ſub hujuſmodi intellectione, vel volitione detineri per infinitum tempus; quia eadem eſt ratio de creatura, ac de DEO, qui ſemper ſub ſua intellectione detinetur.

Dico ſecundò: nullum Ens ſucceſſivum de Potentia DEI abſoluta potuit eſſe ab æterno productum. Ita Scotus *2. diſt. 1. q. 3.* & licet *Quodlib. 7.* dicat, multos Theologos concedere motum ab æterno, qui eſt Ens ſucceſſivum; tamen ibi loquitur in ſententia ipſorum; non propria. Eſt contra Canonic. Tartar. & alios Scotiſtas multos. 7. *Nullum ens ſucceſſivum potuit eſſe ab æterno.*

Probatur primò illis rationibus, quibus ſuprà *diſt. 13. q. 4. 5. & 6.* impugnatum eſt infinitum in actu, quòd ſcilicet daretur unum infinitum majus alio, quod implicat; ſi enim infinitæ circulationes Solis v.g. ſucceſſivè tranſijſſent, multò plures circulationes Lunæ tranſijſſent; quia in una ſolari circulatione duodecim Lunares includuntur; & ſic daretur infinitum unum aliô majus, quod implicat: Ergo &c.

Probatur ſecundò: in primis non poteſt dari motus ſucceſſivus rectus ab æterno; quia ſi v.g. duo lapides ab æterno deorſum deſcenderent; unus tamen in duplo majori velocitate, hic lapis hodie duplò majus ſpacium pertranſijſſet, quod nequit eſſe infinitum; cùm claudatur duobus terminis, ſcilicet duobus lapidibùs: Ergo motus per illud factus non erit infinitus: ſed in ſententia contraria deberet eſſe infinitus: Ergo &c. Nec etiam poteſt dari motus ſucceſſivus circularis;

quia ſi daretur talis, tanta eſſet duratio ab æterno uſque nunc procedendo, quanta eſſet ab iſto nunc uſque in æternum redeundo; ſed retrocedendo ab iſto nunc, impoſſibile eſt redire in æternum, & tempus totum accipere in quacunque temporis differentia; alias infinitum pertranſiretur, contra ejus rationem: Ergo èconverſo procedendo ab æterno impoſſibile eſt, quòd perveniatur uſque ad iſtud nunc motûs infiniti, & æterni.

Probatur: ſucceſſio de ſua ratione formali dicit prioritatem, & poſterioritatem partium, id eſt deſitionem partis prioris, & inceptionem poſterioris: Ergo ſi potuit eſſe ſucceſſivum ab æterno, ab æterno quoque fuiſſet inceptio partis poſterioris præſupponens deſitionem prioris; quod eſt falſum: Ergo &c.

8. *Objecta inſtantur.* Objicies primò: quòd motus ſucceſſivè in tempore inceperit, eſt articulus Fidei: Ergo nequit impoſſibilitas ejus demonſtrari; Fides enim eſt rerum non apparentium *Hebr. 11.* & conſequenter debet dici, quòd ſit poſſibilis. Confirm. ſi cælum fuiſſet ab æterno, habuiſſet potentiam ad motum ab æterno: Ergo potuiſſet habere motum; quia ad impoſſibile non eſt potentia. Reſpondeo *ad primum* cum Doctore, articulos Fidei alios eſſe merè creditos; uti eſt Incarnatio Verbi æterni; alios non merè creditos, uti ſunt exiſtentia, & unitas DEI, & de horum numero eſt iſte præſens de Inceptione motûs in tempore, demonſtrabilis ſimul, & creditus. Et iſtos ut articulos Fidei tradere Eccleſiæ utile eſt, tum propter imperitiam multorum; tum propter impotentiam intellectûs in conficiendo aliquando demonſtrationem; & credere hos etiam, licèt ſciantur, eſt meritorium; quia voluntas retinet affectum ad illos credendos, ſi non adeſſet ſcientia; & juxta Sanctum Auguſtinum, & Sanctum Anſelmum, laborare ut intelligatur, & ſciatur, quod creditur, meritorium eſt. Nec refert, quòd Philoſophus oppoſitum conceſſerit; quia is multas latentes admiſit contradictiones; ut quòd DEUS neceſſariò agat, & tamen mundus ab æterno fuerit productus &c. *Ad Confirm.* dico, quòd cælum habuiſſet potentiam ad motum ab æterno; non tamen pro æterno, ſed in tempore; ſicut homo æternus habuiſſet potentiam generativam ab æterno; non tamen generationem actualem.

Objicies ſecundò: poteſt dari ab æterno Ens permanes: Ergo & ſucceſsivū. Conſequentia probatur; quia Ens permanens ab æterno productum diceret per totam æternitatem coëxiſtentiam cum Divina æternitate: ſed talis coëxiſtentia eſt ſucceſsiva, & diviſibilis: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Conſeq. ad ejus rationem Neg. min. quia tunc tantùm coëxiſtentia ſucceſsiva, & diviſibilis habetur, quando illud, cui coëxiſtit, eſt formaliter diviſibile; quod de Divina æternitate nequit dici. Itaq; Angelus permanens ab æterno productus haberet tantùm coëxiſtentiam, ſeu præſentiam ſimultaneam ſemper cum æternitate DEI; connotativè tamen, ſeu extrinſecè poſſet dici aliquomodo ſucceſsiva; quia alii, & alii tempori imaginario in æternitate fluenti coëxiſtere concipitur, in quo imaginaria, non verò realis ſucceſsio imaginatur. 9. *Alia objectio reſolvitur.*

QUÆSTIO II.

De temporali inceptione; & deſitione rerum.

Nota primò: res in præſentiarū poſſe in duplici differentia attendi; aliæ enim ſunt ſucceſsivæ, aliæ permanentes. *Res ſucceſsivæ* ſunt, quæ totæ ſimul non habentur, ut motus, tempus &c. *Permanentes* ſunt, quarum eſſe totum ſimul eſſe poſſunt; ſuntque vel diviſibiles ut lignum; vel indiviſibiles ut Angeli, & animæ rationales.

Nota ſecundò: duos eſſe modos rebus incipiendi, & totidem deſinendi; intrinſecum ſcilicet, & extrinſecū; quos vide explicatos ſuprà *diſt. de motu q. 5. notab. 1.*

Dico primò: omnes res ſucceſsivæ, cujuſmodi ſunt motus, & tempus, extrinſecè incipiunt per primum ſui non eſſe, & deſinunt per ultimum ſui non eſſe. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 5.* & ſequuntur Gadius, Joann. de Maguſt. Maſtr. Tartar. & cæteri Scotiſtæ. *Res ſucceſſivæ incipiunt per primum ſui non eſſe, & deſinunt per ultimum ſui non eſſe.*

Probatur: res quæ habent partes priores, & poſteriores perenniter fluentes extrinſecè incipiunt per primum ſui non eſſe, & deſinunt extrinſecè per ultimum ſui non eſſe: ſed omnes res ſucceſsivæ; cujuſmodi ſunt motus, & tempus habent partes priores, & poſteriores in perenni, & continuo fluxu: Ergo extrinſecè incipiūt per primum ſui non eſſe, & deſinunt extrinſecè per ultimum ſui non eſſe.

Dico

2\. *Res in inſtanti producta incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt intrinſecè per ultimum ſui non eſſe.*

Dico ſecundò: omnes res quæ producuntur in inſtanti, ut Indiviſibilia, inſtantia temporis, mutata eſſe motûs, ſubſtantiæ, generatio, illuminatio, ſpecies ſenſibiles, qualitates, & omnia accidentia abſoluta, quæ conſequuntur ad ſuas ſubſtantias tanquam proprietates phyſicæ (ut calor ignis &c.) quæ emanant in inſtanti ab ipſis formis, mutationes inſtantaneæ, & omnia quæ ſimul, & non ſucceſsivè producuntur, incipiunt intrinſecè per primum ſui eſſe; & deſinunt per ultimum ſui non eſſe. Ita colligitur ex Scoto *Quodlib. 12. art. 3.* & *2. diſtinct. 2. quæſt. 4.* Et ſequuntur Fuente, Columbus, & cæteri Scotiſtæ.

Probatur: illarum omnium rerum in concluſione ſpecificatarum productio eſt indiviſibilis, momentanea, & tota ſimul: Ergo menſurari debent menſurâ indiviſibili, & inſtantaneâ. Subſumo; quæ autem ejuſmodi menſurâ menſurantur, incipiunt intrinſecè per primum ſui eſſe, & deſinunt per ultimum ſui non eſſe: Ergo omnes res in concluſione ſpecificatæ incipiunt intrinſecè per primum ſui eſſe; & deſinunt per ultimum ſui non eſſe.

3\. *Res permanentes habentes totum eſſe ſimul incipiunt, & deſinunt intrinſecè; ſucceſſivè vero incipiunt, & deſinunt extrinſecè.*

Dico tertiò: res permanentes, quæ habent ſimul totum ſuum eſſe, & perfectum, incipiunt, & deſinunt intrinſecè; quæ verò accipiunt eſſe ſucceſſivè, incipiunt, & deſinunt extrinſecè. Ita Scotus *2. diſtinct. 2. quæſt. 4.* & *4. diſtinct. 43. quæſt. 5. in fine. Quodlib. 12. §. de tertio*; & ſequuntur Columb. Maſtrius &c.

Probatur prima pars: de rebus permanentibus habentibus ſimul totum eſſe, & perfectum, quoad modum Inceptionis verum eſt dicere, nunc res eſt, & antea non erat: ſed hoc eſt incipere intrinſecè: Ergo &c. Similiter de illis quoad modum Deſitionis verum eſt dicere, nunc eſt res, & immediatè poſt non erit: ſed hoc eſt deſinere intrinſecè: Ergo &c.

Probatur ſecunda pars: de rebus permanentibus, quæ ſucceſsivè accipiunt eſſe, verum eſt dicere quoad modum incipiendi, nunc res non eſt, & immediatè poſt erit: & quoad modum deſinendi earundem ſimiliter verum eſt dicere, nunc res non eſt, & immediatè antè erat: ſed hi ſunt duo modi incipiendi, & deſinendi extrinſecè: Ergo res permanentes, quæ accipiunt eſſe ſucceſsivè, incipiunt, & deſinunt extrinſecè.

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS
De Fabrica Mundi, & Cœli.

PRÆFATIO.

PRæſens Tractatus varijs DD. opinionibus & diſputationibus redundat, ut verificetur illud Eccleſ. 3. Mundum tradidit diſputationi eorum; *continet tamen plurima ſcitu digniſſima circa admirandā Orbis univerſi ſeu globi mundialis conſtructionem; ſignanter ſphærarum cæleſtium fabricam, naturam, motus, operationes, obſervationes, &c. quæ omnia juxta probabiliora ſentimina illuſtriorum Philoſophorum, & Aſtronomorum in ſequentibus diſtinctionibus expendentur; ut ita ex magnitudine ſpecioſæ hujus creaturæ Creator ejus ſpecioſiſſimus poſſit cognoſci. Quare eſto*

DISTINCTIO I.
DE MUNDO.

QUÆSTIO I.
De quidditate, & unitate Mundi.

1. *Variæ acceptiones Mundi.*

NOta primò: hujus vocabuli *Mundi* variæ reperiuntur uſurpationes. *Primo* enim capitur pro Ideis in Mente Divina exiſtentibus, ſecundùm quas Deus efformat cuncta creata; in hoc ſenſu canit Boëtius, *mundum mente gerens, ſimiliq; ab imagine formans. Secundò* accipitur pro collectione omnium illarum rerum, quæ continentur ſub ſolo concavo Orbis cæleſtis Lunæ, in hoc ſenſu procedit illud Philoſophi 1. *Meteor. cap. 3. oportet mundum hunc continuè ſubjectum eſſe ſuperioribus lationibus. Tertiò* accipitur ſtrictè pro incolis duntaxat globi terraquei; & hoc ſenſu procedit illud D. Auguſtini *tract. 3. in Joan. malus Mundus: quia mali habitatores Mundi.* Imo quandoque uſurpatur ſtrictiùs pro ſolis incolis vitiatis hujus Orbis; quo ſenſu intelligitur illud 1. *Joan. 1. totus Mundus in maligno poſitus eſt. Quartò,* ſumitur pro tota machina ſolorũ corporũ tum cæleſtium, tùm ſublunarium, & ſub hac ratione Author Sphæræ, Joannes de Sacro Bono ejuſque Interpretes, dividunt Mundum in Superiorem, & Inferiorem Mundum. *Quintò* tandem, uſurpatur amplſſimè pro univerſitate, totali fabrica, & collectione omnium rerum creatarum, tam corporalium, quàm ſpiritualium; tam cæleſtium quàm ſublunarium; & in hoc ſenſu præſens procedit Diſtinctio. Unde

Dico

2. *Deſcriptio Mundi.*

Dico primò: rectè deſcribitur Mundus ampliſſimè ſumptus, *eſt congeries creaturarum omnium cæleſtium, & ſublunarium; materialium, & immaterialium; completarum, & incompletarum.*

Prob. hæc deſcriptio aptè exprimit naturam Mundi: Ergo &c. Ly *congeries*, quod eſt genus, importat idem quod collectio, & aggregatio univerſaliſſimè ſumpta. Reliqua, quæ formant differentiam, exprimunt partes integrantes, ex quibus conflatur Mundus. Nam per ly *creaturarum omnium cæleſtium*, intelliguntur omnes orbes cæleſtes, cum ſtellis. Ly *& ſublunarium*, comprehendit omnes res creatas, contentas ſub Lunæ concavo; cujuſmodi ſunt totus globus terraqueus, elementum ignis, & aëris, cunctaque compoſita ex elementis, tam viventia, quàm non viventia; puta greſſilia, reptilia, volatilia, natatilia; item meteora ignea, aërea, terrea; plantæ, lapides, foſſilia, metalla, &c. Ly *materialium* complectitur omnes res conſtantes materiâ phyſicâ; cujuſmodi ſunt omnia compoſita, mox enumerata. Ly *& immaterialium*, comprehendit Intelligentias motrices cælorum, cæteroſque Angelos, tum bonos, tum malos; & animas rationales. Sub ly *completarum*, veniunt omnes res conſtantes materiâ, & formâ phyſicâ, quæ in ſuo genere ſunt aliquomodo completæ, v.g. ſtellæ, homines, lapides, ligna, &c. Sub ly *& incompletarum*, veniunt reliquæ res carentes debitâ completione; uti ſunt materia prima ſecundùm ſe, forma phyſica ſecundùm ſe conſiderata &c.

3. *Mundus nõ eſt aliquod animal.*

Dico ſecundò: Mundus collectivè ſumptus, non eſt aliquod novum magnũ animal, præditum animâ aliquâ communi, ſolitâ dici anima Mundi. Ita cum D. Auguſtino *1. Retract. cap. 11.* communis Catholicorum DD. contra Platonem ejuſque ſequaces aſſerentes Mundum eſſe animal beatiſſimum & ſempiternum: alioſque aſſerentes animam Mundi.

Prob. tum quia omne verum animal ſecundùm Ariſt. *1. Phyſ. tit. 36.* habet determinata membra, & certa organa, quibus exercet certas operationes vitales, & animales, animæ correſpondentes; ſed Mundus collectivè ſumptus non habet ejuſmodi membra, & organa, uti patet inſpicienti ejus fabricam univerſam: Ergo non eſt aliquod unum magnum animal præditum animâ communi. Tum quia omne verum animal pollet ſenſibus, maximè tactu: ſed Mundus non pollet ullo ſenſu, nec tactu; uti patet in lapidibus, lignis, metallis, aëre, igne, &c. aqua, quæ carent omni tactu: Ergo &c. Urget etiam contra adverſarios, quòd nõ poſſit aſſignari cujus naturæ foret anima mundi, in hoc magno animali immerſa; non enim eſt purè ſpiritualis, nec purè materialis, ob entium diverſitatem; nec mixta, cùm talis implicet; eſſet enim diviſibilis, & non eſſet diviſibilis: Ergo &c. De ſecundo articulo quæſt.

Dico tertiò: de facto unicus duntaxat creatus eſt Mundus; ita Ariſtoteles *1. cæl. 8.* & communis Philoſophorum. 4. *Unicus Mundus extat defactò.*

Prob. *primò* authoritate S. Scripturæ, quæ de Mundo diſſerens, ubique de eo ut numerò unicó loquitur; ſic dicitur Joan. 1. *Mundus per ipſum factus eſt.* Et ad Roman. 5. *per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit*: Ergo &c. Prob. *ſecundò* ratione congruentiali, quam affert D. Auguſt. *q. 2. novi & vet. Teſtamenti* dicens; *ideo DEUS unum fecit Mundum, ut doceret unô omnia eſſe*: Ergo defactò unus duntaxat creatus eſt Mundus.

Dico quartò: DEUS poſſet plures numerò differentes Mundos, tum ſimul, tum ſucceſſivè plaſmare. Ita S. Bonavent. Major, Richardus, Vulpes, & communis DD. contra Ariſtotelem, & alios veteres complures Philoſophos, quibus videntur ſubſcribere Abailardus, Wicleph. & Lutherus. 5. *Plures tamen ſunt creabiles.*

Prob. *primò*: non videtur ex quo capite Omnipotentia DEI, quæ eſt infinitæ virtutis creativæ, ſit ita limitata ad plaſmationem hujus duntaxat Mundi, ut non poſſit ſeſe extendere ad plures alios numero differentes, creandos; ſicut creatô unô homine, qui eſt Microcoſmus, id eſt parvus Mundus, poteſt ſe extendere ad alios creandos: Ergo &c. *Secundò*: non poteſt quoque aliqua aſſignari repugnantia, ex parte ipſorum plurium Mundorũ, quò minùs non poſſint plaſmari; quæ non æquè militaret contra conditionem præſentis Mundi: Ergo DEUS poſſet plures Mundos numerô differentes, tum ſimul tum ſucceſſivè plaſmare. *Tertiò* tandem: quia oppoſita ſententia, uti habet D. Bonaventura in *principio 1. ſent.* damnata eſt à Stephano Pariſienſium Antiſtite; & cenſetur communiter à DD. Orthodoxis erronea.

Objicies *primò*: ex Ariſt. *1. Cæli cap. 9. tex.*

6. *Dei infinitâ Potentiâ poſſet creari materia nova, ex qua novus Mundus foret producibilis*

tex. 95. una eſt materia Mundi, quæ in fabricatione præſentis Mundi tota eſt evacuata, & conſumpta; ita ut pro plaſmatione alterius inſervire nequeat: Ergo DEUS non poſſet plures Mundos plaſmare. *Secundò:* unicus eſt Mundi Architectus & Motor: Ergo & unicus duntaxat Mundus, & unicum mobile. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. nam tametſi materia, ex qua præſens Mundus fuit plaſmatus, foret tota evacuata; nihilominùs DEUS ſuâ infinitâ Potentiâ creativâ, poſſet novam materiam creare, diſtinctam ab iſta; ex eaque plaſmare alios Mundos. *Ad Secundum* Neg. pariter Conſeq. nam ex unitate efficientis non rectè infertur unitas effectûs; nam unicus ſtatuarius poteſt plures ſtatuas efformare: Ergo & unicus opifex DEUS creare plures Mundos.

QUÆSTIO II.

De Architecto Mundi, ejuſque coordinatione, perfectione, & figura.

1. *Solus Deus creavit Mundum.*

DIco primò: DEUS ſolus eſt Architectus Mundi, creans infinita ſua virtute ex nihilo Mundum. Ita Fides Catholica; contra Simonem Magum relatum à D. Auguſt. *in Catal. hær. 1.*

Prob. primò authoritate S. Scripturæ; quæ creationem Mundi in DEUM refert; ſic dicitur Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum, & terram.* Et Actor. 7. *DEUS qui fecit Mundum, & omnia quæ in eo ſunt:* Ergo &c. *Secundò* authoritate CC. concluſionem diffinientium; ut videre eſt in Conc. Lateranenſi, quod citatur *cap. firmiter.* & Conc. Nicæ. *in Symbolo,* & aliis: Ergo &c. *Tertiò* authoritate SS. PP. eandem doctrinam uno ore aſſerentium; ut patet apud S. Auguſt. *in operib. ſuper Geneſ.* & *lib. 2. de actis cum Felice, cap. 8. & 9.* & *lib. 11. de Civit. cap. 4.* & alibi: Ergo &c. *Quartò* authoritate ipſiuſmet Ariſtot. *12. Met. 38* dicentis, *à tali ergo principio* (loquitur de DEO) *tum Cælum, tum Natura dependet:* Ergo DEUS eſt Architectus Mundi. *Quintò* rationibus: tum quia Mundus quoad omnes ſui partes, eſt ens finitum: Ergo ab aliquo perfectiori ſe dependens. Sed non ab alio, quàm à DEO infinito: Ergo &c. Tum quia tam admiranda, vaſta, ordinatiſſima, & elegantiſſima architectura ſanè non videtur poſſe provenire, niſi ab Architecto infinitæ virtutis; cujuſmodi eſt ſolus DEUS: Ergo &c. Circa alterum articulum quæſt.

2. *Diſpoſitio inter partes Mundi.*

Dico ſecundò: machina totius Mundi eſt ordinatè ab Architecto DEO ſic diſpoſita, ut orbes cæleſtes cum ſuis Aſtris, & Planetis teneant ſupremum locum, terra infimum in centro, medium verò reliqua Elementa & corpora mixta. Ita communis DD.

Prob. prima pars: tum quia cæleſtes orbes in S. Scriptura paſſim aſſeruntur eſſe exaltati reſpectu terræ, & celſitudinem quandam præ aliis rebus ſortiti; unde dicitur Iſa. 55. *ſicut exaltantur Cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris:* Ergo &c. Tum quia experientiâ viſuali, & inſtrumentis Aſtronomicis, obſervatur cælum conſiſtere in eminentiori loco reſpectu elementorum: Ergo &c.

Probat. ſecunda & tertia pars: Elementa, ignis, aër, & aqua, non ita gravitant ſicut terra: Ergo medium locum circa centrum terræ occupant; & terra infimum, ob ſui ſummam gravitatem. Circa tertium articulum.

3. *Mundus eſt creatus perfectus.*

Dico tertiò: fabrica Mundi eſt à DEO perfectè architectata. Colligitur ex Philoſopho, citato, & recepto à Doct. Subtili, *Quodlib. 19. art. 2.* & tenent communiter Scotiſtæ; quibus ſubſcribit Maurus Neutriſta, Boëtius *5. de conſolat. metro. 5.* &c.

Probat. primò authoritate S. Scripturæ: Gen. 1. (ubi texitur hiſtoria de creatione Mundi) dicitur de ea; *vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona;* id eſt debitâ perfectione præditâ. Et *cap. 2. igitur perfecti ſunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Complevitque DEUS die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat.* Et Deuter. 32. *DEI perfecta ſunt opera:* qui omnes textus in fabrica Mundi perfectionem, & complementionem indicant: Ergo &c.

Probat. ſecundò ratione: *primò,* perfectus artifex operando deliberatè ponit opus perfectum; utì patet in perfectis ſtatuariis: ſed DEUS eſt perfectiſſimus Artifex, cùm ſit omniſcius, & omnipotens: Ergo operando deliberatè poſuit opus perfectum: ſed nullum magìs, quàm fabricam Mundi architectanda: Ergo &c. *Secundò,* perfectio fabricæ hujus Mundi colligitur manifeſtè ex tot ordinatis generibus nobiliſſimis ſpeciebus, & individuis, quibus conſtat: item ex pulcherrimo ordine, quem habent partes ejuſdem

ad

adinvicem, & ad unum primum ens, & primam cauſam; uti ex Philoſ. *12. Met. tex. 52.* rectè arguit Scotus *Quodlib. 19. art. 2.* Ergo &c.

4. *Omnes ſpecies Mundi habent aliquam perfectionem.*

Objicies *primò*: Mundus ſcatet multis rebus imperfectis, importunis, nocivis, & fœdis; puta inſectis, monſtris, muſcis, ſerpentibus, venenis, beſtiis ferocibus, peccatis, & pœnalitatibus: Ergo non eſt perfectè architectatus. Reſpondeo Neg. Conſeq. nam omnes ſpecies Mundi enumeratæ in Antecedenti habent aliquem uſum bonum, & aliquam perfectionem reſpectu totius Univerſi; aut ſaltèm occaſionativam; unde muſcæ ſunt in eſcā aliorum majorum animalium; ſerpentes & venena ad medicinas varias præparandas conducunt; beſtiæ feroces ad demonſtrandam ſaltèm DEI Sapientis omnipotentiam in productione tot ſpecierum diverſarum; peccata conducunt ad eliciendum ex eis aliquod bonum, puta converſionem, pœnitentiam, & humilitatem; unde D. Auguſt. *lib. 2. de peccato origin. contra Pelag. cap. 34.* ait, *DEUS certè in opere hominum malo facit ipſe opus bonum*; Pœnalitates tandem conducunt ad expianda peccata, & patientiam, aliaſque virtutes plantandas.

5. *Mundus poterat creari perfectior eſſentialiter*

Dico quartò: fabrica tamen Mundi poterat à DEO architectari cum majori perfectione eſſentiali, & accidentali. Ita Scotus *Diſt. 44. q. un.* S. Bonaventura noſter, Alenſis, & communis; contra Granad. & alios.

Prob. prima pars: DEUS poterat præter jam creatas adhuc alias ſpecies rerum create in Mundo: ſed ab his fabrica Mundi acciperet majorem perfectionem eſſentialem; Ergo fabrica Mundi poterat à DEO architectari cum majori perfectione eſſentiali. Præterea Verbum Divinum, ut doceo *in Schola Theologica tom. 2. tract. de Incarn. diſt. 3. q. 1.* poterat ſibi hypoſtaticè unire naturam Angelicam incorruptibilem, ex qua unione reſultaret perfectius complexum, quàm ex unione Naturæ humanæ paſſibilis; & conſequenter Mundus à tali unione participaret majorem perfectionem eſſentialem: Ergo &c.

6. *Et accidentaliter.*

Probat. ſecunda pars: ſecundùm Scotum *in 1. Rep. diſt. 44. q. 2.* corpora cæleſtia jam condita potuiſſent creari clariora, limpidiora, ſubtiliora, & apta ad recipiendas impreſſiones peregrinas, non corruptivas, ſed perfectivas; & hoc aliquando in eis eventurum vaticinatur Iſaias *cap. 30.* dicens: *Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum.* Ergo fabrica Mundi poterat à DEO architectari cum majori perfectione accidentali horum corporum.

Objicies: ſecundum S. Auguſt. *3. contra Maxim. cap. 7.* Si Pater æternus potuit gignere Filium ſibi æqualem, & non genuit, eſſet invidus: Ergo pariter ſi DEUS potuit architectare Mundum cum majori perfectione, & non fecit, invidiæ argueretur; quæ longè abſit a DEO: Ergo &c. Reſp: Neg. Conſeq. diſparitas eſt, quia Pater æternus gignendo Filium, eſt agens neceſſariò & naturaliter; adeoque operans ſecundum ultimum poſſe; at architectando Mundum, & alia opera ad extra eſt agens liberum; ideoque in manu ejus eſt efficere ea cum tali vel tali perfectione, abſque nota invidiæ, quod indicatur *ad Rom. 9.* illis verbis; *an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Circa ultim. art. quæſt. 7. *Cuidam objecto occurritur.*

8. *Figura Mundi eſt rotunda.*

Dico quintò: Mundus, ut ab Empyreo præſcindit, habet figuram rotundam, & ſphæricam. Ita Clavius *cap. 1. Sphæra*, cum communi Mathematicorum, & ſequitur Maſtr. Blancan. Maurus, &c.

Probat. tum quia ſacræ litteræ appellant Mundum Orbem, indicantes per hoc ejus ſphæricitatem, & orbicularem figuram: tum quia figura rotunda eſt perfectiſſima; cùm contineatur unicâ ſuperficie; & ſit mirè uniformis, ac ſecundùm omnes partes ſuperficiei æquè diſtans à centro, cumque careat principio, & fine: Ergo &c. Tum quia figura rotunda eſt capaciſſima; ut demonſtrat Clavius *cap. 1. Sphæra tractatio: de figuris Iſoperimetris*: tum quia eadem figura eſt aptiſſima ad finem Mundi, qui eſt continere omnia intra ſe; eſt etiam perfectiſſima ad motus cælorum perficiendos, quibus circa terram ita moventur, ut illi ſucceſſivè communicent ſuas influentias. Tum tandem quia videmus omnes ſtellas præſertim fixas circa polos moveri, & retinentes eandem diſtantiam ſenſibilem à nobis apparere ſupra horizontem, mox elevari paulatim, donec perveniant ad altitudinem meridianam, quæ eſt ſumma; deinde paulatim deprimi, donec deſcendant infra horizontem; & poſt certum tempus denuò ſupra horizontem apparere; quæ omnia in cælis ſupponunt figuram ſphæricam; Ergo &c.

Dixi

9. *Si Cælum empyreum excipiat.*

Dixi in Concluſione, *ut ab Empyreo præſcindit*; quia Cælum Empyreum, id eſt ſedes Beatorum, ſecundùm communem probabiliter eſt figuræ quadratæ, juxta illud Apoc. 21. *Civitas in quadro poſita eſt*, & eſt ratio, quia hoc cælum eſt firmiſſimum, & immobile, ac conſequenter quadratæ figuræ, quæ firmiùs ſubſiſtit.

QUÆSTIO III.

De temporanea creatione Mundi.

1. *Mundus eſt in tempore conditus.*

Dico primò: Mundus creatus eſt a DEO in tempore, & nullatenus ab æterno. Ita Plato, & communis Philoſophorum Chriſtian. contra Ariſt. docentem, Mundum fuiſſe ab æterno.

Probat. primò authoritate S. Scripturæ; exordia temporanea, & natales Mundi inchoantes recenſentis; unde in Chronologia Moyſis Gen. *1. cap.* dicitur; *in principio creavit DEUS cælum, & terram:* ubi D. Auguſt. *q. 112. novi & veter. Teſtam.* loco, *in principio*, ſic transfert, *ab initio temporis*: Ergo &c. Vide plures alios Scripturæ textus in *Schola mea Theol. Tom. 2. tract. 2. diſt. 1. q. 1.*

Prob. ſecundò authoritate Conc. Lateran. quod *cap. firmiter, de ſumma Trinit.* concluſionem dogmatizat his verbis; *Creator omnium inviſibilium, & viſibilium, ſpiritualium, & corporalium, ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit naturam, ſpiritualem & corporalem*; ex qua ſcilicet coaleſcit totus Mundus: Ergo &c.

Prob. tertiò ratione: *primò* nullum extat veſtigium, comprobans æternitatem Mundi; nec ulla authoritate, aut codice vetuſtiori, quam ſit S. Chronologia Moyſis, hujuſmodi æternitas aſſeritur: Ergo Mundus nullatenus eſt ab æterno; ſed in tempore creatus. *Secundò* Mundus paulatim deficit, & omnia in ipſo hebetantur, ac imperfectiora evadunt; juxta illud 4. Eſdræ *cap. 5. Conſidera ergo & tu, quoniam minori ſtaturæ eſtis præ his, qui ante vos, & qui poſt vos minores, quàm vos, & quaſi jam ſeneſcentes creaturæ, & fortitudinem juventutis prætereuntes*: Ergo ſi fuiſſet ab æterno Mundus, hodie deberet eſſe quaſi totus defectuoſus, hebetatus, & imperfectus redditus; hoc autem videtur falſum: Ergo &c.

Obijcies primò: DEUS habuit ab æterno volitionem creativam: Ergo eâ fuit Mundus ab æterno creatus. Reſpondeo Neg. Conſeq. nam illa volitio creativa DEI etſi fuerit entitativè ab æterno; terminativè tamen fuit in tempore; ita ut in tempore duntaxat terminaretur ad terminum ſuum, qui eſt Mundus creatus. 2. *Volitio DEI creativa æterna eſt terminativè in tempore.*

Dices: Ergo DEUS terminando in tempore creationem Mundi fuit mutatus; quia recepit novam denominationem creantis in tempore, quæ ſupponit formam novam receptam mutantem. Reſpondeo Neg. Illatum: ad ejus rationem dico; illam denominationem creantis in tempore, non ſupponere ullatenus formam novam, receptam mutantem; ſed provenire ab ipſo Mundo in tempore creato, quemadmodum (ut exemplô Scoti utar) dum Sol de novo illuminat aliquod corpus opacum, de novo productum v. g. hanc plantam; non propterea dicitur recipere novam denominationem illuminantis, ſupponentem formam novam receptam mutantem; ſed denominatur de novo illuminans à corpore illo de novo producto, & illuminato. 3. *Denominatio creantis in tempore non ſupponit novam formam mutantem in DEO.*

Obijcies ſecundò: Ariſt. *8. Phyſic. cap. 1. & 2.* Item *1. Cæli cap. 9. & 12.* & alibi docet, Mundum fuiſſe ab æterno, cum hac rerum ſerie & ſucceſſione; ſub qua modo reperitur: Ergo non fuit in tempore creatus. Reſpondent nonnulli DD., ut Vorſilonus, Ferch, & alii, Ariſtot. nunquam aſſertivè hanc docuiſſe ſententiam; ſed ejuſmodi maculam ipſi ab Averroë fuiſſe inuſtam, unde ajunt, eum non philoſophicè, ſed duntaxat populariter fuiſſe locutum; aut certè attuliſſe ſolùm quaſdam rationes probabiles ad hominem adverſus antiquos, qui abſurdô quodam modô Mundum factum fuiſſe dicebant. Verum Ariſtotelem verè ſenſiſſe, & docuiſſe Mundi æternitatem, conſtat apertè ex textu *locis cit.* & alibi, ubi de hac æternitate ex profeſſo ſeriò agit, & variis rationibus eam oſtendere conatur. Inſuper nullibi contrarium aſtruit de ſua mente; quæ omnia indicant eum non populariter, & ad hominem duntaxat; ſed philoſophicè loqui. Quare dicendum, Philoſophum hoc in puncto, utì & nonnullis aliis erràſſe; ac proinde ejus ſententiam nullatenus hîc ſectandam. Rationes Ariſtotelis modici roboris vide ſolutas apud Maſtrium hic *diſp. 1. q. 5. art. 1.* & alios. 4. *Ariſt. erravit apertè aſſerens æternitatem Mundi.*

Dico

5. *Deus potuit creare Mundum ab æterno quoad entia permanentia.*

Dico ſecundò: DEUS tamen potuit creare Mundum ab æterno, quoad entia permanentia. In hanc magìs propendet Scotus; tametſi in *2. diſt. 1. q. 3. n. 8.* ſit problematicus. Eandem tenent Columbus, Fraſſen, D. Thomas, Complut. Navar. Bann. &c. contra Marſil. Henric. Camerin. Tolet. Valleſ. &c. Et probari poteſt primò rationibus, & reſolutionibus allatis in *Tract. ſuper 8. lib. Phyſic. diſt. ult. q. 1.* pro creatura æterna permanenti.

Probat. ſecundò: ex nulla parte poteſt aſſignari repugnantia aliqua, probans DEUM non potuiſſe creare Mundum ab æterno quoad entia permanentia v. g. orbes cæleſtes, aſtra, terram, lapides &c. Ergo dicendum eſt DEUM hunc ab æterno creare potuiſſe. Conſeq. tenet, quia quidquid non importat repugnantiam, DEUS abſolutè poteſt facere. Probat. ergo Ant. non poteſt aſſignari aliqua repugnantia ex parte ipſiuſmet DEI creantis; neque ex parte ipſiuſmet Mundi creandi: Ergo ex nulla parte. Non ex parte DEI: quia DEUS creans eſt infinitæ virtutis, habens ab æterno eandem efficacitatem circa creatum Mundum, quam habuit, dum in tempore ipſum creavit; Ergo ex parte DEI nulla repugnantia aſſignari poteſt.

Prob. Ant. quòd neque ex parte Mundi: quia Mundus etſi ab æterno creatus foret; non propterea haberet eandem æternitatem cum DEO; quia DEI æternitas eſt imparticipata, & independens; Mundi verò foret participata: DEI æternitas eſt independens, & ſummè neceſſaria; æternitas autem Mundi foret dependens, & contingens; Mundus enim in caſu concluſionis potuiſſet non eſſe ab æterno: Ergo ex parte Mundi creandi nulla poteſt aſſignari repugnantia.

Prob. Ant. quòd nec etiam ex parte modi creationis, quòd ſcilicet ex nihilo deberet tunc produci Mundus; quia etiam nunc in tempore Mundus habuit talem creationis modum; cùm pariter creatus ſit ex nihilo: Ergo ex parte modi nulla quoque aſſignari poteſt repugnantia.

Probat. tertiò Concluſio: ſi aliqua creatura eſſet ab æterno, poſſet producere ſuum effectum ab æterno; quia, ut dicit D. Auguſt. *6. Trinit. cap. 1.* ſi ignis, aut Sol fuiſſet ab æterno, produceret ſplendorem à ſe egredientem ab æterno: Ergo cùm DEUS ſit ab æterno, & multò perfectior igne, aut Sole ad creandum, poſſet Mundum ab æterno creare.

6. *Si Mundus eſſet ab æterno, ejus æternitas nō eſſet ſimilis attributo Divino æternitatis.*

Objicies primò: DEUS non poteſt creare aliquam creaturam omnipotentem, & infinitam actu: quia omnipotentia, & infinitas actualis ſunt incommunicabilia attributa DEI: Ergo neque Mundum æternum à pari; cùm æternitas ſit æquè attributum DEI. Reſpondeo Diſt. Conſeq. Ergo neque Mundum æternum, habentem æternitatem ejuſdem rationis cum æternitate DEI Conc. Conſeq. habentem æternitatem diverſæ rationis, Neg. Conſeq. Itaque ſi Mundus eſſet æternus, ejus æternitas non eſſet ſimilis Attributo Divino æternitatis DEI, quæ eſt talis per Eſſentiam; ſed eſſet participata, & creaturæ compoſſibilis.

7. *SS. PP. reconcilianur pro concluſione.*

Objicies ſecundò: multi SS. PP. adverſantur concluſioni; nam D. Ambroſius *1. Hexam. cap. 3.* ait, *quid tam inconveniens, quàm quòd æternitas operis conjungatur æternitati DEI.* Et Damaſ. *1. fidei cap. 9.* dicit, *non eſt aptum natum, quod ex non ente deducitur, coæternum eſſe ei, quod ſinè principio, & ſemper eſt,* qualis eſt DEUS æternus: Ergo Mundus non potuit creari ab æterno. Reſpondeo gloſſando allatos SS. PP. & dico, eos rurſus ſolùm velle, quòd nullum opus poſſit creari ex nihilo, cum eadem æternitate, independenti à ſe, & quæ per Eſſentiam eſt talis, qualis eſt æternitas DEI: non autem cum eadem æternitate dependente, & participata.

8. *Non ſequitur infinitum categorematicum ex æternitate Mundi.*

Objicies tertiò: ſi à DEO crearetur Mundus ab æterno, poſſet dari infinitum cathegorematicum, ſeu actu: ſed tale repugnat: Ergo &c. Prob. Maj. DEUS in qualibet die; imo in qualibet hora ab æterno poſſet creare unam animam rationalem, quæ cùm ſit immortalis ſemper duraret: Ergo ſi crearetur Mundus ab æterno jam eſſent elapſi infiniti dies, & infinitæ horæ, & tandem forent infinitæ actu animæ rationales in ijs creatæ. Reſp. Neg. Maj. ad ejus probationem dicit *loc. cit.* Scotus, *quidquid non poteſt fieri à DEO in uno die, eò quòd illud fieri implicat contradictionem, hoc non poteſt fieri à DEO etiam in infinito præterito* (ſi daretur) *propter eandem rationem; in iſta enim die infinita ſunt inſtantia, imò in una hora unius diei.* Et paucis interpolatis ſubdit: *Ergo ſi in inſtantibus infinitis hujus diei non poteſt creare infinitas animas: quia hoc non eſt factibile; ita nec in infinitis totius præteriti poſſet infinitas animas creare.*

9. *Deus nequit creare Mundum ab æterno quoad entia ſucceſſiva.*

Dico quartò: quoad entia verò ſucceſſivà probabiliùs eſt, quòd DEUS Mundum non potuerit creare ab æterno. In hanc quoque propendet Doctor ſubtilis *loc. cit. num. 20.* Et ſequuntur Pontjus, Fraſſen, Durand. Conimbr. Ruvius &c. contra Columbum, Complutenſes, Gabrielem â S. Vincent. & Thomiſt.

Probatur primò: illud ens, quod includit aliquod prædicatum repugnans cum æternitate, non poteſt creari à DEO ab æterno: ſed entia ſucceſſiva cujuſmodi ſunt, v. g. tempus, hora, dies, motus, generatio, &c. ſunt ejuſmodi: Ergo entia ſucceſſiva probabiliùs non potuerunt creari â DEO ab æterno. Probat. Min. Entia ſucceſſiva includunt priùs & poſteriùs: ſed prius, & poſteriùs ſunt prædicata repugnantia cum æternitate; aliàs in æternitate poſſet aſſignari aliquod inſtans, in quo res incepiſſet, quod dici nequit: Ergo &c.

Probat. ſecundò: ex admiſſione æternitatis in ſucceſſivis ſequeretur magnum inconveniens; ſequeretur enim partem eſſe æqualem toti; quia ſi præſens Mundus fuiſſet ab æterno creatus, jam infinitæ fuiſſent exhauſtæ, & emenſæ cælorum circulationes; & conſequenter jam exhauſta infinita ſæcula, dies, & horæ; & ſic tot effluxiſſent horæ, quot dies; tot dies quot ſæcula; quia horæ, dies, & ſæcula fuiſſent infinita: nec conſequenter plures horæ quàm dies; nec plures dies, quàm ſæcula; ſicque hora eſſet æqualis diei, & dies æqualis ſæculo, cujus eſt pars: Ergo &c.

QUÆSTIO IV.

De tempore inceptionis; & immutationis Mundi.

1. *Mundus creatus eſt tempore verno.*

Dico primò: Mundus probabiliùs creatus eſt tempore verno. Ita Communior Interpretum. Et TT. contra P. Lyranum, Abulenſem, & alios.

Probat. *primò* authoritate Concilii Palæſtini; quod concluſionem ſtatuit. *Secundò* authoritate SS. PP. tum Græcorum, tum Latinorum idem aſſerentium; ut videre eſt apud Sanctum Damaſcenum *lib. 2. fidei cap. 7.* Sanctum Leonem Papam *Serm. 9. de Paſſione.* Divum Athanaſium in *qq. ad Antiochum.* Sanctum Auguſtinum *in quæſt. veteris & novi Teſtamenti.* Cyrillum, Hieronymum, Bedam, & Ambroſium, *cap. 4. Hexam. l. 1.* dicentem, *in hoc principio, quò Paſcha juſſu DEI celebrant Iudæi, Cælum & terram fecit DEUS, quod inde Mundi capi oportebat exordium, ubi erat oportuna omnibus verna temperies:* Ergo &c.

Probat. etiam congruentiâ: conveniens valdè videtur, ut DEUS qui omnia fortiter ſvaviterque diſponit, ad extrà operareur optimô & aptiſſimô tempore; ſed optimum & aptiſſimum tempus eſt vernum: Ergo &c. Prob. Min. tempus vernum eſt amœniſſimum ob viroris univerſalis, herbarum, florum, frondiumque apparentiam; eſt viventium generationi, accretioni, & conſervationi accommodatiſſimum; cùm ſit temperatè calidum, & humidum, quæ ſunt duæ qualitates generationi, ac vitæ tam ſtirpium, quàm animalium valde congruentes: êcontra verò tempus autumnale (in quo P. Lyra & alii aſſerunt Mundum creatum) eſt frigidum, & ſiccum; magiſque corruptioni, quàm generationi rerum conveniens: Ergo tempus vernum eſt optimum, & accommodatiſſimum.

2. *Patri Lyrano opponenti ſatisfit.*

Objices pro Lyrano: tempore creationis Mundi omnes arbores fructiferæ erant onuſtæ fructibus; ſicut patet ex fructu vetito, tunc maturo: Ergo probabilius tunc erat tempus autumnale, aptum natum proferre fructus maturos. Conſeq. tenet; quia aliàs magnus diſordo in fructificando fuiſſet cauſatus in omnibus arboribus. Reſpondeo illos fructus maturos pro illa vice duntaxat ex ſpeciali Providentia Authoris naturæ fuiſſe ſimul concreatos cum ipſis arboribus, ut videlicet Adam, & Eva inde neceſſaria haberent alimenta, qui fructus ab eodem Authore naturæ deinde vel conſervabantur uſque ad tempus ſubſequens Autumnale, aliàs ordinatum pro fructificando, vel adveniente tempore fructificandi decidebant, ut arbores alios producere poſſent; vel ſimul habuerunt junctos flores, aut fructus alios immaturos, qui tractu temporis maturuerunt pro ſuſtentatione Protoparentum.

3. *Creatio Mũdi non fuit tota in inſtanti peracta.*

Dico ſecundò: totius Mundi tempore vernô conditi creatio non fuit peracta in inſtanti, aut modico aliquo tempore; ſed

ſed ſpatiô ſex dierum realium. Ita communis Interpretum Scripturæ, & Theologorum contra Philonem Judæum, S. Auguſtinum, & alios quoſdam dicentes, quòd omnia quæ docet Moyſes creata â DEO per ſex dies, eſſe in myſtico ſenſu, & de diebus myſticis intelligenda; & conſequenter omnia opera Mundi eſſe unicô momentô abſoluta â DEO, utpote operante per infinitam Potentiam.

Probat, primò authoritate S. Scripturæ; nam S. Geneſis Moyſis refert ſex reales dies pro creatione Mundi totius, eoſque appellat veros dies illis verbis: *factum eſt mane, & veſpere dies unus; dies ſecundus &c.* qui dies omnino litteraliter ſunt intelligendi; nam eſt Regula generalis Theologorum & Interpretum S. Scripturæ, quòd S. Scriptura, maximè hiſtorialiter procedens, ſit in litterali ſenſu ſemper accipienda, ac intelligenda, quotieſcunque non obſtat aliquod inconveniens; quale hìc aſſignari nequit: Ergo totius Mundi creatio ſpatiô ſex dierum realiter eſt peracta.

Prob. ſecundò authoritate SS. PP. qui ſcribentes ſuper Geneſim ômnes, exceptô Auguſtinô, Mundi totius creationem explicant ut factam intervallô ſex dierum realium; ſignanter vide D. Ambroſium *lib. 1. in Hexam. cap. 7.* Divum Bonavent. S. Hieronymum, & Gregorium *lib. 32. moral. cap. 10.* & alios: Ergo &c.

4. *Ratio ad idem.*

Prob. tertiò ratione: S. Geneſis varia commemorat, quæ non videntur potuiſſe peragi in unico inſtanti creationis; nam dicitur tenebras quaſdam in principio creationis cæli, & terræ occupâſſe faciem abyſſi; *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*; adeoque necdum tunc erat creata lux; & poſt hoc primò addit, *& vidit DEUS lucem quod eſſet bona, & diviſit lucem â tenebris.* Geneſ. 1. Sic ſimiliter narratur, quòd in principio creationis cæli & terræ aquæ fuerint confuſæ, & poſtea primùm diviſæ; juxta illud Gen. *loc. cit. Dixitque DEUS fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas.* Sic pariter dicitur, quòd terra priùs erat inanis, & vacua; de qua poſtea ſubdit Creator; *germinet terra herbam virentem, & facientem fructum juxta genus ſuum*: Ergo totius Mundi Creatio non fuit peracta in inſtanti.

5. *D. Auguſtinus gloſſatur.*

Objicies primò authoritatem D. Auguſt. *in libris ſuper Gen. ad litt.* contrarium ſentientis; qui, cùm ſit æſtimatiſſimus Eccleſiæ Doctor, nô facilè eſt reijciendus hac in parte. Reſpondeo *primò*: opponendo D. Auguſtino torrentem aliorum SS. PP. Latinorum, & Græcorum, æquè maximæ authoritatis in Eccleſia. Reſpondeo *ſecundò*: D. Auguſt. hac in parte ſolùm ſuam opinionem ut probabilem, non ut aſſertivam propoſuiſſe, quemadmodum ſe explicat in *4. de Gen. ad litt. cap. 27. & 28.* Unde *2. retract. cap. 24.* loquens de libris ſuper Geneſim editis, ait: *in quo opere plura quæſita, quàm inventa ſunt, pauciora firmata; cætera verò propoſita, velut adhuc requirenda ſint.*

6. *Quid operetur ly ſimul in Conc. Lateran.*

Objicies ſecundò: Concil. Lateran. relatum *Cap. firmiter*, docet, DEUM ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe naturam, ſpiritualem & temporalem &c. Ergo totus Mundus creatus eſt in inſtanti; hoc enim importatur per illam particulam, *ſimul.* Confirm. ex illo Eccli. *18. qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*: Ergo &c. Reſpondeo gloſſando S. Concil. & Scripturam allatam, dicoque, ly *ſimul*, non importare aliquam ſimultatem temporis; ſed ſignificare idẽ, quod *pariter*, ut ſenſus ſit, Deum omnia pariter creâſſe, id eſt nullô exceptô; eô modô, quo dicitur Pſal. 13. *Omnes declinaverunt ſimul inutiles facti ſunt*, id eſt omnes pariter inutiles facti ſunt. Itaque ly *ſimul*, non afficit ly creavit; ſed ly *omnia.*

7. *Scriptura Gen. 2. gloſſatur.*

Dices: ipſemet Moyſes innuit per ly *ſimul* importari ſimultatem temporis; nam ſcribit Gen. 2. *Hæ ſunt generationes cæli, & terræ, quando creata ſunt in die, quô fecit DEUS cælum & terram, & omne virgultum agri.* Ergo &c. Reſpondeo gloſſando Scripturam, & dico Moyſen hìc ſolùm velle ſignificare, quòd cælum, terra, & omne virgultum creata ſint die unico quoad materiam; non quoad formam; ſicut ſuper hunc Scripturæ paſſum eruditè obſervat D. Gregorius *lib. 32. Moral. cap. 10.* inquiens: *qui diverſis diebus creatum cælum & terram, virgultum narraverat, nunc uno d[illegible] facto manifeſtat; ut liquidò oſtenderet, quòd creatura omnis ſimul per ſubſtantiam* (*id eſt materiam*) *extitit; quamvis non ſimul per ſpeciem* (id eſt formam) *proceſſit.* De quolibet opere in particulari, hiſce ſex diebus architectato, vide *Scholam meam Theologicam tom. 2. tract. 2. diſt. 1. q. 3. 4. & ſequent.* Circa deſitionem Mundi.

8. *Sphæra Mundi innovabitur aliquando.*

Dico tertiò: univerſa ſphæra Mundi, tam quoad Cælos, quàm quoad elementa â DEO immutabitur, & innovabitur,

completô Judiciô univerſali, exceptô cælô empyreô. Ita communis Theologorum.

Probat. prima, & ſecunda pars: *primò* authoritate S. Scripturæ, Iſ. 65. *Ecce ego creo cælos novos, & novam terram; primum enim cælum, & prima terra abijt*: Ergo &c. *Secundò* authoritate SS. PP. eandem immutationem, & innovationem univerſæ ſphæræ Mundi aſſerentium; ut videre eſt apud D. Auguſt. Hieron. Gregor. Ambroſ. & alios Scribentes in citatos paſſus Scripturæ: Ergo &c.

9. *Excepto cælo empyreo.*

Prob. tertia pars: Cælum Empyreum non eſt creatum propter uſum rerum inferiorum; puta propter earum generationes, & corruptiones, ut cæteri cæli; ſed ut ſit ſedes BB. ſed hanc oportet eſſe perpetuam; ſicut eſt perpetua ipſa beatitudo: Ergo cælum Empyreum non immutabitur.

10. *Innovatio Mundi erit tantum accidentalis.*

Dico quartò: Immutatio, & innovatio ſphæræ Mundialis ſolùm erit quoad accidentia; non verò quoad ſubſtantiam. Ita S. Bonavent. Magiſt. Sentent. Lyra, & communis Interpretum Scripturæ; contra Catharinum, Molinam, Valleſium, Salmeron. &c.

Probat. authoritate SS. PP. paſſim docentium, ſubſtantiam Mundi remanſuram in conflagratione Mundi; & ſolas formas, ſeu qualitates accidentales interituras; ut videre eſt apud Irenæum *lib. 4. contra Hær. cap. 6.* Epiphanium *hær. 64.* Hieronymum *in cap. 7. Epiſt. ad Cor.* Ergo &c. De hujuſmodi immutatione, quæ fiet mediante igne conflagrationis Univerſi, vide plura *in Schola mea Theol. tom. 2. tract. ult. diſt. 5. q. 8.* ubi etiam totâ illâ diſtinctione varia curioſa diſcutiuntur de ſignis præcedentibus hujuſmodi immutationem, & Judicium univerſale Mundi; utì ſunt adventus Antichriſti, ejus doctrina, regnum, prælia, &c. item obſcuratio Solis, eſtetharum, terræ motus &c. item defectio Imperii Romani &c.

Dico quartò: poſt immutationem ſphæræ Mundialis ceſſabit motus corporum cæleſtium. Ita Scotus *4. diſt. 48. q. 2.* Baſſolius, Lyra, &c. 11. *Motus cæleſtium ceſſabit.*

Probat. *primò*: quia ita colligitur ex S. Scriptura Gen. 1. nam dicitur, ibidem, quòd *luminaria facta ſunt in firmamento cæli, ut dividant diem, & noctem, & ſint in ſigna, & tempora, dies, & annos, &c.* Dies autem, ut rectè ait Gloſſa ordinaria hìc, & anni motibus ſyderum fiunt; poſt immutationem verò Mundi, nulli ampliùs erunt dies; ut patet ex illo Zach. 14. *Erit dies una, quæ nota eſt Domino; non dies, neque nox*; id eſt non erit viciſſitudo diei, & noctis, ut alit Gloſſa *citata*. *Secundò*: ex illo Iſai. 6. *Non occidet ultrà Sol tuus, & Luna tua ultrà non minuetur*: Ergo motus corporum cæleſtium, Solis, & Lunæ ceſſabit, factâ immutatione ſphæræ Mundialis: ſed eadem eſt ratio de aliis corporibus cæleſtibus: Ergo &c.

Prob. *ſecundò*. ſublatâ cauſâ finali tollitur medium ad ipſam ordinatum: ſed generatio hominum, ejuſque corruptibilitas conſervanda miniſteriô motûs cæleſtis, quæ eſt detactò cauſa motûs cæleſtium corporum, ceſſabunt poſt immutationem Mundi: Ergo & motus corporum cæleſtium.

DISTINCTIO II.

DE CÆLO.

Proloquium.

QUinque ſunt corpora ſimplicia (id eſt talia, quæ in ipſo aliquo modo continentur, & ad ſui conſtitutionem præſupponuntur) Cælum, ignis, aër, aqua, & terra, ut probat Ariſtoteles 1. Cæli, tex. 7. & ſeq. *ex quibus Mundus ſive globus Mundialis conficitur: de primo agendum* in hac Diſt. *de alijs* in ſequenti Tractatu.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De quidditate, & natura Cæli.

1. *Quid nomine Cælum.*

NOta primò: nomenclaturam Cæli derivari, vel â *celando*, id eſt, *occultando*; eò quòd celet, & occultet noſtro aſpectui beatitudinem cæleſtem; & alia quæ intra, vel ſupra Cælum efficiuntur: vel â *celando*, id eſt ſculpendo, eò quòd in eo mirô authoris naturæ opificiô variæ ſtellæ ſculptæ cernantur.

2. *Nomine Cæli venit totum aggregatum orbium cæleſtiũ & elementorum.*

Nota ſecundò: nomine Cæli venire quandoque totum illud ſpatium interjacens inter terram, & concavum Lunæ; in hoc ſenſu aves â S. Litteris vocantur *volucres Cæli.* Quandoque uſurpatur pro habitaculo, viſione, ac fruitione BB. & in hoc ſenſu procedit illud Scripturæ; *regnum Cælorum vim patitur.* Sed ad propoſitum Philoſophicũ capitur pro aggregato ſphærarum compoſito ex variis orbibus mobilibus, circumdantibus quatuor elementa, qui orbes ornati ſunt variis aſtris: & deſcribitur â Scoto *2. diſt. 2. q. 6.* ſic; *Cælum eſt continentia rerum omnium viſibilium, & inviſibilium.*

3. *Varietas opinionum circa naturam Cæli.*

Nota tertiò: circa eſſentiam, & naturam Cæli varias eſſe opiniones DD. veteres Philoſophi, & quidam SS. PP. ſuſtinuerunt Cælum conſtare vel naturâ Elementari; vel igneâ ſecundùm quoſdam; vel aëreâ ſecundùm alios; vel aqueâ, aut terreâ; vel certè mixtâ ex pluribus elementis, ſecundùm alios. Ariſtot. & plures Peripatetici veteres aſſeruerunt illud eſſe expers omnis materiæ phyſicæ; quibus ſubſcripsêre Gabriel, Mayr, Aureolus &c.

4. *Cæli ſunt compoſiti ex materia, & forma phyſica.*

Dico primò: tota ſphæra Cælorum conſtat naturâ, compoſitâ ex materia & forma phyſica. Ita Scotus *2. diſt. 12. q. 1.* ejuſque Schola, & D. Bonavent. Alenſ. Occam: & ex Veteribus Plato, Democritus, Empedoc. & communior Theol. contra cit. DD.

Prob. primò: authoritate SS. PP. concluſionem aſſerentium; ſignanter D. Auguſtini *2. de Gen. ad litt. 11.* dicentis: *fecit mundum* (& conſequenter Cælos) *ex materia informi*; quæ videlicet ſecundùm Scotum *cit. loc.* Alenſem, & communem Theol. erat illud chaos, â terra uſque ad Cælum Empyreum attingens, ex quo corpora cæleſtia fuerunt compacta. Eandem doctrinam affert *lib. 2. contra adverſarium legis, & Prophetarum cap. 8.* ubi etiã adducit in confirmationem concluſionis illum Scripturæ textum Sap. 11. *qui creavit orbem terrarum ex materia inviſa*; id eſt ut gloſſat Lyra, ex materia prima; quæ dicitur *inviſa*, propterea quòd â nobis non eſt viſibilis, ſeu cognoſcibilis, niſi per analogiam ad formam: Ergo tota ſphæra Cælorum conſtat naturâ compoſitâ ex materia & forma phyſica.

Prob. ſecundò ratione: *Primò* res quæ cadunt ſub ſenſu hominum conſtant materiâ primâ, & formâ phyſicâ, utì apparet de lignis, lapidibus &c. ſed ſphæra Cælorum cadit ſub ſenſum: Ergo conſtat naturâ, compoſitâ ex materia prima, & forma phyſica. *Secundò*: illud conſtat naturâ, compoſitâ ex materia & forma, quod eſt receptivum accidentium taliũ, qualia nata ſunt recipi in compoſito ex materia & forma phyſica: ſed tota ſphæra Cælorum eſt receptiva talium accidentium, puta quantitatis, magnitudinis, raritatis, denſitatis, diaphaneitatis, figuræ, coloris, &c. Ergo ſphæra Cælorum conſtat naturâ, compoſitâ ex materia & forma phyſica. *Tertiò*, ſphæra Cælorum meritò inter ſpecies corporis naturalis recenſetur; & conſequenter habet principium motûs & quietis: ſed hoc eſt materia & forma phyſica: Ergo &c.

Objicies primò: Ariſtot. contrarium ſenſit variis in locis; nam *1. Cæli 20. & 21.* docet, Cælum eſſe æternum, & incorruptibile; quod autem conſtat naturâ, compoſitâ ex materia & forma phyſica, non eſt æternum & incorruptibile, cùm materia phyſica ſit principium & radix corruptionis; ſiquidem eſt in potentia ad formam, & privationem formæ, ex *9. Metaph. tex. 17.* Ergo &c. Similiter *8. Metaph. 14.* aſſerit, materiam phyſicam ſolùm adeſſe in ijs, in quibus fit generatio, & tranſmutatio ſubſtantialis: ſed in ſphæra Cælorum non fiunt generationes, & tranſmutationes ſubſtantiales: Ergo &c.

5. *Quidam textus Ariſtotelis exponuntur in favorem concluſionis.*

Reſpond. *primò*: Ariſtotelis authoritatem non eſſe hac in parte attendendam; eò quòd ſit contra torrentem SS. PP & Theologorum. Reſpondeo *ſecundò*: Ariſtot. aliis in locis aſſerere Cælos eſſe compoſitos ex materia, ut videre eſt *2. de gener. tex. 5.* ubi tam corporibus ſempiternis (ita appellat Cælos) quàm primis (ita appellat elementa) concedit materiam, dicens: *ſunt igitur & numero equalia, & genere*

eadem principia, quæ in ſempiternis, & in primis: illud enim ut materia eſt, hoc autem ut forma: Quare ſicut elementa habent veram materiam, ita & Cæli. Eadem doctrina colligitur ex *12. Met. tex. 4.* & *8. Met. tex. 3.* & *6. Met. tex. 2.* Itaque ad reconciliandos textus objectos cum hiſce mox citatis dico, Ariſtotelem in prima authoritate objecta *1. Celi 20. & 21.* ſolùm velle, quòd Cælum ſit incorruptibile in hoc ſenſu, quatenus ſcilicet non eſt tranſmutabile, ſeu ſubditum mutationibus, ſolitis fieri in corporibus ſublunaribus mixtis, utpote expoſitis pugnæ primarum qualitatum; & quia non reperitur ullum agens naturale tantæ activitatis, ut formam Cæli poſſit ab eo ſegregare, novamque induere; cum quo ſtat, quòd Cælum ſit corruptibile ab intrinſeco ratione materiæ, quæ radix eſt corruptibilitatis. In ſecunda authoritate, tantùm vult, materiam tranſmutabilem adeſſe ſolùm in ijs, in quibus contingit generatio, & tranſmutatio ſubſtantialis, ob efficacitatem agentium naturalium; cum quo ſtat, quòd Cælum habeat materiam, in qua nullum agens naturale exercere poteſt ſuam efficacitatem, ob tenaciſſimam cohæſionem formæ cæleſtis cum materia.

6. *Materia Cælorum eſt ejuſdem ſpeciei cum ſublunari.* Dico ſecundò: materia totius ſphæræ cæleſtis, eſt ejuſdem rationis & ſpeciei cum materia globi terraquei. Ita Scotus *2. diſt. 14. q. 1.* cum ſua Schola, & S. Bonav. Ægidius Racon, Molin. Aureol. Occam. Arriag. & fuit priſca quoque ſententia Platonis, Xenoph. Heraclit. Emped. Thal. & contra Thomiſtas, Alenſ. Cajet. Svar. Amic. Maur. &c.

Prob. primò authoritate S. Scripturæ, & SS. PP. D. Baſilii, Auguſtini, Ambroſij, Theodori, & aliorum, qui interpretando illud Gen. 1. *Fiat firmamentum in medio aquarum, &c.* docent, Cælos nomine firmamenti vocatos, fuiſſe formatos ex materia aquæ, in ordine ad illas aquas dividendas; materia autem aquæ eſt materia ejuſdem rationis & ſpeciei cum materia globi terraquei: Ergo &c. Similiter ijdem PP. ex illo Sap. 11. *Qui creavit orbem terrarum ex materia invisa*, colligunt totam machinam mundialem factam eſſe ex unica materia, creata primò die creatione propriè dictâ; & conſequenter etiam Cælos: unde Auguſt. *2. de Gen. ad litt. cap. 21.* ait, *ex ipſa corporali materia, jam factum Cælum narratur*: Ergo &c.

Probat. ſecundò ratione: communia, eademque accidentia arguunt idem ſubjectum, communemque materiam, & ejuſdem rationis; ut ſignificat Philoſophus *1. de anima 11.* ſed ſphæra cæleſtis, & globus terraqueus habent eadem accidentia; puta quantitatem, perſpicuitatem, denſitatem, raritatem, lumen &c. Ergo habent idem ſubjectum, communemque, & ejuſdem rationis materiam. Deinde utraque materia habet eaſdem proprietates; utraque enim eſt receptiva formarũ, & conſtitutiva corporis: Ergo &c.

Probat. tertiò aliâ ratione: ſi ex aliquo capite poſſet argui materia diverſæ rationis in ſphæra cæleſti, & globo terraqueo, maximè eſſet propter nobilitatem, & incorruptibilitatem formæ Cælorum: ſed ex his capitibus non bene arguitur: Ergo &c. Prob. Min. non ex nobilitate & præſtantia formæ cæleſtis; quia anima rationalis eſt nobilior omnibus formis horum terreſtrium; & tamen materia ejus, id eſt corporis, quod informat, & aliorum terreſtrium non rectè arguitur eſſe diverſæ rationis. Nec ex incorruptibilitate formæ; nam una ſtella habet formam incorruptibilem, diſtinctam à forma alterius ſtellæ; & tamen materia unius non differt ſpecie à materia alterius: Ergo ex his capitibus nõ bene arguitur, materiam ſphæræ cæleſtis eſſe diverſæ rationis à materia globi terraquei.

7. *Authoritates Philoſophi gloſſantur.* Objicies primò varias authoritates Philoſophi in contrarium: nam *12. Met. cap. 2. tex. 10.* docet, in ſempiternis, cujuſmodi ſunt Cæli, extare materiam planè diverſam à temporaneis, & corruptibilibus: Idem habet *8. Metaph. cap. 4. tex. 12.* Idem *1. de generatione cap. 10. tex. 54.* vult ea, quæ habent ejuſdem rationis materiam, eſſe viciſſim tranſmutabilia; Cæli autem non ſunt viciſſim tranſmutabiles: Ergo &c.

Reſpondeo interpretando Philoſophum; & dico, quod *12. & 8. Metaph. cit.* ſolam diverſitatem accidentalem materiæ, in ſempiternis & temporaneis velit adſtruere; non eſſentialem; eò quòd in temporaneis, cujuſmodi ſunt mixta ſublunaria, ut planta, corpus humanum, &c. reperiantur varia accidentia corruptiva formæ, quæ non reperiuntur in ſempiternis, puta in Cælis; quia accidentia diverſificant materiam accidentaliter duntaxat, dum eandem immutant. Vel certè loquitur non de materia partis, ſeu de materia prima in qua recipiuntur formæ; ſed de

de materia totius, accepta pro hæcceitate, ſeu differentia individuali, quæ haud dubiè eſt diverſa in ſempiternis & temporaneis. Ad aliam authoritatem deſumptam ex *1. de gener. cap. 10.* dico, Ariſtotelem loqui duntaxat de his inferioribus, & terreſtribus; quæ ex, eo quòd habeāt eandem materiam, ſunt invicem traſmutabilia. Vel ſi loquatur univerſaliter de omnibus, dico, etiam Cælos eſſe tranſmutabiles, reſpiciendo Potentiam Divinam; quia DEUS poſſet ſuâ infinitâ Potentiâ eos quoque tranſmutare; tametſi ab aliis agentibus naturalibus creatis non ſint tranſmutabiles: quare manet, quòd adhuc conſtent materiâ ejuſdem rationis tranſmutabili.

Objicies ſecundò: in Cælis obſervantur quædam, quæ arguunt materiam diverſæ rationis, & ſpeciei adeſſe: Ergo &c. Probat. Ant. in Cælis obſervatur omnimoda incorruptibilitas; item incapacitas recipiendi peregrinas impreſſiones; item indiſſolubilis nexus formæ cum materia:

8. *Cæli ſunt corruptibiles ab intrinſeco.*

Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. ad ejus Probat. Neg. Ant. quoad primam partem; nam Cæli conſtant materiâ primâ, ut radice corruptibilitatis; quod ſufficit, ut dicantur verè corruptibiles ab intrinſeco; poſſunt enim â DEO corrumpi. Quo ad alteram partem Antecedentis dico, illam incapacitatem, & indiſſolubilitatem provenire ex tenaciſſima immerſione formæ cæleſtis in ſuam materiam; unde ex his non rectè argui debet diverſitas materiæ; nam in his quoque terreſtribus reperiuntur quædam compoſita, quorum formam utpote tenaciter connexam, agentia naturalia non poſſunt reſolvere & avellere â materia, neque eis imprimere peregrinas impreſſiones corruptivas formæ, tametſi materia ex ſe ſit capax abſolutè impreſſionum peregrinarum, & diſſolubilis â forma; ſic videmus adamantem, & linteamina ex lino albeſtino, item aurum reſiſtere activitati ignis.

QUÆSTIO II.

De forma Cæli, ejuſque diverſitate ab Elementis.

1. *Varietas opinionum circa qualitatem formæ Cælorum.*

Nota primò varietatem opinionum circa qualitatem formæ Cæli: Stoici, teſte Cicerone *2. de Nat. Deor.* docuerunt, formam Cæli eſſe quamdam animam vegetantem, & conſequenter ferunt Cælos omnes nutriri vaporibus, ex terra & Occeano in altum ſublatis. Avicenna cum Academicis aliis arbitratus eſt, Cælis ineſſe animam ſenſitivam, exercentem ſenſationes omnium quinq; ſenſuum. Platonici, Pythagorici, Simplicius, Triſmeg. & alii autumârunt, Cæli formam planè eſſe intellectivam & rationalem; quibus conſentit Origenes, qui *lib. 7. Periarchos*, & *lib. 1. in Ioan.* docet, ſtellas eſſe capaces vitii, & virtutis; poſſeque in actionibus ſtudioſis deficere. Tanta diverſitas harum opinionum reddidit perplexum D. Auguſtinum, ut *in Enchirid. 18.* neutram partem auſus fuerit aſſeverare. Et illa doctrina Pythagoricorum ita invaluerat, tempore Anaxagoræ, ut is ab Athenienſibus fuerit damnatus impietatis & blaſphemiæ, eò quòd Solem lampadem ardentem, non verò genium præditum vitâ intellectivâ nominâſſet. Sed ego cum Fide Catholica.

Dico primò: forma informans Cæli; non eſt formaliter aliqua anima vegetativa, vel ſenſitiva, vel rationalis; & conſequenter Cæli non ſunt animati. Ita Scotus *2. diſt. 14. q. 1.* S. Bonavent. & communis Philoſophorum Chriſtianorum: & deducitur etiam ex Ariſtot. *8. Phyſ. 40. & 41.* ubi ait; Intelligentiam (id eſt, Angelum moventem, quem veteres poſuerunt formam Cælorum) uniri Cælo ſecundùm contactum virtutis; forma autem debet uniri per unionem & informationem ſubſtantialem.

2. *Forma Cælorum non eſt aliqua anima.*

Probat. primò in communi authoritate V. Synodi univerſalis; quæ anathema dicit illis, qui oppoſitum concluſionis dogmatizant, Joverio *tom. 2. Summa Conciliorum*; referente his verbis; *ſi quis dicit Cælum, Solem, Lunam, ſtellas, & aquas, quæ ſuper Cælos ſunt, animantes eſſe, &c. anathema ſit.* Et Concil. Lateran. relatum in *cap. firmiter*, docet, DEUM duas duntaxat creaturas intellectuales, & rationales creâſſe, Angelicam ſcilicet, & humanam: ſed neutra eſt forma Cæli; cujus nullæ operationes ſpecificæ, & appropriatæ, ſive Angelicæ, ſive humanæ cernuntur in eo: Ergo &c.

Probatur ſecundò: authoritate SS. PP. paſſim aſſerentium, Cælos non eſſe animatos aliquâ animâ; ſic docet S. Damaſc. *lib. de Cælo cap. 5.* & D. Hieronymus ſuper illud Iſai. 1. *Audite Cæli, quæ loquor*, ait, Prophetam non alloqui corpora, ſcilicet Cælum, & terram; ſed utriuſque incolas: Et S. Am-

S. Ambroſ. *in Hexamer. cap. 4.* & S. Baſil. *ibid. Homil. 3.* & S. Cyrillus *2. contra Julian.* Eandem doctrinam aſſerunt Interpretes inſigniores S. Scripturæ; ut P. Lyra *in cap. 10. Ierem.* & Abulenſis *in cap. 3. Exodi.* &c. Ergo &c.

3. *Rationalis.* Probat. tertiò ratione Scoti, *Quodlib. 9.* ſpecialiter de *anima rationali*. ſi forma informans Cæli eſſet aliqua anima rationalis, ſequeretur, quòd eſſet capax meriti & demeriti, gloriæ & pœnæ, æternæ ſalutis, & damnationis, quæ & ſimilia repugnant formæ Cæli: Ergo &c. Præterea, non ſunt multiplicanda entia ſinè neceſſitate: ſed nulla eſt neceſſitas multiplicandi animam rationalem in Cælis: cùm omnes operationes eorum, quæ ſunt motus, illuminatio, & influentia; ab alio principio, quam vitali, ſeu anima rationali, provenire poſſint: Ergo &c.

4. *Vel vegetativa.* Probat. etiam *de anima vegetativa*: quod conſtat animâ vegetativâ, habet operationes correſpondentes animæ vegetativæ; cujuſmodi ſunt nutritio, augmentatio, generatio &c. ſed Cælum non habet tales operationes: Ergo &c. Probat. Min. non enim habet operationem nutritionis; quia nequit aſſignari, quâ re nutriatur Cælum: quia vapores, quibus volunt Stoici Cælos nutriri, non tranſcendunt ſecundam regionem aëris: neque habet operationem augmentationis, & generationis; quia non conſtat Cælum generare ſibi ſimile; aut augmentum aliquod recipere: Ergo &c.

5. *Vel ſenſitiva.* Probat. tandem *de anima ſenſitiva*: anima ſenſitiva eſt actus corporis organici, ac ſenſibus præditi: ſed Cælum non eſt organicum, nec ullis ſenſibus præditum; quia eſt corpus ſimilare, & homogeneum, ac immenſæ magnitudinis, in quo veræ ſenſationes exerceri nequeunt; cùm tales organa determinata requirant: Ergo forma Cæli non eſt aliqua anima ſenſitiva.

Objicies primò: varii textus S. Scripturæ indicant Cælum eſſe quid animatum, animâ informante intellectuale: Ergo &c. Probat. Ant. nam *Iſai. 1.* dicitur, *audite Cæli, quæ loquor*; audire autem indicat audientem eſſe animatum, animâ informante intellectivâ. Et *Pſal. 135.* dicitur: *qui fecit Cælos in intellectu.* Et pluries â SS. Patriarchis, & Prophetis Cæli dicuntur laudare DEUM; & propterea ijdem invitantur ab eis, ad laudes DEO ſolvendas; quod ſupponit animam intellectivã laudis expreſſivam. Unde habetur *Pſal. 18. Cæli enarrant gloriam DEI.* Et *Pſal. 148. Laudate eum Sol & Luna, &c.* Ergo &c.

Reſp. *ad primum* cum S. Hieronymo gloſſante allegatum textum; & dico, eum eſſe metaphoricè intelligendum, id eſt pro ipſis Beatis Spiritibus Cælum incolentibus; qui, cùm capaces ſint auditûs, â Pſalmiſta rectè provocantur ad audiendum. *Ad ſecundum* dico cum S. Auguſtino interpretante hunc paſſum, ly *in intellectu*, idem ſonare, ac *cum intellectu*, ſeu cum ſapientia; ut ſenſus ſit, DEUM Cælos condidiſſe, in vel cum Sapientia Divina; juxta illud Pſal. 103. *Omnia in ſapientia feciſti.* *Ad Tertium* Reſpondeo ſicut ad primum, quòd nomine Cælorum veniant SS. Incolæ Cælorum. 6. *Varij paſſus S. Scripturæ exponuntur*

Objicies ſecundò: plures SS. PP. docuerunt Cælos eſſe animatos; ut Origenes *loc. ſuprà cit.* & *lib. 1. in Iob. cap. 38:* & S. Auguſtinus *lib. 1. retract. cap. 5.* & D. Hieronymus *cap. 1. & 45. in Iſai.* Ariſtot. etiam idem ſentire videtur *2. Cæli tex. 13.* & alibi: Ergo &c. Reſpondeo Originem fuiſſe in hac opinione de animatione Cælorum, & propterea ipſa ut error â D. Hieronymo *in com. Deut. 32.* & *Iſai. 1. & 45.* recenſetur inter errores Originis; & damnatur à V. Synodo generali, & ab Univerſ. Pariſienſ. ut videre eſt *in coll. errorum cap. 12.* D. Auguſtinus circa hoc non fuit aſſertivus; ſed dubius, & loquens ad mentem duntaxat Platonis, cui plurimùm favet in variis materis; utì patet de Angelis, quos eſſe corporeos opinabatur ſicut Plato. D. Hieronymus tenet apertè concluſionem *loc. ſuprà cit.* Ariſtoteles non tribuit *cit. loc.* Cælis animam ſubſtantialiter informantem, ſed Intelligentiam aſſiſtentem duntaxat, quæ perpetuò aſſiſtit Cælis, & eos movet, ſicut nauta movet navim; etſi hujuſmodi aſſiſtentia ſit major & intimior, quàm nautæ cum navi; hæc enim eſt voluntaria & libera; illa neceſſaria. Vel dic Ariſtotelem in hoc puncto erraſſe, ſicut in doctrina de æternitate Mundi, & aliis. Circa alterum articulum quæſtionis 7. *SS. PP. non adverſantur concluſioni excepto Origene.*

Dico ſecundò: ſphæra Cælorum non coaleſcit ex elementis; ſed eſt collectio corporum omnino diſtinctorum ab eis, & cunctis ſublunaribus; ſi Cælum aqueum undecimum excipias. Ita Scotus *2. diſt. 14. q. 1.* cum ſua Schola; & Ariſtot. *1. Cæli cap. 2. & 3.* ac communis modernorum Philoſophorum, atque Interpretum S. Scri-

pturæ

pturæ. Quoad primam partem eſt contra veteres Philoſophos, & Platonem docentem, Cœlos eſſe igneæ naturæ; cui nonnulli SS. PP. in doctrina Platonica enutriti ſubſcripſere, ut D. Auguſt. Ambroſius &c. Secundam tenent plures Interpretes S. Scripturæ.

8. *Sphæra Cælorum non componitur ex elementis.* Probatur prima pars primò: quod movetur motu proprio & peculiari, â motibus elementorum diſtincto, non coaleſcit ex elementis, ſed eſt diſtinctum ab eis, ut arguit Ariſtot. *loc. cit.* ſed ſphæra Cælorum movetur motu proprio, & peculiari a motibus elementorum diſtincto: Ergo &c. Prob. Min. ſphæra Cœlorum movetur motu circulari; elementa verò & cuncta ſublunaria motu recto, ſurſum, aut deorſum: Ergo ſphæra Cœlorum movetur motu proprio.

Prob. ſecundò: tum quia elementa generantur & corrumpuntur, & in ſe invicem tranſmutantur: ſed in ſphæra Cœlorum nullæ obſervantur generationes, corruptiones, aut tranſmutationes ad ſe invicem: Ergo &c. Tum quia in ſphæra Cœlorum non deprehenduntur primæ quatuor qualitates elementares: neque mixtiones ſolitæ corporum mixtorum coaleſcentium ex elementis, cauſantes feces & perturbationes varias in ipſis mixtis: Ergo &c. Tum tandem quia nec ſphæra Cælorum eſt naturæ elementaris igneæ; alias jam omnia terreſtria combuſſiſſet, ob ſui edacitatem & efficaciam præ cæteris: nec eſt naturæ elementaris aqueæ; alias jam omnia inundaſſet. Idem dic de aëre & terra; cùm ſit ingentis magnitudinis, & virtutis: Ergo ſphæra Cœlorum non coaleſcit ex elementis.

9. *Undecunque tamen Calū eſt aqueum.* Prob. ſecunda pars authoritate S. Scripturæ, quæ litteraliter procedens aſſerit, ſuper firmamentum extare quaſdam veras aquas; & conſequenter Cœlum aqueum; unde dicitur Gen. 1. *Et fecit DEUS firmamentum, diviſitq; aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum.* Et Dan. 3. *Benedicite aquæ omnes quæ ſuper Cælos ſunt:* ſed nulla eſt ratio has aquas diſtinguendi ab elementari aqua: Ergo &c.

Objicies *primò*. Philoſophus *hic lib. 3.* appellat Cœlum elementum: Ergo &c. *Secundò*; plures SS. PP. cenſent Cœlos eſſe elementaris naturæ. *Tertiò*; aliquæ partes Cœlorum participant qualitates elementares; nam Saturnus eſt frigidus, Sol calidus, ut infrà oſtendam, & conſequenter hæ videntur ex elementis confectæ. *Quartò*; eadem accidentia arguunt eandem ſubſtantiam; unde dicit Philoſophus *1. de anima tex. 11. Accidentia magnam partem conferunt ad cognoſcendam ſubſtantiam:* ſed eadem accidentia reperiuntur in ſphæra Cœlorum, & elementis, puta quantitas, denſitas, raritas, &c. Ergo &c.

Reſpondeo *ad primum* interpretando Philoſophum; & dico, eum nomen elementi *cit. loc.* uſurpare pro prima ac præcipua parte alicujus rei, ac ſi diceret, Cœlum eſt præcipua Mundi pars. 10. *Varijs objectis obviatur.* *Ad ſecundum* dico, quoſdam SS. PP. utpote imbutos philoſophiâ Platonicâ, ſic olim probabiliter quidem ſenſiſſe de Cœlis: ſed non aſſertivè hoc docuiſſe. Vel dic cum S. Bonaventura *2. diſt. 14. art. 1. q. 2.* eos voluiſſe, Cœlos eſſe naturæ elementaris ſolùm penes quandam convenientiam, & ſimilitudinem; eò quòd eſſent lucidi, ſicut ignis; perſpicui ſicut aqua. *Ad tertium* Neg. Ant. ad ejus rationem dico cum Scoto *q. 4. prol.* Saturnum, & Solem non eſſe formaliter frigidum, & calidum; quod ſolùm arguit adeſſe qualitates elementares; ſed virtualiter duntaxat. *Ad quartum* Diſt. Maj. eadem accidentia propria arguunt eandem ſubſtantiam Conc. Maj. accidentia communia Neg. Maj. Et diſtincta ſimiliter Min. Neg. Conſeq. Itaque in ſphæra Cœlorum, & elementis, ſunt eadem accidentia communia duntaxat; puta quantitas, denſitas, raritas &c. non verò propria; communia autem non arguunt eandem ſubſtantiam, nam eadem albedo eſt in ſaccaro, & nive; & tamen eſt diverſa ſubſtantia utriuſque.

QUÆSTIO III.

De Incorruptibilitate, perfectione, & ſoliditate Cœli.

Dico primò: Sphæra Cœli deſacto eſt incorruptibilis extrinſecè reſpectu agentium naturalium. Ita Scotus *2. diſt. 14. q. 1.* cum ſuis, & communi Philoſophorum, Theologorum, atque Aſtrologorum; contra Gabriel. á S. Vincent. Svar. Ruvi. &c. 1. *Sphæra Cælorum eſt extrinſecè incorruptibilis.*

Prob. *primò* authoritate Scripturæ Sacræ; quæ docet Job. cap. 36. *Cælos eſſe ſolidiſſimos; quaſi ære fuſos;* innuens per hoc

ejus ſtabilitatem & incorruptibilitatem, de facto, reſpectu agentium naturalium. Et Pſal. 82. dicitur: *Thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo; & ſicut Luna perfecta in æternum*. ubi incorruptibilitas Solis, & Lunæ (idem eſt de aliis Cæli partibus) ſub nomine æternitatis, ſimilis æternitati beatitudinis aſſeritur.

Probatur *ſecundo* authoritate SS. PP. Hieronymi *in cap. 51. Iſai.* & Gregorii 17. *Moral. cap. 15.* &c. qui Cælos ponunt perpetuos, & conſequenter incorruptibiles: Ergo &c.

Probat. *tertiò* ratione: nequit aſſignari ullum agens, defactò potens alterare ſphæram Cœli, & diſſolvere ejus formam à materia: Ergo ſphæra Cœli defactò eſt incorruptibilis. Præterea per tot millia annorum nullus Aſtrologorum obſervavit ullam in ſphæra Cœli corruptionem: quod ſignum eſt ipſum eſſe incorruptibile defacto extrinſecè reſpectu agentium naturalium: Ergo &c.

Objicies *primò*: S. Scriptura aſſerit Cœlos aliquando interituros, utique ex activitate agentium naturalium: Ergo ſunt corruptibiles ab eis. Probat. Ant. nam 2. *Petri 3.* habetur: *Cæli ardentes ſolventur*. Et *Matth. 24. Cæli & terra tranſibunt*: Ergo &c. *Secundò* obſervatæ ſunt aliquando in ſphæra Cœlorum mutationes, & conſequenter corruptiones, teſte Plinio *lib. 2. cap. 26.* Et ſecundùm illuſtriores Aſtrologos, Anno 1570. obſervata eſt quædam nova ſtella in Caſſiopea per biennium, fermè durans. Similiter tempore Clementis VIII. deprehenſa eſt nova ſtella in Sagittario. Et An. 1600. alia in pectore Cygni: Ergo &c. *Tertiò*; ſaltèm Cælum aqueum ob ſui fluiditatem eſt corruptibile: Ergo &c.

2. *Objectiones variæ diluuntur.* Reſpondeo *ad Primum*, Neg. Ant. & gloſſo Scripturas allatas dicendo cum Scoto 4. *diſt. 43. q. 1.* ipſas eſſe intelligendas de ſolutione, tranſitu, corruptione, & immutatione accidentali; non verò de ſubſtantiali. Inſuper hæc ſolutio, tranſitus, & immutatio fiet virtute Divinâ principaliter; non ab agentibus naturalibus virtute naturali. *Ad Secundum* Neg. Ant. ad exempla adducta dico *primò*, illas ſtellas novas, ſi revera in octavo Cœlo reperiebantur, à DEO miraculosè ibidem eſſe collocatas, ad deſignandum aliquem eventum, vel ad gloriam, & Potentiam DEI conteſtandam, vel alium finem denotandum DEO notum. Dico *ſecundò*, memoratas ſtellas non in octavo Cœlo, & in conſtellationibus memoratis immediatè collocatas fuiſſe; nec fuiſſe veras ſtellas; ſed ut rectè obſervat Clavius, & alii Aſtrologi, ſitæ erant infra Lunæ Cœlum in aëre, erantque Cometæ duntaxat; ex materia tamen valde tenaci conglutinati fortiſſimè, ut idcirco uſque ad biennium durârint, & ita agitati fuerint infra Caſſiopeam, Sagittarium & Cygnum, acſi in ipſis conſtellationibus memoratis fixæ fuiſſent. *Ad Tertium* Neg. Ant. nam nullum agens naturale ejus frigus nativum expellere poteſt; quare conſervatur permanenter.

Dico ſecundò: tota ſphæra Cœli de poſſibili, & ab intrinſeco eſt corruptibilis. Ita Scotus 4. *diſt. 46.* & Plato cum antiquis; & Maurit. Anton. Andr. Joan. de Magiſt. Tatar. & Parienſes. Contra Conimb. Ruv. Svar. Gabriel à S. Vincent. 3. *Ab intrinſeco tamen Cæli ſunt corruptibiles.*

Prob. *primò* authoritate SS. PP. concluſionem ſtatuentium; ſignanter D. Baſilii, Hilarii, Juſtini, Ambroſii 1. *Hexam. cap. 6.* & Auguſt. 26. *civit. cap. 18.* *Secundo* ratione: tum quia tota ſphæra Cœli conſtat materiâ primâ, ut *hac diſt. q. 1.* oſtenſum eſt: ſed hæc eſt principium, & radix intrinſecæ corruptibilitatis: Ergo tota ſphæra Cæli de poſſibili, & ab intrinſeco eſt corruptibilis. Tum quia omne generabile ex præexiſtenti materia eſt ab intrinſeco corruptibile, ut docet Ariſtoteles 1. *Cæli tex. 101.* ſed tota ſphæra Cœli eſt generabilis, & actu genita: Ergo &c.

Objicies primò cum Gabr. à S. Vincent. plures SS. PP. videntur aſſerere in Cœlo incorruptibilitatem ab intrinſeco; ſignanter D. Dionyſius *de Divin. Nomin. cap. 4.* & Div. Auguſt. 14. *Civit. cap. 24.* S. Hieron. Greg. &c. *Secundo*, eandem incorruptibilitatē ab intrinſeco adſtruit Ariſt. *hic lib. 1. tex. 1.* Ergo &c. *Tertiò*, Cœlum non habet contrarium: Ergo &c. *Quartò*: Cœlum eſt ſedes Cauſæ primæ & Intelligentiarũ, quæ ſunt incorruptibiles: Ergo ipſum eſt incorruptibile ab intrinſeco.

Reſpondeo *ad Primum & Secundum*: neque PP. neque Ariſtot. *loc. cit.* docere apertè incorruptibilitatem, ab intrinſeco Cœli, unde intelligendi ſunt de incorruptibilitate extrinſeca, & reſpectu agentium naturalium. *Ad Tertium*, Diſt. Ant. defactò Conc. Ant. de poſſibili Neg. Ant. Itaque etſi defactò non reperiatur aliquod contrarium corruptivum Cœli; de poſſibili tamen dari poteſt, quod 4. *Cæli exterdunt in perfectione corpora inanimata.*

quod ſufficit, ut dicatur intrinſecè corruptibile. *Ad Quartum*, Neg. Conſeq. nam res incorruptibiles bene poſſunt collocari, & ubicari in ſede corruptibili ab intrinſeco; ut videmus de Angelo Gabriele deſcendente ad terram, & ingrediente ad cubiculum B. V. M. annunciaturus Verbi Incarnationem; & anima rationalis incorruptibilis ubicatur in corpore corruptibili. Circa alterum membrum Quæſtionis.

5. *Cæli excedūt in perfectione corpora inanimata.*

Dico tertiò: inter inanimata corporea, ſphæra Cæli præcellit cuncta perfectione. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 14. q. 1. in fine*, & ſequitur Maſtr. Columb. & alii Scotiſtæ; item Perer. Zumel. Valent. &c.

Probat. primò authoritate S. Auguſtini; concluſionem aſſerentis *lib. de vera Relig. cap. 55. & cap. 37.* Ergo &c.

Probat. ſecundò ratione: tum quia Sphæra Cæli eſt extrinſecè incorruptibilis. Tum quia Sphæra Cæli tanquam cauſa univerſalis influit in cætera corpora inferiora inanimata. Tum quia Sphæra Cæli pollet eximiâ pulchritudine, ac varietate aſtrorum; eſt etiam Beatorum domicilium; habet præſtantiores effectus; locum itidem eminentiorem, accidentia nobiliora, puta perfectius lumen, figuram, motum orbicularem, &c. quæ omnia arguunt ejus præcellentiam quandam in perfectione præ cunctis aliis corporibus inanimatis: Ergo &c.

6. *Quodvis animatum excellit Cælos in perfectione.*

Dico quartò: quodvis tamen animatum, ſimpliciter præcellit ſphæram Cœli in perfectione. Ita Scotus *2. diſt. 18. q. un.* & *4. Rep. diſt. 49. q. 7.* cum ſuis; & Occamo, Conimb. Amico, Contar. &c. deducitur etiam ex Ariſt. *in proœm. lib. de anima*: ubi docet, ſcientiam de anima excellere dignitate cæteras Philoſophiæ partes, ratione ſcilicet perfectioris objecti.

Prob. primò authoritate S. Scripturæ, Eccli. 9. dicitur, *melior eſt canis vivus Leone mortuo*; utique non ob aliam cauſam, quàm quia eſt animatus; ſphæra Cœli autem eſt inanimata: Ergo &c.

Prob. ſecundò authoritate S. Auguſtini *lib. de duab. animab.* dicentis; *muſca propterea quod vivit, nobilior eſt Sole.* Et *15. de Trinit. cap. 4. & 11.* & *lib. de vera Relig. cap. 55.* docet, quamcunque ſubſtantiam viventem, meritò præponi cuilibet ſubſtantiæ naturæ lege non viventi: Ergo &c.

Prob. tertiò ratione Scoti; illud dicitur ſimpliciter præcellere aliud in perfectione, quod eſt propinquius Primo Enti Perfectiſſimo, & illi ſimile: ſed quodvis corpus animatum ratione vitæ, quæ eſt perfectiſſimus gradus, eſt propinquius DEO Viventi, quàm ſphæra Cœli inanimata: Ergo quodvis corpus animatum ſimpliciter præcellit ſphæram Cæli in perfectione.

Probat. quartò: tum quia quodvis corpus animatum habet operationes ſimpliciter perfectiores, quàm ſphæra Cœli; puta vitales & animales. Tum quia viventia moventur ab intrinſeco; ſphæra Cœli verò ab extrinſeco. Tum quia forma animatorum eſt nobilior, quàm inanimatorum; quæ omnia præcellentiam quandam in perfectione indicant: Ergo quodvis animatum præcellit ſimpliciter ſphæram Cæli in perfectione.

Obijcies *primò* varias authoritates Ariſtotelis: nam *2. Phyſ. 45.* & *6. Ethic. cap. 7.* & *1. de partibus ani. cap. 1.* adſtruit Cælum nobilius homine. Et *1. Celi tex. 16.* vocat aſtra, & cæleſtes orbes præſtantiores cunctis, quæ ſub ſenſum cadunt: Ergo &c. *Secundò*: ſphæra Cœli aſſeritur ab omnibus Philoſophis cauſa univerſaliſſima, habens virtutem producendi omnia inferiora viventia, etiam hominem: unde vulgate illud Philoſophi *2. Phyſ. 26. Sol & homo generant hominem*: ſimiliter Cœlum gubernat omnia ſublunaria ut habet Ariſtoteles *1. Meteor. ſum. cap. 2.* & *cap. 1. ibidem* ait, *Oportet hunc Mundum ſubjici ſuperioribus lationibus*: Ergo ſphæra Cœli præcellit in perfectione quodvis animatum.

Reſpondeo *ad Primum* interpretando Ariſtotelem: & dico, eum *locis cit.* nomine *Celi* accipere non ſolam nudam ſphæram Cœli; ſed ut eſt aggregatum quoddam ex ea, & Intelligentiis aſſiſtentibus, ac moventibus orbes Cœleſtes, quæ cum longè præcellant animata cuncta, etiam homines, rectè Cœlum adſtruitur nobilius homine, & omnibus, quæ ſub ſenſum cadunt. *Ad Secundum* Neg. Conſeq. nam ſphæra Cœli eſt cauſa duntaxat diſpoſitiva viventium, quà talium; non productiva, & effectiva animarum; Deus enim illas producit, poſteaquam debitæ diſpoſitiones ſunt poſitæ à Cælo, & agentibus 7. *Objecta diſſolvuntur.*

tibus naturalibus. Inſuper Cælum eſt cauſa duntaxat particularis, minus principalis corporum animatorum; ac conſequenter ignobilior ſuo effectu animato: dicitur tamen univerſalis in producendo, & conſervando; quatenus ad omnem productionem corpoream aliquomodo concurrit; & ſingula lationibus, id eſt motibus Cœli, ſubjacent quoad cauſandas alterationes, & diſpoſitiones corporeas, pro anima introducenda. Circa ultimum articulum Quæſtionis

8. *Probabilior eſt ſententia Cælorum ſoliditatem adſtruens.*

Dico quintò: ſententia adſtruens, omnes orbes ſphæræ cœleſtis, exceptô aqueô, omniaque aſtra, & Planetas eſſe corpora ſolida, eſt magìs probabilis; quàm illa quæ ea ponit corpora fluida. In hanc propendet Scotus *2. diſt. 14. q. 1.* & communior Philoſophorum veterum, & recentiorum; contra P. Fraſſen, Gabriel. à S. Vincent. & alios juniores Philoſophos; & contra Aſtrologos, Tychonem, Brat. &c.

Prob. primò: ſententia aſſerens omnes orbes ſphæræ cœleſtis, omniaque aſtra, & Planetas eſſe corpora ſolida eſt conformior ſacris litteris exprimentibus ſoliditatem quandam in Cælis; unde dicitur Job. 37. *Tu forſitan cum eo fabricatus es Cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt*, quæ verba literaliter ſunt intelligenda; cum ex hoc nullum inconveniens oriatur. Et Pſal. 32. dicitur, *Verbô Domini Celi firmati ſunt;* firmitas autem ſoliditatem importat. Et Iſaias *51. cap.* vaticinatur, Cœlos liqueſcendos eſſe illis verbis: *Celi ſicut fumus liqueſcent;* adeoque nunc non ſunt fluidi. Et ad Hebr. 4. dicitur, *habemus Pontificem qui penetravit Celos:* penetratio autem ſupponit in re penetrata ſoliditatem, & miraculoſam actionem; quæ non foret in penetratione Cœlorũ à Chriſto facta, ſi fluidi eſſent; hi enim naturaliter & facilè cedunt duro corpori: Et in Geneſi Cælũ dicitur *Firmamentum*, quod fluidis non convenit: Ergo ſententia de ſoliditate orbium cæleſtium, aſtrorum & Planetarum eſt probabilior.

9. *Alia rationes ad idem.*

Probat. ſecundò: eadem ſententia de ſoliditate totius ſphæræ cœleſtis eſt recepta à plurimis SS. PP. & Interpretibus S. Scripturæ, ut videre eſt apud D. Baſilium *Homil. 3. Hexam.* & Ambroſ. *2. Hexam. hom. 2.* & Clementem Papam *lib. recogn. cap. 9.* & Orig. *Hom. 1. in Gen.* & plures alios citatos à Tannero *tom. 1. de creat. Mundi q. 3.* & Lyranum alioſque Commentatores S. Paginæ: Ergo hæc ſententia eſt probabilior.

Prob. tertiò: eadem ſententia eſt ſtipata authoritate omnium pene antiquorum Scholaſticorum, & Philoſophorum, ut Joſephi, Platonis, Philonis: item Aſtrologorum illuſtrium, & Interpretum in Ariſtotelem *2. de Celo* à textu 43. uſq; ad 52. ſcribentium: Ergo &c.

Prob. quartò rationibus: tum quia ſi orbes cæleſtes eſſent fluidi, aſtra non tenerent ſemper eundem ſitum, & diſtantiam, eundem ordinem, eandem diſpoſitionem &c. Sed hoc eſt contra experientiam: Ergo &c. Probat. Maj. in corpore fluido aſtra facillimè poſſent nunc attolli, nunc deprimi; nunc ad hanc, nunc ad illam partem removeri: Ergo non tenerent eundem ſitum, diſtantiam, ordinem, & diſpoſitionem. Tum quia ſi orbes cæleſtes forent fluidi, eſſent defactò corruptibiles, ſaltèm ſecundùm partem; ut liquet de aqua, aëre, & hujuſmodi fluidis: ſed orbes cæleſtes defactò non ſunt corruptibiles: Ergo &c. Tum quia, ut rectè arguit Scotus *2. diſt. 14. art. 1. q. 1.* ſi orbes cæleſtes eſſent fluidi, daretur in eis naturaliter vacuum; ſi enim ſtellæ de uno loco in alium moverentur, locus earum derelictus non impleretur ab alio corpore: ſed vacuum non datur naturaliter: Ergo &c. Tum tandem quia ſi aſtra moverentur in orbibus fluidis, ingentem ederent ſtrepitum; quæ enim maxima velocitate ſubſtantiam liquidam permeant, ſtrepitum edunt; ut conſtat de globulis ferreis, à tormentis bellicis exploſis: ſed aſtra nullum edunt ſtrepitum: Ergo &c. Dixi in Concluſione; *exceptô aqueô:* quia cùm tale Cælum ſit quædam realis aquæ ſphæra, ideo de numero fluidorum cenſendum eſt; de quo plura infrà.

Objicies *primò:* plurimi SS. PP. docent Cælos eſſe fluidos: puta, Juſtinus Martyr, Euſebius Emiſſenus, Gregorius Niſſenus, Chryſoſtomus, Baſilius, Ambroſius, &c. Ergo &c. *Secundò:* ſi orbes cæleſtes eſſent ſolidi, non poſſent facilè explicari mutationes Planetarum, quæ quandoque obſervantur, puta vicinitatis, & remotionis: Ergo &c. *Tertiò:* obſervata fuêre ſæpiùs phænomena ſeu Cometæ ſuper orbem Lunæ, ſed hæc ſunt fluida: Ergo & ipſi orbes cæleſtes.

Re-

10. Objectionibus obviatur. Reſpondeo *ad primum* primò: opponendo adductis Patribus alios Patres quoque eminentes, ſuprà pro concluſione citatos. Secundò gloſſo hos PP. & dico, eos ſolùm velle, quòd Cæli ita ſint perſpicui, & diaphani, ac ſi eſſent fluidum quid. Vel certè locuti ſunt duntaxat dialecticè; non verò aſſertivè. *Ad ſecundum*, Neg. Ant. ſimiles enim mutationes, ut infrà dicetur, facilè explicari poſſunt per aſſignationem epyciclorum. *Ad tertium* dico, phænomena nunquam tranſcendere Cœlum Lunæ; ſed infra id in aëre girari, quare decipitur noſter viſus ob nimiam diſtantiam, cernens eam tanquam elevata ultra Lunam; ſicut decipitur quandoque, dum aliquas nubes attingit, quaſi ſupra Solem elevatas.

DISTINCTIO III.
DE ASTROLOGIA.

Præfatio.

HAc Diſtinctione expediam Matheſim, ſeu Mathematicas Reſolutiones; & doctrinam de Aſtrologia, quatenus ipſa Cælorum numerum, motum, ſyſtema eorum verum, diviſionem in circulos, & Epicyclos; ſtellarum item naturas, numerum, varietatem periodos, influentias, maculas, ecclypſes, influxus, prædictiones, compoſitionem ſphæræ armillaris &c. continet. Unde ſit

QUÆSTIO I.
De numero Cælorum.

1. Globus cæleſtis non eſt unicum corpus. DIco primò: Totus globus, & Sphæra Cæleſtis, non eſt unicum corpus; ſed aggregatum quoddam ex pluribus Cælis, ſeu cæleſtibus orbibus diſtinctis. Ita communis Theologorum, & Philoſophorum; & colligitur ex Ariſtotele *2. Cæli tex. 59.* ubi tot numerat Intelligentias, quot ſunt Cæli mobiles.

Prob. primò authoritate S. Scripturæ, pluralitatem Cælorum aſſerentis, unde dicitur *Pſal. 148. Laudate eum Cæli Cælorum.* Et ad Epheſ. 4. *Aſcendit ſuper Cælos Cælorum.* Et Eccle. 24. *Ego feci in Cælis, ut oriretur lumen indeficiens.* Et 2. ad Corinth. narrat Divus Paulus ſe raptum fuiſſe uſque ad tertium Cælum.

Prob. ſecundò authoritate SS. PP. eandem pluralitatem atteſtantium, dum præter ſtellatum, Cælum Empyreum adſtruunt; ſic facit Baſilius, Damaſcenus, Clemens, Theodoretus, Hilarius, Athanaſius, Chryſoſtomus, Ambroſius *2. Hexamer. 2.* Et S. Auguſtinus *1. in Geneſ. cap. 29.* Ergo &c.

Prob. tertiò ratione: in toto globo, & ſphæra Cæleſti obſervantur ab Aſtrologis veteribus, & recentioribus plures diverſi motus; pluralitas autem diverſorum motuum, arguit pluralitatem, & diverſitatem Cælorum: Ergo &c. Accedit, pro confirmatione concluſionis communis doctrina omnium Aſtronomorum, Ptolomæi, Thebit. Alphonſi, Magini, Clavii, Tychonis, Joannis à S. Boſco &c. pluralitatem Cælorum communi calculo docentium: Ergo &c.

Dico ſecundò: totus Globus, & ſphæra cæleſtis conſtat duodecim Cælis. Eſt ad mentem Scoti *3. diſt. 4. q. unic. propè finem*, ubi ait, Aſtronomis in ſua arte peritis eſſe credendum: Aſtronomi autem periti aſſignant decem Cælos mobiles, ob decem diverſos motus, in Globo Cælorum repertos, undecimum verò, & duodecimum, aſſerunt Theologi plurimi. Concluſionem etiam tenet Gadius noſter, Raccon, Columbus, Conimbric. Clavius, Molina, Percynus &c. contra Ciſalpinum, qui ponit unicum Cælum, & contra Orbellum ac alios Philoſophos, & P. Fraſſen P. Maſtrium & Averſam, qui ponunt tres: & contra Ariſtotelem, qui octò recenſet; & contra Amicum & Ariagam, qui 2. Duodecim extant Cæli

qui novem; & contra Baſilidem, qui 365. aſſerit teſte D. Auguſtino, *in Catal. Hæreſ. Hæreſi. 4.*

3. *Septem Cœli planetales.* Prob. primò enim, dari debent *ſeptem Cæli, ſeu orbes diſtincti ſeptem Planetarum.* Tum quia quilibet Planeta motu proprio movetur ut infrà: Ergo in eodem Cælo, & orbe omnes ſimul ſituati non ſunt; ut rectè hic arguit Doctor ſubtilis *2. diſt. 14. q. 2.* & conſequenter ſunt in ſeptem Cælis, ſeu orbibus. Conſequentia tenet per comunem Mathematicorum doctrinam, qui ex proprio motu diverſo ab aliorum motibus colligunt diverſitatem Cæli & orbis; & conſequenter ſunt ſeptem Planetarum Cæli; ſicut ſeptem ſunt motus proprii eorum. Tum quia obſervatur varia diſtantia eorumdem Planetarum; quæ abſque diverſitate & particularitate ſuorum orbium ſalvari nequit: Ergo dari debent Cæli ſeu orbes Planetarum ſeptem; cùm ſeptem obſerventur diſtantiæ. Prob. Ant. unus Planeta aliquando magis ad unum polum accedit; aliquando magis recedit: item unus Planeta aliquando magis recedit; nam Sol in ſolſtitio æſtivo maximè diſtat à terra; in hyemali verò maximè accedit: Ergo &c. Sunt autem Cæli Planetarum ſequentes, Cælum Lunæ, Cælum Mercurii, Cælum Veneris, Cælum Solis, Cælum Martis, Cælum Jovis, & Cælum Saturni.

4. *Cœlum ſidereum.* Probat. ſecundò: *de octavo Cælo, ſcilicet Sydero, ſeu ſtellato, ſeu Firmamento mobili. Primò:* quia conſtat ex literis ſacris dari hujuſmodi Cælum, nomine *Firmamenti* principaliter ſignificatum; unde dicitur *Geneſ. 1. Dixit DEUS, fiat Firmamentum in medio aquarum* &c. & ſubdit, *vocavit DEUS Firmamentum Celum. Secundò:* quia dantur aſtra fixa, quæ eundem ſitum & diſtantiam ſemper inter ſe retinent; quæque ſimul moventur ad motum alicujus Cœli ſeu ſphæræ: Ergo pro his admittendum eſt Cœlum particulare. *Tertiò:* quia communi Aſtronomorum voce conſtat dari aliquod Cœlum mobile, cui infixæ ſunt infinitæ propè ſtellæ fixæ: Ergo &c. *Quartò:* adeſt quoque motus acceſſus & receſſus in hoc Cœlo diſtinctus ab aliis, de quo infrà *quæſt. 7. notabili 6.* Ergo ob talem concedendum eſt hoc Cœlum ut diſtinctum.

5. *Cœlum Zodiacum.* Prob. 3. *de nono Cælo:* quod *Zodiachicum*, ſeu *Zodiaci ſuperioris* appellatur; eò quòd ejus motus fiat ſupra polos Zodiaci: nam, teſte Thebit, & Alphonſo, in Cœlo ſtellato, præter motum ejus ab Occidente in Orientem ſuper polos Zodiaci, & acceſſus ac receſſus proprii obſervârunt alium motum, quem vocant motum proprium tardiſſimum, de quo infrà *quæſt. 7. notabili 7.* Ergo ob hujuſmodi motum diſtinctum aſſignari debet aliud nonum Cœlum Zodiachicum.

6. *Primum mobile.* Prob. quartò de *decimo Cælo, ſeu primo mobili*; teſte Ptolomæo celeberrimo Aſtronomo, Scoto, & communi Aſtrologorũ, in Cœlo ſtellato rurſus præter motum trepidationis, & alterum, quô ab Occidente in Orientem, ſuper polos Zodiaci, etſi tardiſſimè; verè tamen & realiter movetur, notatus eſt tertius, ſcilicet *motus raptus*, quô ſpatiô viginti quatuor horarum (quibus fit una dies naturalis) circumvolvitur, & rapitur tota machina ſtellata, & omnes alii orbes inferiores Planetarum: Ergo ob hunc motum concedi debet aliud Cœlum, & orbis diſtinctus *primi mobilis* communiter vocitati; quia ſecum movet cæteros orbes inferiores.

Ex hoc inferunt citati DD. dari duos Zodiacos in Cœlis; primus in iſto primo mobili, quem Aſtrologi intelligunt, dum de Zodiaco loquuntur; & dicitur *Zodiacus ſuperior*; conſtatque duodecim ſignis, de quibus infrà: ſecundus eſt in ipſo Cœlo ſtellato, & dicitur *inferior*; eò quòd primo directè ſit ſuppoſitus; hic conſtat iiſdem duodecim quoque ſignis, quæ ex ſtellis variis ſunt collecta: primus dicitur *immobilis*, quia quamvis ad motum ſui orbis moveatur; tamen ejus ſigna eodem modo ſemper ſe habent ad æquinoctialẽ; ſiquidem unico motu, & quidem uniformi movetur, ita nimirum ut principium Libræ & Arietis, in quibus punctis æquinoctium contingit; ſemper ſint in æquinoctiali circulo. Secundus dicitur *mobilis*, quia movetur paulatim versùs Orientem, unde principium Arietis hujus Zodiaci hodie nõ reperitur directè ſub principio Arietis ſuperioris Zodiaci, & ſub æquinoctiali: ſed ſub ſigno ferè Tauri; eò quòd ad Ortum moveatur: Ita obſervârunt omnes Aſtrologi, tempore Scoti; quare & ipſe hanc opinionem ut communem ſecutus eſt *2. diſt. 14. q. 2.* & *12. Met. tex. 44. & ſequent.*

7. *Cœlum criſtallinum.* Prob. quintò: *de undecimo Cælo aqueo, ſeu Criſtallino:* S. Litteræ & SS. PP. paſſim aſſerunt, dari ſuper Firmamentum aquas, & conſequenter Cœlum quoddam naturæ aqueæ; ſic dicitur Geneſ. 1. *Fecit DEUS firmá-*

firmamentum, diviſitq; aquas, quæ erant ſub firmamento ab his, quæ erant ſuper firmamentum. Et Dan. 3. *Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper Cælos ſunt Domino:* quæ ſcripturæ litteraliter ſunt intelligendæ; cùm hiſtorialiter procedant, & nullum inconveniens in contrarium obſtet: Ergo datur undecimum Cælum aqueum; vide etiam S. Auguſt. *lib. 2. Gen. ad litter. cap. 5.* Confirmatur authoritate Eccleſiæ, quæ in hymno veſperali *Feriæ 2.* harum aquarum meminit; *immenſe rerum Conditor; qui mixta ne confunderent; aquæ fluenta dividens; Cælum dediſti limitem.* Objectiones contra has aquas ſolitas fieri: vide ſolutas in *Schola mea Theologica, Tom. 2. Tract. 2. diſt. 1. q. 5.* Ubi etiam afferuntur fines, & cauſæ creationis hujus Cæli aquei, conditi à DEO: unicam hic addo ex V. Beda dicente, aqueum illud Cælum ideo eſſe à Deo conditum, & prope Empyreum ſedem Beatorum ſitum, ut ſit ad voluptatem Beatorum; quatenus oculi eorum poſt Reſurrectionem aſpectu hujus criſtallinæ limpidiſſimæque aquæ recreentur: quo videtur alludere illud Apoc. 7. *deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Et illud: *Oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam Criſtallum.*

8. *Cælum Empyreum.* Probat. ſextò *de duodecimo Cælo, Empyreo videlicet:* concedendum eſt Cælum determinatum, ad quod aſcendit Chriſtus, capturus ſeſſionem regni æterni Patris: nam de hoc ad Epheſ. 4. dicitur, *ſedet ad dexteram DEI Patris*, & in quo ipſe Chriſtus, & Beati habeant domicilium ſtabile atque immobile; non enim decens eſt ipſos gyrari, & agitari; cùm *quieſcant à laboribus ſuis* Apoc. 6. cumque ſint in termino; ut cum Doctore ſubtili tradunt omnes Scholaſtici: Ergo datur aliquod Cælum diſtinctum Empyreum. Confirmatur hæc ſententia, & doctrina ex communi ſententia omnium SS. Patrum, Cælum diſtinctum pro ſede perpetua Beatorum aſſerentium; quam proinde omnes Chriſti fideles ſuſpirant; & eô ad tempus fruitus eſt D. Paulus, dum narrat ſe raptum uſque ad tertium Cælum, ubi audivit arcana verba &c.

9. *Unde vocetur Empyreum.* Nota autem primò Cælum hoc vocari *Empyreum*, id eſt igneum; non quòd ſit formaliter naturæ igneæ; ſed quia, ut exponit S. Bonaventura, habet ſimilitudinem cum igne, ob lucem eminentem, & eximium ſplendorem: vel quia eſt ſedes Beatorum, qui igne amoris ardent erga DEUM; ſignanter Seraphini, ab ardore charitatis ita dicti; ut obſervat Scotus *4. diſt. 49. q. 4.*

Objicies primò: S. Scriptura commemorat tres tantùm Cælos; nam *2. Cor. 12. cap.* dicitur, S. Paulum raptum eſſe uſque ad tertium Cælum, quod eſt Empyreum, & ſumpremum; nam ibi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui; quæ utique in Empyreo duntaxat proferuntur: Ergo &c. *Secundò*, S. Clemens Papa, qui fuit præſens diſputationi D. Petri Apoſtoli cum Simone Mago; refert *libro ſecundo recognit.* ex D. Petro duos ſolùm eſſe Cælos, Empyreum ſcilicet, quod & perpetuum; & viſibile, quod in fine mundi reſolvendum: Ergo &c. *Tertiò* Ariſtoteles ponit octo, vel ad ſummum novem Cælos. Idem facit Scotus *2. diſt. 14. q. 2.* *Quartò*: unicus eſt motus omnium orbium cæleſtium, ut obſervatur experientiâ: Ergo unicum Cælum.

Reſpondeo *ad Primum* gloſſando Scripturam, & dico eam per tres Cælos intelligere hæc tria; aërem totum ſecundùm ſuas regiones; totum globum orbium omnium mobilium cæleſtium, & aquei Cæli collectivè; & Empyreum: cum quo ſtat, quòd ille globus orbium compoſitus ſit ex pluribus Cælis partialibus diverſæ rationis. Eodem modô interpretandi ſunt plures SS. PP. tres tantum Cælos aſſerentes. *Ad Secundum*, interpretor S. Petrum, & dico, eum per primum Cælum intellexiſſe totam ſphæram cæleſtium orbium, unà cum Empyreo; per ſecundum verò intellexiſſe Cælum aëreum ſecundùm ſuas regiones: vel per primum intellexit ſolum Empyreum; per ſecundum verò, omne interjectum inter terram, & Empyreum. *Ad Tertium*, dico Ariſtotelis authoritatem in propoſito eſſe parvi momenti; quia ut dicit Scotus *in 12. Met. 44.* Ariſtoteles fuit in Aſtrologia parùm verſatus; nec de hoc fuit ſibi conſtans; nam *12. Met. 47.* amplexus eſt ſententiam quorundam Aſtrologorum ſui temporis, ponentium 55. vel 57. ſphæras; & tamen in *Proœm. Met.* ſolùm novem aſſignavit cum Pythagoricis. *Ad Scotum* dico, eum in loco objecto non procedere aſſertivè; ſed relativè; referendo ſcilicet placita Ptolomæi, Alpetragii, & aliorum Aſtrologorum ſui temporis. *Ad Quartum* dico, quod unicus ſit motus communis primi mobilis, quô cæteros omnes inferiores orbes rapiuntur; ſunt tamen plures motus

10. *Variæ oppoſitiones reſolvuntur.*


motus proprii, quibus ipſi orbes particulariter gyrantur; ut patet ex doctrina expertiſſimorum Aſtronomorum, ſuprà relatorum.

QUÆSTIO II.
De vero ſyſtemate; & ſitu Cælorum reſpectu terræ.

1. *Diverſitas opinionum de ſyſtemate ſphæra cæleſtis.*

NOta primò: circa ſyſtema coordinationis, & ſitum Cælorum reſpectu terræ, tres celebres extare opiniones: prima eſt Copernici, ſecunda Tychonis, tertia Ptolomæi. Nicolaus Copernicus reſuſcitavit veterem quandam jam abolitam pene Philolai, Nicetæ Syracuſani, Heracliti, Pontici, Ecpanti Pythagorici; & aliorum antiquorum ſententiam de motu terræ; quem ſecuti fuerunt noviſſimè Cleberus, Gilbertus, Longomontanus, Origanus, & Gallilæus; hic inquam Author hanc fecit coordinationem, in ſuperiori loco diſpoſuit Firmamentum ſeu Cælum ſtellatum immobile undequaque; infra illud longiſſimè diſtans collocavit Cælum Planetale Saturni; poſt hoc Cælum Jovis; deinde Cælum Martis; poſtea Terram, & totam ſphæram elementarem; circa quam Luna volvatur: poſt Terram poſuit Cælum Veneris; poſt Cælum Mercurii; & demum in centro Mundi Solem immobiliter quieſcentem, vel aliqualiter ſe circa ſeipſum moventem, ad ſalvandum motum macularum ſolarium; juxta ſequentem Figuram A.

Syſtema Copernicanum.



2. *Copernici doctrina aſſertur hic.*

Nota ſecundò: Copernicum conformiter ad hoc Syſtema Terram computâſſe inter Planetas mobiles, eique adſcripſiſſe tres motus, diurnum ſcilicet, annuum, & Inclinationis. *Diurnum* appellabat illum, quo aſſerebat Terram gyrari circa proprium axem & centrum versùs ortum & ſpatio 24. horarum, quibus conſtat dies naturalis perficere ſuum curſum: hôc motu ajebat fieri ortum & occaſum Solis, & alium corporum cæleſtium; cùm enim ex hoc loco nobis ad orientem procedentibus occurrant ac videntur, tunc dicuntur nobis oriri juxta iſtum Aſtrologum; cum verò è contra occultantur, nobis ab eorum præſentia recedentibus, dicuntur nobis occidere. *Motum annuum* dicebat illum, quo in proprio Cælo & circulo circa Solem in magno Mundo voluitur, quem motum peragit intra annum; dum enim ipſius ſuperficies circa ſuum centrū quotidiè voluitur, ipſum centrum ab Oriente præcedit; & totam terræ molem ſecum defert. *Motum* tandem *Inclinationis* ajebat

ajebat eſſe illum, quo terra modò in unam ſui partem axi proximam & modò in alteram oppoſitam parum deflectit. Hanc doctrinam Copernicanam P. Fraſſen *hic* vult nec ſenſu, nec ratione ullâ efficaci poſſe expugnari: Ego tamen

3. *Copernicus rejicitur circa motum terræ.*

Dico primò: ſententia Copernici de motu terræ, & quiete Solis, repugnat authoritati & rationi.

Probat. prima pars: hæc ſententia eſt contra expreſſam Scripturam S. nam Eccleſ. 1. dicitur: *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum revertitur; ibiq; renaſcens gyrat per meridiem, & deflectitur ad Aquilonem.* Et ibidem: *Terra autem in æternum ſtat.* Et in Joſue 10. legitur, Joſue præcepiſſe Soli ut ſiſteret, *Sol contra Gabaon ne movearis; ſtetitq; Sol in medio Cæli &c.* Et in Pſalmis: *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, & non inclinabitur in ſæculum.* Quæ Scripturæ litteraliter ſunt accipiendæ de motu Solis & ſtabilitate ſeu quiete terræ: Ergo &c. Eadem ſententia eſt etiam contra Decreta Apoſtolica; nam Anno 1611. ſub Paulo V. à S. Congregatione damnata fuit: Ergo repugnat authoritati.

Prob. etiam ſecunda pars: tum quia ſi terra moveretur in gyrum motu vertiginis, ut vult Copernicus, projiceret longè, & ejacularetur à ſuo centro homines, animalia, ſaxa, & alia terræ adhærentia, uti contingit in motu rotæ, ejiciendis lutum & alia ſibi adhærentia; quemadmodum rectè arguit Ptolomæus: ſed hoc eſt contra experientiam: Ergo hæc ſententia repugnat rationi. Tum quia Terra, cùm ſit omnium corporum graviſſima, debet eſſe centrum Mundi; adeoque imobile: nam centrum rerum gravium, ad quod tendũt, debet eſſe fixum & imobile, & nunquam mutari: ſed ſecundùm ſententiam Copernici aſſerentem motum terræ, centrum rerum gravium non eſſet fixum, & imobile; ſed mobile, & perpetuò circa Solem gyratum; ex quo ſequitur, quòd gravia deorſum deſcendentia, ſingulis momentis mutent lineam, & dirigant motum ad aliud punctum, prout centrum terræ ponitur in alio & alio puncto Orbis Magni: Ergo hæc ſententia non eſt tenenda. Tum quia in ſententia Copernici, vel cum terra mota moveretur ſimul aër ambiens, vel nõ moveretur: neutrum dici poteſt: Ergo &c. Prob. Min. ſi aër ambiens non moveretur ſimul: Ergo nos ſentiremus perpetuò validiſſimum ventum ab Oriente ad Occidentem; ſicut enim is, qui fertur equô velociſſimô, dum perrumpit aërem, ſentit validum ventum; atque adeò & nos, dum motu terræ velociſſimô, ſingulis momentis conficiente decem circiter milliaria, perrumperemus aërem, ſentiremus validiſſimum ventum: Ex quo rurſus ſequeretur, quid ſylvæ, dum aërem continuò perrumpunt, continuò ingentem fragorem excitarent, quod eſt contra experientiam. Si verò aër ambiens moveretur unà cum terra; ergo qui contra motum aëris progreditur ab Oriente in Occidentem, deberet ſentire maximum ventum, & magnam aëris reſiſtentiam; ſicut talem reſiſtentiam ſentit, qui fertur contra impetum venti, vel aquæ in partem contrariam.

Objiciunt Copernicani *primò*: in ſententia aſſerente motum terræ, bene ſalvatur fluxus & refluxus maris, cum certis ſuis periodis: Ergo &c. *Secundò*: in ſyſtemate Copernicano facilè ſalvantur quoq; omnes apparentiæ Aſtronomicæ; maximè verò motus diurni, motus annui, excentricationis, retrogradationis, ſtationis Planetarum, &c. Ergo eſt tenenda. *Tertiò*, ſententia Copernici eſt fundata pariter in S. Scriptura; nam Pſal. 95. dicitur: *commoveatur à facie ejus univerſa terra.* Et Job cap. 9. *qui commovet terram de loco ſuo.* *Quartò*, Sol eſt fons luminis, caloris, ac variarum influentiarum, quibus terra indiget: Ergo circa ipſum debet terra volvi. *Quintò*, ignis non volvitur circa carnem ab eo aſſandam, ſed ècontra: Ergo cùm terra calefiat, & quodammodo aſſetur à Sole, terra debet circumvolui circa Solem.

4. *Copernici fundamenta eliduntur de motu terræ.*

Reſp. *ad Primum* Neg. Ant. hujuſmodi enim fluxus & refluxus, nullatenus cũ certis & regularibus periodis ſalvari poſſunt per motum terræ, ut pluribus oſtendit Cabeus *lib. 2. Met. tex. 6. q. 7.* Quare hi ſalvari debent per motum Lunæ, ut in *Tract. de Elementis* dicetur, quæ ſicut intumeſcentiam, ac detumeſcentiam in aliis corporibus humidis cauſat, ſic quoque in mari. *Ad Secundum* dico, non eſſe certùm, quòd omnes apparentiæ Aſtronomicæ debitè ſalventur in Syſtemate Copernicano; de quo conſule recentiores Aſtronomos: certum tamen eſt, quòd in Syſtemate noſtro, infrà ponendo faciliùs ſalventur; quod cùm veterum doctrinæ, & communi ſententiæ Aſtrologorum atq; Theologorum conforme ſit, retinendum erit. *Ad Tertium* gloſſo cum comuni Interpretum allegata S. Scripturæ loca, & dico, illa intelligenda eſſe de motu violento, qui

terræ divinitùs imprimi poteſt: vel certè nomine *Terræ* intelliguntur metaphoricè habitatores Terræ, qui capaces ſunt motûs. *Ad Quartum* Neg. Conſeq. nam cùm Sol creatus ſit propter hominem, qui eſt principalis pars Terræ, ut ei tanquam fini inſerviat; juxta illud, *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*; ideo ipſe Sol potiùs volvi debet circa hominem in terra habitantem, ut eam foveat ac conſervet ſuô calore & influentiâ. *Ad Quintum* Nego Conſeq. diſparitas eſt petenda ex ſolutione quarti, mox data; nam caro non eſt finis ipſius ignis; at homo in terra exiſtens eſt finis; cui motus Cæli debet inſervire. Taceo, quòd incommodum ſit ignem moveri circa carnem; at incommodum non eſt, Solem moveri circa hominem, & ejus habitaculum Terram.

5. *Syſtema Tychonis proponitur.*

Nota tertiò circa ſecundam ſententiam de Syſtemate Cælorum: Tychonem nobilem Danum, & illuſtrem Aſtrologum, ſuperiori ſæculô aliud adinveniſſe Syſtema Cælorum, medium inter Ptolomaicum, & Copernicanum, hujus coordinationis; nam Terram, Cælum Lunæ, & Cælum Solis poſuit ſicut Ptolomæus; ſed Solem fecit centrum Cælorum, Saturni, Jovis, Martis, Veneris, & Mercurii, ſicut Copernicus: unde ſecundùm hunc Aſtronomum, Firmamentum, ſeu Cælum ſtellatum eſt extima Mundi pars; in cujus centro reperitur Terra immobilis; circa quam moventur Luna & Sol; circa Solem verò cæteri Planetæ; quemadmodum patet in figura B. Hujus impugnationem relinquo junioribus Aſtronomis; ſignanter Lanſpergio, Guarino &c. Unicam addo rationem contra memoratam doctrinam Tychonicam; ſi Sol eſſet centrum dictarum ſphærarum deberet quieſcere; quia omni centro competit quies: ſed hoc eſt incidere in ſententiam Copernicanam, quam Tycho declinare voluit: Ergo Sol non eſt centrum ſphærarum, Saturni, Jovis, Martis, Veneris, & Mercurii.

Syſtema Tychonicum



Nota

6. *Syſtema Ptolomæi aſſeritur.* Nota tertiò circa tertiam ſententiam Ptolomæi; celeberrimum hunc Authorem, & Aſtronomorum Principem, coordinâſſe ſic Syſtema Cælorum Mobilium: *primò* poſuit Cælum Lunæ ambiens Terram, & aërem; *ſecundò*, Cælum Veneris, ſuo gyro includens orbem Lunæ; *Tertiò*, Cælum Mercurii, includens orbem Veneris; *quartò*, Cælum Solis, includens Mercurii orbem; *quintò*, Cælum Martis, includens orbem Solis; *ſextò*, Cælum Jovis; includens ſphæram Martis; *ſeptimò* Cælum Saturni includens ſphæram Jovis; *octavò* Cælum ſtellatum. Cape ſub littera C. hujus figuram, unà cum additis aliis quatuor Cælis, neceſſariò admittendis, de quibus ſuprà.

Syſtema Ptolemæi, & authoris fig C.



Ciuitas in quadro poſita eſt Apoc. 21. cap.

7. *Quod ab Authore recipitur.* Dico ſecundò: hoc Syſtema eſt omnium conformius rationi, & retinendum. Ita Veteres, & plurimi moderni Philoſophi, ac Aſtrologi; quibus ſubſcribunt Theologi complures.

Prob. in hoc Syſtemate optimè ſalvantur varii motus Cælorum, & Aſtronomicæ apparentiæ diverſæ, ut bene demonſtrat Ricciolus, Biancarus &c. Ergo eſt omnium conformius rationi, & retinendū.

QUÆSTIO III.

De circulis excentricis, & epicyclis Cælorum Planetalium.

1. *Orbes excentrici & concentrici explanantur.*

NOta primò: Secundùm Ptolomæum, Albategnium, Thebit, Clavium, & alios illuſtres Aſtronomos, quodlibet Cælum eſſe notabiliter craſſum; illudque proinde (ſi Cælum Solis, & Mercurii fortè excipias, quibus quinque orbes attribuuntur) dividere in tres orbes particulares, qui circuli, & orbes *excentrici* vocantur; id eſt, non habentes idem centrum cum centro totius Mundi ſeu Terræ; ſicut *concentrici* ſunt, qui habent idem centrum. Unus iſtorum trium Excentricorum dicitur *Excentricus ſimpliciter*; alii duo *Excentrici ſecundùm quid. Excentricus ſimpliciter* eſt ille, cujus tam concavum, quàm convexum habet centrum diſtinctum à centro Mundi ſeu Terræ, ita ut uniformis ſit ſecundùm craſſitiem, ſitque immerſus in craſſitiem totius Cæli Planetalis, & terram ipſam ambiat: Hic orbis in ſequenti Figura ſignatur per ſphæram albam, ſub littera A. Et quia Cælum totum cujuslibet Planetæ undequaque eſt uniformis craſſitiei, habétque centrum cum toto Mundo commune; idcirco circa orbem memoratum Excentricum, conſiſtunt alii duo orbes difformis craſſitiei; Excentrici ſecũdùm quid, unus videlicet ſuperior ambiens, alter inferior contentus, in Excentrico ſimpliciter; *Superior*, eſt tenuiſſimus in ea parte, quâ orbis Excentricus ſimpliciter maximè â centro Mundi recedit; craſſiſſimus verò in parte oppoſita, id eſt, ubi Excentricus ſimpliciter ſeu alba ſphæra eſt proxima terræ; hic ſignatur in figura per gyrum nigrum majorem craſſum ſub littera B. Alter *Inferior*, eſt craſſiſſimus in ea parte, quâ ſuperior Excentricus ſecundùm quid eſt tenuiſſimus; tenuiſſimus verò in illa, quâ ſuperior eſt craſſiſſimus; iſte ſignatur in figura, per circulum nigrum minorem craſſum, ſub littera C. Hi duo circuli dicuntur *Excentrici ſecundùm quid*, quia ſecundùm unam ſuperficiem extremam idem habent centrum cum Mundo magno; puta ſuperior ſecundùm convexam, inferior ſecundùm concavam; ſecundùm verò aliâm ſuperficiem habent centrum diverſum â Centro Mundi magni; ſcilicet ſuperior ſecundùm concavam, inferiòr ſecundùm convexam. Centrum porro magni Mundi in figura exprimitur puncto nigro, prope litteram D. in medio ſitam. De his omnibus ſtatuo ſequentem figuram Orbis Planetalis ſub littera marginali D.

Syſtema Sphæræ Planetalis



fig. D.

Nota

2. *Quid orbis deferens Planetam.*

Nota ſecundò: mediam ſphæram albam ſignatam litterâ A. in data figura vocari *Deferentem* Planetæ, ſeu ipſius ſtellæ, utì videtur ſub littera E. reliqui verò duo extremæ nigræ, ſeu craſſiores ſphæræ dicuntur *Deferentes Orbis Excentrici*: in motu autem hic ordo ſervatur, ut duæ nigræ ſeu craſſiores ſphæræ moveantur motu diurnô; ad motum primi mobilis, & ſecundùm quoſdam Aſtrologos etiam ad motum firmamenti ab occaſu in ortum; ſolùm alba, id eſt media movetur motu propriô in orientem juxta periodum, quem quivis Planeta deſcribit.

3. *Quid ſit eſſe in auge; & opposito augis, in perigæo, & apogæo.*

Nota tertiò: quando Planeta aliquis v. g. Sol eſt in ſupremo, & maximè elevato puncto ſphæræ mediæ albæ, ſeu Excentricæ ſimpliciter & maximè â terra diſtat, dicitur ab Aſtronomis eſſe *in Auge* (Aux enim eſt punctum maximæ elevationis, & diſtantiæ â terra) quod contingit dum Sol v. g. eſt in Cancro, vel in Leone. Quando verò Planeta eſt in puncto oppoſito ejuſdem ſphæræ, & minimè â terra diſtat, dicitur eſſe *in opposito Augis*; quod contingit in Sole v. g. dum eſt in Capricorno. Similiter quando Planeta aliquis velociſſimè movetur, quod fit, dum eſt propinquior terræ; tunc dicitur eſſe in *Perigæo*; quando verò tardiſſimè verſatur, quod fit dum remotiſſimè diſtat â terra; tunc dicitur eſſe in *apogæo*.

4. *Dantur orbes excentrici.*

Dico primò: Circuli, & orbes Excentrici ſunt neceſſariò admittendi in ſyſtemate cujuſvis Cæli Planetalis. Ita Scotus *2. diſt. 14. q. 2.* poſt Ptolomæum, & alios Aſtrologos *citatos Not. 1.* quibus ſubſcribit Joannes de Magiſt. Tatar. Columb. Durand. &c. contra Averro. Ariſtot. Guar. quibus favet S. Bonav. Ricar &c. & contra Maſtr. Averſ. & alios, ponentes ſolas ſeptem zonas pro motu Planetarum.

Prob. tum quia â Ptolomæo, & aliis Aſtronomis perſpicacioribus obſervantur multæ varietates in motu Planetarum; *primò* namque Planetæ modò remotiores â terra; modò propinquiores apparent, & moventur: Ergo ad hos motus ſalvandos neceſſariò admittendi ſunt circuli Excentrici, in quorum Deferente dum Sol occupat Augem, eſt remotior â terra; dum occupat oppoſitum Augis, eſt propinquior. *Secundò*, Planetarum Diameter modò major, modò minor videtur; atque adeo & ipſæ ſtellæ nunc majores, nunc minores cernuntur: Sol enim (ut cæteros Planetas omittam) exiſtens in Capricorno, aut in aliis ſignis Auſtralibus (de quibus infrà) major apparet, quàm dum in Cancro, vel aliis ſignis Borealibus moratur; utì & ejus Diameter: ſecundùm autem Perſpectivos res eadem quò propinquior, eò major videtur; quò verò remotior, eò videtur minor: Ergo ad has parallaxes ſalvandas, neceſſarii ſunt circuli, & orbes Excentrici, quorum beneficiô Sol nunc fit propinquior terræ, & conſequenter apparet major; nunc fit remotior, quo caſu apparet minor.

Tertiò: Sol in Zodiaco circa centrum Terræ irregulariter ſeu inæqualiter movetur, nam quotannis experimur Solem plures dies inſumere, dum ſex ſigna Borealia percurrit, quàm dùm in ſex aliis Auſtralibus moratur; nam ut ab Æquinoctio verno, id eſt à principio Arietis, per Taurum, Geminos, & alia ſigna Borealia, uſque ad Æquinoctium Autumnale, id eſt uſque ad principium Libræ moveatur, requiruntur dies 187. ut autem feratur ab Æquinoctio Autumnali, hoc eſt à principio Libræ, per Scorpionem, Sagittarium, & reliqua ſigna Auſtralia uſque ad Æquinoctium vernum, ſive principium Arietis, requiruntur tantummodo 178. dies: Ergo ad ſalvandas hujuſmodi inæqualitates motûs, neceſſarii ſunt Excentrici Orbes, proprios habentes motus circa aliud centrum, â centro Mundi diſtinctum. Circa alterum articulum quæſtionis.

Nota quartò: *Epicyclus* ſecundùm Clavium, Maſtrium, Columbum, & alios; rectè deſcribitur, quòd *ſit orbiculus ſeu ſphærula quædam ſolida intra craſſitiem Excentrici ſimpliciter Planetalis ita immerſa, ut circa proprium ſuum centrum circumvolvi poſſit.* Hanc ſphærulam repræſentat circulus F. in præmiſſa figura. In tali Epicyclo affixus eſt Planeta v. g. Luna, ut videre eſt in dicta figura ſub littera F. & ad ejus motum circa centrum (quod ſignatur in dicta ſphæra illo nigro puncto medio) defertur; & propterea â Ptolomæo appellatur *Orbis revolvens ſtellam.* Epicyclus movetur ad motum Excentrici ſimpliciter, & motu propriô circa proprium centrum, ut dixi, ab occaſu ſcilicet ad ortum; ſicut etiam fit motus ipſius orbis Excentrici ſimpliciter. Rurſus quia ſemper eandem medietatem Lunæ videmus, ut patet ex maculis, quæ eodem ſemper modo conſpiciuntur, quod non eveniret, ſi ſolùm ad motum Epicycli moveretur; nam

5. *Quid epicyclus, & ejus ſitus.*

quando eſſet in ſuperiori parte Epicycli videretur una medietas; & quando eſſet in inferiori, videretur alia; ideo Aſtrologi poſuerunt Lunam non tantùm ad motum Epicycli moveri; verùm etiam in Epicyclo proprium habere motum contrarium, ab Occaſu in Ortum, vel in ſeipſa, vel in alio Epicyclo in priori exiſtente, ut poſſit Luna ſemper eandem maculatam faciem nobis oſtendere; quod in aliis Planetis non admittitur.

6. *Quid ſtationes & arcus Planetæ.* Nota quintò: memoratos AA. & alios Aſtrologos in Epicyclo imaginari, & deſcribi quatuor puncta: imaginantur namque duas lineas procedentes à centro Mundi, tangentes, & concludentes præfatum circulum Epicycli, unam versùs Orientem, alteram versùs Occidentem; puncta illa tangentia dicuntur *ſtationes*; punctum tangens lineam orientalem, dicitur *ſtatio prima*; punctum verò tangens occidentem, vocatur *ſtatio ſecunda*: & Planeta exiſtens in uno horum punctorum dicitur *ſtationarius*; quia videtur nobis in ſuo Epicyclo ſtare quodammodo, & non mutare locum; nam aſcendit, vel deſcendit; Arcus verò Epicycli dicitur *directio Planetæ*; & Planeta in eo exiſtens *directus*; quia tunc ab occaſu in ortum movetur ſecundùm ordinem ſignorum; ſcilicet ab Ariete in Taurum &c. Arcus inferior dicitur *retrogradatio*, & Planeta qui in eo exiſtit, *retrogradus* nuncupatur; quia incedit ordine retrogrado, ab Ortu in Occaſum, & ab Ariete in Piſces, à Piſcibus in Aquarium.

7. *Epicycli ſunt admittendi.* Dico ſecundò: neceſſariò quoque admittendi ſunt Epicycli. Ita Scotus *2. diſt. 14. q. 2.* Ptolomæus, Alphranganus, Clavius, Columb. &c. contra Averro. Ariſt. Hurtad. Ciſalp. &c.

Prob. *primò*: maxima advertitur diverſitas in omnibus Planetis, Sole exceptô, exiſtentibus in Auge Excentri, id eſt in puncto Excentrici à terra remotiſſimo; nam non eodem ſemper modô ſe habent ad terram; nunc enim tenent locum ſublimiorem, nunc humiliorem: nunc diametri eorum minores, nunc majores apparent, & propterea ipſi quoque Planetæ nunc majores nunc minores videntur: hæc autem diverſitas ratione ſolius Excentrici fieri non poteſt; cùm enim Aux Excentrici ſemper ſit in eadem diſtantia à terra, Planeta in eo exiſtens ſemper eodem modô appareret quoad propinquitatem & diſtantiam, magnitudinem & parvitatem: Ergo neceſſariò ad hoc admittendi ſunt Epicycli, immerſi in craſſitie Excentrici; ad quorum motum Planetæ revolventur cùm varia illa propinquitate & diſtantia; & conſequenter cum apparentia magnitudinis & parvitatis.

Probat. ſecundò: Mars, Jupiter, Saturnus, Mercurius & Venus, nunc apparent progredi in Zodiaco à partibus Occidentalibus versùs Orientales, nunc verò retrocedere à partibus Orientalibus versùs Occidentales: ſed hæc apparentia pariter ſine Epicyclo ſalvari non poteſt: Ergo &c.

Prob. tertiò: ab Aſtrologis aliquando obſervatæ fuerunt duæ Ecclypſes Lunares, Sole & Lunâ in eodem ſitu in utraque manentibus, puta Sole in capite Draconis, & Luna in cauda Draconis, exiſtenteque Sole in utraque in eodem loco Excentrici, ita ut in utraque eandem diſtantiam à terra habuerit, atque adeò utramque ubique umbram terra projecerit; inveneruntque unam iſtarum Ecclypſium longiori tempore duràſſe quàm alteram: ſed hujus inæqualitatis cauſa ſoli Excentrico attribui nequit, major enim vel minor duratio Ecclypſis accidit ob ingreſſum Lunæ in majorem, vel minorem umbram terræ; ſed tunc in utraque Ecclypſi eadem ſemper fuit umbra terræ, cùm Sol ſupponatur eſſe æqualis diſtantiæ à terra in utraque: oportet ergo Lunam in una iſtarum Ecclypſium minùs remotam fuiſſe à terra, & in altera magis: ad hoc autem admittendi ſunt Epicycli, ita ut in una Ecclypſi Luna ſit in puncto Epicycli terræ proximo; in altera verò in puncto remotiſſimo à terra, unde bene ſequitur, quòd tunc major erit prior Ecclypſis, longiorique tempore durabit, quàm poſterior; quia in illa pertranſit Luna majorem umbram terræ, in hac autem minorem. 8. *Alia ratio aſtrologorum ad idem.*

QUÆSTIO IV.

De Periodis motuum cæleſtium.

JAm ſuprà *queſt. 5.* oſtenſum eſt contra Copernicum, Terram nullatenus moveri, ſed ſtabili requie potiri, tanquam centrum magni Mundi; ex quo ſequitur neceſſariò Cælos moveri, & certas Periodos deſcribere circa Terram, cùm oculis noſtris cernamus aſtra,

aſtra, Planetaſque nobis nunc oriri; nunc occidere, nunc remotiores, nunc propinquiores terræ apparere. Sed conſurgit hic alia difficultas inter AA. nam nonnulli docent ipſos Orbes non moveri; ſed ſtellas, maximè Erraticas eis immerſas, eôfere modô, quô aves in aëre, vel piſces in aqua moventur; vel certè per quoſdam canales, ſive vacuos, ſive plenos fluidâ quâdam materiâ. Alii concedunt tam Orbes, quàm ſtellas moveri, has videlicet in ſeipſis circa proprium centrum, quem motum vocant *Tropicum*, quia converſivus ſecundùm perfectam circulationem; & hunc motum docent cauſare ſcintillationem, quam in ſtellis advertimus. Sed ego

1. *Soli orbes & epicycli moventur, non autem ſtellæ.*

Dico primò: ſoli Orbes, & Epicycli Cælorum veras periodos motuum in gyrum deſcribunt; ſtellæ verò ipſis infixæ ad eorum, & Epicyclorum motum moventur. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 14. q. 2.* Et habet Ptolomæus, Clavius, Alphonſus, Albategnius, & alii celebres Aſtronomi; contra Copernicanos, Gallilæum, Guiliel. Gilbertum, Baſſonum, &c.

Prob. faciliùs ſalvantur variæ apparentiæ ſtellarum; & non multiplicantur tot motores, ſi dicantur ſoli Orbes, & Epicycli Cælorum moveri; non verò ſtellæ ipſæ in ſeipſis: Ergo hoc eſt dicendum. Prob. Ant. in primis in ſtellis fixis faciliùs in hac ſententia ſalvatur eorum uniformis diſtantia, quam inter ſe ſemper ſervant; idem patet de via lactea: ſimiliter ſalvatur unitas motoris ſeu Intelligentiæ pro quovis Orbe; nam ſi ſtellæ ipſæ moverentur in ſe; cùm penè ſint infinitæ in firmamento; infiniti quoque motores eis attribui deberent; cùm unus motor tantæ multitudini aſſiſtere nequiret; & motus tam varios, puta his tardiores, velociores his ordinatè nequeat imprimere. Salvantur inquam hujuſmodi diſtantiæ uniformes, & non multiplicitas motorum, ſi dicatur unicum cuilibet Orbi aſſiſtere motorem, qui ipſum gyrat, & cum eo ſtellas omnes. Similiter in Stellis Erraticis, ſeu Planetis faciliùs ſalvatur, quòd ipſi modò ſint rettogradi, modò elevatiores, modò propinquiores terræ, & pluribus quaſi motibus ſimul moveantur, quàm ſi per materiam liquidam veluti per aquam, vel per canales quoſdam moverentur; ſalvatur inquam faciliùs, ſi dicatur eos ſortiri prædictos motus diverſos beneficiô Epicyclorum, nunc attolentium, nunc deprimentium Stellam Planetalem: Ergo dicendum eſt ſolos Orbes, & Epicyclos Cælorum reales periodus motum in gyrum deſcribere; Stellas verò ipſas ad motum dictorum Orbium, & Epicyclorum moveri.

Objicies: S. Scriptura attribuit ipſis ſtellis, ſignanter Planetis Solis & Lunæ motum: ſic dicitur 4. Reg. 20. Solem retroceſſiſſe decem gradibus. Et Eccleſ. 1. *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans univerſa.* Et Joſue 10. *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Accalon*: Ergo non moventur ſoli Orbes.

2. *Quidam paſſus S. Scripturæ elucidantur.*

Reſpondeo Neg. Conſeq. & dico, ex *locis citatis* ſolùm habere, quòd Sol & Luna verè moveantur, abſtrahendo an motu propriô, an motu Orbis ipſos deferentis; dicuntur autem verè moveri, tametſi ad motum ſuorum Orbium duntaxat moveantur. Vel certè Sol, & Luna dicuntur moveri, quia cùm ſint partes Cælorum magìs conſpicuæ, & principales, in eis magìs elucet motus, ab Orbibus deferentibus cauſatus. Circa varietatem porrò periodorum, quas in motibus cæleſtibus experiuntur Mathematici inſigniores,

4. *In orbibus cæleſtibus tres motus obſervati fuêre.*

Nota primò: tres præcipuos motus obſervatos eſſe in Orbibus cæleſtibus; unum ab Oriente in Occidentem; alterum ab Occidente in Orientem ſecundùm quid; id eſt à ſignis Orientalibus, hoc eſt ab illis, quæ poſteriùs oriuntur & occidunt; verſùs ſigna Occidentalia; id eſt ea, quæ priùs oriuntur ſuper Horizontem, & priùs occidunt: tertium acceſsûs, & receſsûs ſeu trepidationis. *Primus* convenit propriè, & primariò primo mobili. *Secundus* convenit reliquis novem Cœlis mobilibus; *Tertius* octavæ ſphæræ principaliter, & ſecundariò etiam Planetalibus.

4. *Deferentes ſoli moventur motu particulari.*

Nota ſecundò circa motus particulares Planetarum: quod per Periodos motuum particularium in Planetis (quas in ſequentibus Notabilibus aſſignabo) non intelligi debeant illæ, quæ Cælis totalibus Planetarum, ſed quæ ſolis ſphæris & Orbibus Excentricis ſimpliciter Planetarum conveniunt, qui dicuntur *deferentes Planetarum*, & in medio dictorum Cœlorum ſiti ſunt, quoſque in figura D. præcedentis quæſtionis albô circulô ſignavi; hi inquam Orbes ſoli moventur motu particulari, & propriô; totales namque Cœli Planeta-

netarum motibus alienis, id eſt, à ſuperioribus aliis Orbibus ſibi impreſſis cientur, & moventur ab Occidente in Orientem, eâdem prorſus tarditate, quâ nonum, & octavum Cælum movetur. Similiter iidem moventur motu trepidationis ad motum ſphæræ octavæ, cum qua ſunt concentrici. Nullus tamen Planeta inferior movetur ad motum particularem, ſeu proprium Planetæ ſuperioris; quia non feruntur propriis lationibus circa idem centrum.

5. *Motus Lunæ.*

Nota tertiò: Cœlum Lunæ ab Occidente in Orientem periodum & ſuum motum particularem perficere, diſcurrendo per totum Zodiacum ſpacio 27. dierum & octo fermè horarum: deinde verò quaſi duos dies conſumit, ut aſſequatur Solem; cùm enim Sol interim in 27. diebus & octo horis percurrat fermè 27. gradus, quos Luna in duobus diebus quaſi abſolvit, neceſsè eſt, ut ab una conjunctione Lunæ cum Sole intercipiantur dies 29. & horæ fermè duodecim. Tale autem ſpacium *menſis Lunaris* appellatur.

6. *Motus Mercurij.*

Nota quartò: Cœlum Mercurii complet ſuam periodum, & motum proprium ab Occidente in Orientem, eodem quaſi tempore quô Sol, id eſt 365. diebus, horis 5. minutis 49. ſecundis 16. Similiter Cælum Veneris eodem fermè tempore ſuum finit gyrum particularem; progreditur namque quovis die 59. minut. ſec. 8. & terc. 19. quaſi.

7. *Motus Solis.*

Nota quintò: Cœlum Solis ſuum iter periodicum peragere ab Occidente in Orientem, ſpatio 365. dierum, 5. horarũ, minut. 49, ſec. 16. quod ſpatium dicitur ab Aſtronomis, & communiter *Annus Solaris*. *Cælum Martis* perficit ſuum curſum

8. *Motus Martis.*

ab Occaſu in Ortum annis fermè duobus: percurrit enim Zodiacum quovis die 31. min. 26. ſec. & 38. ter. *Cælum Jovis* ſuam circuit periodum, & explet ſpatiô 12. fermè annorum: quia quavis die pertranſit 4. min. 59. ſec. & 15: ter. *Cælum Saturni*, motum proprium conficit ab Occidente in Orientem intervallô 30. annorum ferè, ſingulis enim diebus peragrat in Zodiaco quaſi 2. min. & 35. ter.

9. *Motus Cæli ſtellati.*

Nota ſextò: *Cælum octavum*, id eſt ſtellatum ſuum motum proprium & periodum, ſcilicet *acceſsûs & receſsûs*, ſeu *trepidationis* complere ſpatiô 7000. annorum. Hôc motu, ut dixi ſuprà *Not. 2.* etiam cientur omnes Orbes Planetarum, eò quòd commune centrum habeant cum octava ſphæra. Hic autem motus ſecundùm Alphonſum, & ejus ſequaces fit ſuper principia Arietis, & Libræ nonæ; ſecundùm verò alios decimæ ſphæræ tanquam ſuper polos; principia enim Arietis, & Libræ octavæ ſphæræ deſcribunt circa initia Arietis & Libræ, nonæ vel decimæ ſphæræ circulos quoſdam parvos, quorum, ſemidiametri continent 9. gradus: tantùm enim diſtant initia Arietis & Libræ octavæ ſphæræ, à principiis Arietis & Libræ nonæ vel decimæ ſphæræ, ſecundùm citatum Matheum: ex hoc verò motu principiorum Arietis & Libræ octavæ ſphæræ circa principia Arietis & Libræ nonæ ſphæræ vel decimæ ſequitur, nullum aliud punctum octavi Cæli circulum perfectum abſolvere; ſed quodammodo titubare & trepidare, hoc eſt nunc accedere ad polum Arcticum, & ab Antarctico removeri; nunc verò à polo Arctico diſcedere, & ad Antarcticum accedere: & hinc iſte motus dicitur *motus trepidationis*.

10. *Motus Zodiachici Cæli.*

Nota ſeptimò: *Cælum nonum Zodiachicum* ſuam periodum propriam facit ab Occaſu in Orientem, ſuper polos Zodiaci tardiſſimè: nam eandem complet in 49. millibus annorum, ſecundùm Alphonſum Regem; quod ſpatium plerique ſolent vocare *annum Platonicum*; hôc enim intervallô autumant omnia ſydera reditura ad eundem ſitum; imò arbitrantur quidam omnes etiam ſpecies rerum in mundo modò exiſtentium tunc reverſuras, eô modô, quô nunc cernuntur; quod tamen eſſe erroneum, præter Theologos orthodoxos etiam demonſtrant inſigniores Mathematici; maximè cùm motus Cælorum ſint incommenſurabiles; unde fieri nequit, ut unquam omnia ſydera eundem ſitum, & ordinem, quem nunc habent, aut olim habuerunt, obtinere poſſint. Secundùm Ptolomæum verò hoc Cælum Zodiachicum terminat ſuam periodum ſpatio 36. millibus annorum. Secundùm tandem Albategnium ſpatio 23. millibus annorum. Hôc motu tardiſſimè cientur quoque omnes 8. orbes inferiores cæleſtes, puta Cæli ſtellati, & ſeptem planetalium.

11. *Motus primi mobilis.*

Nota octavò: *decimum Cælum*, quod & *primum mobile* dicitur, exercere ſuam periodum per uniformem, ac regularem velociſſimum motum ſuper polos mundi, ab Ortu in Occaſum, & per circulum Æquinoctialem (de quo infrà) quem abſolvit ſpatio 24. horarum duntaxat, quæ

quæ vocantur horæ Æquinoctiales; & ex his reſultat unus dies naturalis. Hujus motûs impetu, omnes quoque alii inferiores orbes, ſcilicet Zodiaci, Cæli ſtellati, & Planetarum circumgyrantur eôdem intervallô temporis, imò & ſphæra ignis, ac magna pars aëris, uti & in quorundam ſententia magna pars Oceani, ab Oriente in Occidentem rapiuntur.

12. *Quid ſentiendum de motu Cæli cryſtallini.*

Nota nonò: de *undecimo Cælo cryſtallino* prorſus ignotum eſt, num aliquem motum habeat; videtur tamen probabile, quòd & hoc aliqualiter moveatur ab Intelligentiis; tum quia aliqualis motus conducit ad cõſervationem hujus aqueæ creaturæ; tum quia nulla eſt ratio denegandi huic Cælo aliqualem motum: cujuſmodi autem ſit iſte motus, an circularis, uti eſt motus inferiorum Orbium; an evolutionis & convolutionis, qualis eſt motus chartæ v. g. in volvulum convolutæ, faciliter evolubilis; an elevationis & depreſſionis, ſeu ebullitionis; qualis eſt in olla aquæ bullientis; an acceſſus & receſſus, qui omnes poſſibiles ſunt, novit ipſe Author Naturæ ejuſque Angeli, creaturam hanc aqueam gubernantes. *Cælum* tandem *duodecimum*, *Empyreum* videlicet nullo agitatur motû, ut *priori diſt. quæſt. 9.* dixi: eſt enim ſedes tranquilla Beatorum.

QUÆSTIO V.

De vero principio efficiente motuum Cælorum.

1. *Cauſa efficiens motûs in Cælis non eſt eorum forma intrinſeca.*

Dico primò: principium movens ſeu efficiens motum Cælorum, non eſt propria forma intrinſeca. Ita Scotus *2. diſt. 14. quæſt. 1.* cum ſua Schola, & S. Bonavent. & eſt communis ſententia Platonicorum & Peripateticorum; contra Guilliel. Pariſienſem, Albert. de Saxo. Major. Gabriel. Racon. Aureol. Valeſium, & alios Philoſophos, & ex Aſtrologis contra Longom. Tychon. Kepler. &c.

Probat. primò: authoritate Ariſtotelis qui *8. Phyſ. tex. 52. & 12. Metaph. tex. 43.* motum Cælorum refundit in principium effectivum extrinſecum Intelligentiarum, unde tot enumerat ibidem Intelligentias motrices orbium cæleſtium, quot ſunt orbes mobiles: Ergo &c.

Probat. ſecundò ratione: tum quia ſi propria forma intrinſeca eſſet principium movens ſeu efficiens motum Cælorum, ſequeretur quòd non poſſet aſſignari cauſa, cur Cæli motu raptûs potiùs ab Oriente in Occidentem, quam ècontra moverentur; forma enim intrinſeca non magis nata eſt efficere hunc, quàm illum motum: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. Tum quia in eadem ſententia adverſariorum ſequeretur, quòd non ſupereſſet amplius efficax ratio naturalis probandi exiſtentiam Angelorum, quæ aliàs naturaliter oſtenditur per motum, quem ab extrinſeco ipſi imprimunt Cælis: ſed hæc ſequela rurſus eſt falſa: Ergo &c. Tum quia motus proveniens a propria forma fit propter acquirendam aliquam perfectionem, intrinſecè perficientem illud corpus mobile, ſeu ad bonum aliquod intrinſecum mobilis; ſic motus localis corporum gravium, & levium fit, ut ipſa conſequantur propria loca; ſic ſimiliter motus localis animatorum fit, ut cibos, & alia neceſſaria adipiſcantur: ſed Cæli nullam perfectionem intrinſecè perficientem aſſequuntur per motum localem: Ergo hic motus non provenit â forma propria intrinſeca eorum. Probat. Min. quia aliàs ſequeretur DEUM Cælos condidiſſe imperfectos, contra tot paſſus S. Scripturæ, quibus Cæli perfectiſſimè conditi aſſeruntur. Tum tandem quia ſi forma propria eſt principium effectivum motûs cæleſtis circularis ſequitur, quòd hujuſmodi motus ipſis Cælis ſit naturalis, & naturaliter debitus: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. Probat. Min. quia aliàs poſt diem Judicii, quando Cæli quieſcent, eſſent in ſtatu violento perpetuo quietis; quod nõ eſt dicendum: Ergo &c.

Dico ſecundò: verum principium efficiens motum Cælorum ſunt Intelligentiæ aſſiſtrices, ſeu Angeli boni. Ita Scotus *4. diſt. 48. quæſt. 2.* & in *2. diſt. 2. quæſt. 6.* & communis Theologorum: quibus præivêrunt Platonici, & Ariſtotelici. 2. *Sed Intelligentiæ aſſiſtentes.*

Probat. primò: authoritate S. Scripturæ: nam Matth. 24. dicitur: *Virtutes Cælorum movebuntur.* Et Job 9. *Sub quo curvantur, qui portant Orbem.* Et rurſus 26. cap. *Columnæ Cæli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus.* Et tandem cap. 38. *cum me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filij DEI:* quos textus SS. PP. & Interpretes Scripturæ, ſignanter noſter P. Lyranus, rectè commentantur de Intelligentiis, & Angelis moventibus Cælos: Ergo &c.

Pro-

Probat. ſecundò authoritate SS. PP. Angelos pro motoribus Cælorum aſſerentium; ut videre eſt apud D. Auguſtinum *3. Trinit. cap. 4.* Et S. Gregorium *4. Dialog. cap. 4.* Et S. Dionyſium *de Divin. Nom. cap. 4.* & *Cæleſt. Hierarch. cap. 5.* Tertiò authoritate Ariſtotelis, *locis pro prima concluſione citatis*: Ergo &c.

Probat. etiam ratione: tum quia in hac ſententia ſalvatur ſubordinatio debitainter omnes magni Mundi partes; videlicet, ut corpora ſublunaria ſubſint cæleſtibus; & cæleſtia ſpiritualibus ſubijciantur. Tum quia in eadem ſententia ſalvantur motus regulariſſimi Cælorum, utpote ab Intelligentiis ſeu Angelis aſſiſtentibus provenientes, qui ſoli, quia perfectiſſimâ pollent virtute motivâ, motus perfectos ordinatos, & regulares Cælis, etiamſi vaſtiſſimâ mole conſtent, imprimere valent: Ergo &c.

3. *Plures ſunt Intelligentiæ pro motu omnium Orbium.*

Dico tertiò: non unica eſt omnium Orbium cæleſtium Intelligentia: ſed quivis Orbis proprium habens motum habet particularem quoque Intelligentiam ſeu Angelum ſibi Aſſiſtentem, & efficientem illum motum. Deducitur ex Scoto *1. diſt. 2. q. 1. ad ult. princip.* Et *Quodlib. 7.* ſubſcribit Concluſioni Cantar. Maſtr. Abul. Svar. contra Leſſium, Fracaſt. &c. ponentes unicam Intelligentiam motricem omnium Cælorum.

Probat. *primò* authoritate S. Scripturæ; quæ *locis pro ſecunda concluſione citatis*, loquitur de motoribus Cælorum, ut de pluribus in plurali numero. *Secundò* authoritate Ariſtotelis; qui concluſionem tenet *8. Phyſ. tex. 22.* Item *12. Met. tex. 43.* *Tertiò* ratione: omnes Orbes cæleſtes ſunt ingentis magnitudinis collectivè ſumpti; variiſque contrariis aguntur gyris, & circulationibus; pro quibus non videtur ſufficere unica Intelligentia aſſiſtens, utpote quæ limitatæ eſt virtutis motivæ: Ergo quivis Orbis habet aliam ſpecialem diſtinctam Intelligentiam aſſiſtentem.

Dico quartò: Intelligentiæ motrices Cælorum, non imprimunt Cælis motum per intellectum, neque per Voluntatem; ſed per potentiam locomotivam, ſeu executivam, formaliter diſtinctam ab iiſdem. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 10. q. 7.* & ſequitur Fraſſen, Maſtr. Columb.

4. *Intelligentia non movens per in-[tellectûs vel voluntatis impreſſioné.]*

Probat. prima pars: tum quia intellectus, & voluntas, ſunt potentiæ immanenter agentes; adeoque incapaces producendi, & imprimendi Cælis motum, qui eſt actio tranſiens: Ergo ad talem imprimendum requiritur tertia potentia locomotiva, ſeu executiva. Tum quia poteſt Angelus habere intellectionem de Cælo ſuo movendo, uti & volitionem de eodem circulando; & tamen poteſt non ſequi motus & circulatio; ſi videlicet DEUS non concurreret ad motum Cæli: Ergo per intellectum & voluntatem non fit motus Cælorum.

5. *Sed per potentiam locomotivam.*

Secunda pars ſequitur ex probatione primæ; nam ſi Angelus non moveat Cælos per intellectum, & voluntatem; ſequitur, & relinquitur, quòd moveat eos per potentiam locomotivam; nulla enim alia potentia in Angelis, præter has tres enumeratas, poteſt aſſignari.

6. *Quæ eſt formaliter ab intellectu, & voluntate diſtincta.*

Probat. tertia pars: formalis diſtinctio potentiarum bene arguitur penes diverſitatem conditionum, & proprietatum, quæ in potentiis reperiuntur: ſed reperiuntur diverſæ proprietates in intellectu, voluntate, & potentia locomotiva: Ergo hæ formaliter diſtinguuntur. Prob. Min. Intellectus, & voluntas non producunt terminum in eſſe reali, ſed in intentionali duntaxat; potentia verò locomotiva producit terminum ſuum, puta motum in eſſe reali: Item intellectus, & voluntas non requirunt propinquitatem localem objecti, nec ab Angelo poſſunt impediri, ne exeant in ſuas operationes: potentia autem locomotiva, & executiva requirit propinquitatem localem objecti, & approximationem paſſi; ſimiliter poteſt impediri ab alio Angelo ſuperioris ordinis, & virtutis: Ergo reperiuntur in his potentiis, conditiones, & proprietates diverſæ arguentes diſtinctionem formalem. Cum quo ſtat, quòd hæc potentia ſit realiter idem cum voluntate; ut doceo pluribus *tom. 1. Schol. Theol. tract. de Angelis diſt. 4. q. 3.*

7. *Intelligentia movens reſidet in determinata parte orbis ſui.*

Nota autem primò: Intelligentiam, ſeu Angelum motorem Cæli non eſſe diffuſum per totum ſuum Orbem; ſed aſſiſtere uni parti determinatæ ejuſdem; illi videlicet, quæ velociùs movetur; qualis eſt pars propinqua Æquatori: & ſi ille Orbis habeat Epicyclum, probabilius in illo reſidet, atque cum eo circulariter movetur, impellendo ſimul totam machinam commiſſi ſibi Cæli, utpote quæ tota eſt intra ſphæram ſuæ activitatis; ſicut Sol illuminat unicâ illuminatione totum aërem, utpote contentum ſub ſuæ activitatis ſphæra.

Nota

8. *Angelus eſt actu beatus etſi orbi ſuo aſſiſtat.* Nota ſecundò: tametſi Angelus ejuſmodi impulſu, & motu Cæli occupatus ſit, non propterea privatur beatitudine ſupernaturali, convenienti Beatis Spiritibus: Ratio eſt, quia non obſtante tali occupatione adhuc fruitur DEI præſentiâ beatificante. Similiter per talem aſſiduam motionem non fatigatur; quia fatigatio provenit ex diminutione ſpirituum animalium, quæ reparari poſſunt per quietem: Angelus autem non habet ſpiritus animales relaxabiles, & diminuibiles: adeoque non fatigatur. Præterea, ut rectè docet Scotus *in Report. 4. diſt. 45. q. 14.* fatigatio tunc contingit, cùm paſſum vincit agens quantùm ad aliquid; licèt ſimpliciter vincatur: ſed Angelus non vincitur â Cælo tanquam paſſo: Ergo non fatigatur.

9. *Intelligentia motrices ſunt ex ordine virtutum.* Nota Tertiò: Intelligentias Motrices Cœlorum probabiliter eſſe ex ſecunda Hierarchia Angelorum, ex ordine *Virtutum*. Ratio eſt: quia propterea beatiſſimi illi ſpiritus â ſacris litteris vocantur *Virtutes Cælorum*, ex eo quòd Cælis ſuam virtutem impendant; eoſdem in varios gyros propellendo; ut obſervat P. Fraſſen *hic*.

QUÆSTIO VI.

Varia circa motus Cælorum, & eorum diſtinctionem expenduntur.

1. *Quid motus naturalis, violentus, & neuter.* QUæres primò: an motus Cæleſtis ſit naturalis? pro reſolutione

Nota primò: in ſententia noſtra Scotiſtica illum motum dici rei mobili *naturalem*, qui provenit â principio paſſivo rei mobilis; & ſimul eſt ſecundùm inclinationem rei mobilis. *Violentus* eſt, qui eſt contra inclinationem rei mobilis. *Neuter* eſt, qui nec eſt ſecundùm, nec contra inclinationem rei mobilis; ſed indifferenter ſe habet: His poſitis

Dico primò: motus cæleſtis, nec eſt Cælis naturalis, nec violentus, ſed neuter & indifferens. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 6.* & *4. diſt. 48. q. 2.* cum tota ſua Schola; & ex Neutriſtis, Arriaga, Amico, Hurtat: quibus adde Pariſienſ. Duran. Avicen. &c. contra D. Thom. Conimb. Argent. Zimar. Gabr. â S. Vincentio &c.

2. *Motus cæleſtis non eſt Cælis naturalis.* Probatur prima pars *primò*: in tantum motus eſt naturalis rei mobilis, in quantum terminus acquiſitus per motum eſt ſecundùm inclinationem rei mobilis: ſed terminus acquiſitus per motum Cælis nõ eſt ſecundùm inclinationem: Ergo talis motus non eſt Cælis naturalis. Prob. Min. terminus acquiſitus per circulationem v. g. hodiernam non addit majorem perfectionem Cœlis, cùm Cœli ſemper maneant in eodem ſitu, utì in ſimili colligi poteſt in rota, quæ movetur in eodem loco, ſiné acquiſitione novæ perfectionis: Ergo terminus acquiſitus per motum Cœlis non eſt ſecundùm inclinationem.

Probatur *ſecundò* eadem pars: ſi Cæli haberent inclinationem naturalem, ratione cujus motus eorum eſſet naturalis, deberent etiam habere virtutem productivam talis motûs: ſed hoc eſt falsũ; aliàs nõ moverentur ab Intelligentiis, ſeu Angelis: Ergo &c. Prob. Mai. nam ex eo, quòd gravia & levia habeant inclinationem ad motum ſurſum, & deorſum, habent quoquè virtutem ad producendos illos motus; unde cùm ſunt extra ſua loca, ablatis impedimentis, non egent Intelligentiis, aut aliô principiô extrinſecô, ut ad illa moveantur: Ergo idem dicendum de Cælis.

3. *Nec violentus.* Prob. ſecunda pars ex Ariſtot. *1. Cæli 15.* nullum violentum eſt durabile; Cæli autem ſunt durabiles, & quoad ſubſtantiam duraturi in æternum: Ergo eorum motus non eſt ipſis violentus.

4. *Sed neuter.* Tertia pars ſequitur ex dictis: nam cùm motus Cælis non ſit naturalis, nec violentus; relinquitur, quòd ſit neuter, ac indifferens.

Obijcies: Philoſophus variis in locis videtur adſtruere motum Cælorum eſſe naturalem; ſignanter *1. Cæli tex. 5.* & *1. & 8. Met.* & *2. Phyſ. 78.* Ergo &c.

5. *Qua ratione Philoſ. vocet motum Cæli naturalem.* Reſp. interpretando Philoſophum, & dico, eum *locis citatis* ac alibi, motum Cælorum ideo ſolùm vocare naturalem, vel quia is non fit ab agente ſupernaturali, ſed ab Angelo, qui eſt agens naturale: vel quia cauſat influxus merè naturales in hiſce ſublunaribus: vel tandem quia conſiderat talem motum præcisè penes principium paſſivum Cæli mobilis; non verò penes terminum ad quem inclinat, â quo probabiliter deſumenda eſt ratio *naturalis* quà talis.

Quæres ſecundò: an motus Cælorum dicendus ſit regularis, ac uniformis, id eſt

6. *Motus Cœli eſt regularis.* eſt cum æquali tempore contingens, & cum eadem velocitate, ac tarditate, partium cujuslibet Cæli. Reſpondeo affirmativè: ratio eſt, quia licèt Planeta in ſuo motu proprio, & particulari quandam irregularitatem, particularitatem, & difformitatem, puta nunc majorem nunc minorem velocitatem patiantur, ut ſuprà *q.* 6. oſtenſum eſt; quia tamen ut *q.* 7. oſtendi, omnes Cæli mobiles inferiores regulatiſſimè, & uniformiter perficiunt ſuam periodum & gyrum ſpatiô 24. horarum, ad motum raptûs primi mobilis, ſeu decimæ ſphæræ, penes quem motum potiſſima ab Aſtrologis regularitas motûs attenditur; idcirco motus Cælorum ſimpliciter regularis, ac uniformis dici poteſt.

Quæres tertiò: an Orbes cæleſtes inter ſe, & ab aſtris diſtinguantur ſpecie; & hæc quoque inter ſe? Reſpondeo &

7. *Orbes Cælorum ſpecie inter ſe differunt.* Dico ſecundò: probabiliter omnes Orbes Cœlorum ſpecie inter ſe differunt. Huic non contradicit Scotus *2. diſt.* 14. *q.* 2. & *in Report.* ibidem. Eandem tenet S. Bonaventura; ex Scotiſtis, P. Fraſſen, Columbus &c. ſubſcribunt etiam Conimb. Thomiſt. Ruv. Hurtad. &c. contra Averr. Jand. Dur. Averſ. Arriag. &c.

Probat. *primò* authoritate Ariſtotelis; qui concluſionem tenet teſte Scoto *2. diſt.* 9. *q.* 7. in fine. *Secundò* ratione: tum quia diſtinctio ſpecifica rectè colligitur ex effectibus ſpecie diſtinctis, diverſiſque paſſionibus intrinſecis, virtutibus, motibus, & locis; quemadmodum patet in hiſce ſublunaribus tam animatis, quàm inanimatis, in quibus enumerata ſigna arguunt diſcrimen ſpecificum: ſed in Orbibus cæleſtibus reperiuntur effectus ſpecie diſtincti, paſſiones, virtutes, & loca diverſa; unus enim humectat, alter exſiccat; unus calefacit, alter frigefacit; omnéſque moventur differentibus motibus propriis, ut ſuprà *q* 7. oſtendi: habent tandem etiam loca diſtincta in ipſa machina totali omnium Cælorum: Ergo omnes Orbes Cælorum ſpecie differunt inter ſe. Tum quia inferiores ſphæræ ſublunares, puta ignis, aëris, & globi terraquei ſpecie inter ſe differunt: Ergo idem ſentiendum de ſphæris, ſeu Orbibus ſuperioribus Cæleſtibus.

8. *Non tamen à ſuis aſtris quæ devehunt.* Dico tertiò: Orbes tamen cæleſtes non diſtinguuntur ſpecie ab aſtris tum fixis, tum errantibus, quæ infixa ſuſtentant. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt.* 40. *q.* 15. & *2. diſt.* 14. *q.* 2. & ſequuntur Maj. Kaon. Achil. Tanner. &c. contra Averſ. Mot. Maſtr, Arriag. &c.

Prob. *primò* authoritate Ariſtotelis, qui *2. Cœli cap.* 7. *tex.* 41. omne aſtrum ponit ejuſdem naturæ cum Orbe, cui infixum eſt. *Secundò* ratione: tum quia, ut rectè arguit Scotus hîc, Aſtra ſunt partes denſæ duntaxat Orbium cæleſtium, & Orbes ſunt quædam corpora rara: ſed denſum, & rarum non diſtinguuntur: Ergo nec Orbes cæleſtes ab aſtris. Tum quia juxta Aſtrologorum obſervationem, iidem effectus, ac paſſiones Orbibus, & aſtris infixis correſpondent: Ergo non diſtinguuntur inter ſe ſpecie.

Dico quartò: omnes Planetæ, & complura aſtra fixa pariter ſpecie diverſas naturas ſortitæ ſunt. Ita deducitur ex Scoto *cit.* & habet Fraſſen, Columb. Maſtr. &c. contra veteres, aſſerentes omnes ſtellas eſſe lapides quoſdam ignitos ejuſdem ſpeciei. 9. *Aſtra plura fixa, & planetæ ſunt ſpecie diſtincta.*

Prob. Planetæ, & plura aſtra fixa producunt varios, & ſpecie diverſos effectus ac influxus in hiſce ſublunaribus; habentque proprietates ſpecie diſtinctas; ex quibus rectè colliguntur naturæ eorum ſpecie diverſæ: Ergo &c. Prob. Ant. nam Planeta Saturnus eſt ſiccus, & frigidus, & ſimile temperamentum cauſat in corporibus humanis generatis ſub tali Planeta; unde fit, quòd homines ſub Saturno procreati ſint melancholici, cogitabundi, timidi, pauci ſermonis, graves, ſolitarii; alii ſunt aliis proprietatibus reſperſi; de quibus plura intrà *q.* 12. ſimiliter plura aſtra fixa, ſignanter quæ primæ, ſecundæ, & tertiæ magnitudinis dicuntur; quæque ſpeciales conſtellationes ſenſibiliores conſtituunt, varios cauſant effectus in corporibus humanis; maximè in conjunctione Planetarum; uti patet de ſtella polari, trahente magnetem, & de Plejadibus cauſantibus pluvias; de canicula cauſante æſtum &c. quod indicium eſt; ea quoque ſortita eſſe naturas ſpecie diverſas.

QUÆSTIO VII.

De numero, differentia, quantitate, & varietate Stellarum fixarum.

Nota

1. *Quid ſit Stella.*

NOta primò: nomine *Stellæ* intelligi ex communi Aſtrologorum, & Philoſophorum modernorum doctrina, corpus aliquod ſolidum, lucidum, Orbi cæleſti infixum, quod die quartô creationis Mundi à DEO creatū fuit, ut res diſtincta ab ipſis Orbibus cæleſtibus, uti habetur Gen. 1. Quare error cenſenda eſt illa opinio Veterum, quæ aſſerebat Stellas eſſe ſolùm quaſdam tranſparentias alicujus Cœli diaphani ſubſiſtentis, cujus partes per aliud Cœlum, ſemper mobile ab Oriente ad Occidentem, & habens plura foramina tranſparerent.

2. *Quid Stella fixa, & erratica.*

Nota ſecundò: hæc corpora lucida primò dividi in Stellas Fixas & Erraticas, ſeu Errantes. *Stella fixa* ſecundùm Scotum *2. diſt. 14. q. 2.* dicuntur illæ, quæ ſemper retinent inter ſe eandem diſtantiam, ſitum, figuram, & motum; cujuſmodi ſunt omnia aſtra in octava ſphæra firmamenti exiſtentia. *Stella Erratica* ſeu Errantes ſunt, quæ non ſervant ſemper eandem diſtantiam inter ſe, & à Stellis fixis: inſuper deſcribunt circulos, & motus diverſos; tales ſunt omnes ſeptem Planetæ, puta Jupiter, Saturnus &c.

3. *Numerus ſtellarum viſibilium.*

Nota tertiò: numerum Stellarum fixarum omnium eſſe pene infinitum; unde per energiam in Pſalmis attribuitur ſoli DEO earum numeratio illis verbis; *qui numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Et propterea etiam DEUS promiſit Abrahæ (qui ſecundùm multos fuit peritiſſimus Aſtrologus, & inventor Aſtrolabii) infinitam multiplicationem deſcendentium ſub ſimilitudine Stellarum Cæli, & arenarum maris. Et Jerem 33. habetur, *ſicut enumerari non poſſunt Stellæ Celi.* Aſtrologi tamen beneficiò tuborum aſtronomicorum, Stellarum viſibilium, & quotannis apparentium determinatum numerū aſſignârunt; antiquiores videlicet mille, & quindecim: recentiores verò Aſtronomi, ut Tycho, Galliiæus, Magirus &c. Plures obſervârunt; quare hodie cōmuniter ſtatuitur numerus earū mille, viginti duarum; quas Aſtrologi in quadraginta octo conſtellationes, id eſt aſteriſmos, ſeu Imagines diviſerunt; uti apparet in hodierna figura globi aſtronomici; unde conſtellatio rectè deſcribitur, *quòd ſit collectio plurium Stellarum, unam figuram celeſtem conſicientium.* Hujuſmodi conſtellationum diſtributio eſt antiquiſſima; unde jam tempore Job viguit earum traditio; uti patet in ejus libris, in quibus fit mentio de Oriona, Arcturo, Plejadibus, &c.

4. *Diſtinctio ſtellarum ab Aſtrologis adhibita.*

Nota quartò: eoſdem Aſtrologos ad aptè differentiandum Stellas fixas viſibiles, tria poſuiſſe diſcrimina: *primò* eas diſtinxerunt penes figuras, ſeu imagines, quæ in unaquaque conſtellatione cernitur diverſa in globo aſtronomico: *ſecundò* penes magnitudinem, & lucem; unde cum vidiſſent eas eſſe inæqualis quantitatis phyſicæ, ſeu molis, eaſdem in ſex magnitudinum claſſes diſcriminàrunt, ita nimirum ut illæ quindecim, quæ omnium maximæ judicabantur, vocarentur *Stellæ primæ magnitudinis*; aliæ 45. in quantitate prioribus inferiores dicerentur *ſecundæ magnitudinis*: aliæ 108. *tertia magnitudinis*: aliæ 474. *quarta magnitudinis*: aliæ 217. *quinta magnitudinis*: aliæ 49. *ſextæ magnitudinis*: ſimiliter cùm obſervâſſent quinque earum eſſe confuſæ lucis, eas *Nebuloſas* appellârunt: & alias novem habentes lucem obſcuratam, *obſcuras* nuncupârunt. *Tertiò* tandem memoratas ſtellas diſtinxerunt penes cauſalitatem; quare cùm advertiſſent ipſas cauſare alios, & alios effectus in ſublunaribus; quaſdam nominârunt *Joviales*, quaſdam *Saturninas*, quaſdam Martiales, &c. prout magis eorum influxus accedebat ad cauſandos effectus Joviales, melancholicos, colericos, &c.

5. *Quā ratione ſtellæ mundum excedant in magnitudine.*

Nota quintò: dictas Stellas omnes ſuâ quantitate, & magnitudine variè ſuperare magnitudinem globi terraquei; unde juxta probatiores Aſtronomos quævis Stella primæ magnitudinis (quæ ſunt illæ omnium ſplendidiſſimæ) eum ſuperat centies, & ſepties: Stellæ ſecundæ magnitudinis eum excedunt nonageſies: Stellæ tertiæ magnitudinis eundem mundum excedunt ſeptuageſies: Srellæ quartæ magnitudinis trigeſies, & novies: Stellæ tandem ſextæ magnitudinis eundem globum terraqueum vincunt quantitate molis decies, & octies.

6. *Cur Aſtrologi ſtellas in imagines diſtribuerint.*

Nota ſextò: Aſtrologos tum veteres, tum recentiores Stellas omnes viſibiles fixas ideo in illas conſtellationes, ſeu imagines, quæ hodie effigiatæ videntur in globo Aſtronomico v. g. Coronæ, Trianguli, Perſei, Orphei, Arietis, Tauri, Capricorni, &c. ſic effigiâſſe, quia ſimilitudinem aliquam aut proprietatem, aut effectum aliquem ſimilem cum rebus effigiatis habent; vel tandem in gratiam fabulæ, quâ homines olim memorabiles in

aliquo facto à Poëtis fabuloſè in Cœlum, & aſtra tranſlati aſſerebantur.

7. *Quid Zodiacus.* Nota ſeptimò: inter illuſtriores conſtellationes Cœli numerari 12. *Signa Zodiaci*, eſt autem *Zodiacus* unus ex circulis majoribus, quos concipiunt, & imaginantur Aſtronomi in ſphæra cœleſti primi mobilis, de quo infrà *quæſt. 15.* conſtellationes in hoc circulo ſitæ vocantur *Signa Zodiaci*, & explicantur ſequentibus Verſibus:

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenes, Caper, Amphora, Piſces.

Hæc ſignantur, & repræſentantur Aſtronomis particularibus caracteribus brevitatis causâ ſic:

Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo,
♈ ♉ ♊ ♋ ♌
Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius,
♍ ♎ ♏ ♐
Capricornus, Aquarius, Piſces.
♑ ♒ ♓

8. *Diviſio cujuſvis ſigni Zodiaci.* Ex his ſignis, conſtellationibus, ſeu collectionibus certarum ſtellarum, prima ſex in primo Verſu contenta, dicuntur *ſigna ſeptentrionalia*; quia declinant versus ſeptentrionem; reliqua ſex vocantur *ſigna meridionalia*; quia deflectunt ad meridiem.

Nota Octavò: quòd Auctor ſphæræ, & ejus Commentatores Clavius, Zanardo &c. quodlibet ſignum ex memoratis duodecim Zodiaci dividant, & rectè quidem in triginta gradus, ſeu partes determinatas Cæli. v. g. Arietem in 30. gradus, per quos Sol, & alii Planetæ gradiuntur: Sol in quolibet graditur 30. diebus versùs Orientem, quovis die conficiendo unum gradum; quos omnes gradus calculando, deprehendes eſſe numero 360. in omnibus 12. ſignis; quemvis talem gradum iidem ſecant in 60. minuta ſeu prima, quodlibet minutum primum in 60. ſecunda, quodlibet ſecundum in 60. tertia; & ſic deinceps uſque ad decem; quæ puncta magnam in Cœlo ob ejus vaſtitatem occupant dimenſionem. De proprietatibus ac influentiis Stellarum, in his ſignis exiſtentium diſſeram *ſeq. quæſt.* interea.

9. *Quid via lactea ſecundum veteres.* Nota nonò: obſervari quoque in Cælo ſereno nocturno tempore *circulum quemdam lacteum* ſeu zonam quandam albicantem, inæqualem in latitudine, variiſque modis obliquatam, gyrantem per Caſſiopejam, Cygnum, Aquilam, aliaſque imagines ſtellatas firmamenti; quare ab Ariſtotele *circulus maximus* dicitur: incipit autem à pedibus Geminorum, & reflectitur in eoſdem per principium Sagittarii; conſtatque multis conſtellationibus; à Græcis vocatur *Galaxia*, id eſt, *via lactea*. De hujus zonæ natura varia extant commenta Poëtarum, & opiniones Veterum; quidam namque Poëtarum dixerunt eum factum fuiſſe ex lacte Junonis, per Cælum diffuſo; alii putarunt eum cauſatum fuiſſe ex caſu, & combuſtione Phaëtontis: alii quod ſit à Diis ſtrata pro via animarum ab interis ad Cælos tendentium; vel pro itinere per quod Dii pergunt ad conſilium; ſecundum alios reputatur domus illuſtrium virorum, vel via S. Jacobi de Gallicia; de quibus & aliis videri poſſunt Joan. Picus. Mirandul. *lib. 1. de exam. vanit.* & Hyginus *lib. 2. de Celeſtium ſignorum hiſtoria.* Albertus Magnus &c. Ex Philoſophis Pythagoras ſuſtinuit, hanc zonam albicantem factam fuiſſe à Sole per aduſtionem, dum olim per viam illam moveretur; terreſtre enim combuſtione redditur album. Aliter philoſophatus eſt Democritus; & aliter Anaxagoras; aliter plures alii, quas ex parte refutat Ariſtoteles *1. Met. ſum. 2. cap. 5.* & tandem *cap. 8.* ſubjungit ſuam opinionem dicens, Galaxiam non eſſe aliquem circulum ſtellatum in firmamento exiſtentem; ſed eſſe copioſam quandam exhalationem late diffuſam, in aëre poſitam ſub quibuſdam ſtellis magnis, quæ eam continuò irradiando cauſant candorem, & candidam illam zonam. Sed non videtur veriſimilis hæc opinio; nam cùm Galaxia ſit circulus ex maximis Cœli, & longitudine illud cingat, ac in duo ſecet cum magna latitudine per Geminos, & Sagittarium tranſeundo: ideo Sol per Geminos, & Sagittarium tranſiens, & ſub ſe illam exhalationem ex directo habens, illam utique conſumeret, diſſiparetque; quod tamen cernitur falſum. Unde

Nota decimò: juxta veriorum plurium antiquorum, & recentiorum Mathematicorum traditiones, ac modernorum Philoſophorum ſenſum, circulum illum lacteum eſſe in octava ſphæra verè ſitum cum quo, & volvitur ab occaſu in ortum per unum gradum ſpatiô centum annorum; eſſe præterea congeriem ſeu cumulum plurimarum Stellarum, quæ ob ſui parvitatem ſeorſim à nobis non poſſunt 10. *Via lactea eſt congeries ſtellarum.*

ſe-

ſecerni; & quia hæc minuta ſidera parum à ſe invicem diſtant, ideo inter ſe lumen reflectunt, & conjungunt; efformareque videntur unam zonam lacteam; ita docet Ptolomæus *lib. 8. magnæ conſtructionis* cum aliis Aſtronomis, qui perfectô tubô opticô ſtellularum congeriem in illa Cæli partes, ubi Galaxia viſitur, obſervârunt.

QUÆSTIO VIII.

De proprietatibus, & effectibus 12. Signorum Zodiaci.

NOta primò: cum 12. Zodiaci Signa ſint inſigniores Aſteriſmi, habent quoque magis notabiles proprietates, influentias, & effectus circa hæc ſublunaria, dum Sol in eis graditur: de quibus breviter hic diſſeram, quantùm ad ea, quæ ad inclinationes naturales pertinent; non quantùm ad libera omnino, de quibus Aſtrologi Judiciarii multa falſa confingunt; & propterea non audiendi. *Signum* ergo *Arietis* eſt igneum, maſculinum, diurnum, inſtabile, colericum; eſtque domus Martis, & exaltatio Solis. Unde proles natæ ſub hoc ſigno, ſeu Sole exiſtente in hoc ſigno, communiter ponuntur eſſe talis quoque naturæ, ac inclinationis naturalis, & ſortiuntur plerumque faciem longam, oculos groſſos, & caliginoſos, versùs terram inclinatos, collum longû, capillos, criſpos, corpus piloſum, crura ſubtilia, ac debilia; ſolent eſſe præterea loquaces, eloquentes, boni comeſtores, dilapidatores &c. Hoc ſignum cauſat quoque in natis dolores dentium, oculorum, aurium, ac ad morbum caducum inclinat: quia præeſt capiti, oculis, & auribus; quod ſi ei jungatur Saturnus, offendit pectus; ſi Jupiter, cor: ſi Mars, caput; ſi Sol, ſecretiora; ſi Venus, pedes; ſi Mercurius, talos; ſi Luna, genua: Dominatur peculiariter Provinciis Germaniæ, Franciæ, Britanniæ, Syriæ, Paleſtinæ, Poloniæ minori, Burgundiæ ſuperiori, Sileſiæ ſuperiori, & Sveviæ; ex Urbibus verò Florentiæ, Neapoli, Capuæ, Ferariæ, Vincentiæ, Veronæ, Pergamo, Imolæ, Faventiæ, Anconæ, Forlivio, Paduæ, Utinæ, Cracoviæ, & Marſiliæ. Sol ingreditur hoc ſignum 21. Martii.

1. *Natura ſigni Arietis, ejuſque operationes & dominium.*

Nota ſecundò: *Signum Tauri* eſt naturæ terreæ, frigidæ & fixæ, & propterea cauſans in natis melancholiam, colorem viridem, & alios correſpondentes effectus; eſt domus Veneris, & exaltatio Lunæ, cum participatione Martis. Qui ſortiuntur Horoſcopum in quarto gradu hujus ſigni, ſecundùm Hali naturaliter ſunt minaces ac iracundi; qui ſeptimum, pulchri & elegantes forma, ac ſuperbi; qui vigeſimum quartum fortes; qui vigeſimum quintum debiles. Nati in eodem ſigno patientur podagram, & colli infirmitates; nam præeſt collo. Si conjungatur cum Saturno, nocet pectori; ſi cum Jove, ventri; ſi cum Marte, capiti; ſi cum Sole, fœmoribus; ſi cum Venere, pedibus; ſi cum Mercurio, cruribus; ſi cum Luna, genibus. Qui ſub conſtellatione Geminorum naſcuntur, habent faciem magnam, frontem amplam, & altam, naſum longum, nares apertas, oculos magnos, capillos elevatos ac nigros, collum groſſum, barbam circularem, & corpus laborioſum, ſed debile, & parvum. Hæc conſtellatio dominatur peculiariter ex Provinciis Parthiæ, Mediæ, Perſiæ, Inſulis Archipelagi, Cypro, Poloniæ majori, Ruſſiæ albæ, Campaniæ, Rhetiæ, Helvetiæ, Franconiæ, Hyberniæ, Lotharingiæ, & parti Sveciæ: ex urbibus, Senis, Bononiæ, Panormo, Mantuæ, Taranto, Parmæ, Taurino, Brixiæ, Veronæ, Peruſiæ, Tarviſio, Conſtantinopoli &c. Sol ingreditur hoc ſignum 21. Aprilis.

2. *Natura, operationes, & dominiũ Tauri.*

Nota tertiò: *Signum Geminorum* eſt aëreum, maſculinum mediocre, diurnû; eſt domus Mercurii, & exaltatio caudæ Draconis; inſuper eſt naturæ humidæ, & calidæ, ſanguineæ, & ſterilis. Nati eo aſcendente ſecundùm Hali, ſunt æqualis, & recti corporis, pulchri facie, pectore ampli, bonæ vocis, fideles, amicitiæ cultores, & ſecreti; inclinant ad epulas, ſomnia, & conſilia. Si conjungatur huic ſigno Mercurius, benè fortunatos diſponet eoſdem, & habiles reddet ad litteraturam, & ſcripturam; aſcendente quartò gradu, ultra modum pulchros, & ideo Principibus perdilectos. Qui in Horoſcopo hoc ſignum habent, patientur infirmitates ex diminutione, vel abundantia ſanguinis, pullulantes maximè in humeris, brachiis, & manibus, quibus dominatur. Si acceſſerit ad punctum nativitatis in hoc ſigno Saturnus, cauſabit infirmitatem in ventre; ſi Jupiter, in lumbis: ſi Sol, in cruribus; ſi Mars, humeri dolebunt; ſi Venus, collum;

3. *Signum Geminorum ut planatur.*

collum; ſi Luna, pedes. Præeſt ex Provinciis, Hircaniæ, Armeniæ, Cyrenæ; Marmaricæ inferiori, Ægypto, Angliæ, Sardiniæ, Brabantiæ, Flandriæ, & Lombardiæ: ex Urbibus Bambergæ, Moguntiæ, Lugduno, Cordubæ, Taurino, Vercellis, Regio, Viterbo, Ceſenæ, Villiaco, Novariæ, Hasfordiæ, &c. Sol ingreditur hoc ſignum 22. Maij.

4. *Cancri natura, operationes &c.*

Nota quartò: *Signum Cancri*, eſt ſignum fœmineum, nocturnum, ſiniſtrum, fœcundum, aqueum, frigidum, humidũ, phlegmaticum, mobile, & retrocens; eſt domus Lunæ, & exaltatio Jovis. Hoc facit natum ſub eo aſcendente, à medio groſſum, incompoſitum, & ſuperiùs ſubtilem, cum dentibus curvis, & tortis, cum capillis criſpis, ac oculis parvis. Præterea genitus in eo ſecundùm Hali, eſt ſvavis & doctus, aptus ad rerũ publicarum moderationem, & cauſidicitatẽ; & ſecundùm Maternum, acuti ingenii, ſed tardi in agendis negotiis; eſt ſolitus iraſci, ſed facilis placationis, â multis honoratus, ob gubernia, quæ ei, ut bene qualificato obtingere poterunt. Iſte aſteriſmus dominatur pectori, mamillis, pulmoni, & ventri, in parte ſuperiori, & coſtulis; & ideo cauſat infirmitates in iiſdem; inficit facile natum leprâ, ac ſignis in facie, & dat barbam raram. Cum Saturno conjunctus partes occultas offendit; cum Jove fæmora, cum Marte pectus, cum Sole pedes, cum Venere brachia, cum Mercurio oculos, & guttur; cum Luna caput. Præſidet Provinciis Numidiæ, Africæ minori, Barbariæ, Granatæ, Friſiæ, Scotiæ, Bithiniæ, Mauritanniæ, Holandiæ, Zelandiæ, ac Burgundiæ inferiori: Urbibus autem Venetiis, Mediolani, Genuæ, Lucæ, Piſis, Magdeburgo, Bernæ, & Vincentiæ. Sol ingreditur hoc ſignum 22. Junij.

5. *Leo deſcribitur.*

Nota quintò: *Signum Leonis* eſt igneũm, maſculinum, fixum, diurnum, & domus Solis. Homines ſub eo aſcendente nati, juxta Hali ſunt bonæ formæ, ac pulchræ figuræ, habent capillos aureos, ſunt groſſiores in ſuperiori parte, quàm in inferiori; quia crura habent ſubtilia; ſunt ampli pectoris, acuti viſûs, & ſæpè turbidæ faciei. veloces ad currendum, complexionis calidæ, & humidæ: ſolent eſſe iracundi, veraces, juſti, intelligentes, patientes, & inimicitiæ ſimulatores, fixi in ſuis decretis, & promiſſorum zelantiſſimi cuſtodes: ſecundùm Maternum erunt inclinati ad divitias accumulandas, impatientes ſervitutis, ac amatores libertatis, magnamini, de facili placabiles dulcibus, boni comeſtores, & lecti amatores, vocis ſatis bonæ. Iſta conſtellatio dominatur cordi, pectori, lumbis, ac coſtis ſpinalibus; quare in his quoque cauſabit ægritudines: ſi cum Saturno fuerit, partes abſconditas infirmabit; cum Jove, fæmora & genua; cum Marte, ventrem; cum Sole, caput; cum Venere, cor; cum Mercurio, humeros, & guttur; cum Luna, collum. Influit ſpecialiter in pleraſque Provincias Italiæ, exceptâ Ethruria; item in plagas Galliæ togatæ, Siciliæ, Boëmiæ, partis Turciæ, Chaldeæ, & Orchiniæ. Dominatur Urbibus Romæ, Pragæ, Damaſco, Ravennæ, Syracuſæ, Cremonæ, Ulmæ, Conſtantiæ, Lucæ, Cremiſio, Mantuæ, & Alexandriæ Ægypti. Sol hoc ſignum ingreditur 23. Julij.

6. *Signi Virginis influxus.*

Nota ſextò: *Signum Virginis*, eſt terreum, frigidum, mediocre, nocturnum, ſterile, fæmineum, melancholicum, & commune: eſt domus Mercurii, & ejus exaltatio. Natus Virgine horoſcopante erit erectæ figuræ, & venuſtæ, habebit faciem longam bene formatam, & gratioſam, cum oculis claris ac modeſtis, nõ erit adeò pinguis. Item, ſecundùm Hali, talis erit bonorum morum, Magiſter ſcribarum, caſtus, verecundus, amabilis, gravis, & humilis. Secundùm Maternum erit laborioſus, & cogitabundus, ſecretus, & ſecretorum indagator, eloquens & facundus, & propter ejus felicitatem linguæ, officia Oratoris & Nuntii apud Principes poterit facilè obtinere, accumulareque divitias: erit lætus, & amicus fidelis, paucorum filiorum Pater. Hoc ſignũ quia dominatur in ventre, & inteſtinis, ideo malè afficiet natum in hiſce partibus. Si fuerit cum Saturno offendet pedes, cum Marte ventrem, cum Jove genua, cum Sole collum, cum Venere partes innominabiles, & cum Luna humeros. Influit ſingulariter in Provincias Meſopotamiæ, Babiloniæ, Ciliciæ, Croatiæ, Ducatus Athenarum, Carinthiæ, Sileſiæ inferioris, & Atheſanæ: in civitates verò Hieroſolymas, Alexandriam alteram, Corinthum, Papiam, Aretium, Baſileam, Brunduſium, Pariſios, Toloſam, Parmam, & Toletum. Sol ingreditur hoc ſignum 23. Auguſti.

7. *Libræ operationes.*

Nota ſeptimò: Libræ ſignum eſt ſecundùm Miſaëlem aëreum, maſculinum, inſtabile, diurnum, calidum, & humidum,

ſangui-

ſanguineum & ſterile; eſt domus Veneris, & exaltatio Saturni. Secundùm Hali natus ſub iſto ſigno erit bonæ & pulchræ formæ, in carne mediocris, & corpore, coloris albi, in facie & aliis corporis partibus niger, complexionis calidæ, & humidæ, multumque venereus. Erit præterea aptus ad conciliandos animos diſcordes, libenter cantabit, & Muſicâ delectabitur, inclinabit ad ardentem amorem mulierum & ſolatia, erit ſinceræ fidei: ſi ſub ultimis gradibus naſcatur hujus ſigni, periculum erit, ne ſit Hermophroditus, id eſt utriuſque ſexûs. Dominatur & nocet inteſtinis, & partibus ſecretioribus, unde natus urinæ difficultatem patietur, ſanguinis fluxum, & cataractas in oculis. Si cum Saturno iſta conſtellatio juncta fuerit, genua debilitabit; ſi cum Jove, oculos offendet; cum Marte turpes partes; cum Sole humeros; cum Venere caput; cum Mercurio ventrem; & cum Luna cor. Influit peculiariter in Provincias Æthiopiæ, Auſtriæ, Alſatiæ, Hetruriæ, Livoniæ, Sabaudiæ, Delphinatus &c. In Urbes Viennam, Cajetam, Placentiam, Argentinam, Francofurtum, Spiram, Liſbonam, Urbinum, Salernum, Orvietum &c. Sol ingreditur Libram 23. Septembris.

8. *Scorpij natura & influentia.* Nota octavò: *Signum Scorpij*, eſt fixum, fœcundum, mutum, phlegmaticum, aqueum, fœmineum, nocturnum, & frigidum; eſt domus Martis principalis. Natus ſub eo aſcendente eſt communiter parvæ ſtaturæ, habens multos capillos, faciem parvam, & rubicundam, oculos parvos, crura & pedes longos, eſt agilis, & velox ad currendum, ac ludendum. Si naſcatur in 10. gradu hujus ſigni, plerumque fit gibboſus, & collo tortuoſus; ſecundùm Hali erit quoq; inſtabilis fidei, nullâ re contentus: & ſecundùm Maternum in prima ætate acutus, iracundus: ſi Jupiter felici aſpectu ipſum aſpexerit, erit elevatus, glorioſus & facundus. Hoc ſignum dominatur, & nocet renibus, veſicæ, & partibus innominabilibus; cum Saturno infirmat quoque talos; cum Jove pedes; cum Marte caput, brachia & coxas; cum Mercurio renes; cum Luna ventrem. Præeſt ex Provinciis Mauritaniæ, Getuliæ, Capadociæ, Comagenæ, Judææ, Idumææ, Norvegiæ, Sveciæ occidentali, Cataloniæ, & Bavariæ ſuperiori. Ex Civitatibus, Trapezunto, Algierio, Aquileæ, Urbino, Piſtoæ, Camerino, Brixiæ, Mantuæ, Cremæ, & Damaſco. Sol ingreditur hoc ſignum 24. Octobris.

Nota nonò: *Signum Sagittarij* eſt terreum, nocturnum, commune, maſculinum, bicorporeum, ingenioſum, ſterile, ſiccum, frigidum, & colericum. Eſt domus Jovis. Natus ſub Sagittario ſolet habere capillos aureos, & ſubtiles, crura longa, & groſſa, faciem & barbam longam, ventrem amplum, & magnum; pulchrior retro apparebit, quàm antè, frontem habebit acutam, & vocem humilem. Secundùm Maternum erit acutus, audax, calamitatibus & inimicitiis expoſitus, in multis rebus doctus, ac expertus, ac proinde ad converſationes publicas petendus; erit colericus, deditus itineribus. Nõ erit multum ſanus (quia hoc ſignum eſt aduſtum, & frigidum) nec corpore lubricus. Patietur febres frequentes, & oculorum caligines. Si acceſſerit Saturnus in Horoſcopo, offendet pedes; ſi Jupiter, caput; ſi Mars, manus; ſi Sol, ventrem; ſi Venus fœmora & brachia; ſi Mercurius partes occultas; ſi Luna dorſum. Dominatur Provinciis Arabiæ felici, Celticæ, Hiſpaniæ, Portugalliæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Moraviæ, Sclavoniæ, & Miſniæ. Sol ingreditur hoc ſignum 23. Novembris. 9. *Sagittarius explanatur.*

Nota decimò: *Signum Capricorni* eſt terreum, fœmineum, nocturnum, mobile, ſiccum, frigidum, bicorporeum, luxurioſum, melancolicum, domeſticum: domus Saturni, & exaltatio Martis. Natus ſub Capricorno aſcendente ſecundùm Hali habet crura ſubtilia, faciem ſubtilem, & acutam, ad aliqualem ſimilitudinem capræ, cum barba longa, & rara ſub mento vel acuta; habet ſupercilia plena, & groſſa, vocem ſubtilem, caret pilis in pectore; efficitur quandoque gibboſus, in gradu 15. inclinat ad amicitias cum puro affectu, peregrinationes, lætitias, & divitias, ſed ſecreta libenter effutiet; erit puſillanimis ob frigiditatem, & multùm bonus. Hoc ſignum dominatur genibus, ac omnibus nervis, quæ loca etiam malè afficiet, uti & leprâ ac ſcabie facilè repurget corpus; inducere etiam ſolet ſurditatem, & defectum loquelæ; in conjunctione cum Saturno, offendit caput; cum Jove genua, & oculos; cum Marte crura, & humeros, cum Sole dorſum; cum Venere fœmora & cor; cum Mer- 10. *Signum Capricorni evolvitur.*

Digitized by Google

Mercurio partes ſecretas. Dominatur Provinciis Indiarum, Arianæ, Geduſiæ, Macedoniæ, Traciæ, Albaniæ, Boſinæ, Bulgariæ, Lituaniæ, Saxoniæ, Maſoviæ, Iſtriæ, Marchiæ Brandeburgicæ, Stiriæ, Romandiolæ. Item Urbibus Berlinæ, Anconæ, Conſtantiæ, Auguſtæ, Vilnæ &c. Sol ingreditur hoc ſignum 22. Decembris.

11. *Aquarij natura, operationes, & dominatus.*

Nota undecimò: *Signum Aquarij* eſt aëreum, maſculinum, diurnum, fixum, calidum, & humidum, domeſticum, ſanguineum. Natus in aſcenſu hujus aſteriſmi erit gloriator, & jactabundus, multa devaſtans, habens faciem coloratam, & pulchr...m, candidam pellem, & unam tibiam alterâ longiorem; ſecundùm Hali fortitus horoſcopum hujus ſigni ſeipſũ multùm æſtimabit, erit liber & liberalis, & ideo proprii patrimonii faciliter dilapidator. Secundùm Leopoldum in medio vitæ erit æſtimatus, in fine vilis, ob dilapidationem. Erit notus magnis viris ob præclaras multas actiones; delectabitur in nobilibus artibus, & ſcientiis, & propter præclaros ſuos mores Principibus gratus. Et quoniam videbitur attigiſſe ſummum ſcientiarum, multi ei invidebunt. Erit tandem melancolicus, vel potiùs cogitabundus; fortis, & ſanguineus. Hoc ſignum quia dominatur tibiis uſque ad cavillum pedis, ideo his moleſtum eſſe ſolet, rumpendo, & inflammando has partes. Cum acceſſu Saturni offendit caput, & collum; cum Jove humeros, pectus & pedes; cum Marte, cor; cum Sole, partes innominabiles; cum Venere genua; cum Mercurio coxas; cum Luna inteſtina. Præeſt ex Provinciis Sauromaticæ, Arabiæ, medietati Æthiopiæ, Sarmatiæ, Moſſelanæ; parti Bavariæ, & Montisferrato. Ex Urbibus Tridento, Piſauro, Hamburgo, Brænæ, Ingolſtadio, &c. Sol ingreditur hoc ſignum 21. Januarii.

12. *Signum Piſcium expenditur.*

Nota duodecimò: *Signum Piſcium* eſt aqueum, fœmineum, nocturnum, commune, fœcundum, frigidum, humidum, mutum, & phlegmaticum. Facit natos pectores ampli, capitis parvi, barbæ pulchræ, frontis amplæ, oculorũ nigri coloris, vel coloris albi, & vocis parvæ; ſecundùm Hali natus ſub hoc Horoſcopo multum comedet, & immoderatè bibet, diu dormiet; erit tamen magnanimus, ſed pauper, ingenioſus, ſapiens, amicus, fidelis, & charus; ob quas & alias qualitates de facili poterit fieri magnus, & exinde inimicos habere. Erit naturæ phlegmaticæ, & multarum inf...itatum, maximè in pedibus, quibus hoc ſignum dominatur. Cum Saturno offendit br...chia & humeros; cum Jove cor & caput; cum Marte Ventrem; cum Sole fæm...; cum Venere collum; cum Mercurio tibias; cum Luna renes, & alia circumcirca. Præeſt Provinciis Garamantæ, T...zaniæ, Naſamonicæ, Lydiæ ... Pamphiliæ, Calabriæ, Vormariæ, Normandiæ. Item Ratisbonæ, Rothomago, Como, Hiſpali, &c. Sol ingreditur h...c ſignum 19. Februarii.

Nota decimo tertiò: influxus horum ſignorum multùm alterari per Planetam Diſpoſitorem (de quo ſequenti quæſtione) qui præeſt nativitati, unde mem...ra...ti effectus non ſemper omnes ſequ...tur completè, in natis ſub dictis ſignis.

QUÆSTIO IX.

De Stellis erraticis, ſeu Planetis.

NOta primò: *Stellas ...* ſeu Erraticas, eſſe n... ſ...ptem, Saturnum, Jo...m, M...tem, Solem, Mercurium, Venerem, & Lunam. Hæ v...rios quoque influxus exercent in ... inferiora, ex quibus alterantur naturæ eorundem, reſultantque variæ complexiones, mores, & inclinationes juxta prædominium horum cæleſtium corporum; quorum proinde conſtitutionem, & influentias hìc breviter expendam, quantùm ad ea quæ ſunt merè naturalia. Unde 1.

Nota ſecundò: *Saturnum* eſſe ...turæ frigidæ, & ſiccæ, cum aliquò tamen calore. Quare influit in animalia ſicca, & frigida, & homines tales, in plantas, & herbas ſimiles. Dominatur o...us partibus frigidis animalium, cujuſmodi ſunt cerebrum, oſſa, cartilagines, ligamenta, & ejuſmodi. Secundùm Ptolemæum, quando Saturnus qui eſt coloris obſcuri, & plumbei, figuræ parvæ, & motûs tardi, in nativitate eſt ſolus Diſpoſitor & Præſes, facit hominem ſtaturæ mo...ratæ, & ſiccæ, coloris fuſci, & pallidi, capillo- 2.

capillorum nigrorum, oculorum mediocrium; & ſecundùm Meſſahalam tardi motûs, labiorum groſſorum, naſi ſimij, melancholici humoris, duri corporis, cogitabundum, gravem, pauci ſermonis, timidum, prudentem, & ad varia ſtudia inclinatum, ſolitarium, rerum venerearum inimicum: quæ inclinationes omnes naſcuntur ex temperamento ſicco, & frigido, à Saturno cauſato: cauſat ſæpè has infirmitates, phtiſim videlicet, catharrum, paraleſim, hydropiſim, quartanam, hecticam, podagram, elephantiaſim, cancrum, diarrhæam, ſplenicam paſſionem, & alios morbos frigidos. Hic Planeta habet ſuperiorem ſitum inter omnes Planetas; ſignatur à Mathematicis hoc caractere ♄. Quoad formam ejus, tradit Gallilæus, ſe anno 1610. beneficiô ſui tubi obſervâſſe, Saturnum non unicam eſſe ſtellam; ſed tres ſimul, formantes quandam figuram, ſimilem illi quæ ex tribus O. reſultat, ita tamen ut o. in medio ſit grandius, ſub iſta figura oOo. Sed Franciſcus Fontana ſuô novò tubô longitudinis 14. palmorum, omnium hactenus fabricatorum perfectiſſimô, obſervavit anno 1638. illas duas Stellas extremas (ſatellites Saturni dictas) non eſſe aliquã O. ſeu corpora ſphærica; ſed quoſdam ſemicirculos luminoſos, ad modum Lunæ cornicularis, de recenti apparentis, quorum cornua Saturnum tangunt in extremitatibus infima, & ſuprema.

3. *Jovis natura, influxus & figura.*

Nota tertiò: *Jupiter* eſt naturæ temperatè calidæ; unde dominatur omnibus rebus calidâ, & humidâ complexione præditis; ejuſmodi ſunt in homine jecur, ſanguis, pulmo, caro, & omnes jecoroſi humores. Quando hic Planeta eſt Diſpoſitor nativitatis, & oriens, facit ſecundùm Hali & Maternum natum album, ac pulchri coloris, venerabiliſque aſpectûs, cũ oculis nigris, magnis, ſed parva pupilla, ac capillis mediocribus, fronte magnanimâ, & altâ, barbâ rotundâ, & aliquando criſpâ, maxillis elevatis, & naricibus groſſis, ſtaturâ mediâ, dentibus anterioribus magnis, ad veſtium ornatum inclinatum. Si verò fuerit occidens in nativitate, ſecundùm Ptolomæum, facit natum albũ, cum capillis duris, calvum, in humiditate diſtemperatum, parvi capitis, cum naricibus curtis. Eadem Stella ratione temperamenti boni, ex calido, & humido ſecundùm Zanardum inclinabit natum ad honeſtos, bonoſque mores, juſtum & æquum; unde abhorrebit dolos, diſſidia, fraudes, & oppreſſiones pauperum; & propterea etiam facilè aſſumetur ad officium Præfecti, Judicis, ac Conſiliarii. Erit optimi ingenii, judicii, & conſilii; provehetur ad ſenium, erit lætus, hilaris, liberalis, glorioſus, & imperioſus, luxurioſus, & felix in ſuis actibus; quia ad convenientia & juſtã manum apponet cũ laude. Cauſabit quandoque in natis anginam, pleuritidem, apoplexiam, ſpaſmũ ſanguinis, cephalagiam, cardiacam, & alios morbos, à flatibus vel ſanguine ortos; item febres tertiarias, ac peſtilentes. Jupiter eſt Planeta fulgentiſſimus, & gratioſus; habet ſitum immediatè infra Saturnum; & ſignatur à Mathematicis hôc caractere ♃. habet aſſiſtentes ſibi quatuor alias ſtellulas, tanquam ſatellites, quas Gallilæus vocat *Mediceas*, in gratiam ſui Magni Ducis Hetruriæ de caſa Medicea orti.

4. *Martis natura & forma expenditur.*

Nota quartò: *Mars* eſt Stella lucida, rubea, ignita, ut carbo ardens, habens naturam calidam in extremo, & ſiccam, atq; horribilem, dominatur omnibus mixtis calidis, & ſiccis; v. g. in homine flavæ bili, ſeu coleræ, illiuſque vaſis, & membranis omnibus &c. Quando Mars eſt Diſpoſitor nativitatis hominis, natus eô oriente, eſt ſecundùm Ptolomæum communiter albus & rubeus, & ſufficientis carnis, variorum oculorum, maximè ſanguinorum, capillorum ſpiſſorum rubeorum. Et ſecundùm Hali habet faciem rotundam, & inhoneſtam, cum macula in pede dextro, ob temperamentum extremè calidum, & bilioſum. Erit modicæ ſtaturæ, ſed longi & velocis motûs progreſſivi, carnis albæ, ſed aſperæ, vocis firmæ & robuſtæ, multæ edacitatis, & digeſtionis, colericus, audax, furioſus, inconſtans, rixoſus, bellicoſus, acutus, luxorioſus, temerarius, ſuperbus, fortis. Mars cauſat Eriſipilam, hemicraniam, putredinem, venarum rupturam, febres malignas, & omnes morbos ex caloris & ſanguinis inflammatione, ac bile flava provenientes. Signatur hôc ſigno ♂ ab Aſtrologis.

5. *Solis compoſitio, operationes, ac influxus.*

Nota quintò: *Sol* eſt Planetarum Princeps, calidus extremè, concurrens ut cauſa efficiens univerſalis ad omnia mixta, in quibus prædominatur calor, & maximè quæ animantur; ſignanter tôti complexioni humanæ dominatur. Quando jungitur in figura nativitatis, format ſecundùm Maternum hominem corpulen-

tum, cum capillis aureis; & fecundùm Meſſahalam, ſi tunc ſit orientalis, colorat hominem colore, qui eſt inter aurum, & nigrum quodam rubore mixtus, corpus efformat potiùs parvum ſecundùm Abdilam, pulchræ pellis, & candidæ, elegantiſque faciei, aliquo rubore perfuſæ, cum oculis magnis, & gratioſis, barba plena, & pulchra; efficit præterea ſecundùm Hali natum pinguem, cum capillis, diffuſis, capite magno, aſpectu pietoſo, voce rauca, inceſſu compoſito. Reddit eundem ſecundum Ptolomæum fide plenum, ſapientem, modeſtum, moderatū, humanum, aliqualiter tamen elatum, juſtum, affabilem, & omni genere virtutum ornatum. Inducet in eundem gravitatem in ſermone, maturitatem in conſilio, ſeveritatem in judicio recto, magnanimitatem in agendo, claritatem, animi, & corporis fortitudinem, honeſtatem, magnificentiam, reverentiam apud alios. Donabit eidem ob talenta eximia honores, & gratiam Principum. Influit infirmitates varias, puta defluxionem oculorum, morboſque calidos varios & ſiccos, ſolitos oriri ex tali ſolari temperamento. Sol ſitum occupat infra Martem; & ſignatur hoc ſigno mathematico in Aſtrologia. ☉

6. *Venus conſideratur.* Nota ſextò: *Venus* eſt ſecundùm Ptolomæum, & Meſſahalam Planeta beneficus, favorabilis, & amicus naturæ humanæ; in effectibus aſſimilatur Jovi, ob temperamentum calidum, & humidum moderatè; unde & dominatur rebus ſimilibus. Dat pulchritudinem muliebrem. Si hæc ſtella lucida ſit Domina genituræ, facit corpus moderatè longum & album, & mediocris pinguedinis, capillos ſpiſſos ac pulchros, oculos elegantes, ſed cum aliquo rubore ac ſplendore, dat motum medium, labia ſubtilia, multam carnem in facie, pectus anguſtum, inclinat ad venerea. Efficit natum quietum, manſvetum, amatorem virtutis, oſorem vitiorum, ſincerum, hilarem, amicum, amatorem Muſicæ, Comœdiarum, ſpeculorum, & ſocietatum, pium, & miſericordem. Cauſabit in eo morbos omnes ab humiditate & frigiditate provenientes, ſcilicet renū reſtrictionem, dolores veſicæ, ventris infectiones in locis occultis. Hæc ſtella obtinet locum infra Solem; & figuratur aſtrologicè hoc caractere ♀.

7. *Mercurij influentia & operationes.* Nota ſeptimò: *Mercurius* eſt parvæ figuræ, & naturæ moderatè exſiccantis, ac frigidæ, quare rebus quoque moderatè calidis, & frigidis dominatur, ut memoriæ, olfactui, nervis, cartilagini, vaſis ſanguinis puta arteriis, nervis &c. ſi præſit nativitati, cauſat natum parvum, cum naſo parvo, labiis ſubtilibus, dentibus minutis, voce ſubtili, fronte anguſta: ſed quia hæc ſtella etſi parva, tamen lumine eſt vivaciſſima, ideo efficit natum vivaciſſimi intellectus, ac linguæ: facie macrum, cum oculis citrinis, & cavis, mutabilem, fraudulentum, varium, levem, jactabundum; & volunt aliqui, quòd iſte Planeta juxta aliarum ſtellarum conjunctarum coinfluxus varios quoque alios effectus producat; puta quòd cum Saturno inclinet ad artes vanas, v.g. alchimiæ, cum Luna ad Lunaticam paſſionē, morbum caducum, lepram &c. cum Plejadibus, Hiadibus & Orionis ſtellis ad negromantica, & alia horribilia; eo quòd natus temperamentum ſortiatur ex bile citrina cum nigra melancolia, quæ ad pejus ſemper trahunt. Si verò iſta Stella ſit in generatura orientalis, natus erit ſecundùm Ptolomæum tenaciſſimæ memoriæ, acutus, aptus ad negotia agenda, ad ſcientias quaſvis addiſcendas, & inveniendas, ſtudioſus, pauci cibi & potûs, facundus Orator, & Magiſter litterarum, caſtus, & capax gubernii. Influit morbos ſequentes, phreneſim, maniam, melancoliam, epilepſiam, tuſſim, & abundantiam ſputi. Mercurius ſituatur infra Venerem, & exprimitur in Matheſi hoc ſignō ☿

8. *Luna corpora expenditur.* Nota octavò: *Luna* eſt naturæ frigidæ, & humidæ; unde præeſt omnibus corporibus humidis, & frigidis; alterat plurimùm humores, ſignanter humanos, in ſuo accremento, eos dilatando & augmentando; in decremēto eoſdem minuendo, unde inducit etiam per hoc varios morbos, ut infrà. Nati ſub aſſiſtentia principali Lunæ ſecunpùm Abdilam, & Hali ſolent eſſe grandes in corpore, bene proportionati in membris, & pinguedine, cum albis capillis; coloris quoque in pelle, albi & roſei, & quibuſdam maculis in facie, ac defectibus in oculis, inſtabiles, ad magna itinera inclinati. Solent præterea eſſe leves, nugatores, multa tentantes, pauca reſolventes, aquarum, & negotiorum in aqua amantes, vagi, multum comedentes, parum bibentes, honeſtatem ſervantes, timidi & debiles. Patientur infirmitates Lunares, cujuſmodi ſunt paralyſis, membrorum tremor, le-

pra,

pra, variæ plagæ, hebetudo oculorum, epilepſia, diſtorſiones membrorum. Luna occupat infimum ſitum, in ſphæra totali Cœlorum. Signatur ſic ☾ Luna poſt Solem, potiſſimas & univerſales exercet influentias in hæc inferiora, ſignanter in aquas & maria, quæ attrahit poſt ſe; in plantas, ſanguinem humanum &c.

Nota nonò: hos Planetas variè inter ſe conjungi in diverſis temporibus; quare ex ejuſmodi conjunctione, ac aſpectu multùm variantur memorati eorum influxus, aliàs proprii, uti, & operationes ſingulares circa ſublunaria; unde in eis reſultant quoque effectus diſparati, & mixti; de quibus, & aliis lege Meſſahalam, Maternum, Hali, Zinardum & alios; vide tamen nè fidem adhibeas ijs effectibus Planetalibus, qui ut à voluntate totaliter dependentes prognoſticantur eventuri.

QUÆSTIO X.

De maculis Solis, Lunæ, & aliorum Planetarum, Eclypſibus, & ſcintillatione ſtellarum, Noviluniis, ac Pleniluniis.

1. *Quid ſint maculæ Solis.*


NOta primò: Tametſi Sol ſit aſtrum luc idiſſimum, ac fons luminis, à quo omnia alia aſtra ſuam mutuant lucem; nihilominus Aſtrologi beneficiô optici Tubi perfecti obſervârunt in eo aliquas maculas, quaſi nubeculas quaſdam, modò pauciores, modò plures, diſſimilis figuræ, & inæquales, modò quaſi coëuntes, modò ſeſe diſſolventes, & in medio Solis aliquæ evaneſcentes. Has putârunt aliqui eſſe vapores elementares, virtute Solis attractos uſque ad Cælum; alii aliter ſunt philoſophati. Receptior ſententia eſt, circa corpus ſolare ab Authore naturæ ſituatos eſſe multos epicyclos, continentes varias ſtellulas quaſi ſub obſcuras irregularis figuræ, quaſi aſſeclas Solis, perpetuò Principem ſuum comitantes, & ut miniſtros pro diverſorum effectuum generatione inſervientes; hæ ad motum varium, & difformem ſuorum epicyclorum motæ nunc coire, nunc ſeparari videntur, imò & evaneſcere; quando ſcilicet perfectiſſimâ luce à medio Solis reſperguntur, & exinde Soli aſſimilantur, ita ut ampliùs oculô diſtingui nequeant, & propter varium earum acceſſum, & receſſum à Sole: quo etiam fit, quòd varias quoque accipiant figuras; nam tunc variè illuminantur.

Nota ſecundò: in Luna quoque, uti ad ſenſum patet, plures ſenſibiles maculæ, faciem humanam figurantes, conſpiciuntur. De his Gallilæus Keplerus, Blancanus, & alii recentiores quaſi reſuſcitârunt opinionem Pythagoricorum (traditam olim de fluminibus, montibus, vallibus, & habitatoribus veris in Luna exiſtentibus) quòd corpus ſolare habeat varias ſcabroſitates, & partium inæqualitates, quaſi quoſdam montes, & valles, ſeu anfractus tortuoſos, & antra. Verùm probabilior eſt ſententia illa, quæ docet illas maculas Lunæ, eſſe partes planas corporis Lunaris, minùs opacas, & magis perſpicuas, quàm ſint cæteræ, & conſequenter minùs aptas ad reflectendum, ac refundendum Lumen; ex qua diverſitate recipiendi lumen, & refundendi, oritur in Luna montium, vallium, & anfractuum, ac antrorum apparentia; nam quæ magis illuminantur, eminere videntur, & quaſi montes apparent; quæ minùs, quaſi vallibus, & antris aſſimilantur; quod exemplificatur in pictura aliqua, efformata ſuper tabulam, ubi propter colorum varietatem montes, & valles repræſentantur; quamvis tabula tota ſit æqualis, & plana. 2. *Et quid maculæ Lunæ.*

Nota tertiò: doctiſſimum Fran. Fontanam ſuô Teleſcopiô quoque in Jove, Marte, & Mercurio quaſdam obſervâſſe maculas; quæ perinde explicandæ ſunt eôdem modô, ſicut maculæ Lunæ. Circa Eclypſes. 3. *Maculæ Jovi, Martis, & Mercurii.*

Nota quartò: duas potiores in cæleſtibus luminaribus obſervari Eclypſes in Sole ſcilicet, & Luna. *Eclypſis Solis* non eſt defectus quidam, ſeu privatio vera luminis Solis reſpectu ſui; ſed tantùm reſpectu noſtri oculi, Solem volentis intueri, dum Luna ſe interponit inter Solem, & noſtrum oculum, & ob ſui opacitatem impedit lumen Solis, ne in oculum incidat. Quare

Nota quintò: *Eclypſis Solis* rectè deſcribitur, quòd *ſit interpoſitio Lunæ inter corpus ſolare, & aſpectum noſtrum*; uti patet ex ſequenti Figura I. 4. *Deſcriptio eclypſis Solis.*



Ut autem fiat hujuſmodi interpoſitio requiritur *primò*, ut ſit Novilunium, quo tempore iſti duo Planetæ tantùm conjunguntur. Nec obſtat, quòd in Paſſione Domini acciderit Eclypſis Solis; cùm tamen tunc Luna eſſet plena; nam talis Eclypſis miraculosè contigit: ita ſcilicet, ut DEUS interceptô curſu naturali Lunam reduxerit ad Solem, & ita ipſum hominibus occultaverit; quare hoc conſiderans magnus ille Philoſophus Dionyſius Areopagita, & contra curſum naturæ eſſe obſervans, tunc exclamavit, *aut DEUS naturæ patitur, aut Mundi machina diſſolvetur*; propter quod, & Athenienſes illicò erexerunt altare *Ignoto DEO*; quod D. Paulus deinde reperiens, ex eo nactus eſt occaſionem prædicandi Fidem Veri DEI & Domini noſtri JESU Chriſti Paſſi. *Secundò*, ulteriùs requiritur, ut Luna tunc ſit in eodem ſigno Zodiaci cum Sole, & quidem in eodem gradu, ſecundùm eandem longitudinem, & latitudinem, vel cum parva diſtantia, adeò ut linea egrediens â noſtro oculo, & per centrum Lunæ tranſiens, pertingat præcisè ad centrum Solis, vel corpus Solis, ſecundùm quod Eclypſis fit major, vel minor; hoc autem accidit tantum, quando Sol & Luna conjunguntur in capite, vel cauda Draconis, quæ ſunt ſub eclyptica, ſub quibus Sol progreditur: vel ſaltèm quando Luna & Sol ſimul ſunt propè caput, & caudam Draconis: & propterea non in omni Novilunio fit Eclypſis Solis; etſi ſæpiùs Luna Soli conjungatur, ſed extra eclypticam, & extra caudam, & caput Draconis. Nec mirùm videri debet, quòd Luna, etſi ſit orbis multò minor orbe ſolari, tamen obſcuret Solem; quia ſi manus v. g. oculis noſtris propiùs admota montem maximum obtegat, ſimiliter Luna parva, vicina tamen, Solem majorem nobis obtegere poteſt.

Nota ſextò: *Eclypſis Lunæ* rectè deſcribitur, quòd *ſit interpoſitio terræ umbroſa inter Solem & Lunam*; uti apparet ex Figura II. Eclypſis Lunæ.



Ut hæc contingat, requiritur *primò*; ut Sol, & Luna ſint è diametrò oppoſita; quod fit in Plenilunio, duntaxat. *Secundò*, requiritur, ut Luna ſit in capite, vel cauda Draconis, quo tempore Luna ingreditur umbram terræ à Sole oppoſito cauſatam, impediturque quominùs â Sole illuſtretur; unde cùm ipſa lumen ſuum â Sole mutuet, neceſsè eſt eam deficere tunc, & lumine deſtitui, ac eclypſari; eò quòd tunc terra interponatur inter Solem & Lunam; tota quidem Luna obſcurabitur in omni terra, ſi ipſa in Plenilunio præcisè in capite, vel cauda Draconis extiterit; quia tota intra umbram terræ mergitur;

gitur; non tota, ſed in parte, ſi in Plenilunio prope caput, vel caudam Draconis reperta fuerit, ita tamen ut umbra terræ contegat partem aliquam Lunæ. Et quia ſæpè oppoſitiones Solis & Lunæ fiunt Luna nec exiſtente in capite, vel cauda Draconis; nec ita propè, ut ab umbra terræ poſſit contegi, idcirco non ſemper contingit Eclypſis Lunæ in omni Plenilunio.

6. *Differentia [illegible] & Lunæ.*

Nota ſeptimò: differentiam inter Eclypſes Solis & Lunæ; nam Eclypſis Solis non eſt vera privatio luminis in Sole; ſed tantùm occultatio radioru in hac parte exiſtentium; unde contingere poteſt priùs uni parti, quàm alteri; quia Luna poteſt prius interponi inter unius regiönis habitatores & Solem, quam inter habitatores alterius regionis, & Solem; poteſt quoque diutiùs durare his, quàm illis; nec eſt univerſalis in tota terra; quia pendet ex noſtro aſpectu, ideoque ad variationem aſpectûs variatur & ipſa Eclypſis. At Eclypſis Lunæ fit per veram privationem luminis in Luna; accidit omnibus eodem tempore; eſt univerſalis in tota terra; & æquali tempore durat omnibus.

7. *Cur Jupiter, Mars, & Saturnus non eclypſentur.*

Nota octavò: Jovem, Martem, & Saturnum non poſſe eclypſari, per interpoſitionem terræ; quia umbra terræ projecta non tranſcendit ſupra ſphæram Solis, neque Venerem, & Mercurium, quia nunquam à Sole tam longè recedunt, ut inter ipſos terra intercipi poſſit; Venus enim circiter 60. gradibus, Mercurius 50 elongatur à Sole; & tametſi inter illos, & alia aſtra Luna, vel alius Planeta inferior poſſit interponi; tamen non cauſat ſenſibilem obſcurationem, quæ meritò Eclypſis dici poſſit.

8. *Effectus Eclypſium.*

Nota nono: varios ab Aſtrologis afferri effectus Eclypſium; *Primò*: Eclypſes ſolares multum refrigerant. *Secundò*: conſequenter inducunt ſterilitatem, ſi nimiùm multiplicentur, talis enim oritur ex refrigeratione, & ſiccitate. *Tertiò*: cauſant fames diras, ſolitas naſci ex ſterilitate; *Quartò*: alii effectus oriuntur ex dominio accedente illo tempore alicujus Planetæ; unde ſi Eclypſi ſolari exiſtente *Saturnus* dominetur, cauſat morbos longos, tabes, conſummationes, ortas ex catharris, fluxus, & febres quartanas; animalium penuriam, brutorum morbos, frigus horrendum, glaciem, nebulam, nubes, nives, inundationes, erucas, locuſtas: ſi *Mars* prædominetur, efficit morbos biliosos, ſanguinis eruptiones, infirmitates acutas, ventos calidos, peſtiferos, tabificos, fulmina, ſiccitatem, æſtum maris, frugum ſterilitates. Si *Venus*; fœcunditatem, humiditatem, ventos temperatos, pluvias tempeſtivas, animalium copiam, inundationes temperatas. Si *Mercurius*; morbos ſiccos, febres quotidianas, phtyſes, tuſſes, ventos validos, tonitrua ignea, plantarum & animalium interitum. Signa quoque 12. Zodiaci ſuas influentias addunt; uti & ſtellæ fixæ majores. Circa ſcintillationem ſtellarum

9. *Quid ſit, & unde oriatur ſcintillatio ſtellarũ.*

Nota decimò: Ariſtotelem ſenſiſſe 2. *Celi* 48. Stellas re ipsâ non ſcintillare & rutiiare; ſed ita nobis duntaxat videri, ob imbecillitatem potentiæ noſtræ viſivæ, & diſtantiam ſpecierum ſtellarum fixarum, quæ ut percipiantur à potentia, requiritur major copia ſpirituum vitalium, qui cum valdè mobiles ſint, de facili efficiunt, ut ſpecies receptæ moveantur, & ita objectũ repræſentent mobile. Scheiner Germanus, Tycho, & alii ſenſerunt ſcintillationem Stellarum cauſari ab agitatione medii, vel cæleſtis, id eſt ipſiuſmet cæli, in ſententia aſſerente cælos fluidos; vel certè ſublunaris, puta aut ventorum, aut vaporum, in aëre commorantium permeationes; unde & ſpecies viſibiles moveri neceſſe eſt ex hac varia medii infractione; ſicut patet in aquis, quæ dum commoventur, transmittunt ſpecies rerum in fundo exiſtentium tremulas. Alii dixerunt ſcintillationem provenire à rapidiſſimo motu Cælorum, ex quo fit ut ſpecies fractæ, & tremulæ projiciantur. Averſa cum aliis tenent, Stellas eſſe corpora, non penitùs diaphana, uti ſunt Cæli, nec omnino opaca, quaſi in extima tantùm ſuperficie habeant lucem; ſed habere quandam diaphaneitatem cum opacitate admixtam, & eſſe lucidas in interioribus partibus; ſolam verò Lunam eſſe perfectè opacam, & externâ tantùm ſuperficie illuminatam; ex quo, quia partes interiores viſui aliqualiter ſeſe offerunt non liberè & expeditè, ſequitur rutilationem illam cauſare majorem, vel minorem, juxta majorem vel minorem diaphaneitatem; & quia Luna ponitur totaliter opaca, idcirco nullus tremor cernitur in ipſa. Aquilonius ex Platone aliam allegat cauſam ſcintillationis, dicens quòd ipſa cauſetur ex Stellarum circumagitatione, quatenùs nimirum Stellæ ſingulæ circulariter


mo-

moventur circa ſuum proprium centrum; & quia non æquali motu circumaguntur, hinc eſt, quòd una magìs, altera minùs videatur ſcintillare; & quia Luna tardiſſimo motu in ſeipſa movetur, idcirco non videtur rutilans. Omnes iſtæ opiniones habent ſuam probabilitatem; quare eligi poterit ea, quæ magìs arriſerit. Circa Novilunia, & Plenilunia

Nota undecimò: cùm Luna ſit corpus opacum, quod non poteſt â Solis lumine totaliter penetrari; ſed tantùm ſecundùm mediam partem, aut ſecundùm eam, quæ â Sole reſpicitur; & quia non ſemper ſecundùm eandem partem â Sole reſpicitur, hinc non ſemper in eadem parte lumen Solis ſuſcipit; ſed nunc ſuperiùs, nunc inferiùs, nunc â latere hoc, vel illo illuminatur; & inde tanta Lunæ mutatio provenit. Quando ergo Luna eſt conjuncta Soli in aliquo ſigno Zodiaci, ſuperior ejus medietas versùs aſtra illuminatur; inferior verò, quæ terram reſpicit, obſcura manet, proijcitque umbram; & tunc eſt Novilunium. Deinde cùm Luna incipit celeriter a Sole versùs Orientem recedere, incipit ſimul & lux ejus â parte ſuperiori ad inferiorem permutari; ideoque incipit nobis lux aliqua apparere, & quantò magìs Luna â Sole declinat, tantò magìs â parte ſuperiori lumen amittit, & in parte laterali, quæ versùs Occidentem eſt, illuminari; & primò quidem cornuta apparet, & dicitur *Luna creſcens*: deinde paulatim creſcendo in forma ſemicirculi conſpicitur; ulteriuſque creſcendo gibboſa, & tandem, quando directè Soli opponitur ex altera parte terræ, perfecta & plena conſpicitur, ſuperiori parte versùs aſtra manente obſcurâ; & tunc fit apud nos *Plenilunium*.

Poſt hoc incipit Luna rurſus Soli appropinquare, & per conſequens ab inferiori parte, quæ nos reſpicit lumine privari, & versùs ſuperiorem partem ad Occidentem lumine creſcere, rurſumque bicornuta â parte altera occidentali apparere; & tunc vocatur *decreſcens*; poſtea in modum ſemicirculi apparet, donec tandem iterum in conjunctione cum Sole *Novilunium* habeatur; & ita ſtabili inſtabilitate, Luna perpetuò movetur: habet ergo Luna 4. ætates, ſeu lunationes, ſeu quartas, ut loquuntur Calendariſtæ. Prima quarta, ſeu ætas Lunæ fit lunâ 7. ſecunda fit lunâ 14. quando fit Plenilunium; tertia lunâ 21. & quarta 28. in conjunctione cum Sole. Vide Lunæ ætates in appoſita figura III.

Figura III.



QUÆSTIO XI.

De luce, lumine, & aliis accidentibus Cælorum.

NOta primò; per *lucem* intelligi illam formam, quæ exiſtit in ipſo corpore lucido, v. g. in Stella, vel igne: per *lumen* verò intelligi illam formam, quæ reperitur in medio, ſive ſubjecto, quod â ſe talem formam non habet, ſed ab alio recipit; talis forma eſt lumen in aëre, â Sole cauſatum: quare hæ duæ formæ ſecundùm ſe multùm differunt inter ſe, ut bene obſervat Scotus *2. diſt. 13. q. un.* unde malè iſta duo uſurpantur ab aliquibus pro ſynonimis. *1. Quid ſit lux & lumen.*

Nota ſecundò: ſecundùm Scotum *loc. cit,* & Ariſtotelem *1. Phyſic. tex. 27.* ac ipſam veritatem, nec lucem, nec lumen eſſe formam aliquam de genere ſubſtantiæ materialis: Ratio eſt; quia forma ſubſtantialis per ſe non eſt ſenſibilis; lux verò eſt ſenſibilis; item forma ſubſtantialis non eſt intenſibilis, vel remiſſibilis; lux verò & lumen, ſunt entia intenſibilia & remiſſibilia; utì patet ex illo Iſaiæ 30. *Erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter*: Ergo lux & lumen non ſunt formæ de genere ſubſtantiæ. Et tametſi Gen. 1. dicatur, *lux facta*, quod ſubſtantialitatem aliquam arguit: tamen Reſp. ibi lucem non ſumi pro formali, id eſt pro illa accidentali forma (ut rectè hic exponit Scotus) ſed pro notato, ſeu corpore *2. Lux & lumen non eſt de genere ſubſtantiæ.*

pore lucido, quod denominatur â luce tanquam â potiori. Unde

3. *Lux de genere accidentis.*

Nota tertiò: lux, & lumen formaliter ſunt formæ accidentales, de genere qualitatis: Ratio eſt; quia ipſis proprium eſt inhærere alteri tanquam ſubjecto; uti patet de luce inhærente Soli, igni &c. & de lumine inhærente aëri. Lux itaque, ſic bene ad principia Scoti *2. diſt. 13. q. 13. n. 11.* deſcribitur; quòd *ſit qualitas patibilis, ſeu viſibilis abſque colore, naturaliter conſequens lucidi naturam.* Ly *qualitas* eſt genus: reliqua ſtatuuntur prò differentia: dicitur *patibilis*; quia lux verè apprehenditur â ſenſu, & cum oculo facit viſionem; dicitur, *ſeu viſibilis*; ut afferatur conceptus differentialis lucis ab aliis qualitatibus, quæ ſenſantur ab aliis ſenſibus, cujuſmodi ſunt odores, ſapores &c. additur *abſque colore*; ut lux differentietur ab omni ſpecie colorum, qui licèt oculô percipiantur, non tamen ut medium viſionis, ſed ut objectum illius percipiuntur: ſubditur tandem, *naturaliter conſequens lucidi naturam*; ut lux diſtinguatur â lumine; lux etenim ita indiſpenſabili conjunctione cum corpore lucido connectitur, ut nonniſi divinitùs poſſit ſeparari: at lumen non habet ejuſmodi conjunctionem, uti patet de lumine aëris, quod de medio poteſt facillimè tolli per tenebras inductas.

4. *Deſcriptio luminis.*

Nota quartò: lumen ſecundùm Scotum *2. diſt. 13. q. 1. n. 3.* ſic rectè deſcribi; quòd *ſit ſpecies intentionalis â luce in medium illuminatum emiſſa.* Ly *ſpecies* eſt genus; reliqua ſubeunt rationem differentiæ; dicitur *intentionalis*; quia eſt ratio, & mediũ potentiæ viſivæ tendendi in objectum viſibile; cùm ſit ſpecies in oculo recepta, quâ viſus videt, quod proprium eſt ſpeciei intentionalis: Item ſi non eſſet intentionalis ſpecies, ſenſationem impediret; quælibet enim qualitas non intentionalis v. g. color poſitus ſupra ſenſum viſûs, ſenſationẽ impedit; ſed lumen non impedit ſenſationem uti patet experientiâ: Ergo &c. Reliqua in deſcriptione indicant cauſam, â qua efficitur lumen, & ſubjectum in quo recipitur.

5. *Quid radius rectus, reflexus, & refractus.*

Nota quintò: tres â Scoto *2. diſt. 13. q. 1. n. 4.* aſſignari luminis, ſeu radii ſpecies; radius ſcilicet Rectus, Reflexus, & Refractus. *Radius Rectus* eſt, qui cauſatur â luce in medio ejuſdem diaphaneitatis puta in aqua, vel in aëre, & ſinè obſtaculo ullo rectâ viâ tamdiu pergit, quamdiu durat virtus lucidi corporis. *Reflexus* eſt, qui propter occurſum corporis opaci, & aliquatenus tantùm diaphani veluti reflectitur in ſuum medium. *Refractus* eſt qui propter occurſum corporis diaphani aliqualiter opaci multiplicatur in medio, nõ quidem ſecundùm lineam rectam; ſed ſecundùm obliquam. Ut hæ duæ ſpecies luminis evidentiùs pateant.

6. *Qua ratione fiat reflexio, & refractio luminis.*

Nota ſextò: corpus lucidum, ſicut & cætera agentia naturalia, ſuum lumen propagare per lineam rectam, quantùm poſſunt; *natura enim*, inquit Scotus *cit. ſtudet compendio, recta autem via eſt omnium compendioſiſſima*: ſed huic diffuſioni, & propagationi, poteſt duplex impedimentum occurrere, ex quo deinde naſcitur reflexio, & refractio radiorum; omnis ſiquidem actio directa, cùm fiat per ſphæram; ſicut v. g. ignis calefacit infrà, & ſuprà, antè & pòſt, â dextris & â ſiniſtris; ſic pariter candela, aut aliud lucidum corpus, ſuum lumen ſphæricum diffundit per medium luminis capax; & eò uſque propagatur talis luminis ſphæra, donec pervenerit ad terminum ſuæ virtutis, ultra quem lumen effundere nequeat. Si autem, antequam hæc diffuſio attigerit terminum, ad quem ſeſe extendere poteſt illius virtus activa, occurrat aliquod corpus opacum, impediens ulteriorem luminis diffuſionem; tunc lumen refrangitur, aut reflectitur; quare reflexio, & refractio petenda eſt ex diverſitate corporis impedientis ulteriorem luminis diffuſionem. Nunc ad lucem, & lumen Cælorum veniendo.

7. *Cælum Empyreum eſt lucidum totaliter.*

Nota ſeptimò: Cælum Empyreum eſſe totum lucidum. Ratio eſt, quia ità colligitur ex illo Apoc. 21. *Civitas non eget Sole neque Lunâ, ut luceat in ea, quoniam claritas DEI illuminavit eam.* De aliis Cælis receptior eſt opinio, ipſos nullam â ſeipſis habere lucem; ſed lumen â Sole, ut omnis luminis fonte, & ab aliis aſtris mutuare. Ratio eſt; quia experientiâ conſtat, Cælos nullas ad nos tranſmittere ſpecies viſibiles. Similiter Lunam lumen ſuum â Sole majori ex parte accipere; uti colligitur ex Scoto *2. diſt. 13.* unde ex ſe habet ſolùm aliquem quaſi ruborem, ſeu modicam albicationem, quæ nobis apparet in ejus Eclypſi. Circa alia aſtra.

Nota octavò: quoad reliquas Stellas tàm erraticas, quàm fixas, communior

8. *Omnes ſtellæ illuminantur à Sole.*

eſt ſententia, eas & à Sole illuminari; & etiam propriam aliquam habere lucem. Ratio primi eſt; quia Planetæ Sole ſuperiores magis lucent, dum Sol eſt in auge, ob ejus tunc vicinitatem; quam dum eſt in oppoſito augis; ſimiliter Mercurius, Venus, & Mars (uti Teleſcopió Fontanæ obſervatum fuit) variantur, & cornua Lunæ inſtar acquirunt, juxta varium Solis acceſſum, & receſſum, quæ omnia indicant Planetas a Sole lumen accipere. De Stellis aliis fixis etiam patet; quia idcirco Sol eſt ità luminoſus, ut ab ipſo tanquam fonte reliqua omnia aſtra fixa lumen mutuent. Ratio ſecundi eſt; quia omnia reliqua aſtra ſunt diaphana: Ergo niſi lucem propriam haberent, non viderentur à nobis; vel ſaltèm non ita lucida conſpicerentur; ſicut nec Cæli cernuntur propter diaphaneitatem. Pertinet etiam ad nobilitatem aſtrorum, ut aliquid lucis propriæ habeant: Ergo &c. Circa alia accidentia Cælorum.

9. *In Cælis, & ſtellis non eſt calor, frigus, ſiccitas, & humiditas formaliter.*

Nota nonò: primas qualitates, puta calorem, frigiditatem, ſiccitatem, & humiditatem non reperiri formaliter in Cælis, & aſtris; ſed virtualiter duntaxat. Ratio primi de formali contentia eſt; quia alioquin Cæli, & aſtra eſſent commutabilia, & corruptibilia: Ergo &c. Ratio ſecundi eſt; quia Cæli, & aliqua aſtra calefaciunt, ſimiliter aliqua frigefaciunt: Ergo in eis continentur qualitates primæ productivæ horum effectuum: non autem formaliter, ut oſtenſum eſt: Ergo virtualiter duntaxat. 'Ex his ulteriùs

10. *Qualitates mixtæ quoque ibi non ſunt formaliter.*

Nota decimò: qualitates quoque mixtas reſultantes ex mixtione primarum, & primas neceſſariò ſequentes, cujuſmodi ſunt ſonus, ſapor, color &c. non reperiri quoque formaliter in Cælis, & aſtris, ob eandem rationem. Unde licèt Saturnus communiter ab Aſtrologis deſcribatur plumbeus; Jupiter flavus, Mars rubeus, Sol aureus, Venus flava, Mercurius ſimilis argento vivo, & Luna argentea; & licèt Cælum totum nobis videatur cæruleum; hi tamen non ſunt veri colores; ſed apparentes tantùm; nam illi ſeptem Planetarum colores, proveniunt ex varia diſpoſitione diaphaneitatis, & opacitatis, illarum ſtellarum; & cæruleus ab aëre, cui ineſt. Et quamvis S. Scriptura Job 38. cap. dicat, *concentum Cæli quis dormire faciet*; ex quo multi cum Pytagoricis ſenſerunt Cælos in ſuo motu vario edere ſonum, & harmoniam, tanquam veram qualitatem mixtam; nihilominus hujuſmodi ſonus à modernis Philoſophis negatur. Unde ad Scripturam Reſpondeo cum Sancto Hilario ſuper hunc paſſum, per illam ſolùm innui concinnam cæleſtium motuum proportionem, ac diſpoſitionem; quæ concentus harmonicus dici poteſt; quatenus excitat ad laudandum DEUM; juxta illud Pſalmi: *Laudate Dominum de Cælis.*

Nota undecimò: alia tamen accidentia, qualitates primas non conſequentia, ſunt in Cælis. Unde in primis ibi reperitur *quantitas*, utì patet ad ſenſum; ſimiliter ibi eſt *figuratio*, quæ eſt paſſio quantitatis; nam cæleſtia corpora ſunt rotundæ figuræ; item eandem quantitatem ſequitur raritas, denſitas, opacitas, & diaphaneitas. *Raritas*, ſeu ſubtilitas, & *denſitas* quidem; quia hæc ad orbes excentricos Cælorum planetalium ſunt neceſſaria, ut ſuprà *diſtinct. 2. quæſt. 6.* dixi. *Opacitas* eſt neceſſaria ad maculas lunares explicandas, & ſtellas diſtinguendas, ut magìs minùſque lucidas. *Diaphaneitas* tandem colligitur ex eo, quòd Cæli, etſi ſint intermedii Planetarum, tamen nullomodò impediunt viſionem aſtrorum; utique ob ſui perſpicuitatem & diaphaneitatem. Convenit quoque Cælo *circumſcriptio* localis; & ratione hujus ſex differentiæ poſitionum localium; ſcilicet ſurſum, deorſum, antè, & retro, dextrum, & ſiniſtrum reſpectu noſtri. Tandem convenit ipſis Cælis *durities*; cùm ſint corpora ſolida; utì ſuprà *diſtinct. 2. quæſt. 3.* docui.

11. *Bene tamen accidentia, primas qualitates non cõſequentes.*

Nota duodecimò: hæc, & alia accidentia communia Cælorum eſſe ejuſdem ſpeciei cum accidentibus ſimilibus ſublunarium; utì conſtat ex Scoto *2. diſtinct. 15. quæſt. 1.* Ratio eſt; quia nullum apparet fundamentum diſtinctionis horum ab illis; nam idem effectus formaliter reperitur in quantitate cæleſti, & ſublunari, ſive is ſtatuatur eſſe extenſio partium in ordine ad ſe; ſive in ordine ad locum impenetrabiliter; ſive diviſibilitas; ſive ratio menſuræ: ſimiliter idem formaliter effectus in denſitate cæleſti, & ſublunari reperitur; qui eſt reddere corpus ſecùdum partes valde inter

12. *Accidentia Calorũ ſunt ejuſdem ſpeciei cum ſublunaribus.*

Digitized by Google

inter ſe unitas. Idem pariter in opacitate hac, & illa; qui eſt reddere corpus impervium lumini. Item idem in diaphaneitate utraque, qui eſt reddere corpus perſpicuum, & transparens; & licet ſecundùm magis, & minùs hujuſmodi effectus ſint in Cælis, & ſublunaribus; tamen hæc non variat ſpeciem earundem.

QUÆSTIO XII.

De compoſitione cæleſtis Sphæræ.

1. *Sphæra in communi deſcribitur.*

NOta primò: Theodoſius, & cū eo Joannes de Sacro Boſco author Sphæræ, definivit Sphæram in generali ſua acceptione ſic; Sphæra *eſt corpus quoddam ſolidum unicâ ſuperficie contentum, in cujus medio punctum eſt, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam ſunt æquales.* Sed ad propoſitam materiam aptiùs.

Dico primò: Sphæra cæleſtis (de qua hìc) rectè deſcribitur, quòd *ſit primum mobile, quatenus in eo varij circuli concipiuntur, quibus Cælorum compoſitio, ac eorum, & maximè Solis motus termini, menſura, nec non totius mundi ſitus, commodiſſimè explicantur.* Pro intellectu hujus deſcriptionis.

2. *Quid ſint circuli Sphæræ, & cur inventi.*

Nota ſecundò: Aſtronomos, ut ritè nobis explicarent, & præfigurarent varios motus corporum cæleſtium, maximè Solis, excogitâſſe varios circulos, in ſuperficie primi mobilis, qui quidem verè, & realiter ibi non ſunt; ſed imaginari & concipi debent ad hoc, ut partitiones, & metæ motuum cæleſtium debitè intelligantur. Hos circulos imaginarios ſumptos unà cum ſuo Cælo primo mobili Aſtrologi appellârunt *Sphæram Cæleſtem* (de qua in præſentiarum ſermo) & eam ad faciliorem captum diſcipulorum effigiavit omnium primus Archimedes ſubtiliſſimus Mathematicus Syracuſanus; & poſt ipſum omnes Mathematici, in globo quodam materiali, ſeu Inſtrumento rotundo, in quo varii circuli, armillæque continentur; iiſdem nominibus inſignitæ, figurantia compoſitionem, motus, ac terminos corporum cæleſtium; qui globus vulgò vocatur *Sphæra armillaris.*

3. *Numerus circulorum Sphæræ.*

Nota tertiò: circulos in Sphæra cæleſti primi mobilis imaginatos, & componentes eandem Sphæram, eſſe ſequentes; Æquinoctialem, Zodiacum, Colurum Solſtitiorum, Colurum Æquinoctiorum, Meridianum, Horizontem, Tropicum Cancri, Tropicum Capricorni, Arcticum, & Antarcticum. Ex his vocantur aliqui circuli majores, alii minores. *Majores* dicuntur illi; qui idem habent centrum cum Sphæra, ipſamque dividunt in duas partes æquales; & ſunt Æquinoctialis, Meridianus, Horizon, Zodiacus, Colorus Solſtitiorum, & Colorus Æquinoctiorum. *Minores* ſunt, quæ diverſum habent centrum â ſphæra, eamque ſecant in partes inæquales; cujuſmodi ſunt, Tropicus Cancri, Tropicus Capricorni, Arcticus, & Antarcticus.

4. *Quid ſit Sphæra centrum, & Poli.*

Nota quartò: in eadem Sphæra debere concipi unum punctum medium; quod vocatur *Centrum Sphæra*; item unam lineam, per medium tranſeuntem, quieſcentem, & immobilem; circa quam tota Sphæra primi mobilis circumvolvatur, quæ appellatur Axis Mundi; hujus puncta extrema, ſeu terminantia lineam illam dicuntur Poli Mundi, unus quidem *Polus Arcticus*, â conſtellatione quadam græcè *artos*, id eſt urſa; & *Septentrionalis*, ſeu *Borealis*; â vento Septentrionali; ſeu Boreali ita dictus: Alter vocatur Polus Antarcticus; & eſt è diametro oppoſitus Arctico; dicitur etiam *Auſtralis & Meridionalis.*

5. *Deſcribitur Æquinoctialis.*

Nota quintò: Æquinoctialis circulus major deſcribitur â Joanne de S. Boſco *cap. 1. Sphæra*, quòd *ſit ille, qui dividit Sphæram primi mobilis in duo æqualia, & ſecundùm quamlibet ſui partem eſt æquè diſtans ab utroque Polo.* Ad hunc circulum cum pervenit Sol (quod fit bis in anno, in principio ſcilicet Arietis; die 21. Martii, & in principio Libræ die 24. Septembris) fit Æquinoctiū in univerſa terra; ſubintellige in illa, in qua cōtingit viciſſitudo diei & noctis ſpatio 24. horarum: unde verſus

Libra Ariesq; parem reddunt noctemq; diemq;.

Unde etiam (inquit idem Auctor) *Æquator diei, & noctis dicitur; quia adæquat diem artificialem nocti.* Addit idem, quòd iſte circulus dicatur *cingulus primi motûs; quia cingit, ſive dividit Primum Mobile in duo æqualia æquè diſtans à Polis Mundi.* Habet hic circulus & alia officia; quæ videri poſſunt in commentariis Clavii in *cap. 2. Sphæra.*

6. *Zodiacus.*

Nota ſextò: Zodiacus deſcribitur, quòd *ſit circulus major; qui interſecat Æquinoctialem, & interſecatur in duas partes æqua-*

æquales ab eodem Æquinoctiali, quarum una pars ſeu medietas declinat versùs Septentrionem; alia versùs Auſtrum. Sumit ſecundùm Joannem de S. Boſco nomen vel â Græco *zoi*, quod eſt *vita*; quia ſecundùm motum Planetarum ſub illo facto eſt omnis vita in rebus inferioribus: vel à *zodion*, quod eſt *animal*; quia iſte circulus diſtribuitur ab Aſtrologis in duodecim partes, Imagines, ſeu ſigna, quorum quodlibet, unô demptô, ſortitur nomen aliquod animalis; puta: Arietis, Tauri, Cancri, Leonis &c. de quibus plura *ſuprà quæſt. 7. notab. 7. & 8. & quæſt. 11.* per totum. Licèt omnes alii Circuli Sphæræ concipiantur ſicut quædam linea tenuis; Zodiacus tamen imaginatur ut ſuperficies, habens in latitudine 12. gradus, tum ut poſſit intra ſe continere figuras, & nomina Signorum; tum ad exprimendum motum irregularem Planetarum ſub ipſo: quamvis enim omnes ſub Zodiaco perpetuò ferantur; non tamen omnes eodem modô moventur; ſed nunc â medio ejus deviant in Septentrionem; nunc in Auſtrum; & hujuſmodi deviatio in unam partem complectitur ferè ſex gradus, & totidem in aliam, quæ ſimul unitæ faciunt 12. gradus. Quodlibet deinde Signum Zodiaci ſecundùm longitudinem habet gradus 30. (de quorum diviſione ulteriori vide, quæ dixi ſuprà *q. 10. Not. 8.*) quos Sol percurrit ſpatiô unius Menſis, in quovis ſigno morando unô die. In medio Zodiaci Mathematici concipiunt unam lineam, ità eum dividentem, ut ex una parte relinquat ſex gradus, & ex altera quoque ſex; hanc appellant *Eclypticam*; quoniam quando Sol, & Luna ſunt linealiter ſub ipſa, contingit Eclypſis Solis, aut Lunæ. Vocatur etiam *via Solis*, eò quòd Sol ſemper ſub illa motu propriô, & particulari incedat; unde & ab aliis dicitur *orbita Solis; iter ſolare; planum Solis; circulus Solis &c.* Alii Planetæ verò declinant ab hac linea, modò versùs Septentrionem, modò versùs Auſtrum; aliquando tamen etiam ſub Eclyptica conſiſtunt. De officiis Eclypticæ vide plura apud Clavium *citat.*

7. *Colurus Solſtitiorum explanatur.* Nota ſeptimò: *Colurus Solſtitiorum*, deſcribitur à Joanne de S. Boſco, quòd *ſit circulus major tranſiens per Polos mundi, & Polos Zodiaci, & maximas Solis declinationes; hoc eſt per primos gradus Cancri, & Capricorni, dividens Solſtitia inter ſe.* Et ſecundùm eundem denominatur â Græco *kolon*, quod eſt *membrum* & *uros*, quod eſt *bos ſylveſter*; quia quemadmodum cauda bovis ſylveſtris erecta, quæ eſt ejus membrum, facit ſemicirculum, & non perfectum; ita Colurus ſemper apparet nobis imperfectus; quia ſolùm una ejus medietas apparet, & altera occultatur. Sed aptius denominatur à *koluros*, quod eſt mutilum, & imperfectum; eò quòd iſte circulus ſemper nobis appareat mutilus, & imperfectus. Ut hujus circuli officium principale; quod eſt loca Solſtitiorum Solis ſignare, magis capiatur, ſciendum eſt, quòd Sol movendo ſe ſub Zodiaco proprio motu, propter Zodiaci obliquitatem, nunc ad Æquatorem accedat, nunc recedat; acceſſus hujuſmodi dicuntur *aſcenſus Solis*, receſſus verò *declinatio Solis*; Solſtitium itaque bene deſcribitur, quòd *ſit declinatio maxima Solis ab Æquatore.* Hæc fit vel quando à nobis maximè diſtat, vel quando nobis maximè accedit; unde duplex eſt Solſtitium Æſtivale, & Hyemale; *Hyemale* eſt ille dies, in quo Sol à nobis maximè diſtat, & contingit, quando eſt in principio Capricorni. *Æſtivale* eſt ille dies, in quo Sol eſt nobis maximè propinquus, & contingit, quando eſt in principio Cancri: quare iſta duo principia vocantur *puncta Solſtitiorum*; in Solſtitio Æſtivali Sol non poteſt magis accedere ad Zenith capitis noſtri; eſt autem, ſecundùm Arabes *zenith* punctum verticale in firmamento, directè ſuprapoſitum capitibus noſtris; cujus diametraliter oppoſitum punctum ſub nobis dicitur *Nadir*

Nota octavò: *Colurus Æquinoctiorum* rectè deſcribitur, quòd *ſit circulus major tranſiens per Polos Mundi, & principia Arietis, atque Libræ, deſignans loca Æquinoctiorum.* Principia iſta Arietis, & Libræ dicuntur *puncta æquinoctialia*; unde & duplex Æquinoctium eſt, Vernum & Autumnale. *Vernum* fit in primo puncto Arietis; *Autumnale* in primo puncto Libræ; de his, & Solſtitiis extant ſequentes Verſus: 8. *Colurus Æquinoctiorū*

Hæc duo Solſtitium faciunt Cancer, Capricornus;
Sed noctes æquant Aries, & Libra diebus.

Hic Circulus dicitur *æquinoctialis*, quia Sol eum tangens in dictis punctis Arietis, & Libræ efficit diem æqualem nocti.

Nota nonò: *Meridianus* bene deſcribitur, quòd *ſit circulus major tranſiens per Polos Mundi, & zenith ſeu verticem capitis noſtri.* 9. *Meridianus*

noſtri. Dicitur *Meridianus à meridie*; quia videlicet Sol motu Primi mobilis ad eum delatus quocunque anni tempore efficit meridiem. Vocatur etiam *Linea medij Celi; cuſpis regalis; cardo Regius*, *&c.* Non eſt autem unus meridianus; ſed à Coſmographis, & Aſtrologis 180. aſſignantur; quoniam quivis tranſit per duos gradus diametraliter oppoſitos æquatoris; horum primus ponitur tranſire per Inſulas Fortunatas, ſeu Canarias; unde ab hoc longitudines Civitatum initium ſumunt apud Coſmographos; ſecundus ponitur tranſire per primum gradum Æquatoris, qui primum meridianum ſequitur versùs ortum progrediendo: tertius deinde per ſecundum gradum; & cæteri eôdem modô deinceps. Arcus æquinoctialis interceptus inter duos meridianos dicitur *longitudo Civitatum*.

10. *Horizon.* Nota decimò: *Horizon* bene deſcribitur, *eſt Circulus major dividens inferius hemiſphærium non viſum à ſuperiori viſo*; id eſt mediam Sphæram inferiorem à media ſuperiori: unde appellatur *Horizon*, à Græco *Oriſome*, quod eſt *determino*; quia hic circulus terminat, & ſeparat partem Cæli viſam à non viſa. Iſte circulus eſt concipiendus in Cælo ut immobilis prorſus; ſicut & meridianus, & multiplicatur ſicut & meridianus in 180. juxta ſenſibilem variationem noſtri viſûs.


11. *Tropicus Cancri & Capricorni.* Nota undecimò: *Tropicus Cancri* rectè ſic deſcribitur, quòd *ſit ille circulus minor à Sole deſcriptus motu diurnô, cùm eſt in principio Cancri, in quo Solſtitium Æſtivale contingit*. Dicitur Tropicus à Græco *Tropi*, quod eſt *converſio*; quia tunc incipit Sol ad Æquatorem ſe convertere. *Tropicus Capricorni* deſcribitur, quòd *ſit circulus minor deſcriptus à Sole motu diurnô, cùm eſt in principio Capricorni, in quo evenit hyemale Solſtitium*.

12. *Circulus Arcticus & Antarcticus.* Nota duodecimò: *Circulus Arcticus* deſcribitur, quòd *ſit ille Circulus minor, quem deſcribit Polus Zodiaci circa Polum Mundi Arcticum. Circulus* verò *Antarcticus*, quòd *ſit ille, quem deſcribit alter Polus Zodiaci circa Polum Mundi Antarcticum*; nam cùm Zodiacus declinet ab æquinoctiali, & Polus Zodiaci declinabit à Polis Mundi, & alium circulum deſcribit, Arcticum videlicet, & Antarcticum.

Nota decimòtertiò: quòd Æquator, & quatuor Circuli Minores dicantur *Circuli paralelli, & æquè diſtantes*. Et penes hos diſtinguuntur in Cælo quinque zonæ, ſive regiones; quibus in terra correſpondent totidem plagæ, directè ſuppoſitæ. *Prima zona* eſt inter duos Tropicos, & dicitur *torrida*, propter ingentem calorem Solis, ſemper diſcurrentis inter eoſdem Tropicos; unde & plaga huic oppoſita in terra eſt quaſi inhabitabilis, ob eandem rationem Solis diſcurrentis. *Secunda & tertia* quæ circumſcribuntur à Circulo Arctico, & Antarctico circa Polos Mundi, dicuntur *frigidæ* ob nimiam Solis remotionem ab eis: his correſpondent duæ plagæ in terra pariter frigidiſſimæ; & idcirco quaſi inhabitabiles. *Quarta & quinta* (quarum una eſt inter Tropicum Cancri, & circulum Arcticum; altera inter Tropicum Capricorni, & Antarcticum) dicuntur *temperatæ*; quia nec nimium remotæ ſunt à Sole, nec nimium vicinæ: his in terra correſpondent duæ zonæ temperatæ; & idcirco habitatæ. Ut ſingulos prædictos Circulos in Primo mobili tibi aptiùs imaginari valeas, inſpice ſequentem figuram ſub littera E. ex qua facilè fabricare poteris globum materialem Sphæræ armillaris, quæ diſtinctè tibi repræſentabit motus, metaſque cæleſtium corporum, ſignanter Solis, mutationes temporum, ſitus 12. ſignorum Zodiaci, & alia. 13. *Quinque Zonæ.*

QUÆ-

14. *Sphæra cum circulorum ſuorum repræſentatione.*



QUÆSTIO XIII.
De influxibus veris Cælorum & Aſtrorum in Sublunaria.

1. *Omnes Cæli influunt in hæc inferiora.*

DIco primò: omnes Orbes Cæleſtes, imò & Empyreum Cælum ſecundùm ſe influunt in hæc ſublunaria. Colligitur ex Scoto *2. diſt. 14. q. 1.* & habet S. Bonav. D. Thom. Mayr. & communior Philoſophorum, ac Theologorum; contra Maſtrium, & alios negantes Orbes inferiores primô mobili, & Empyreum, agere in hæc inferiora.

Prob. primò: authoritate SS. PP, indefinitè, & abſque reſtrictionè docentium Cælos influere in hæc inferiora; ut videre eſt apud D. Dionyſium *cap. 4. de Div. Nom.* & S. Baſil. *hom. 6.* & S. Auguſt. *lib. 3. de Trin. cap. 4.* dicentem, quòd ordo naturæ poſcat, ut *corpora craſſiora, & inferiora, per ſubtiliora, & potentiora* (cujuſmodi ſunt omnes Orbes Cælorum, & Empyreum) *quodam ordine regantur*: Ergo &c.

Prob. ſecundò authoritate Ariſtotelis: qui *1. Met. cap. 2.* pariter indefinitè dicit; *Oportet mundum hunc inferiorem ſubjectum eſſe ſuperioribus lationibus, ut inde vis ejus univerſa regatur.* Accedit ad idem authoritas communis omnium pene Aſtrologorum; ac inſignium Philoſophorum, tum veterum, tum recentiorum: Ergo omnes Orbes cæleſtes, & etiam Empyreum ſecundùm ſe influunt in hæc ſublunaria.

Prob. tertiò ratione: juxta Philoſoph. *1. Celi 32. DEUS, & natura nil agunt fruſtra*, maximè formando tam nobilia corpora, perfectiſſimis virtutibus prædita, uti ſunt Cæli omnes, & aſtra: ſed DEUS molitus eſt omnes Orbes Cæleſtes, & Empyreum: Ergo non fruſtra; ſed ut certos exerceant influxus in hæc ſublunaria.

Dico ſecundò: Planetæ quoque, & aſtra fixa maximè majora mirificas exercent influentias in hæc ſublunaria. Ita Scotus *2. diſt. 14. q. 3.* & communis SS. Patrum, ac Philoſophorum. Hæc Concluſio abundè probata manet ex dictis ſuprà *quæſt. 11. & 12.* ad ſtabiliendam tamen magis eandem. 2. *Similiter Planetæ, & aſtra fixa.*

Prob.

Prob. *primò* authoritate SS. Patrum pro prima concluſione relatorum. *Secundò* authoritate Ariſtotelis; qui *2. Phyſ. 26.* ait; *Sol & homo generant hominem.* *Tertiò* ratione; mirifici maniteſti obſervantur effectus in hiſce ſublunaribus, quos communiter Philoſophi, & Aſtrologi influentiis, ac operationibus ſecretis Aſtrorum adſcribunt; ſic Stella polaris attrahit magnetem; ſic 12. Signa Zodiaci mirabiles cauſant effectus in natis ſub eorum aſcenſu; ſic Canicula cauſat calorem; Arturus frigus, Orion pluviam; ſic Sol flores Heliotropii ſecum ab ortu ad occaſum vertit; ſic Luna fluxum, & refluxum maris, in multorum ſententia cauſat; & Cardanus refert Leoni X. oblatam fuiſſe gemmam, quæ ſecundùm varium Lunæ influxum colorem cæruleum in candidum mutabat: Ergo &c. *Quartò*: ob particulares quoque influxus Aſtronomi docent, quoſdam Planetas dominari certis humoribus hominis; unde Martem ajunt concitare flavam bilem, Saturnum ciere melancoliam; Lunam pituitam augere; Solem, & Jovem ſanguinem gubernare: item docent, Lunam præeſſe infantiæ, Mercurium pueritiæ, Venerem Adoleſcentiæ, Solem Juventuti, Martem virilitati, Jovem ſenectuti, & Saturnum decrepiditati: ſic longâ praxi obſervatum eſt, ægritudines hominum minui, & augeri; ac medicinas prodeſſe vel obeſſe, juxta varium aſcenſum, & deſcenſum Aſtrorum; unde Scotus *loco cit.* ait; *bonum medicum habere debere ſcientiam Aſtronomiæ; poſſet enim aliquo tempore medicinam propinare, quæ interficeret, vel infirmanti non proficeret; profuiſſet tamen ſi alio tempore eam hauſiſſet infirmus*: Ergo Planetæ, & Aſtra fixa majora mirificas exercent influentias in hæc ſublunaria.

Objicies *primò*: S. Scriptura Geneſ. 1. de Planetarum, Solis, Lunæ, & Stellarum creatione loquens ait; *fecitq; DEUS duo Luminaria magna, luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti: & ſtellas: & poſuit ea in firmamento Cœli, ut lucerent ſuper terram, & præeſſent diei, ac nocti*, & ibidem ait; *ut ſint in ſigna, tempora, & dies, & annos*: Ergo finis Planetarum, & Aſtrorum non eſt exercere aliquas influentias; ſed tantùm dividere tempora, & lucere. *Secundò*: S. Damaſcenus *2. de fide cap. 6.* negat cæleſtia corpora eſſe cauſas generationis, & corruptionis per influentias aliquas, ſed has ait ad ſublunaria pertinere. *Tertiò*: Ariſtoteles *1. de gen. cap. 7. tex. 51.* & S. Dionyſius *2. de Divin. Nomin.* docent, agens aſſimilare ſibi paſſum: ſed Cæli non aſſimilant ſibi paſſum ſublunare: Ergo non agunt in ſublunare.

Reſpondeo *ad Primum*: S. Scripturam *cit. loc.* non enumerare omnes fines, ad quos condita ſunt Sol, Luna, & Aſtra; ſed aliquos duntaxat magis notabiles; cujuſmodi ſunt lucere, præeſſe nocti, dividere tempora &c. cum quo ſtat, quòd exerceant quoque influentias in ſublunaria. Præterea P. Lyranus commentans hunc paſſum ait, Moyſen conſultò præfatos fines creationis Solis, & Lunæ ſolùm enumeràſſe, ut oſtenderet hæc duo inſignia luminaria, & ſtellas eſſe à DEO creata, & conſequenter nil divinitatis continere, ne Populus Judaicus pronus ad Idololatriam, ea ut Deos coleret; quare hoc idem Deut. 4. cap. innuitur his verbis; *ne fortè oculis elevatis ad Cælum videas Solem, & Lunam & omnia aſtra Cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus DEUS tuus in miniſterium cunctis gentibus.* Ad ſecundum interpretor D. Dionyſium, & dico, eum ſolùm velle, quòd cæleſtia corpora non ſint cauſæ primariæ, & independentes à DEO, uti ponebant illi, cum quibus S. Pater diſceptabat. *Ad Tertium*: expono quoque Ariſtotelem, & dico eum loqui de agente univoco, quod haud dubiè ſibi aſſimilat paſſum: ſed Cæli ſunt agentia æquivoca, quæ idcirco non aſſimilant ſibi paſſum, etſi in ea verè agant. *3. Objecta contra influxus Calorum, & ſtellarũ diſſolvuntur.*

QUÆSTIO XIV.

In quæ ſublunaria in ſpecie directè influant Planetæ, & Aſtra.

DIco primò: Planetæ & Aſtra agunt, ac influunt in Elementa, quoad alterationem, per voram caliditatem, ſiccitatem, humiditatem, ac frigiditatem; ſimiliter quoad generationem eorundem. Ita Scotus *2. diſt. 14. q. 3.* & *3. diſt. 16. q. 2.* & ſequuntur Fraſſen, Maſtr. Columbus, &c. contra Averro. Achil. Jand. Picum, & alios docentes, Aſtra præter lumen, calorem, ſiccitatem, & motum localem, nil aliud influere in hæc ſublunaria. *1. Planetæ, & aſtra influunt in elementa quoad alterationem.*

Prob.

Prob. quia experientiâ conſtat, per acceſſum Solis ad Zenith noſtrum, in elementis ſuperioribus ignis, & aëris naſci calorem, & ſiccitatem; ac proinde eadem elementa augeri, & creſcere; in elementis verò inferioribus terræ, & aquæ deficere humiditatem & frigiditatem; ac proinde eadem Elementa diminui, & decreſcere: è converſo verò recedente Sole à noſtro Zenith, & accedentibus Stellis frigidis, utì ſunt Saturnus, Mercurius, Arturus, &c. Elementa inferiora aqua, & terra abundant aquâ, & frigore; juxta illud Job, *ab Arturo frigus*; & conſequenter tunc per veram generationem augentur, & creſcunt; Elementa verò ſuperiora ignis, & aër privantur caliditate, & ſiccitate; & conſequenter deſcreſcunt: Ergo Planetæ influunt in Elementa quoad alterationem veram, & generationem.

2. *Satisfit objecto.* Objicies: ſecundùm Ariſtotelem *7. Phyſic. 26.* agens, & patiens debent eſſe ſimul, ut erumpat actio, & ſequatur effectus: ſed aliqui Planetæ, & Aſtra ſunt procul diſtantia ab Elementis: Ergo &c. Reſpon. Diſt. Maj. agens, & patiens debent eſſe ſimul ſimultate ſuppoſiti; Neg. Maj. ſimultate virtutis Conc. Maj. Itaque ſufficit, quòd aliqui Planetæ, & Aſtra ſecundùm ſuam virtutem operativam approximentur Elementis; etſi ſecundùm ſuppoſitum, & entitatem non ſint vicina.

3. *Planetæ & aſtra cauſant motum localem in ſublunaribus.* Dico ſecundò: Planetæ, & Aſtra cauſant etiam motum localem in ſublunaribus. Ita Scotus *2. diſt. 14. q. 3.* & communis Scotiſtarum, ac aliorum Philoſophorum.

Probatur *primò*: Planetæ, & Aſtra fixa ob maximam ſui motûs velocitatem, â primo mobili cauſatam, non tantùm ſphæram ignis ſecum rapiunt; ſed etiam ſupremam regionem aëris; ut patet ex Cometarum greſſu, & aliarum impreſſionum ignitarum inceſſu circulari; unde is aſſimilatur motui Aſtrorum, â quibus fuerunt productæ: Ergo &c. *Secundò*: Luna pariter cauſat in mari motum localem fluxûs, & refluxûs juxta varios ſuos motus: Ergo &c.

4. *Planetæ, & Aſtra etiam in mixta influunt tam imperfecta in animata.* Dico tertiò: Planetæ, & Aſtra influunt quoque in mixta imperfecta, & perfecta, tum actione alterativâ diſpoſitivâ, tum generativâ. Ita communis Philoſophorum; contra Contarenum.

Prob. prima pars: materia mixtorum imperfectorum, cujuſmodi ſunt pluviæ, nubes, nives, & meteora varia, eſt vapor & exhalatio, quæ ad locum generationis illorum elevantur per calorem, ab ipſis impreſſum, vel per virtutem attractivam; unde Cometæ ſæpiùs etiam ſequuntur ab Occidente in Orientem motum alicujus Planetæ, â quo generantur: Ergo in hujuſmodi mixta influunt Planetæ, & Aſtra.

5. *Quam in perfecta.* Prob. ſecunda pars: mixtorum perfectorum, cujuſmodi ſunt Metalla, gemmæ, &c. non aliæ cauſæ effectivæ, & generativæ aſſignari poſſunt, quàm Planetæ, & Aſtra; hæc enim effici nequeunt univocè ab aliis ſimilibus corporibus, aut mixtis aliis, in quibus contineantur; utì ex ſe patet: nec ab Elemento terræ; cùm ſola terra dare nequeat perſpicuitatem, colorem, & lucem aliaſque perfectiones gemmis, lapillis, metallis & aliis mixtis, cum quibus in viſceribus terræ efformantur: Ergo in hujuſmodi mixtorum generationem influunt Planetæ, & Aſtra. Unde ponitur Luna cauſa argenti ſolidi; Mercurius argenti vivi; Venus æris; Sol auri; Mars ferri, Jupiter ſtanni, & electri; & Saturus plumbi.

6. *Imò & in animata.* Dico quartò: Planetæ, & Aſtra ſimiliter influxus aliquos exercent in animata imperfecta; imò & perfecta, quoad eorum alterationes, ac diſpoſitiones, inſervientes generationi. Ita colligitur ex Scoto *ſup. cit.* vocantur autem animata *imperfecta*, quæ ex putri materia generantur; utì ſunt mures, muſcæ, culices, ranæ aliquæ &c. *Perfecta* quæ ex vi ſeminis generantur, cujuſmodi ſunt bruta, homines &c.

Probatur *primò*: experientiâ conſtat, oſtrea marina, conchas, & cancros effici plenos in oppoſitionibus Solis, & Lunæ; reddi verò vacua in quadraturis eorũ. *Secundò*. Lunatici nunc majores, nunc minores patiuntur agitationes juxta varios influxus Lunæ; utpote quæ magìs in eos influit in quadratis, quàm in oppoſitionibus eorum. *Tertiò*: ſenſus noſtri juxta varios aſtrorum influxus alterantur, ac infirmantur, ut ſuprà *q. 11. & 12.* dixi. *Quartò*: Planetæ, & Aſtra quandoque diſponunt materiam, ut in ea producatur vivens aliquod imperfectum, v. g. rana, aut aliquid ſimile; utì patet poſt pluvias calidas æſtivas: Ergo Planetæ, & Aſtra tunc exercent aliquos influxus in animata imperfecta, imò & in perfecta, quoad eorum alterationes, utì & diſpoſitiones convenientes generationi: unde ulterius

Dico.

Dico quintò: Planetæ, & Stellæ poſſunt quoque exercere influxum totalem generativum formæ corporeitatis animatorum imperfectorum; partialem verò formæ corporeitatis animatorum perfectorum. Colligitur ex Scoto *2. diſt. 8. q. 18.* & ſequitur Maſtrius, aliique Scotiſtæ.

7. *Planetæ & Stellæ poſſunt influere totaliter in generationem formæ corporeitatis imperfectorum animatorum.*

Probat. prima pars: forma corporeitatis animatorum imperfectorum non excedit in perfectione virtutem activam Planetarum, & Aſtrorum; ſed ei proportionantur; & aliunde ejuſmodi animata non conſtant partibus multùm diſſimilaribus; neque egent concurſu plurium requiſitorum ad generationem; unde generantur modicô temporis intervallô: Ergo in formam corporeitatis talium animatorum imperfectorum Planetæ, & Aſtra poterunt exercere influxum totalem generativum: quare mediante tali influxu ſæpè naſcũtur in quibuſdam locis, ubi ante non reperiebantur, plantæ aliquæ peregrinæ; item ignota animalcula reptilia, & volatilia, ut vermes, ſerpentes, veſpæ, culices varii, piſces aliqui, ranæ, mures, talpæ & ſimilia, ſinè ullo interventu commixtionis ſexuum. Eôdem modô credo gigni illas anates in littore maris Hibernici, ex quadam putri arbore prodeuntes.

8. *Partialiter verò in generationem formæ corporeitatis perfectorũ.*

Prob. ſecunda pars: animata perfecta conſtant partibus multùm diſſimilaribus, & diverſæ virtutis, uti ſunt v. g. in homine virtus Chiliſactiva ſtomachi; virtus ſanguifica hepatis; virtus prolifica teſticulorum; calor vitalis cordis; temperata frigiditas cerebri; ad quarum productionem eadem conſtellatio, & Planeta in Cælis non videtur durare. Item ob talem hæterogeneitatem longius tempus requiritur ad generationem corporis animatorũ perfectorum, puta in homine maſculo 40 dies, & in fœmina 60. quibus idem aſpectus Planetæ, vel Aſtrorum non durat. Item requiruntur plurimæ alterationes, ac mutationes præviæ ad formam corporeitatis inducendam; unde non ſufficit agens univerſale, & indeterminatum, qualia ſunt Planetæ, & Aſtra; ſed requiritur agens determinatum, & particulare, â natura deſtinatum ad talem effectum; quale eſt ſemen, & virtus matricis fœminæ: Ergo Planetæ & Aſtra non attingunt totalem influxum in formam corporeitatis animatorum perfectorum: Ergo tantùm partialem, quatenus ſcilicet coadjuvant ſemen, & fœminam in actionibus, fovendo calorem vitalem ſeminis, & matricis, ut faciliùs diſponant materiam: & in hoc ſenſu procedit illud Philoſophi *2. Phyſ. 26.* Sol, & homo generant hominem.

9. *Varia objecta contra concluſionẽ.*

Objicies contra ſecundam partem concluſionis: Planetæ, & aſtra efformârunt aliquando partes diſſimilares, & hæterogeneas animatorum perfectorum, & ſuppleverunt virtutem ſeminis, ac matricis: Ergo poſſunt exercere influxum totalem generativũ formæ corporeitatis eorundem. Prob. Ant. *primò*: Juſtinus M. *in Paran.* Et Euſebius *lib. 7. de præc. Ev.* narrant Ogygem, & Ivachum è terra fuiſſe genitos; quorum proinde corpora cum ſuis partibus diſſimilaribus Planetæ, & Aſtra videntur efformâſſe. *Secundò*: Aviceña *lib. de diluv.* narrat, vitulum inter imbres è Cælo delapſum fuiſſe; utiq; virtute Aſtrorum ibidem priùs efformatum. *Tertiò*: in multis inſulis reperiuntur beſtiæ ferociſſimæ, quarum primi generantes poſt diluvium, ſubmergens omnia animalia, â Planetis & Aſtris videntur rurſus efformati, & geniti; cùm ob ferocitatem ab hominibus non potuerint eò transferri. *Quartò*: Aſtra efformant mõſtra varia ſupplendo ſemen. *Quintò*: Phœnix quotannis naſcitur ex cinere, utique accedente influxu certo Aſtrorum: Ergo &c.

10. *Quà diluuntur.*

Reſp. Neg. Ant. ad probationem ejuſdem circa *primum* dico; exemplum de illa nativitate Ogygis, & Ivachi eſſe fabulam; unde Juſtinus, & Euſebius eam ſolùm ut traditionem vulgi referunt. Ad *ſecundum* ſimiliter dico, illum vituli caſum, aut eſſe fabulam meram; aut certè tale animal ope dæmonis, vel certè aliquo vehementi turbine ventoſo fuiſſe in æthera priùs ſublevatum, & inde cum imbribus dejectum. *Ad tertium* dicit D. Aug. *16. de Civit. cap. 7.* primas beſtias feroces aut miniſteriô Angelorum; aut certè hominum induſtriâ, qui arte noverunt omnia animalia captivare, in navibus, Inſulis illatas eſſe; etſi de hoc traditio non conſtet. *Ad Quartum* dico; Aſtra in monſtrorum formatione ſolùm poſſe pervertere, & corrumpere aliquas partes in ſemine, vel impedire in aliqua parte ejus activitatem, ex quo deinde contingit monſtrorum generatio, & imperfecta figuratio animatorum. Imputari etiam illa monſtruoſitas poteſt non Aſtris; ſed mixtioni variorum diſſimilium ſeminum, quæ cauſa eſt, ut natura agat ad effectum medium. *Ad quintum* dico, eſſe quoque fabuloſam illam Phœnicis generationem; & tametſi aliqui SS. PP. argu-

argumento reſurgentis Phœnicis utantur ad oſtendendam poſſibilitatem reſurrectionis: non urget, quia tale argumentum adducunt ut conceſſum á Gentilibus: unde ad hominem argumentantur, abſtrahendo num á parte rei vera ſit reviviſcentia Phœnicis, nec ne

11. *Aſtra & Cæli non influunt in productionem animæ cujuſcunque.*

Dico ſextò: neque cæleſtes orbes, neque Planetæ, aut Aſtra alia exercere poſſunt influxum effectivum, ac productivũ animæ cujuſcunque, ſive vegetativæ, ſive ſenſitivæ animatorum perfectorum, vel imperfectorum. Ita Scotus *2. diſt. 8. q. un.* & alibi, & ſequitur Fraſſen, Maſtr. &c.

Probatur nullum imperfectum poteſt influxum productivum exercere in perfectius illud efficiendo; quia nemo dat, quod non habet: ſed quodlibet animatum ſive perfectum, ſive imperfectum ratione animæ eſt perfectius orbibus cæleſtibus, Planetis, & Aſtris, utpote inanimatis, juxta illud D. Auguſtini *lib. de vera & falſa relig. cap. 29. quælibet namque viva ſubſtantia cuilibet non vivæ ſubſtantiæ naturæ lege præponitur*: Ergo neque orbes cæleſtes, neque Planetæ, neque Aſtra, poſſunt exercere influxum effectivum productivum in quamcunque animam, ſive vegetativam, ſive ſenſitivam: unde

12. *Quis ſit author animatorum.*

Nota primò: in ijs, in quibus poteſt aſſignari cauſa efficiens viva, uti in viviparis eſt fœmina, ab illa cauſa, & non à Cælo, vel Aſtris provenire influxum effectivum, ac productivum animarum vegetativarum, & ſenſitivarum. Quando autem nulla cauſa viva earum aſſignari poteſt, dicendum eſt, eas ab Authore naturæ DEO Benedicto produci, cujus eſt ſupplere defectum cauſarum ſecundarũ; uti in productione ex putri ranarum, veſparum, ſerpentum, & ſimilium deficit ſecunda cauſa viva.

Dices cum Gabriele à S. Vincentio, & aliis; tunc potiùs recurrendum eſſe ad Intelligentias motrices Cælorum vivas, quibus incumbit animare materias ranæ, vel veſpæ jam diſpoſitas.

13. *Intelligentiæ non ſunt productivæ animarum.*

Contrà: in intelligentiis non reperitur alia potentia, quàm intellectiva, volitiva, executiva, & ſecundùm alios etiam locomotiva, quarum nulla eſt productiva animæ vegetativæ, & ſenſitivæ, utpote quæ ſunt ſubſtantiale quid; illæ autem potentiæ ſolum accidens natæ ſunt effectivè producere. Itaque Intelligentiæ ſolùm producunt formam corporeitatis ranæ, & veſpæ; ad cujus exiſtentiam Author naturæ producit ipſam animam vegetativam & ſenſitivam; & hoc ſenſu tantum dicuntur Angeli ſubſtantias imperfectas corporeas producere; de quo vide plura, quæ dico *Tom. 2. Schola meæ Theol. tract. 4. diſt. 3. q. 2.*

QUÆSTIO XV.

De influxu Planetarum, & Aſtrorum in animam rationalem, & per quid influant.

1. *Nec Aſtra, nec Cæli influere directè poſſunt in animam rationalem.*

Dico primò: Planetæ, & Aſtra non habent ullos directos, & immediatos influxus in ſubſtantiam animæ rationalis, aut ejus potentias intellectivam, & volitivam. Ita Doct. *2. diſt. 14. q. 3. & q. 11. de anima.* S. Bonaventura, Major. ac communis Orthodoxorum DD. contra Planetarios, & Aſtrologos judiciarios.

Prob. primò: authoritate CC. & Sum. Pontif. nam Conc. Bracarenſe *1. cap. 9. & 10.* concluſionem definit. Et Sixtus V. in motu proprio *Cæli & Terræ*, & Urbanus VIII. graviſſimè prohibuerunt artem Planetariam, ſeu Aſtrologiam judiciaram; volentes effectus animæ rationalis præſertim liberos non pendere ab influxu ſiderum quoad ſui poſitionem; dependerent autem ſi Planetæ, & Aſtra in animam rationalem, & ejus potentias haberent influxus directos: Ergo Planetæ, & Aſtra in ſubſtantiam animæ rationalis, & ejus potentias non habent ullos directos influxus immediatos.

Prob. ſecundò: corpora non poſſunt agere directè, & immediatè in ſpirituale; quia agens debet eſſe nobilius patiente, ut tradit S. Auguſtinus *12. de Gen. ad litt. cap. 29.* ſed Planetæ, & Aſtra ſunt corporalia; & ſubſtantia animæ, ejuſque potentiæ intellectiva, & volitiva ſunt ſpirituales *3. de anima 10. & 2. de gen. animal. cap. 3.* Ergo Planetæ, & Aſtra non poſſunt directè agere in ſubſtantiam animæ, ejuſque potentias. Præterea ſecundùm D. Damaſcenum *2. fidei cap. 7.* corpora cæleſtia, cujuſmodi ſunt Planetæ, & Aſtra, operantur naturaliter, & neceſſariò; Ergo ſi haberent aliquos directos influxus in ſubſtantiam animæ, ejuſque potentias, læderent libertatem animæ; quod

quod eſt contra Conc. cit. Brac. 1. & Tolet. Sanctoſque PP. infrà pro Concluſione adducendos.

2. *Indirectè tamen poſſunt.* Dico ſecundò: Planetæ tamen, & Aſtra influunt indirectè, & mediatè in animam rationalem. Colligitur ex Scoto *cit. loc.* & ſuſtinetur â P. Fraſſen, Columbo, Maſtrio, & communiori Philoſ.

Probat. anima rationalis in ſuis operationibus dependet â ſenſibus corporeis, & facultatibus ſenſitivis, quarum inclinationem plerumque ſequitur: ſed aliquando Planetæ, & Aſtra alterant immediatè ſuis influentiis ſenſus corporeos, commovendo ſpiritus vitales, & animales; & exinde formantur phantaſmata, quæ tandem intellectui, & voluntati objectà illas potentias attrahunt ad inclinationem ſenſuum; unde Scotus *2. diſt. 14. q. 3.* ait, *in viatore voluntas rationalis inclinatur ad proſequendum id, quod efficaciter appetitur ab appetitu ſenſitivo*; atque ita Planetæ, & Aſtra indirectè, & mediatè influunt in intellectum, & voluntatem animæ rationalis; immediatè ſcilicet priùs influendo in ſenſus, & phantaſiam; & his mediantibus in potentias animæ rationalis.

Objicies contra hanc Concluſionem: Planetæ, & Aſtra influunt directè, & immediatè in dæmones; uti patet in obſeſſis perſonis, quas in Lunæ incremento magìs affligunt: item ijdem ſpiritus certo ſyderum aſpectu evocati promptiùs comparent: item ijdem certis herbis ſub certa conſtellatione aſcendente natis, ac collectis, uti & quibuſdam figuris ſub certa aſtrorum conjunctione confectis alliciuntur, atque arcentur: Ergo â pari Planetæ, & Aſtra etiam influere poſſunt directè, & immediatè in animam rationalem.

3. *Varijs experientijs reſpondetur* Reſpondeo Neg. Ant. Ad ejus *rationem primam* dico; cùm dæmones agant applicando activa paſſivis, ideo obſervant tempus, in quo activa, & paſſiva ſunt magìs diſpoſita ad illos effectus afflictivos, quos in obſeſſis perſonis machinantur, producendos; activa autem & paſſiva in homine, puta humores, cerebrum, & alia in Lunæ incremento magìs ſunt diſpoſita; hæc proinde tunc Dæmon obſidens movet, inflat & exagitat, atque miras afflictiones cauſat in miſeris illis perſonis. *Ad ſecundam rationem* dico; ex eodem principio dæmones tunc promptiùs comparere; quia ſcilicet ſub certo aſtrorum aſpectu vident materiam magìs diſpoſitam, ad illos effectus producendos, ad quos evocantur. Poteſt etiam dici, quòd ortus talis conſtellationis ſit artificium duntaxat dæmonis ad decipiendos maleficos; vel certè conditio priùs conventa inter dæmonem, & maleficum. *Ad tertiam* quoq; dico, certas herbas, & caracteres eſſe ſigna, ac conditiones dæmonis, ad quorum præſentiam promiſit ſe operaturum, vel ceſſaturum, ab opere. Quare ipſæ herbæ, & caracteres nullum habent phyſicum directum, & immediatum influxum in dæmonem operantem, vel ceſſantem ab operatione; ut in ſimili docet de proſumiis S. Auguſtinus *20. contra Fauſtum cap. 22.* dicens: *illi quippe ſuperbi, & impij ſpiritus, non nitore aut fumo, ſicut nonnulli vani opinantur; ſed hominum paſcuntur erroribus.*

Dico tertiò: Planetæ, & Aſtra ſuis indirectis, & mediatis influxibus in animam rationalem non neceſſitant voluntatem ad neceſſariò operandum. Ita Scotus *loc. cit.* cum communi Theologorum, & Philoſophorum. 4. *Indirectus Aſtrorum influxus in animam nō neceſſitat voluntatem.*

Probat. primò authoritate CC. nam Conc. Bracarenſe *I. cap. 9. & 10.* & Toletanum I. damnârunt Priſcillianum, ejuſq; aſſeclas docentes, Aſtra ſuis influxibus temerare libertatem humanam: Ergo &c.

Prob. ſecundò authoritate SS. PP. concluſionem aſſerentium; ut videre eſt apud S. Dionyſium *4. de Div. Nom.* & Baſilium *hom. 6. in Hexam.* & Auguſtinum *13. Trin. cap. 4.* Tertiò authoritate Ariſtotelis; qui *2. Periher.* prope finem docet, in homine ſemper requiri potentiam ad oppoſita facienda, puta voluntatem, quâ non obſtante quocumque influxu Aſtrorum, poteſt velle aut nolle; aut non velle. Quartò ratione; libertas eſt voluntati eſſentialis, & conſequenter ab ea inſeparabilis: Ergo voluntas ab Aſtris nequit neceſſitari. Præterea ſi Planetæ, & Aſtra ſuis indirectis, & mediatis influxibus neceſſitarent voluntatem, quando malè agit, non poſſet juſtè â DEO puniri: hoc autem eſt falſum: Ergo Planetæ, & Aſtra ſuis indirectis, & mediatis influxibus in animam rationalem non neceſſitant voluntatem ad neceſſariò operandum. Circa ſecundum articulum hujus quæſtionis

Dico quartò: Orbes Cæleſtes, Planetæ, & Aſtra exercent ſuos influxus in hæc ſublunaria mediante motu; hoc tamen 5. *Aſtra influunt mediante motu.*

ceſſante ſublunaria moverentur. Prima pars eſt Scoti *2. diſt. 14. q. 3.* & communis Scholaſticorum: ſecunda eſt ejuſdem Doctoris *2. diſt. 2. q. 11.* & ſuorum; contra D. Thomam ejuſque ſequaces.

Prob. prima pars *primò*; juxta varium aſcenſum conſtellationum, maximè ſignorum Zodiaci, & Planetarum variæ reſultant complexiones, & figurationes in natis, ut ſuprà *q. 11. & 12.* dixi: Ergo &c. *Secundò*, mediante motu orbes cæleſtes, Planetæ, & Aſtra variè applicantur hiſce ſublunaribus; ex qua applicatione varios obſervamus in eis effectus oriri, & conſequenter influxus; ſic Lunatici in plenilunio magis alterantur; ſic phrænetici ad ortum, & motum certarum ſtellarum magis agitantur; ſic Cometæ fabricantur, & cientur ad motum certorum Aſtrorum: Ergo Planetæ, & Aſtra ſuos exercent influxus mediante motu.

6. *Stante motu aſtrorū adhuc ſublunaria moverentur.*

Probat. ſecunda pars *primò* authoritate D. Auguſtini *11. Confeſſ. cap. 13.* dicentis, ſtante Cælo movetur adhuc rota figuli: Ergo &c. *Secundò*, virtus activa ſublunarium non eſt ſimpliciter dependens à motu cæleſtium corporum: Ergo quamvis ceſſaret motus aſtrorum, & Cælorum adhuc exiret in operationem. *Tertiò*, ſublunaria habent ſuas determinatas cauſas effectrices ſui motûs, diſtinctas à motu Cæli, & Aſtrorum; puta animata animas, inanimata verò formas ſubſtantiales ſuas: Ergo ceſſante motu orbium cæleſtium, Planetarum, & Aſtrorum, adhuc moverentur ſublunaria. Confirmatur ex deciſione Univerſitatis Pariſienſis; quæ oppoſitam ſententiam damnat: uti refert Maſtrius, & alii RR.

Ex his infertur cum Scoto *2. diſt. 14. q. 3.* & alibi; motum corporum cæleſtium non eſſe rationem agendi, neque conditionem neceſſariam ad agendum ſublunaribus, ſinè qua ſublunaria non poſſent operari; cùm ſit pura duntaxat relatio; ſed tantùm requiritur, ut orbes cæleſtes, Planetæ, & Aſtra ordinatè diverſimodè, & per varias mundi partes diverſos producant effectus.

7. *Eadem influunt etiam mediante luce.*

Dico quintò: corpora cæleſtia pariter influunt in ſublunaria mediante luce, & lumine, hôc tamen ſublatô adhuc ſublunaria generarentur. Eſt Scoti *loc. cit.* & communis DD.

Prob. prima pars *primò*: illud, quod cauſat calorem diſponentem ad generationes novas ſublunarium, cenſetur verè influere in ſublunaria: ſed corpora cæleſtia mediante luce, & lumine cauſant calorem in ſublunaribus; uti conſtat in Ariſtot. *4. de part. anim. cap. 5.* dicente, noctes Plenilunii tepidiores eſſe propter intenſiorem lucem; unde & tunc oſtrea, conchilia, & ſimilia ſunt pleniora, propter majorem calorem Lunæ, ex copioſiori luce reſultantem: Ergo hæc mediante luce, & lumine influunt in ſublunaria. *Secundò*, arbores expoſitæ magis luci, & lumini Solis magis fructificant: Ergo in has corpus cæleſte Solis mediante luce, & lumine influit.

Probat. ſecunda pars: defacto in viſceribus terræ occulta virtute Aſtrorum generantur metalla; ubi tamen nulla lux, vel lumen eorum penetrare poteſt: Ergo ſublatâ luce, & lumine corporum cæleſtium ſublunaria adhuc generarentur. 8. *Hâc tamen ſublatâ adhuc moverētur inferiora hæc.*

Dico ſextò: corpora cæleſtia influunt in ſublunaria potiſſimè per proprias quaſdam virtutes, quæ qualitates occultæ dicuntur. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 14. q. 3. ad 1.* ubi tales virtutes appellat potentias ſeu actiones Aſtrorum, quibus agunt in extremum, & viſcera terræ; & ſequuntur S. Bonav. Major. Fraſſen &c. 9. *Aſtra maximè influunt per occultas qualitates.*

Prob. *primò*: quia ita docere videtur S. Auguſtinus *21. Civ. cap. 4. & 5. & 7.* *Secundò*, quia hujuſmodi qualitate occultâ Stella polaris trahit magnetem; Sol heliotropium vertit poſt ſe; pulegium etſi aridum ad certos tyderum ortus refloreſcit; Canicula inducit æſtum; Luna in Novilunio majores cauſat fluxus, & refluxus in mari; Planetæ varia genetant metalla in viſceribus terræ; Luna humida corpora variè alterat. *Tertiò*: ab Aſtrologis Planetæ ſtatuuntur diverſorum effectuum cauſa, puta Saturnus infrigidationis, Sol calefactionis, Luna humectationis, Mars exſiccationis &c. quos effectus præſtant propriis virtutibus ſeu ſecretis influctis, & occultis qualitatibus. *Quartò* tandem, complures alios mirabiles effectus in ſublunaribus, generationibus, & alterationibus in nullam aliam cauſam congruentiùs refundere valemus, quàm in influxus ſecretos corporum cæleſtium: Ergo corpora cæleſtia influunt potiſſimè in ſublunaria per proprias virtutes occultas.

Nota autem: hujuſmodi virtutes corporum cæleſtium ideo appellari *occultas*; quia in ſeipſis, & à priori non cognoſcuntur à nobis; etſi notiſſimæ ſint à poſteriori, 10. *Cur hæ dicantur occultæ.*

& ab

&ab effectibus; de his procedit illud Job 38. *quis cognovit Cælorum rationes?* Et illud Sap. 9. *difficilè æſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu noſtro ſunt, invenienus cum labore; quæ autem in Cælo ſunt quis inveſtigabit?* hujuſmodi influentias occultas ineſſe corporibus cæleſtibus ſvadetur etiam à pari; nam cùm in herbis, lapillis, & plantis plurimæ occultæ medicinales virtutes reperiantur; cur non quoque in nobiliſſimis iſtis, & perfectiſſimis corporibus cæleſtibus virtutes proprias, mirificas, & occultas influentias in ſublunaria concederemus.

QUÆSTIO XVI.

De Aſtrologiæ judiciariæ circa libera damnatione, & incertitudine.

1. *Quid ſit Aſtrologia judiciaria.* NOta primò: per *Aſtrologiam Judiciariam*, de qua hìc, intelligi quandam artem divinandi, conjecturandi, judicandi, & prædicendi ex Aſtrorum influxibus futuros eventos, & effectus contingentes, à libera voluntate humana ac libero arbitrio omnino pendentes: cujuſmodi ſunt v. g. Franciſcus poſt annum, fiet Religioſus, Paulus peregrinabitur Romam, Plato inibit ſponſalia, Turcarum Imperator fiet Chriſtianus, & ſimilia. Hujuſmodi ars vocatur etiam Ars Planetaria, Aſtronomia practica, Prognoſtica, Divinatrix, Horoſcoparia, Genethliaca &c. olim frequens apud Chaldæos, & Ægyptios, & hodie adhuc in multis hæreticorum partibus viget. Contra hanc doctiſſimè ſcripſerunt Joannes Picus Mirandulanus 12. libros; & Franciſcus Picus ejus nepos; & Bern. Mirandulanus, Medina, & Julius Syrenus &c.

2. *Aſtrologia circa libera eſt prohibita.* Dico primò: Aſtrologia judiciaria quatenus eſt prognoſticativa futurorum liberorum eventuum, eſt omnino prohibita, & damnata. Ita communis Theologorum; contra Planetarios, Genethliacos, & Aſtrologos judiciarios.

Prob. *primò*: authoritate S. Scripturæ; quæ variis in locis irritat, & irridet, Ariolos, Augures Cæli, & omnes libera divinantes ex Aſtris: unde dicitur Iſa. 44. *Ego ſum Dominus faciens irrita ſigna Divinorum, & Ariolos in furorem vertens, convertens ſapientes retrorſum & ſcientiam eorum ſtultitiam faciens.* Et rurſus cap. 47. *defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum, ſtent, & ſalvent te Augures Cæli, qui contemplantur ſydera, & ſupputabant menſes, ut ex eis annuntiarent ventura tibi; ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos.* Et Jerem. 10. DEUS admonet Judæos, ne obſervationes Aſtrologicas timeant; ſed eas ut vanas reputent; illis verbis: *à ſignis Cæli nolite metuere, quæ timent gentes; quia leges populorum vanæ.* Et in Act. Apoſt. cap. 19. legitur, codices illos, quos neoconverſi Chriſtiani attulerunt ad Paulum, ut comburerentur, fuiſſe libros malos judiciariæ Aſtrologiæ de liberis futuris, ut vult S. Auguſt. ſcribens in Pſalm. 100. Ex quibus omnibus deducitur, Aſtrologiam judiciariam circa liberos eventus eſſe prohibitam, & damnatam.

Prob. ſecundò authoritate Eccleſiæ, & CC. nam Eccleſia hanc artem ut magicam, & vetitam ſæpius damnavit: utì patet ex Jure Canonico *2. par. decret.* per primas 5. quæſtiones. Alexand. III. *in cap. ex tuorum; de ſacrileg.* ſimiliter egit Concil. Bracar. *1. cap. 9. & 10.* & ex Conciliis Toletanum *I. cap. 1.* & propterea etiam Aquila Ponticis juxta D. Epiphanium *lib. de menſur. & ponder.* à Patribus olim pulſus fuit ab Eccleſia; quia artem Genethliacam, ſeu nativitatis poſitionem, aliaque artis Aſtrologicæ exercitia ſtudiosè nimìs ſectabatur. Et Sixtus V. ac Urbanus VIII. celebres ediderunt conſtitutiones, in quibus excommunicant exercentes Aſtrologiam judiciariam: Ergo &c.

Prob. tertiò: authoritate SS. PP. eandem futilem artem proſcribentium; inter quos primas tenet D. Auguſt, quì *in libris de Doctrina Chriſtiana*, mirum in modum in eam invehitur. Et *7. Confeſſ.* eandem confutat iſtô exemplô de geminis Eſau & Jacob, ſub eadem conſtellatione, in eodem loco, & utero conceptis, & natis; in quibus tamen mores reperiebantur diverſi, diverſæque actiones liberi arbitrii. Contra eandem Practicam Planetariam ſcribunt Epiphanius, Origenes, Baſilius, Chryſoſtomus, & alii PP. Imò & Sapientiores Ethnici, ut Cicero *lib. 2. de Divinat.* & Aulus Gellius, *lib. 14. noct. Attic. cap. 1.* & tandem Jus Civile *C. de malef. & Mathem.* per totum, eandem reijciunt: Ergo &c.

Dico ſecundò: Aſtrologia judiciaria præfata eſt ars omnino incerta & fallax. 3. *Eſtq; ars omnino incerta.* Ita Scotus *2. diſt. 14. q. 3.* & communis Theologo-

logorum; contra eoſdem Aſtrologos practicos liberiores prædictos.

Probat. primò: authoritate S. Scripturæ; nam huc quadrat ille textus ſuprà *prob. 1.* relatus ex Jerem. 10. ſimiliter ille Iſaiæ 41. cap. *annuntiate* (ſubaudi certitudinaliter) *quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* Et ille Sap. 9. *quæ autem in Cælis ſunt, quis inveſtigabit.*

Prob. ſecundò authoritate SS. PP. ſignanter D. Baſilii; qui *hom. 6. in Gen.* Aſtrologiæ judiciariæ incertitudinem ex pluribus deducit; maximè ex incerta notitia illius inſtantis nativitatis, quo concipitur & gignitur infans. Et Orig. *in Comm. ſuper Geneſim*, ex ſimultanea commixtione, conjunctione ac temperie diverſorum aſpectuum, ſub quibus influunt Aſtra in homines: Ergo Aſtrologia judiciaria circa eventus liberos eſt ars omnino incerta.

Probat. tertiò ratione: tum quia effectus â voluntate humana, & libero arbitrio omnino pendentes nullam habent connexionem naturalem cum Aſtris; cùm totaliter â voluntate pendeant: Ergo hi ex Aſtris non poſſunt certò cognoſci, aut judicari certò eventuri. Tum quia voluntas humana eſt ſuapte naturâ indifferens, & indeterminata ad oppoſita objecta, actus, & effectus: Ergo nullus Aſtrologus ex Aſtrorum conſideratione poterit certò ſcire, ad quam partem ſe ſit determinatura, aut quid factura in tali, vel tali differentia temporis.

4. *Argumenta pro Aſtrologia judiciaria afferuntur.*

Obijcies *primò*: Gen. 1. Sol, & Luna vocantur *Signa*: Ergo ex eis futurorum eventuum liberorum notitia certa hauriri poteſt: nam ex ſigno devenitur in notitiam certam ſignati. *Secundò*: alii eventus æquè difficiles indagationis, ac ſunt actus â voluntate pendentes, Aſtrologi cognoverunt. *Tertiò*: Magi certò cognoverunt natum Regem Chriſtum ex ſtellæ cujuſdam aſpectu. Sic quoque Svetonius narrat in vita Auguſti, quòd nato Auguſto Publius Nigidius inſignis Aſtrologus in aſpectibus Aſtrorum, correſpondentibus puncto nativitatis dicti Cæſaris, certò cognoverit, & exclamaverit, natum eſſe Monarcham mundi; Sic ſimiliter alius Aſtrologus cognovit nativitatem Neronis, qui eſſet futurus Imperator, & Matricida; quod cùm Matri Agrippinæ narratum eſſet, exclamavit; *occidat, modò imperet*: Ergo etiam Aſtrologi poſſunt certò cognoſcere futuros eventus liberos; & conſequenter Aſtrologia judiciaria eſt ars certa.

5. *Sed eadem refelluntur.*

Reſp. *ad Primum* gloſſando ſcripturam, & dico, eam Solem & Lunam vocare *Signa* reſpectu eventuum, & effectuum naturalium duntaxat, & neceſſariorum; non verò reſpectu liberorum. *Ad Secundum* dico, ſi veræ ſint illæ hiſtoriæ, de quo dubium; Aſtrologos illos merè caſualiter præſumptivè, & conjecturaliter tantùm duntaxat proceſſiſſe, prædicendo dominatum mundi illis Auguſtis, ob egregias dotes bellicas naturales, ex beneficorum Aſtrorum conjunctione ſortitas, quæ de facili poterant movere Electores Cæſarum antiquorum ad eos aſſumendos in Imperatores: ſimiliter matricidium illud ob crudelem animam Neronis conjecturatus eſt Aſtrologos: nihil tamen certi de ejuſmodi eventibus ſtatuere potuerunt antecedenter ex Aſtris; ob plures actiones liberas intervenientes in collatione illius dominatûs, & matricidii. *Ad Tertium* dico, non ex aſpectu ſtellæ; ſed ex illuſtratione Divina didiciſſe Magos Chriſtum Regem natum, ad quem reperiendum ſtella illa ut ſignum divinitùs conſtitutum fuit: unde non fuit Aſtrum ordinarium; ſed meteorologicum quid novum.

Nota ſecundò: Aſtrologiæ judiciariæ præfatæ finitimas eſſe Nigromantiã, Geomantiam, Divinationem, Pyromantiam, Areomantiam, Hydromantiam, Chyromantiam, Metoſcopiam, & Phyſonomiam, quatenus hæ artes ſeſe ingerunt in prognoſticandos, & prædicendos effectus, merè â voluntate pendentes, ex inſpectione certorum ſignorum, aliarumque rerum creatarum. Eſt autem *Nigromantia* ars ex evocatione umbræ mortuorum, vel oſſibus cadaverum, vel imaginibus, vel inſpectione puerorum, vel fœminarum prægnantium in ſpeculo, aut annulis, futura libera prædicendi. *Geomantia* eſt ars futura libera annuntiandi, ex certa punctatione in terra, vel charta. *Divinatio*, eſt ars eadem futura præſagiendi ex numeris: hac familiariter utebantur Pythagorici. *Pyromantia*, eſt ars ex certa ignis inſpectione futura libera prædicendi. *Areomantia*, ex aëris contemplatione vaticinatur. *Hydromantia*, ex aquarum conſideratione divinat. *Phyſonomia*, ex effigie corporis prognoſticat, *Metoſcopia* ex lineis frontis. *Chyromantia* ex lineis volæ. Quatenus tamen Phyſonomia, Metoſcopia, & Chyromantia formam corporis, lineas frontis, & manûs, ut effectus

naturales ab Aſtris partialiter cauſatos contemplantur, & ex eis ut ſignis naturalibus judicant, hominem inclinare ad has vel illas paſſiones, naturales diſpoſitiones, & habitus corporis, ingenii ac morum, non videntur prohibitæ, & omnino fallaces; cùm ſæpè veritatem attingant: unde Ariſtoteles *10. problem.* de Chyromantia naturali ait, *vola eſt carnoſa ſciſſuris vitæ indicibus diſtincta.* Huc etiam videtur quadrare illud Job. 37. *in manu omnium hominum ſignat, ut noverint ſinguli opera ſua.*

QUÆSTIO XVII.

De Aſtrologiæ circa naturalia permiſſione, & extenſione.

1. *Aſtrologia de eventibus purè naturalibus & ab Aſtris pendentibus eſt permiſſa.*

Dico primò: quatenus Aſtrologia practica reſpicit præcisè eventus futuros naturales, ut plurimùm pendentes ab Aſtris & Cælis tanquam cauſis naturalibus mediatis, vel immediatis, eoſdemque prædicit, eſt ars licita. Colligitur ex Scoto *2. diſt. 14. q. 3.* & tenetur communiter à Doctoribus.

Prob. authoritate S. Scripturæ: nam Gen. 1. Aſtra dicuntur *Signa*, ut detur intelligi, quòd ex eorum cognitione deveniri poſſit beneficiô Aſtrologiæ practicæ naturalis in notitiam eventuum futurorum naturalium, ſignatorum ab ejuſmodi ſignis, tanquam cauſis pendentium; item Iſa. 37. & Apoc. 6. Cæli vocantur liber, ut utique Aſtrologus in eo legat futuros eventus naturales; cujuſmodi ſunt pluvia, ſerenitas, ſterilitas, & fœcunditas terræ, eclypſes &c. Ergo &c.

Prob. ſecundò: authoritate Sixti V. qui in Bulla graviſſima, quam edidit contra Aſtrologos judiciarios, excipit effectus naturales, utpote per Aſtrologiam practicam naturalem attingibiles; dicens; *futuris eventibus, ex naturalibus cauſis neceſſariò vel frequenter provenientibus quæ ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis:* Ergo quatenus Aſtrologia practica reſpicit eventus futuros naturales pendentes ab Aſtris & Cælis ut cauſis naturalibus, eoſdemque prædicit eſt ars permiſſa.

Probat. tertiò ratione: cognoſcere naturaliter effectum aliquem naturalem, eundemque prædicere naturaliter per ordinem ad ſuam veram cauſam, nil videtur mali moralis continere, imò arguit perfectionem quandam phyſicam: ſed hoc facit Aſtrologia practica, quatenus reſpicit eventus futuros naturales pendentes ab Aſtris & Cælis tanquam cauſis naturalibus: Ergo nil mali continet ejuſmodi Aſtrologia, & conſequenter non videtur eſſe ars damnata ab Eccleſia, ſed permiſſa. Circa alterum articulum quæſt.

Dico ſecundò: Aſtrologia naturalis perfecta extendit ſe ad cognitionem certam illorum effectuum naturalium, qui ad ſtatum Cæli pertinent, id eſt qui à ſolo motu cæleſti dependent. Ita Scotus *2. diſtinct. 14. q. 3. §. Secundo dico*, & ſequuntur Scotiſtæ; contra Conimbricenſes, Fraſſen &c. 2.

Hæc ſe extendit ad cognitionem effectuum ad ſtatum Cæli pertinentium.

Prob. *primò*: Effectus illi qui habent determinatam, & neceſſariam cauſam, cognitâ cauſâ poſſunt certâ cognitione attingi: ſed effectus naturales, qui ad ſtatum Cæli pertinent, cujuſmodi ſunt ortus, occaſus, aſpectus, conjunctiones, aſtrorum certorum eclypſes &c. habent determinatam cauſam, puta motum Cæli, & Aſtrorum: Ergo hujuſmodi effectus poſſunt certa cognitione ab Aſtrologia naturali perfecta attingi. *Secundò*, experientiâ videmus hujuſmodi effectus eô modô ſequi in Cælis, ſicut ab Aſtrologis cogniti, & prædicti fuerunt; uti patet de Eclypſibus, annualibus conjunctionibus Planetarum, & Aſtrorum aliorum, & ſignanter de conjunctione maxima Saturni, & Jovis, quæ hôc annô 1682. incidit in diem 27. Octob. quô hæc in Urbe Roma, ut Vicarius Generalis Ordinis mei commorans ſcribo: Ergo horum notitia certa Aſtrologiæ eſt concedenda.

Dico tertiò: ad illos effectus naturales, qui pendent tum ab Aſtris & Cælis; tum ſimul ab aliis cauſis particularibus ſublunaribus, tunc etiam ſe extendit notitia, & prædictio certa Aſtrologiæ naturalis, quando omnes cauſæ ſimul ſine impedimento naturali operaturæ cognoſcuntur perfectè. Ita colligitur ex Scoto *loc. cit.* & ſequuntur Maſtrius, Columbus &c. 3.

Ubi & ad eos qui ſimul à particularibus cauſis ſublunaribus pendent.

Probat. *primò*: hujuſmodi effectus v. g. morbi, tempeſtates, pluviæ, ſiccitates, ſterilitates, abundantia frugum, terræ motus, ortus, & interitus variarum rerum, &c. cauſantur ex influxibus Cælorum, & Aſtrorum; ac etiam aliarum cauſarum particularium concurſu, vel efficiente, vel naturali: Ergo tunc quoque Aſtrolo-

gia

gia naturalis certam de ijs notitiam aſſequi poterit, & infallibilem facere eorundem prædictionem, quando omnes cauſas determinatas concurſuras, & operaturas ſinè ullo impedimento naturali perfectè cognoverit. Unde ejuſmodi perfectâ cognitione inſtructus Aſtrologus poteſt tempus mortis naturalis alicujus perſonæ, Platonis, v.g. præſcire (etſi non poſſit prædicere talem perſonam victuram uſq; ad tale tempus; eò quòd mors ob alias cauſas priùs poſſet contingere) ratio eſt, quia talis Aſtrologus, poteſt cognoſcere tali tempore orituras pernicioſas conſtellationes, foreq; conjunctiones fatales tali complexioni ob certos influxus morbidos quorundam Aſtrorum, qui adeò notabiliter alterabunt temperamentum Platonis, ut nullis medicinis, aut humanâ ſolertiâ poſſit ampliùs reduci ad debitum ſtatum, niſi Divina Bonitas opituletur.

Prob. *ſecundò*: experientiâ conſtat, beneficiô hujus Aſtrologiæ Nautas, Agricolas, & Medicos in ſuis operationibus ſalutariter operari: Ergo hi per eandem Aſtrologiam habent certam notitiam de effectibus pendentibus tum ab Aſtris, tum ab aliis cauſis particularibus.

4. *Valet quoq; ad mores conjecturandos.*

Dico quartò: etiam ad cognoſcendas, & conjecturandas inclinationes ac mores naturales hominum, temperamentum, complexionem, & naturales aptitudines ad bene, vel malè operandum circa determinata rerum genera ſeſe extendit Aſtrologia practica naturalis, quæ proinde etiam eadem prædicere poteſt, ut ab influxibus Aſtrorum dependentia. Colligitur ex eodem Scoto *loc. cit.* & ſequitur D. Thomas, aliiq; Philoſophi cum Materno, Hali, Ptolomæo &c. contra Fraſſen, Phauonium &c.

Prob. primò: quia experientiâ longâ conſtat, natos ſub certis ſignis Zodiaci aſcendentibus, & Planetis, varias ſortiri naturas, ſymbolizantes cum illis Aſtris, ut ſupra *quæſt. 11. & 12.* dixi ex illuſtribus Aſtrologis; ex qua experientia Aſtrologus prædicere, & conjecturare poteſt in aliis quoque hominibus nunc naſcentibus ſub ſimilibus conſtellationibus & conjunctionibus ſimiles quoque fore inclinationes, mores, temperamenta, complexiones, & aptitudines. Et propterea, ut rectè Ptolomæus *tract. 2. quadrip.* docet, natos in diverſis climatibus, & aliis Aſtrorum aſpectibus atque eorum prædominiis, diverſis præditos eſſe moribus; uti apparet in Hiſpanis, Germanis, Italis, Gallis, Polonis, Tartaris, Indis, Africanis, Græcis, &c. *Secundò*: ſupra *quæſt. 16. 17. & 18.* oſtendi, Cælos, & Aſtra varios influxus tum mediante motu, & luce, tum mediis occultis qualitatibus exercere in ſublunaria, & conſequenter in corpus phyſicum hominis: Ergo ex horum ſyſtemate, ortu, & conjunctione, varia poterit Aſtrologia practica naturalis conjecturare, & prædicere, hominum inclinationes, mores, temperamentum, complexionem, & aptitudines ad taliter vel taliter operandum.

5. *Ad conjecturanda bella, pacem &c. ſecundum quoſdam Aſt.*

Ex his inferunt Aſtrologi *primò*: poſſe beneficiô Aſtrologiæ naturalis ſciri, & prædici homines quoſdam pro tali differentia temporis magis inclinare ad certum genus rerum, quàm pro alia, v.g. ad iram, vindictam, ultionem de inimicis, amicitiam &c. & conſequenter ob ſimiles paſſiones ad bella, homicidia, aliaq; mala inimicis inferenda, ad pacem &c. Quia inquiunt cæli & aſtra orta, ac variè conjuncta pro tali differentia temporis influent potentiùs in quoſdam homines, habentes ſymbolas naturas, alterando humores earum, intendendo ac inflammando qualitates phyſicas coleræ, & alias; aut eaſdem remittendo; ex quo deinde fit, ut inclinent magis vel ad iram, vel ad amicitiam, & pacem: quemadmodum experimur nos hodie magis inclinari ad ſtudia, & reddi promptiores, aut alias res ſpecillandas; quàm heri.

6. *Ad divitias, felicitates, & honores, ſecundùm eoſdem Aſt.*

Inferunt *ſecundò*: ope ejuſdem artis poſſe cognoſci, & prognoſticari quoſdam homines fore felices, ac omni bonâ fortunâ, honorum, officiorum, divitiarum, gaudentes; quoſdam verò infelices in negotiis peragendis; pauperes viles, &c. Quia dicunt, quòd quædam aſtra producant optimas inclinationes in quibuſdam hominibus, quæ ſunt cauſæ probitatis morum, ad quam ſolet accedere operatio voluntatis conformis, communiter operans juxta inclinationes naturales, quâ reddit hominem gratum aliis, ac amabilem: ex quo fit, quòd talis indolis homines evadant felices, ad honores, & officia de facili aſſumantur, atque hac occaſione accumulent divitias: è contra contingit cum habentibus pravas inclinationes, ab Aſtris productas, cauſantes mores malos, & exinde averſum animum aliorum, neglectum in promotionibus, & tandem

tandem paupertatem, ac vilitatem: unde dicit S. Thomas *3. contra Gent. cap. 92.* ut refert Amicus hìc, bonam fortunam convenire ex DEO dirigente, Angelo cuſtodiente 5. & cælo inclinationem præbente.

6. **Objicies** *primò* cum P. Fraſſen: S. Auguſtinus impugnans Aſtrologos *lib. 2. in Gen. c. 17.* ſcribit; *cum multa corpora diverſorum generum, & animantium, vel herbarum, & arbuſtorum, unô ſimul punctô temporis ſeminentur, unoque punctô temporis innumerabiliter multa naſcantur, non tantùm diverſis, ſed eiſdem etiam terrarum locis, tantæ ſunt varietates in progreſſibus, in actibus, & paſſionibus eorum, ut verè iſti, ſicut dicitur, perdant ſidera, ſi iſta conſiderent. Secundo;* in oppoſitum quoque urget exemplum particulare duorum gemellorum Eſau, & Jacob in S. Litteris contentum, qui etſi eodem tempore nati, diverſas tamen complexiones, & inclinationes habuerunt; quæ proinde ab iiſdem aſtris, quæ nativitati præerant, certò cognoſci, & prædici non poterant: Ergo &c.

Reſp. *ad Primum*: hanc authoritatem D. Auguſtini non militare contra Aſtrologiam naturalem, uti ipſa hac quæſtione explicata fuit, quæ non tantùm ex ſideribus, quæ præſunt nativitati animantium herbarum, & arbuſtorum, venatur ſuam cognitionem certam, & prædictionem; ſed etiam ex inſpectione aliarum cauſarum particularium ſimul, quæ ſæpiſſimè efficiunt, ut res eodem tempore natæ diverſiſſimas actiones, & paſſiones ſortiantur. *Ad Secundum* dico; neque hoc exemplum evacuare hanc artem aliàs veram, quia eſt particulare, & à Divina ſpeciali ordinatione dependens, cujus imperio omnia creata agentia ſubduntur; ſicut ignis in fornace Babilonica ex ſimili cauſa non combuſſit tres pueros Hæbræos; etſi aliàs ſit ſemper combuſtivus. 7. *Reſpondetur objectis.*

TRACTATUS TERTIUS.
De Elementis.

PRÆFATIO.

EXplicato in priori Tractatu Diſt. 2. *corpore cæleſti, quod eſt primum ex quinque corporibus ſimplicibus magni Mundi; reſtat ut in præſenti Tractatu naturæ, qualitates, & alia reliquorum quatuor, quæ ſunt quatuor Elementa, expendantur, tum ſecundùm rationes communes, tum ſecundùm particulares. Ex his porro corporibus Mundus iſte inferior conſtituitur, conſervatur, & propagatur per mixtorum ſublunarium ex Elementis generationem. De his eruditè ſcripſit tum Galenus, tum Ariſtoteles* 3. & 4. de Cælo & 2. de generatione, *& poſt ipſos Peripatetici omnès; quorum tamen doctrinam Chymici inſectantur. Ego juxta principia Scoti materiam hanc evolvam ſequentibus diſtinctionibus. Unde ſit*

DISTINCTIO I.
DE ELEMENTIS IN COMMUNI.

QUÆSTIO I.
De quidditate, numero, & forma conſtitutiva Elementorum.

1. *Quid nominis Elementum.* NOta primò: Ly *Elementum* grammaticaliter conſideratum ſecundùm Iſidorum originem habere ab *hile*, quaſi idem ſit, ac *hilementum*, eſt autem *hile* omnium corporum materia. Secundùm verò alios idem ſonat quod *alimentum*, eò quòd omnia corpora alantur elementaribus qualitatibus. Secundùm alios tandem, Elementum idem eſt, quod *Elevamentum*; propterea quod elevet mixtum ad naturam Elementorum ſuperiorum.

Nota ſecundò: præterea hoc vocabulum *Elementi* varias pati acceptiones, *primò* enim accipitur ampliſſimè ab Ariſtotele *5. Metaph. tex. 3.* pro illo primo, ex quo res quævis componitur; hoc ſenſu litteræ latinæ dicuntur Elementa; & materia ac forma vocantur Elementa corporis naturalis. *Secundò*, preſſiùs capitur pro ſolis corporibus primis, ex quibus componitur magni Mundi machina; hoc ſenſu Ariſt. *1. Celi tex. 31.* etiam Cælum appellat Elementum, eò quòd ex eo, & inferioribus componatur dicta machina. *Tertiò* tandem, ſtrictiſſimè ſumitur Elementum pro illis præcisè primis corporibus ſimplicibus, ex quibus cõſtituuntur ſola ſublunaria mixta, & in quæ reſolvuntur; & ſub hac acceptione illud definit Ariſtot. *3. Celi tex. 31. Elementum eſt id corporeum,* 2. *Varia ejus uſurpationes.*

in

in quod alia corpora dividuntur, inexiſtens potentiâ vel actu, quod dividi nequit in partes diſtinctæ ſpeciei. Et Galenus *1. de Elementis cap. 1. Elementum eſt rei particula ſui naturâ prima, & ſimpliciſſima, quæ in alias dividi non poteſt.*

3. *Definitur Elementum*

Dico primò: aptiùs definitur *Elementum*, quòd *ſit corpus primum ſimplex, in quod cætera corpora mixta ſublunaria reſolvuntur.*

Prob. hæc diffinitio conſtat genere, & differentiâ, clariuſque explicat naturam Elementi: Ergo &c. Ly *Corpus* eſt genus reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur autem *Corpus*, ut Elementum ſecernatur à materia prima, & forma phyſica, quæ non habent rationem corporis; ſed partium corporis phyſici. Dicitur *primum*, ut differentietur à corporibus ſecundis, ſeu mixtis, quæ ſæpiùs concurrunt ad aliquod tertium corpus conſtituendũ v. g. ab oſſibus, nervis, carne, & aliis conſtituentibus corpus humanum. Additur *ſimplex* ad oſtendendum Elementum non componi ex aliis corporibus; ſed eſſe id, ex quo alia componuntur. Dicitur tandem *in quod cætera corpora mixta ſublunaria reſolvuntur*; ad excludendum Cælum â ratione Elementi (de quo hic) in quod nullum corpus mixtum ſublunare reſolvitur: & ad oſtendendum, quòd in corruptionibus mixtorum corpora tandem in Elementa vertantur; uti patet experientiâ in conflagratione v. g. ligni, ubi lignum deficit in cineres, quæ terram referunt, in fumum, qui aërem exhibet, in humorem, qui aquam exprimit, & in ignem de novo genitum. Circa numerum Elementorum.

4. *Doctrina Chymicorũ de Elementis.*

Nota tertiò: ut veterum opiniones ponentium infinita pene Elementa pertranſeam, primam ſententiam eſſe Chymicorum modernorum, qui tria ſtatuunt elementa, Salem, Mercurium, & Sulphur, eaque ajunt eſſe corpora ſimplicia prima, apta ad compoſitionem mixtorum ſublunarium *Salem* autem *Chymicum*, deſcribunt, quòd *ſit corpus ſimplex, per ſe primò ſapidum, aquâ liquabile.* Hunc dividunt in *Primum* & *Mixtum*. *Primum* vocant illum, qui ab aliis principiis ſecretus eſt. *Mixtum* qui non eſt ſecretus ab aliis principiis; & hunc ſubdividunt in Fixum, Nitroſum, & Armoniacum. Exemplum *fixi* dant in ſale marino; *Nitroſi* in ſale Petræ; *Armoniacus* ſeu *volatilis* ſunt illæ puriores ſalis partes & halitus, qui ex quolibet corpore mixto ab igne ſurſum elevantur. *Mercurium* deſcribunt, quòd *ſit corpus ſubtiliſſimum, oculorum aciem fugiens, quodque in mixtis eſt principium colorum.* Tandem *Sulphur Chymicum* ſeu oleum deſcribunt, quòd *ſit corpus ſimplex, per ſe inflammabile, & adurabile.* Hoc duplex eſt, ſicuti ſal. *Sal Chymicus* in generationibus mixtorum, dicunt ipſi, coagulat mixta, & facit ea concreſcere; tribuit ſaporem diverſum juxta variam ſalis participationem, conſervat generata, unde fit, quòd melle, & ſaccaro conditæ res diu ſerventur; quia illæ abundant ſale nitroſo. Sulphur Chymicum tribuit odorem varium pro varia ſulphuris participatione. Secunda ſententia eſt omnium Peripateticorum, qui alia quatuor ſtatuunt Elementa. Cumqua

5. *Quatuor tantùm dantur vera Elementa.*

Dico ſecundò: quatuor defacto extant in hoc globo mundiali inferiori Elementa, ſuntque Ignis, Aër, Aqua, & Terra. Ita Scotus *2. diſt. 14. q. 3.* cum Platone, Hippocrate, & communi Peripatet.

Prob. *primò* authoritate S. Scripturæ, quæ enumerata Elementa commemorat Pſal. 148. & Dan. 3. *Secundò* authoritate SS. PP. horum Elementorum numerum, & exiſtentiam aſſerentium; ut videre eſt apud D. Baſilium *hom. 2. de Mundi oppificio.* Et apud Damaſcenum *2. Fides cap. 7.* & S. Auguſt. *de Gen. ad litt. cap. 7.* & *8. Civit. cap. 5.* & *12. cap. 9.*

Prob. tertiò authoritate & rationibus Ariſtotelis, quibus horum Elementorum exiſtentiam probat. *2. de Cælo tex. 18. & 19.* & *4. Cæli tex. 31. & 36. & 37. & 2. de gen. & corrupt. tex. 49.*

Quartò authoritate Galeni, qui *1. de Elem. cap. 3.* & *lib. de reſpi.* ſic ratiocinatur: ex illis ut Elementis res componuntur, in quæ tandem reſolvuntur: ſed res mixtæ tandem reſolvuntur in ignem, aërem, aquam, & terram: Ergo &c. Prob. Min. dum animal moritur, primò ſpiritus igneus efflatur; mox ſpiritus aëreus dum putreſcere incipit; tertio humor effluit; & tandem terra fit; quia in pulverem vertitur: Ergo &c. Accedit inconcuſſa authoritas Peripateticorum, pertot ſæcula ſtatuens præfata quatuor Elementa: Ergo &c.

Quintò hic Elementorum numerus aliis rationibus ſtabilitur: *Primò*, quatuor defacto (uti experientiâ conſtat) repeti-untur temperamenta viventium; melancolicum, cui proinde dominatur Elementum terræ; phlegmaticum, cui dominatur

Digitized by Google

Elementum aquæ; ſanguineum, cui dominatur Elementum aëris; colericum, cui dominatur Elementum ignis: Ergo ex horum generatione deducitur extare quatuor Elementa Ignis, Aëris, Aquæ, & Terræ. *Secundò*: extant defactò quatuor primæ qualitates calor, frigus, humiditas, ac ſiccitas; quæ proinde poſtulant quatuor diſtincta prima ſimplicia corpora, quibus inhæreant ut paſſiones, puta calor igni, frigus aquæ, humiditas aëri, & ſiccitas terræ: Ergo extant quatuor Elementa ignis, aër, aqua, & terra. *Tertiò* extant quatuor loca diverſa in machina ſublunaris Mundi, ſcilicet ſummus, ſummo proximus, infimus, & infimo proximus: Ergo his quatuor corpora locabilia conveniunt, quæ ſunt quatuor Elementa: ſcilicet primo ignis, ſecundo aër, tertio terra, quarto aqua. *Quartò*: ſenſu percipimus terram, aquam, & ignem, quoad aërem purum, licèt is quà talis viſu noſtro non percipiatur; attamen mixtus aliquibus fuliginoſis halitibus etiam cernitur, dum tempore hyemali reſpiramus, & exhalamus: ſimiliter in dilatatione, & compreſſione follis alicujus ſentitur. *Quintò* tandem igni, aëri, aquæ, & terræ convenit ſuprà allata definitio Elementi: Ergo hæc quatuor Elementa exiſtunt in hoc globo mundiali inferiori.

Objicies cum Chymicis *primò*: omnia mixta finaliter reſolvuntur in ſalem, Mercurium, & ſulphur tanquam in corpora ſimplicia, & compoſitionis phyſicæ expertia, uti patet in praxi artis Chymicæ: Ergo hæc ſola dici debent Elementa mundi inferioris. *Secundò*: hæc tria ex omnibus mixtis poſſunt extrahi: Ergo ſunt prima eorum Elementa.

6. *Chymicorū rationes evertuntur.*

Reſpond. *ad Primum*: Neg. Ant. nam ipſum ſulphur chymicum utpote inflammabile in ignem poteſt reſolvi; ſimiliter ſal, & mercurius ulteriùs reſolubilia ſunt in terram, & aquam; & conſequenter ſunt compoſita phyſicè; omne enim corruptibile ſeu reſolubile componitur ex materia prima. *Ad Secundum* Neg. pariter Ant. nam ex talco, auro, adamante, gemma, &c. nequeunt extrahi præfata tria Chymicorum Elementa: & conſequenter nequeunt ſtatui pro veris Elementis: vera enim Elementa cujuslibet mixti compoſitionem ingrediuntur, & in ea debet poſſe reſolvi. Circa tertium articulum quæſtionis

Dico tertiò: formæ conſtitutivæ in eſſe ſubſtantiali Elementorum non ſunt primæ qualitates. Eſt ad mentem Scoti *2. diſt. 15. q. un. §. dico ergo*; & ſequuntur Pariſienſ. Aureol. Columb. &c. contra Galenum, Philop. Alex. &c.

7. *Formæ conſtituentes elementa non ſunt primæ qualitates.*

Prob. *primò*: ratione Averrois *8. Metaph. Comment. 8.* quod uni eſt ſubſtantia, alteri non eſt accidens: ſed primæ qualitates ſunt mixtis accidentia: Ergo Elementis non ſunt ſubſtantia; & conſequenter non ſunt formæ conſtitutivæ eorundem in eſſe ſubſtantiali. *Secundò*: primæ qualitates elementares ſunt ſecundùm ſe formæ accidentales: Ergo in eſſe ſubſtantiali non ſunt conſtitutivæ Elementorum. Conſequentia tenet; quia accidens nequit in eſſe ſubſtantiali conſtituere ſubſtantiam, cujuſmodi ſunt Elementa; alioquin talis ſubſtantia eſſet ens per ſe, & non eſſet ens per ſe; quod dici nequit. *Tertiò*: forma conſtitutiva in eſſe ſubſtantiali alicujus rei nequit ſeparari à re, cujus eſt forma, remanente ipſa re integra: ſed primæ qualitates poſſunt ſeparari ab Elementis; nam actu calor fuit ſeparatus ab igne in fornace Babilonica, & propterea tunc ignis non calefecit, nec combuſſit tres pueros in eum projectos Dan. 3. Ergo primæ qualitates non ſunt formæ conſtitutivæ Elementorum in eſſe ſubſtantiali.

8. *Textus philoſophi hic gloſſatur.*

Objicies: Philoſophus dicit expreſſè *2. de gen. 7.* primas qualitates eſſe principia, & formas conſtitutivas Elementorum: Ergo &c. Reſpond. interpretando Philoſophum, & dico, eum aut non loqui aſſertivè, ſed recitativè duntaxat, referendo videlicet quorundam Philoſophorum opinionem, attribuentium primis qualitatibus rationem conſtitutivam Elementorum: vel certè loqui explicativè, quatenus ſcilicet eſſentia Elementorum bene explicatur per primas qualitates ut paſſiones eorum: vel tandem vult, quòd primæ qualitates ſint principia, & formæ conſtitutivæ Elementorum in eſſe ſecundario accidentali; non verò in eſſe primario, & eſſentiali. Unde

9. *Elementa conſtituuntur proprijs formis ſubſtantialibus.*

Dico quartò: formæ conſtitutivæ Elementorum in eſſe primario, & eſſentiali ſunt quædam particulares formæ ſubſtantiales. Eſt quoque ad mentem Scoti *2. diſtinct. 15. q. un. §. dico.* & ſequuntur communiter Scotiſtæ, contra Galenum, & alios veteres.

Probat. tum quia quodlibet corpus habet formam ſui conſtitutivam in eſſe pri-

primario, & eſſentiali particularem ſubſtantialem; uti patet de homine, ligno, lapide: Ergo & quodvis corpus Elementare. Tum quia illud corpus habet formam particularem eſſentialem ſui conſtitutivam in eſſe primario, & eſſentiali, quod eſt proximum & immediatum ſubjectum accidentium materialium: ſed quodlibet Elementum, eſt ejuſmodi ſubjectum: Ergo &c. Tum tandem, quia, ut tenet Ariſtoteles *lib. de ſenſu & ſenſibili cap. de ſapore*, ignis (quod eſt unum ex Elementis) calefacit ut calidus, ſed non ignit, ſupple quâ calidus eſt: Ergo ignit aliâ formâ; non aliâ, quàm particulari ſubſtantiali: Ergo extat in Elemento ignis (idem dic de aliis Elementis) forma particularis ſubſtantialis, tanquam conſtitutiva ignis in eſſe primario, & ſubſtantiali.

QUÆSTIO II.

De figura, præſtantia, & puritate Elementorum,

1. *Terra eſt figura rotunda.* Dico primò: Elementum terræ habet figuram rotundam. Eſt Scoti *2. diſt. 14. q. 3.* & *diſt. 15. quæſt.* Et tenet Ptolomæus, Plutarchus, Plinius, Zinardo, & communis; contra quoſdam, tribuentes terræ formam cubam.

Probat. inprimis terra eſt rotunda ab Oriente versùs Occidentem, uti colligitur ex inæqualitate Aſtrorum in Oriente ſurgentium; quia ſi terra eſſet plana, dum Sol, vel aliud Aſtrum ſurgit in Oriente, illud conſpiceretur ſubito ab habitatoribus Occidentis; ſimiliter eâdem horâ, quâ fieret Eclypſis, cerneretur ab omnibus, in quibuſcunque regionibus exiſtentibus; quorum utrumque eſt falſum; quia Orientales habitatores priùs conſpiciunt Solem, vel aliud aſtrum ſurgere, quàm Occidentales; ſimiliter & in diverſis horis Eclyſes cognoſcuntur: Ergo terra ab Oriente versùs Occidentem eſt rotunda, impediens illam ſimultaneam viſionem Solis, & Eclypſis. Deinde eſt etiam rotunda ab Auſtro in Septentrionem; uti patet experientiâ Nautarum, qui referunt, ſe videre aliquas Stellas Septentrionales elevari, & alias deprimi, dum ab Auſtro in Septentrionem navigant. Item habitatores Septentrionis nòn vident Stellas prope Auſtrum ſitas; nec è converſo: Ergo terra ab Auſtro in Septentrionem eſt rotunda, cauſans illas varias viſiones, elevationis, depreſſionis, & prope Auſtrum Stellarum. Tandem umbra figuram ejus, cujus eſt umbra, imitatur; uti conſtat experientiâ; ſed umbra terræ eſt circularis, & rotunda; uti conſpicitur in Eclypſi Lunæ, in qua, dum Luna umbram terræ ingreditur, advertitur umbram eſſe figuræ rotundæ: Ergo terra habet figuram rotundam.

Dico ſecundò: Elementum aquæ pariter habet figuram rotundam. Deducitur ex Scoto *loc. cit.* & habet Mayr. & communis RR. 2. *Similiter aqua.*

Probat. quia eadem figura convenit toti, & partibus; ſi totum ſit homogeneum, cujuſmodi eſt aqua: ſed partibus aquæ convenit figura rotunda; ut patet in guttis aquæ cadentibus ſuper herbas: Ergo & toti Elemento aquæ convenit hujuſmodi figura. Tum quia, ut refert Ptolomæus, & Almag. *cap. 4.* qui ex alto ad terram navigant, priùs vident montes, & turres, quàm valles, & planities; hoc autem videtur attribuendum tumori, & ſphæricitati aquæ: Ergo &c.

Dico tertiò: Elementum aëris habet quoque figuram ſphæricam. Deducitur ex eodem Doctore *loc. cit.* & habet Zinardo, Columbus, Maſtrius, Mayr. &c. 3. *Uti & aër.*

Probat. ſuperficies interna Elementi aëris cingit totam ſphæram aquæ; ſuperficies autem externa conjungitur internæ, & figuratur ad ejus figuram: Ergo cum ex dictis aqua habeat figuram rotundam, ſequitur quoque Elementum aëris habere ſimilem figuram.

Dico quartò: tandem & Elementum ignis potitur figurâ ſphæricâ. Eruitur ex eodem Scoto *loc. cit.* & docetur à communi Scotiſtarum ac Peripateticorum. 4. *Et Elementum ignis.*

Probat. Elementum ignis, ſurſum tendit uſque ad concavum Orbis Lunæ, ſub quo concluditur: ſed ille Orbis habet figuram rotundam: Ergo & Elementum ignis ſecundùm ſuperiorem ſuperficiem, ſecundùm autem partem inferiorem figuratur juxta ſphæram aëris rotundam quoque: Ergo Elementum ignis ſecundùm omnem ſui partem habet figuram rotundam.

Prob. tandem in communi omnium quatuor Elementorum rotunta, & ſphærica figura; Orbes cæleſtes ſuperiores circumdantes Elementa habent figuram rotundam, & ſphæricam; uti ſuprà *diſt. 1. q. 2. conc. 5.* oſtenſum eſt: Ergo congruit, ut & inferiora præcipua corpora, cujuſmodi ſunt Elementa, ſimili figurâ potiantur;

tum ob majorem conformitatem; tum, quia hæc figura eſt omnium integerrima, perfectiſſima, capaciſſima, & maximè æqualis, ut rectè advertit noſter Mayronius hic.

5. *Rotunditas terræ non eſt perfectè ſpharica.*

Nota autem primò: rotunditatem aſſertam terræ non eſſe perfectam aliquam ſphæricitatem mathematicã; ſed utrumque, id eſt conjunctam cum multis ſcabroſitatibus ſaxorum elevatorum, eminentiis montium, & cavitatibus vallium, quæ tamen in comparatione tanti globi, modicè, & pro nihilo reputantur; ac proinde figuram rotundam, & globoſam manifeſtè non alterant.

6. *Platonis doctrina explanatur.*

Obijcies contra poſitas Concluſiones: Plato in Timæo igni tribuit *tetraedron*, id eſt figuram pyramidalem; aëri *octaedron*, id eſt figuram quandam ſimilem pyramidi; aquæ *icoſaedron*, quæ eſt figura mobilitatis aquæ conveniens; & terræ *hexaedron*, id eſt figuram cubam: Ergo &c. Reſp. Platonem *locô citatô*, non aſſignaſſe Elementis figuras ſecundùm ipſam veritatem; quia in eodem Timæo igni aſſignat figuram globoſam: igitur ſecundùm quamdam duntaxat metaphoram, & ſimilitudinem dedit igni tetraëdron; quia dum aſcendit, format figuram pyramidis; aëri ideo dedit octaëdron, quæ eſt figura proxima pyramidi, quia aër eſt proximus igni; terræ dedit cubum, quæ eſt figura ſtabilitatis, & immobilitatis, quia terra eſt ſtabilis, & immobilis: aquæ tandem dedit icoſaëdron, quæ eſt figura conſimilis mobilitatis aquæ, quia aqua eſt mobilis de facili. Circa alterum articulum quæſtionis

7. *Emolumenta, dignitates, officia, proprietates, & accidentia terræ.*

Nota ſecundò: cuilibet Elemento varia, & complura convenire emolumenta, dignitates, officia, proprietates, & accidentia, ex quibus peculiaris eorum præſtantia colligitur. Nam Elementum terræ, imprimis eſt utiliſſimum hominibus, utpote quod ſubminiſtrat omnia neceſſaria ad victum & veſtitum. Deinde eſt materia metallorum, gemmarum, fabricarum, & aquarum. Item eſt cauſa principalis prædominans omnium fermè mixtorum. Item maximè ſymbolizat cum homine, qui dicitur finis omnium rerum; quia ut diſcurrit Seneca *lib. 3. nat. quæſt. cap. 15.* ſicut in homine ſunt venæ ſanguine plenæ, & arteriæ, quæ ſunt ſpiritûs conceptacula; ita in terra ſunt venæ, per quas aqua currit, & quædam per quas aër flat; & ſicut in homine ſunt quædam partes duræ, ut oſſa quædam molliores, ut cerebrum, & medulla: ita in terra quædam partes ſunt duræ, ut lapides, & metalla, & quædam fluidæ, ut bitumen.

8. *De præſtantia aquæ.*

Nota tertiò: de præſtantia, & utilitate Elementi aquæ S. Ambroſius *lib. 3. Hexam. cap. 5.* loquitur in hunc modum: *bonum mare tanquam hoſpitium fluviorum, fons imbrium, derivatio alluviorum, invectio commeatuum quô ſibi diſtantes populi copulantur; quò prœliorum removentur pericula, quò barbaricus furor clauditur, ſubſidium in neceſſitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, ſalubritas valetudinis, ſeparatorum conjunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, ſubſidium vectigalium, ſterilitatis augmentum. Ex hoc pluvia in terras effunditur, ſiquidem de mari aqua radijs Solis hauritur, & quod ſubtile ejus eſt rapitur, deinde quantò altiùs elevatur, tantò magis nubium obumbratione frigeſcit, & imber fit, qui non ſolùm terrenam temperat ſiccitatem; ſed & jejuna arva fœcundat.* Hæc Ambroſius. Subminiſtrat præterea hoc Elementum piſcium varietatem; materiam pro generandis variis rebus; ſalis coagulum, perlarum, corallorum & aliorum prætioſorum compoſita; homini potum præbet, &c.

9. *De utilitate aëris.*

Nota quartò: Elementi aëris præſtantia inde colligitur, quòd ſit neceſſarium omnino ad reſpirandum; nam ut dicit Avicenna *aër eſt vitæ noſtræ pabulum*; per ipſum namque reſpiramus, & refrigeramus calorem naturalem. Et Galenus *9. Met.* ait ſinè ambiente nos aëre nec morbus tollitur, nec ſanitas ſubſiſtit. Aër etiam ignem ſuo flatu tantopere neceſſarium conſervat; terram pluviis per ipſum cauſatis irrigat, ac fæcundat. Inſervit navigationi, eſt receptaculum tot avium, & reſpiraculum tot beſtiarum, &c.

10. *De effectibus ignis.*

Nota quintò: Elementi tandem Ignis nobilitatem produnt ejus mira activitas, ſitus eminentior inter cætera Elementa, utilitas in diſſolvendis & rectificandis, purificandis & conſolidandis metallis, coquendis cibis, & alterandis quibuſvis compoſitis ſublunaribus, in inflammandis Cometis, & aliis meteorologicis impreſſionibus, temperando frigore, & humiditate, &c. his notatis.

11. *Elementum ignis eſt cæteris præſtantius.*

Dico quintò: attentâ naturâ intrinſecâ, & proprietatibus in gradu eſſendi, Elementum ignis eſt reliquis præſtantius, & nobilius; deinde ſequitur aër, poſtea aqua,

aqua, tandem terra. Deducitur ex Scoto *4. diſt. 47. §. ad Argumentum*, & ſequuntur Scotiſtæ, Maſtr. Columbus, & D. Thomas cum ſuis.

Probatur prima pars *primò* authoritate S. Auguſtini; qui *lib. de ſpiritu, & anima cap. 15.* dicit, ignem & aërem eſſe corpora præcellentia; & deinde *2. de gen. ad litt. cap. 3.* ignem ait eſſe ſupra aërem. *Secundò* authoritate Ariſtotelis *5. Top. cap. 1.* aſſerentis, *ignis eſt corpus nobilis naturæ, habens ſuperiorem locum*: Ergo Elementum ignis attentâ naturâ intrinſecâ, & proprietatibus eſt præſtantius cenſendum.

Probatur etiam ratione; tum quia illud attentâ naturâ intrinſecâ & proprietatibus eſt præſtantius cenſendum, quod habet naturam magis activam intenſivè, & extenſivè; uti patet de corporibus cæleſtibus reſpectu ſublunarium; ſed Elementum ignis habet naturam magis activam intenſivè, & extenſivè, quàm reliqua Elementa; uti patet ex ejus edacitate, & virtute ignitiva, reſolutiva, devorativa, & incinerativa quorumcunque etiam duriſſimorum metallorum: Ergo &c. Tum quia Elemento ignis convenit perfectiſſima qualitas prima, quæ eſt calor; vigore cujus omnia mixta vivunt, & conſervantur: Ergo attentis proprietatibus in gradu eſſendi, Elementum ignis eſt cæteris cenſendum præſtantius. Probantur reliquæ partes concluſionis; præſtantia, & nobilitas phyſica rectè colligitur ex altiori ſitu, quem res aliqua occupat in ſitu univerſi; uti patet de Cælis & igne; & ex Philoſopho paulò antè cit. ſed poſt Elementum ignis, aër occupat altiorem locum; deinde ſequitur aqua; & tandem terra: Ergo hæc tria Elementa juxta hanc coordinationem ſe invicem excedunt in præſtantia. Circa tertium articulum quæſtionis

12. *Reliquorum Elementorũ ordo.*

Dico ſextò: ſingula quatuor Elementa quoad ſubſtantiam ſunt pura; quoad qualitates verò apud nos nullum de facto extat purum, ſed habet admixtas quaſdam qualitates peregrinas. Ita ſentit Philoſophus *3. de gen. animal.* & alii Peripatetici.

Probat. ſingula quatuor Elementa continuâ pugnâ inter ſe luctantur, ſicque in ejuſmodi congreſſu peregrinis qualitatibus imbuuntur, v. g. Elementum ignis imbuitur ab aëre humore, Elementum aëris ab aqua frigore; Elementum aquæ à terra ſuſtentatione; & Elementum terræ ab igne calore: Ergo &c.

Dixi *apud nos*: quia probabile eſt, ignem ſub concavo Lunæ remanere purum, utpote ad quem vicini aëris actio non pertingit. Et idem videtur dicendum de Elemento terræ, quòd illud in quibuſdam partibus, ab actione aliorum Elementorum remotis ſuam puritatem nativam conſervet.

QUÆSTIO III.

Qua ratione Elementa remaneant in mixtis.

Nota primò: in confeſſo eſſe apud Philoſophos, Elementa aliquo modo remanere in mixtis, quæ generantur de novo; v. g. in ligno, leone, homine, rana, &c. & docetur expreſsè ab Ariſtotele *1. de gen. 84.* dicente, miſcibilia remanere in mixto; miſcibilia autem ſunt Elementa. Et *3. Cæli tex. 67.* ait, Elementa, ex quibus conſlatur mixtum, in ipſo mixto perſiſtunt. Sed controverſia non modica conſurgit inter DD: tum Philoſophos, tum Medicos, ſub qua ratione remaneant in mixtis: Antiqui Philoſophi Anaxagoras, & Empedocles, Avicenna, & Averroës; & ex Junioribus Alenſ. Jandan. Zimar. ſimiliter ex Medicis Recentioribus, Peramatus, Mercatus, &c. volunt Elementa remanere in mixtis formaliter, id eſt ſecundùm formas ſubſtantiales conſtitutivas. Econtrà Philoſophi Juniores ut Doctor Angelicus, & Doctor Subtilis cum ſuis Scholis, & Occam Baſſol. Richard. ac plurimi ex Neutriſtis; & ex Medicis Valleſius, Segarra, Thomas de Garvo, Petrus Garcia, &c. docent, Elementa in mixtis non remanere formaliter, ſed duntaxat virtualiter. 1. *Veterum ſentimina de remanentia Elementorum in mixtis.*

Dico primò: Elementa non remanent in mixtis ſecundùm ſubſtantiam, ſeu formas ſuas ſubſtantiales; ſed virtualiter tantùm. Ita Scotus *2. diſt. 15. q. un.* & *in Reportat. ibid.* 2. *Elementa non remanent in mixtis formaliter.*

Probat. prima pars *primò* authoritate Ariſtotelis, qui *1. de generat. tex. 84.* & *2. de part. anim. cap. 10.* negat, Elementa perſiſtere in mixto; qui textus, ne contradicant aliis ſuprà *Notab. 1.* relatis, utique intelligendi ſunt de perſiſtentia formali, & ſecundùm ſubſtantiam, ſeu ſecundùm formas ſubſtantiales: Ergo &c.

Prob. *ſecundò* rationibus Scoti; quas adducit in *2. cit.* ex quibus cape ſolas duas

ſe-

ſequentes, quæ ducunt ad inconvenientias oppoſitæ ſententiæ; prima eſt, *forma Elementaris nata eſt cum materia conſtituere ſuppoſitum, per ſe ſubſiſtens in genere ſubſtantiæ: Ergo ſi ſint plures Elementares in mixto, quodlibet conſtituet ſuppoſitum: & ſic in quolibet mixto eſſent plura ſuppoſita; quia ibi erit ſuppoſitum aquæ, & ſuppoſitum ignis, &c. quorum quodlibet natum eſt per ſe ſubſiſtere, quod eſt inconveniens*: Ergo &c. Secunda eſt; *omnem ſubſtantiam corporalem ſubſequitur quantitas, quæ eſt propria paſſio ſubſtantiæ corporeæ; ſed forma Elementi cum materia conſtituit ſubſtantiam compoſitam: Ergo ipſam conſequitur propria quantitas ſicut propria paſſio: Ergo in uno ſubjecto erunt plures quantitates, puta alia quantitas mixti; alia Elementi; & ita vel duo corpora erunt ſimul, vel quæcunque pars mixti non erit mixta, quæ omnia ſunt inconvenientia*: Ergo Elementa ſecundùm ſubſtantiam, ſeu formas ſubſtantiales non manent in mixtis.

Probatur tertiò aliis adhuc rationibus. *Primò*, ſi Elementa maneant ſecundùm ſuas formas ſubſtantiales in mixtis formaliter, quæro an ſimul etiam in quovis mixto reperiatur forma aliqua mixti diſtincta? ſi reſpondeas affirmativè, uti ſanè reſpondere debes *contrà*: Ergo mixtum, quod ibi erit, erit ens per aggregationem, ſeu per accidens, utpote habens plures formas diſparatas completas, elementares ſcilicet, & aliam diſtinctam mixti; non eſt autem ens per aggregationem: Ergo &c. Si reſpondeas negativè. *Contrà*, Ergo omnia mixta eſſent ejuſdem ſpeciei, quia haberent eaſdem omnino formas Elementares; quod rurſus eſt falſum: Ergo Elementa non manent ſecundùm ſuas formas ſubſtantiales in mixtis. *Secundò*: ſi Elementum ignis v. g. & aquæ remaneant ſecundùm formas ſuas ſubſtantiales in mixto, cur ignis non extinguitur ab aqua, & aqua ab igne non abſorbetur? cùm ſibi contrarientur, & ſeſe juxta prædominium abſorbeant? Item quæro, quô pabulô nutriatur ignis in mixto? quibus habenis detineatur, ne alia Elementa abſumat?

3. *Sed virtualiter duntaxat.* Prob. ſecunda pars concluſionis *primò* authoritate Philoſophi; qui *1. de gener. tex. 84. & 2. de part. anim. cap. 2.* docet, Elementa actu non reperiri in mixto; ſed virtute. *Secundò* rationibus: tum quia, ſi Elementa in mixtis non remaneant ſecundùm formas ſubſtantiales, uti *priori concluſione* oſtenſum eſt; relinquitur, quod remaneant ſolùm ſecundùm virtutes, ſeu virtualiter; quod *tertiâ concluſ.* infrà explicabitur. Interea.

Objicies *primò*: illa ſunt ſecundùm ſubſtantiam in mixtis, in quæ reſolvuntur mixta: ſed mixta reſolvuntur in Elementa; unde ex ligno, dum comburitur, ſæpè profluit aqua, & ex ſilice attrito exilit ignis, utique præexiſtens priùs formaliter: Ergo &c. *Secundò*: Ariſtoteles *1. de gen. tex. 90.* ait; *mixtio eſt miſcibilium alteratorum unio*; per miſcibilia autem intelligit Elementa: ex citato itaque textu habetur, quòd Elementa tantùm alterentur in generatione mixti, & uniantur; non verò quòd corrumpantur: Ergo remanent ſecundùm formas ſuas ſubſtantiales. *Tertiò*: niſi dicatur formas ſubſtantiales Elementorum remanere, & componere formaliter mixta; mixta erunt entia ſimplicia, ſicut Elementa: ſed hoc eſt falſum: Ergo &c.

4. *Variæ rationes adverſariorũ enodantur.* Reſpondeo *ad Primum*: Diſt. Maj. illa ſunt ſecundùm ſubſtantiam in mixtis, in quæ mixta reſolvuntur, ut in partes componentes præexiſtentes, Conc. Maj. in quæ mixta reſolvuntur, ut in partes in corruptione mixtorum de novo productas; Neg. Maj. & diſtinctâ ſimiliter Min. Nego Conſeq. Itaque dum mixta corrumpuntur, reſolvuntur quidem in Elementa, ſed quæ de novo generantur, non quæ priùs inexiſterent tanquam partes componentes mixta. Unde ad exemplum primum de aqua dico, vel illum humorem profluentem in combuſtione ligni non eſſe veram aquam, ſed liquorem mixtum; vel ſi eſt vera aqua, non inerat mixto ſubſtantialiter ut pars componens, ſed in ligni poris deliteſcebat, & calore ignis expellebatur ab eo. Ad alterum exemplum de igne ſilicis dico, in poris ſilicis, uti & quibuſdam aliis lapidibus, latitare quoſdam ſpiritus igneos, qui ubi per calorem ex attritione cum ferro genitum pori reſerantur, ſtatim erumpunt, & ſecundùm diverſam aëris agitationem huc illucque feruntur. Quòd autem hic ignis erumpens non ſit ignis Elementum in mixto formaliter incluſum; inde patet; quia ex aliorum mixtorum attritione ignis taliter nô erumpit, etſi ſint mixta maximè combuſtibilia, v. g. palea, lignum aridum, pulvis tormentarius &c. Poſſet etiam dici illum ignem in attritione ſilicis cum ferro de novo produci ab aliqua cauſa univerſali, v. g. Sole, aut alia; poſi-

tis

Digitized by Google

tis ſcilicet diſpoſitionibus debitis per illam attritionem. *Ad Secundum* reſpondet Scotus *cit. 2. n. 8.* quòd ly *alteratorum* ſit grammaticaliter præteritum paſſivum; ita ut ſenſus ſit; mixtio eſt eorum, quæ prius alterata ſunt, quàm ex ijs mixtum fieret: non autem eſt ſenſus, quòd illa in mixto perſeverent alterata. Unde per ly *unio* non intelligitur unio alteratorum ſecundùm formas ſubſtantiales perſeverantes; ſed unio ſecundùm virtutem Elementorum; quatenus ſcilicet ex Elementis corruptis producitur forma mixti, quæ habet qualitates ſimiles Elementaribus qualitatibus. *Ad Tertium* Diſt. Maj. ſi mixtum ſpectetur ſecundùm formam ſuam mixti præcisè Conc. Maj. ſi ſpectetur ſecundùm totum, quod in eo continetur: Neg. Maj: Itaque mixtum ſecundùm formam ſuam ſubſtantialem, & ſecundùm compoſitionem ſubſtantialem, eſt ita ſimplex ens, ſicuti quodvis Elementum: ſecundùm tamen compoſitionem, & totam ejus naturam eſt magis compoſitum ens; quia prærequirit plures qualitates, quàm hæc aut illa forma Elementaris; quia exigit ſimiles qualitates omnium quatuor Elementorum ſimul.

5. *Thomiſtarũ opinio de virtuali remanentia rejicitur.*

Dico ſecundò: eſſe Elementa virtualiter in mixtis non rectè explicatur per hoc, quòd in mixtis dicantur formaliter remanere primæ qualitates Elementorum in eſſe remiſſo. Eſt ad mentem Scoti *2. diſt. 15. q. un.* & ſequuntur communiter Scotiſtæ, & Javellus, contra D. Thomam, ejuſque ſequaces.

Prob. *primò*: quando corrumpitur ſubjectum, corrumpuntur ſimiliter omnia ſubjectata in tali ſubjecto: ſed Elementa ſunt ſubjectum primarum qualitatum, & hæc corrumpuntur in generatione mixti: Ergo etiam corrumpuntur ipſæ primæ qualitates ſubjectatæ in Elemẽtis: & conſequenter per ſimilium qualitatum remanſionem non rectè explicatur virtualis exiſtentia Elementorum in mixtis. *Secundò*: qualitates primæ Elementares exceſſivæ deſtruerent mixta; uti patet de calore elementari ignis diſſolvente res approximatas; qualitates autem mixti conſervant mixtum: Ergo qualitates mixtorum ſunt diſtinctæ ab Elementaribus; & conſequenter non bene explicatur virtualis exiſtentia Elementorum in mixtis per hoc, quòd eædem qualitates primæ Elementorum formaliter remaneant in mixtis in eſſe remiſſo.

Dico tertiò: rectiùs itaque dicitur, hôc pactô Elementa manere virtualiter in mixtis, quatenus in mixtis â forma mixti generantur virtutes, & qualitates naturaliter convenientes, ſimiles, & affines qualitatibus primis elementaribus; non tamen eædem: Ita Scotus *2. diſt. 15. q. un. n. 6.* & communis Scotiſtarum. 6. *Et ſtatuitur verus ſenſus Scotiſtarum circa hoc.*

Prob. tum ex refutatione prioris explicationis Thomiſticæ. Tum quia aptiùs explicari nequit virtualis exiſtentia Elementorum in mixtis ab Ariſtotele, & tota Schola Peripatetica hactenus aſſerta. Tum quia ex effectibus harum qualitatum profluentium â forma mixti colligitur, eas non eſſe eaſdem cum Elementaribus; ſed diverſæ rationis, & tantùm ſimiles; nam utrectè docet Scotus *cit. 2. n. 5. §. ad aliud*, qualitas caloris elementaris ignis alterat ad ignem; calor verò mixti animati ad carnem gignendam; unde & qualitas mixti eſt perfectior qualitate Elementi.

Nota præterea hanc inexiſtentiam virtualem Elementorum in mixtis rectè â Scoto *cit.* explicari, per eminentiam quandam, & continentiam virtutis, quâ formâ mixti conſurgens ex generatione nova rei continet virtute formas elementares, obiens munia, & gerens vices earundem, dum generat qualitates ſimiles Elementaribus; ſicut (ut exemplo Scoti cit. utar) anima intellectiva continet eminentialiter, & virtualiter formas animæ vegetativæ, & ſenſitivæ, earum munera obeundo, & vices gerendo.

QUÆSTIO IV.

De generatione, corruptione, & converſione Elementorum.

Dico primò: Quatuor Elementa ſunt quoad aliquam ſui partem ſubſtantialem generabilia, & corruptibilia. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 14. q. 3. §. dico ad quæſt. & Quodlib. 11.* & ſequuntur Gadius, Columbus, Herman, aliique Scotiſtæ; ac communis Peripateticorum; cóntra Empedoclem, & alios Priſcos, qui Elementa ſubſtantialiter ingenerabilia, & incorruptibilia aſſerunt. 1. *Elementa ſunt ſecundùm quid generabilia, & corruptibilia.*

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *3. Cæli 52. & 2. de gener. 6.* aſſerit generationem Elementorum fieri ſecundùm partem in aliquo loco mundi: Ergo &c. *Secundò* experientiâ, quâ conſtat

gnem indies corrumpi, ac in aërem tranſire; ſic flamma candelæ alicujus ſenſim deſtruitur abſumptâ materiâ combuſtibili lichni, & ceræ, & rogus accenſus depaſtis lignis tandem evaneſcit: Ergo &c. Præterea ſi titio ardens immergatur aquæ, illico extinguitur: Ergo ibi adeſt corruptio ignis ſecundùm partem ſui ſubſtantialem in tali loco Mundi. Tandem quando Sol altiſſimè aſcendit ad zenith capitis noſtri, Elementa ſuperiora, videlicet ignis & aër creſcunt; inferiora verò, id eſt terra & aqua, decreſcunt: ſed hujuſmodi accreſcentia, & decreſcentia nequit fieri abſque ſubſtantiali generatione, & corruptione Elementorum in ſui parte aliqua: Ergo &c.

2. *Cur Elementa non ſint ubique generabilia, & corruptibilia.*

Obijcies: ſi Elementa ſecundùm partem aliquam ſui ſubſtantialem eſſent generabilia, & corruptibilia, utique etiam ſecundùm ſe totum eſſent generabilia, & corruptibilia: ſed hoc eſt contra Philoſophum *2. de generat.* 51. & contra Scotum *1. diſt. 8. q. 5.* qui uno ore docent, Elementa eſſe ingenerabilia, & incorruptibilia: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Maj. nam nequeunt ubique & in omnibus locis applicari agentia appoſita ſufficientis activitatis, quæ Elementum aliquod v. g. terram, per univerſum ſuum globum expanſam poſſet totaliter deſtruere; unde etſi in uno loco ſecundùm aliquam partem deſtruatur, in alio tamen rurſus augetur, ac reſtauratur: & hoc eſt, quod tantùm voluit Philoſophus, & Scotus *citati.*

3. *Elementa ſecundùm totam ſubſtantiam ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia.*

Dico ſecundò: 4. Elementa ſecundùm totam ſuam ſubſtantiam ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia naturaliter. Ita Scotus *1. diſt. 8. q. 5.* & communis Scholaſt.

Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ; quæ Ecclеſ. 1. ait, *Terra autem ſtat in æternum;* per quod ingenerabilitas, & incorruptibilitas totalis naturalis ejus inſinuatur. *Secundò* authoritate Philoſophi, qui *2. de gener.* 51. Elementa vocat æterna, & perpetua, ſicuti Mundum; Mundus autem eſt ingenerabilis, & incorruptibilis quoad totam ſuam naturam, & conſtitutionem: Ergo etiam Elementa ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia quoad totam eorum ſubſtantiam. *Tertiò* experientiâ, quâ conſtat, per tot myriades annorum, & ſecula plurima nullum Elementum quoad totam ſubſtantiam ſuam eſſe generatum de novo, vel corruptum: Ergo &c. Deinde nullum agens creatum aſſignari poteſt, quòd tam perfectam haberet virtutem, ut integrũ aliquod Elementum corrumpere, ac de novo generare poſſet: ipſa etiam Elementa inter ſe ſunt contemperata, & ab Authore naturæ ad æquilibrium eorum virtutes activæ creatæ reductæ, ita ut unum aliud totaliter nec deſtruere, nec totaliter generare valeat; & ex hoc arguitur ſupremi Plaſmatoris Mundi prudentia, atq; potentia: Ergo Elementa ſecundùm totam ſuam ſubſtantiã ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia.

Dico tertiò: Elementa poſſunt in ſe invicem immediatè converti, & transelementari. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 14. q. 3. & 1. Met. c. 4.* & alibi; & ſequuntur Pariſienſes, Tartar. Joan. de Magiſt. Columb. & alii Scotiſtæ, contra Ponc. Van-Sichen, Fraſſ. & alios Scot. ac Tolet. Martil. &c. 4. *Elementa poſſunt in ſe invicem converti.*

Prob. *primò* authoritate Philoſophi, qui *2. de gen. tex. 7. & 24.* & *1. Met. c. 1.* converſionem, ac transelementationem Elementorum in ſe invicem im̃ediatam adſtruit: Ergo &c. *Secundò* authoritate S. Auguſt. qui *lib. de Fid. & Symb.* in fine patrocinatur concluſioni: Ergo &c. *Tertiò* experientiâ; quâ conſtat Elementum ignis grandis abſumere modicam quantitatem aquæ, in ignem injectam, ac in ſe convertere, aut in aërem reſolvere: item illâ, quâ aërem in aquam condenſatione concreſcere videmus in hyeme; unde dum gelu remittit, humeſcunt interiores parietes alicujus ædificii, ac marmora ſudant; quod refundi non poteſt, niſi in aërem humidum, in aquâ converſum: Ergo Elementa poſſunt in ſe invicem immediatè converti, & transelementari. Præterea Elementa ſunt ſibi contraria ratione ſuarum primarum qualitatum, caloris, ſcilicet, frigiditatis &c. & in ſe invicem agunt, unde continua inter ipſa cernitur pugna; & quandoque unum aliud ſuperat; ut in æſtate ignis, & aër ſuperant aquam, & terram: Ergo tunc illa Elementa ſuperata ſecundùm aliquam ſui partem convertuntur in alia Elementa ſuperantia, & victricia; ſicut alimentum aſſumptum ab homine, & ſuperatum ab activitate ſtomachi, aliarumque partium concoctivarum convetitur in ſubſtantiam hominis.

Obijcies *primò* cum P. Fraſſen, & Poncio: experientia allegata de modica quantitate aquæ in ignem injecta nõ probat ullam converſionem Elementi aquæ in Elementum ignis; quia illa aqua nõ transelementatur in ignem vel aërem, ſed in fumũ tenuem, qui per aërem diſpergitur: Ergo. *Secundò*, Elementa nõ habent vires, & potentias convertendi ſe mutuò immediatè: 5. *Objectiones tolluntur.*

Ergo

Ergo &c. *Tertiò*: ex oppoſita ſententia ſequeretur, ignem poſſe nutriri aquâ; nam ignis nutritur ijs, quæ in ſuam ſubſtantiam vertit: ſed ſequela eſt falſa; quia aliàs ignis non poſſet extingui aquâ: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant, nam ad ſenſum cernitur, talem quantitatem aquæ immediatè abſorberi ab igne; quod & probat ſtrepitus, quem edit; nec apparet ullum veſtigium fumi ex ea geniti, & per aërem diffuſi. *Ad Secundum* Neg. pariter Ant. natura enim non deeſt in neceſſariis; unde cùm tranſelementatio Elementorum in ſe invicem ſit valde neceſſaria ad conſiſtentiam Univerſi, & perennem ſublunarium generationem, utique natura, ſeu potius Author naturæ Elementis tribuit ſufficientes vires, & potentias convertendi ſe mutuò immediatè. Deinde Elementa habent ſufficientes vires ad generandum mixtum: Ergo etiam ad convertendum ſe invicem immediatè. *Ad Tertium* Conc. Maj. & Neg. Min. nam ſicut homo nimiô alimentô aſſumptô obruitur, & extinguitur; & tamen alimentum moderatè ſumptum eſt nutritivum hominis; ita etiam ignis nimiâ cópiâ aquæ poteſt extingui, etſi aqua modica ei injecta ſit nutritiva ipſius per converſionem. Pro ſequenti concluſione

6. *Quid ſint Elementa ſymbola, & diſſymbola.*

Nota primò: quædam Elementa eſſe ſymbola, quædam verò diſſymbola. Illa vocantur *Symbola*, quæ in aliqua qualitate conveniunt; ut ignis, & aër, quæ ambo participant caliditatem; item aqua, & terra, quæ ambo participant frigiditatem. *Diſſymbola* vocantur illa, quibus nulla qualitas eſt communis; talia ſunt ignis, & aqua; nam ignis eſt calidus, & ſiccus; aqua verò frigida, & humida: ſimiliter aër, & terra ſunt diſſymbola; quia aër eſt calidus, & humidus; terra verò ſicca, & frigida.

7. *Utraque ſunt in ſe invicem convertibilia.*

Dico quartò: tam Elementa ſymbola, quàm diſſymbola poſſunt converti immediatè in ſe invicem. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 3. q. 4. & diſt. 14. q. 3.* & ſequuntur Pariſienſ. Joannes de Magiſtris, Columbus, Tartar. & alii Scotiſtæ; contra Van-Sichen, Ponc. Herman, Scotiſtas: & contra Thomiſtas, Ruvium &c.

Probatur: tum quia ita ſentit Philoſophus *2. de gen. tex. 7. & 24. & 1. Met. cap. 4.* ubi probat omnium Elementorum transmutationem, ſeu converſionem ex eo, quòd Elementa omnia ſint contraria; ſunt autem contraria im̃ediata tam ſymbola, quàm diſſymbola in aliqua qualitate prima: Ergo ſentit omnia Elementa poſſe immediatè converti in ſe invicem. Tum quia quodvis Elementum habet virtutem ſufficientem transmutandi aliud ſecundùm aliquam partem: Ergo in aliquo loco unum ſecundùm aliquam partem alterum convertere poteſt in ſe.

8. *Objectio evacuatur.*

Objicit primò Herman: nunquam aër viſus eſt augeri terrâ, nec terra aëre; nec ignis aquâ, nec aqua igne: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. nam terra tandem viſa eſt ita reſoluta, & purgata â ſua gravitate naturali, ut tranſire potuerit in ſubſtantiam aëris; & aër ita conſpiſſatus, & ingroſſatus, ut terra effectus ſit; & ita dicendum de aliis Elementis: & ad hujusmodi effectus ordinata eſt pugnâ perpetuâ primarum qualitatum inter ſe, quibus Elementa prædita ſunt, & ſibi opponuntur.

9. *Ruvius rejicitur.*

Objicit Ruvius ſecundò: non poteſt fieri tranſitus de extremo ad extremum, niſi priùs tranſeatur per medium *5. Phyſic. tex. 21.* ſed ignis, & aqua ſunt duo Elementa extrema diſſymbola: Ergo unum nequit converti immediatè in aliud. Reſpondeo illud axioma non currere univerſaliter; ſed tantùm in quibuſdam, v. g. in motu locali, & ubi tranſitus per medium eſt neceſſarius; non eſt autem neceſſarius talis tranſitus in converſione unius Elementi in aliud; cùm ſint ſibi contraria immediatè

Nota ſecundò: Elementa ſymbola faciliùs, ac celeriùs tranſelementari, ac converti ad invicem, quàm diſſymbola; utì colligitur ex Scoto *2. diſt. 14. q. 3.* Et ex Philoſopho *2. de gen. cap. 4. tex. 25.* & eſt ratio; quia in Elemento ſymbolo convertendo adeſt unica duntaxat virtus ſuperanda ab Elemento convertente; in diſſymbolo verò adſunt duæ virtutes ſuperandæ; faciliùs autem, & celeriùs ſuperatur una virtus, quàm duæ: adeoque Elementa ſymbola faciliùs, & celeriùs convertuntur ad invicem, quàm diſſymbola.

10. *Unum Elementum poteſt aliud generare.*

Dico quintò: unum Elementum poteſt generare aliud ſpecie diſtinctum Elementum. Colligitur ex Scoto cit. quam etiam tuentur plures Scotiſtæ veteres.

Prob. tum quia ita colligitur ex Philoſopho, qui *loc. cit.* concedit tranſmutationem Elementorum in ſe invicem: Ergo etiam cenſet unum Elementum gene-

rare aliud ſpecie diſtinctum in tali tranſmutatione. Tum quia primæ qualitates habent ſe inſtar quarundam rationum ſeminalium Elementorum; uti cum S. Auguſtino *3. de Trinit. c. 9.* notat Scotus *2. diſt. 18. q. un.* Ergo per ejuſmodi rationes præparantur Elementa ad mutuam converſionem; atque ita unum poteſt aliud in tali converſione generare.

QUÆSTIO V.

De definitione, exiſtentia, & natura primarum qualitatum activarum Elementorum.

1. *Quid ſint qualitates activæ, & motivæ.* NOta primò: Philoſophi paſſim in Elementis agnoſcunt duplicis generis qualitates, activas ſcilicet, & motivas ſeu motrices. *Qualitates activas* vocant illas virtutes, quibus Elementa in certas poſſunt erumpere operationes; & tales quatuor ſolitò numerantur, ſcilicet calor, frigus, ſiccitas, & frigiditas, quæ dicuntur communiter *qualitates primæ Elementares* ex eo, quòd neque ex ſe invicem, neque ex aliis prioribus fiant; ſed omnes aliæ qualitates ex ipſis; calor enim non fit ex frigore, nec humiditas ex ſiccitate ſuam originem trahit; nec præſupponunt aliquas alias priores in Elementis, & mixtis. Et de his hæc quæſtio procedit. *Motivæ* ſunt illæ virtutes congenitæ, quibus moveri poſſunt, & loca ſibi à natura aſſignata (quando ab eis avulſa ſunt) repetere; unde per has Elementa ſuæ conſulunt quieti; per activas verò famulantur utilitati totius Orbis ſublunaris.

2. *Deſcribuntur primæ qualitates.* Dico primò: rectè deſcribuntur primæ qualitates activæ Elementares, quòd *ſint illæ virtutes, quæ neque ex aliis prioribus, neque ex ſe invicem fiunt; ſed ex his univerſæ mixtæ tangibiles qualitates ſublunares originantur.* Eſt ad principia Ariſtotelis *2. de generatione tex. 15.* & Scoti *4. diſt. 1. q. 5.*

Probatur: hæc deſcriptio debitè explanat naturam qualitatum primarum: Ergo &c. Ly *virtutes* ſtatuuntur pro genere, in quo qualitates activæ conveniunt cum motivis, ac aliis mixtis: reliqua pro differentia harum qualitatum ab aliis, & elucidatione naturæ primarum qualitatum. Dicitur, *quæ neque ex aliis prioribus*, ad deſignandum in Elementis non reperiri priores aliquas qualitates activas iſtis quatuor, ſcilicet calore, frigore, humiditate & frigiditate. Dicitur *neque ex ſe invicem*, ad oſtendendum qualitates primas ſe invicem non originare; nam cùm ſint qualitates ſibi contrariæ, una ex alia non oritur: unde experientiâ etiam conſtat, quòd calor tantùm gignat calorem, & frigus frigiditatem, & ſic de aliis. Additur, *ſed ex his univerſa mixta tangibiles qualitates ſublunares originantur*; ut indigitetur ex mixtione primarum qualitatum originem trahere omnes alias qualitates mixtas in iſto Mundo ſublunari, & elementari, quæ proinde vocantur *qualitates ſecundæ*; cujuſmodi ſunt odores, ſapores, durities, mollities; & ex Philoſopho *2. de generatione*, ſubtilitas, groſſeitas, lubricitas, & ariditas; nam ſubtile originatur ex humido; quia enim humidum propriò caret terminô, alienum recipit; unde maximè replet, & ad omnes tangentis partes confluit, & quibuſcunque parvis ſe adjungit; quod pariter præſtat ſubtile. *Groſſum* componitur ex ſicco; hoc namque ſuis clauditur terminis, nec facilè repletivum eſt, quod etiam groſſo convenit. *Lubricum* originatur ex humido; nam quando humidum commiſcetur terreo ſubtili, & unctuoſo, tunc efficitur lubricum. *Aridum* tandem fit ex ſicco, eſt enim perfectè ſiccum, quatenus nec terreum ſubtile, nec humidum unctuoſum admittit; ſed exhauſtâ per calorem illius humiditate, frigus accedit, partes coagulans, & faciens eas ſibi conſtare. Per illam particulam *tangibiles* eximuntur qualitates quædam particulares, quorundam mixtorum, quæ ex his Elementaribus primis non originantur, cujuſmodi ſunt virtus magnetica in magnete, & virtus attractiva paleæ in ſuccino, ac aliæ certis mixtis appropriatæ; ſimiliter qualitates motrices levitatis, & gravitatis, quæ pariter ex mixtione primarum qualitatum non profluunt. Per ly *ſublunares* etiam privilegiantur lux, & aliæ cælorum qualitates, quæ ſimiliter à primis Elementaribus non naſcuntur.

Dico ſecundò: reſident omnino in quatuor Elementis quatuor primæ qualitates activæ, calor ſcilicet, frigus, humiditas, & ſiccitas. Ita Scotus *q. 40. prædicamentali.* Et communis Scotiſtarum, ac Peripateticorum; contra Priſcos quoſdam, & Arriagam, duas tantùm qualitates primas Elementares concedentem; ſcilicet calorem, & frigus. 3. *Extant 4. primæ qualitates.*

Pro-

Probatur *primò* authoritate D. Auguſtini; *lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 14.* concedit præfatas quatuor qualitates primas activas elementares: Ergo &c. *Secundò* authoritate Philoſophi; qui eaſdem aſſerit *2. de gen. cap. 2. tex. 8.* Ergo &c. *Tertiò* ratione: Experientiâ conſtat, quodlibet Elementum habere aliquam qualitatem in ſummo, ut ignis calorem, aër humiditatem, aqua frigus, & terra ſiccitatem: Ergo reverà quatuor qualitates primæ activæ reſident in quatuor Elementis. Præterea pro propagatione creaturarum, earumque conſervatione neceſſariæ ſunt quatuor primæ qualitates Elementares, ſcilicet duæ, quæ ſint activæ, puta calor, & frigus; & duæ paſſivæ, quæ ſunt humiditas, & ſiccitas, ex quibus commixtis fiunt tranſmutationes mutuæ, ut habet Philoſophus *2. de gen. cap. 2.* Ergo extant quatuor qualitates in quatuor Elementis. Dicuntur autem humiditas, & ſiccitas qualitates primæ paſſivæ non abſolutè, quaſi ipſæ non eſſent activæ; ſed reſpectivè, quatenus non habent tantam activitatem, quantam habent calor, & frigus; & quia magìs reſiſtunt; reſiſtentia enim major paſſivitatem arguit.

4. *Et ſunt formæ poſitivæ.* Dico tertiò: omnes quatuor primæ qualitates ſunt formæ poſitivæ. Ita ſupponit Scotus *2. diſt. 15.* & *4. diſt. 49. q. 13.* & communis Peripatet. contra Cardanum, docentem frigus, & ſiccitatem eſſe tantùm privationes, & defectus caloris, ac humiditatis.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui *in lib. de gen.* & alibi docet, quòd agentia agant, & patiantur ad invicem per omnes quatuor qualitates: quod falſum eſſet, ſi non omnes quatuor eſſent formæ poſitivæ; quia reactio à privatione non provenit: Ergo omnes ſunt formæ poſitivæ. Item *2. de anim. 117.* dicit, omnes quatuor qualitates primas eſſe tangibiles: ſed privationes non ſunt tangibiles, nec aliquo ſenſu petceptibiles: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: omnes quatuor qualitates immutant ſenſum, & ſentiuntur, ſignanter frigus, cui Cardanus poſitivam rationem entis denegat, quod in rigida hyeme bene ſentitur, & quidem cum dolore: Ergo ſunt poſitivum quid. Præterea experientiâ conſtat, ſubjectum frigidum revera agere in calidum, ac calorem ejus corrumpere; quod rationem formæ poſitivæ arguit non minùs quàm actio caloris in ſubjectum frigidum: Ergo &c. Et ſanè quâ ratione Cardanus aſſerit frigus eſſe tantùm privationem caloris, eâdem Peripateticus quoque dicere poſſet contra eum, calorem econtrà eſſe privationem duntaxat, & defectum frigoris quod ſi hoc non conceſſerit, meritò aſſerere debet, frigus quoque non eſſe meram privationem, & defectum. Tandem quòd ſiccitas etiam ſit poſitivum quid, inde patet, quod & ipſa quoque activè operetur, & agat, quod rationem poſitivam ejus probat; nam ſiccitas coagulat ex Philoſopho *4. Met. cap. 34.* quod eſt agere; & propterea etiam Medici, ac Chirurgi morbis humidis applicant medicamenta ſicca, ad activè deſiccandos humores noxios: Ergo &c.

Objicies *primò*: experientiâ conſtat, res quaſdam, ut plantas, & arbores per ſolam privationem, & defectum humiditatis deſiccari, & alias v. g. manus per privationem caloris frigeſieri: Ergo ſiccitas, & frigus non ſunt formæ poſitivæ; ſed quædam tantùm privationes. *Secundò* Philoſophus ipſe *2. de gener. 18.* vocat frigus ptivationem caloris: Ergo &c. 5. *Oppoſitiones.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ſed potiùs plantæ, & arbores exſiccantur per introductionem formæ poſitivæ ſiccitatis, quæ eſt humorum præexiſtentium expulſiva: & manus frigeſit per introductionem formæ poſitivæ frigoris, quod eſt expulſivum caloris. *Ad Secundum* gloſſo Philoſophum, & dico eum frigus duntaxat appellare privationem caloris conſecutivè; quatenus ad frigoris introductionem conſequitur privatio caloris præexiſtentis; ſicut communiter ad introductionem fotmæ novæ oppoſitæ in ſubjecto conſequitur privatio formæ prioris. 6. *Refelluntur.*

Dico quartò: omnes quatuor qualitates ſunt diſtinctæ realiter à ſuis Elementis; in quibus reſident. Ita colligitur ex Scoto ſuprà cit. & ſequitur comunis Scotiſtarum; contra Arriagam, qui dicit humiditatem non eſſe diſtinctam à ſuo corpore elementari humido; ſed eſſe ipſammet ſubſtantiam ejus fluidam; idem ſentiunt quidam alii RR. de ſiccitate. 7. *Primæ qualitates ſunt diſtinctæ realiter ab Elementis.*

Probatur primò: omnes quatuot qualitates, præſertim humiditas, & ſiccitas habent propria ſenſibilia tactûs, & percipiuntur à ſenſu: item habent diverſas actiones accidentales: Ergo ſunt quid diſtinctum ab Elementis, in quibus reſident.

Replicat Arriaga, negando humiditatem, & ſiccitatem percipi ſenſu; & dicit, quando tangitur aqua, quod ſentiatur utique calor ejus, aut frigus, humiditas verò non. *Contrà*, videtur Arriaga habuiſſe in ſua manu exiguum aut nullum ſenſorium; nam quoties ego immergo digitum in aquam frigidam, non ſolùm frigus percipio, & ſentio; ſed etiam ipſam aquæ fluiditatem; ſentio enim ipſam digito comprimenti cedere, ac circa digitum circumfundi: item dum clauſis oculis manum dexteram immergo aquæ, ſiniſtram verò cineri impono, eodem gradu caloris, vel frigoris affectis, tactus ſuo ductu diſcernit hunc eſſe cinerem, illam aquam. Et tandem in Sacramento Euchariſtiæ remanet humor vini, non autem ſubſtantia: Ergo hæc eſt ab humore corporis mixti diſtincta; & conſequenter etiam â ſubſtantia illius Elementi, cui inſidet.

8. *Sed formæ duntaxat accidentales.* Dico quintò: primæ qualitates tam in ſuo corpore elementari; quàm in quovis alio mixtò, cùi infixæ ſunt, formæ tantùm accidentales ſunt. Hanc Scotus ſupponit, ubicunque loquitur de primis qualitatibus, ut *2. diſt. 2. q. 6.* & eſt communis Peripateticorum; contra Cremoninum.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui *lib. de ſenſ. & ſenſib.* dicit, ignem agere non quatenus ignem; ſed quatenus calidum; per quod diſcriminat qualitatem primam activam caloris à forma ſubſtantiali Elementi ignis; in quo calor reſidet; adeoq; cenſet eam non eſſe formam ſubſtantialem Elementi ignis; ſed duntaxat accidentalem. Et *2. de part. anim.* docet, qualitates primas activas non eſſe de eſſentia Elementorum; ſed illorum virtutes: Ergo ſunt tantùm formæ accidentales eorum. Et tandem *7. Met. 17.* apertis terminis tenet, qualitates primas activas non eſſe ſubſtantias; ſed accidentia: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: tum quia primæ qualitates non dant ſimpliciter eſſe, ſicut formæ eſſentiales; ſed tantùm ſecundùm quid: Ergo in quovis corpore Elementari, & mixto ſunt formæ accidentales. Tum quia in Euchariſtia remanent qualitates primæ activæ, & tamen non remanent formæ ſubſtantiales; nam tota ſubſtantia tranſubſtantiatur: Ergo qualitates primæ activæ ſunt diſtinctæ â formis ſubſtantialibus; & conſequenter ſunt tantùm formæ accidentales.

QUÆSTIO VI.

De definitionibus ſingularum primarum qualitatum; & eorum inexiſtentia in Elementis.

NOta primò: Philoſophus *2. de gen. 8. & 9.* præbet definitiones omnium quatuor primarum qualitatum in concreto, uti in more habet, ſequentibus terminis. *Calidum eſt, quod congregat homogenea, & ſegregat heterogenea:* in abſtracto autem ſic poſſet prima qualitas caloris definiri, *calor eſt qualitas congregans homogenea, & heterogenea diſgregans:* & eſt ſic intelligenda hæc definitio, quòd calor ſit qualitas, in liquefactione v. g. metalli auriferi, coadunans omnes partes ejuſdem rationis auri; diſſolvens verò eas, quæ ſunt diverſæ rationis; & ſeparans eas; ut ſcoriam, & alias. Ratio hujus eſt; quia calor calefaciendo habet vim relaxandi, & rarefaciendi, ut ejus beneficiô partes ejuſdem rationis coadunentur, diſſimilia verò ſeparentur, & unumquodque ſuum petit locum. 1. *Quid ſit calor.*

Nota ſecundò: *Frigidum*, ex eodem Philoſopho *eſt, quod congregat tam homogenea, quam heterogenea:* in abſtracto verò ſic poteſt definiri, *Frigus eſt qualitas per ſe congregativa homogeneorum, & heterogeneorum:* hoc eſt ſic intelligendum, quòd Frigus ſit qualitas promiſcuè congregans res ejuſdem, & diverſæ rationis; v. g. in congelatione aquæ, in qua omnia in ea reperta cujuſcunque ſint naturæ, ſimul uniuntur v. g. paleæ, ligna, lapides &c. Ratio hujus eſt, quia Frigus frigefaciendo vim habet condenſandi, & conſtringendi; unde omnia Frigori ſuppoſita tempore congelationis conſtringuntur ſimul. 2. *Quid frigus*

Nota tertiò: *Humidum* ex eodem *eſt, quod difficulter propriô terminô, faciliter autem alienô terminatur:* in abſtracto autem ſic bene definitur *Humiditas*, quòd *ſit qualitas, quâ ſubjectum propriô terminô difficulter clauditur; facilè autem alienô;* id eſt, quòd ſit qualitas reddens corpus difficulter terminabile propriô terminô; faciliter autem alienô; uti apparet in liquoribus continentis vaſis v. g. qui figuram ejus induunt, nullamque aut vix aliquam â ſe retinent. Ratio hujus eſt; quia Humiditas affert fluxibilitatem quandam, quæ 3. *Quid humiditas.*

quæ in cauſa eſt, ut corpus humidum difficulter proprios retineat terminos, & figuram; ſed ſe faciliter accommodet figuræ corporis continentis.

4. *Quid ſiccitas.* Nota quartò: *Siccum* ex eodem *eſt, quod facilè propriò difficilè verò alienò præfigitur terminô*: in abſtracto qualitas ſiccitatis definiri poteſt, quòd *ſit qualitas, quâ per ſe ſubjectum propriò terminô facilè clauditur, ſed difficilè alieno*; id eſt, quòd ſiccitas ſit qualitas, reddens corpus, cui inſidet, facilè terminabile terminô propriô; difficilè alienô; ſic v.g. terra, & lapis ob ſiccitatem propriô terminô facilè terminantur, & clauduntur; alienô verò cum labore; unde neceſsè eſt, ut exſcindantur, & in partes dividantur. Ratio hujus eſt, quia ſiccitas indurat, condenſat, & partes ita conſtringit, ut corpus ſiccum reſiſtat, & figuræ alienæ difficulter accomodetur.

5. *Philoſophus definit primas qualitates per effectum ſecundarios.* Nota quintò: præfatas quatuor definitiones primarum qualitatum activarum eſſe traditas per ſecundarios tantùm illarum effectus: nam calor pro primario ſuo effectu habet; quòd calefaciat, & frigus quòd frigefaciat; & humiditas quòd humectet; & ſiccitas, quòd exſiccet: meritò autem Philoſophus has qualitates per ſecundarios definüt effectus; quia agebat de qualitatibus in ordine ad mixtionem; adeoque debebat eas exprimere per effectus, quos habent in mixtione; hujuſmodi autem ſunt effectus illi ſecundarii, in definitionibus indigitati; nam calor attenuat, & congregat homogeneas partes mixti, puras cum puris unit, & eas ab impuris ſegregat: frigus addenſat, & agglutinat partes puras, & impuras, ut omnes ad mixti perfectionem, & integritatem concurrant &c. Circa alterum punctum Quæſtionis

6. *Quodvis Elementum habet duas qualitates primas.* Nota ſextò: conveniunt communiter Philoſophi, quòd quodlibet Elementum participet duas qualitates primas; ſcilicet ignis calorem, & ſiccitatem; aër calorem, & humiditatem; aqua frigus, & humiditatem; & terra ſiccitatem, ac frigus. Ratio hujus reddi poteſt *primò*; ut quolibet Elementum ſit aptum per ejuſmodi binas qualitates in aliud converti; nam ſi ignis tantùm calorem haberet, & aqua tantùm frigus, & aër tantùm humiditatem, & terra tantùm ſiccitatem, ignis pateretur duntaxat ab aqua; & aqua tantùm ab igne, & aër tantùm à terra; & èconverſo; nec conſequenter omnia Elementa poſſent ſe mutuò refringere, ac ſibi invicem commiſceri, quod eſt contra experientiam. *Secundò* attentiùs, & particulariùs conſiderando quodlibet Elementum, deprehenditur ignem eſſe calidum; quia hoc ſenſu percipitur: eſt etiam ſiccus; quia non niſi violenter detentus terminari poteſt alienô terminô, pyramidalemque figuram ex natura ſua tenaciter appetit. Aqua etiam frigida eſt; quia poſt ſui calefactionem violentam ſibi relicta redit ad priſtinum frigus; ut patet experientiâ: eſt etiam humida; quia difficulter propriô terminô clauditur, ſed facilè alienô. Aër pariter eſt humidus, quia alienô terminô facilè clauditur: eſt etiam calidus aliquomodo ſecundùm Phyſicam, ut ſervetur primarum qualitatum combinatio: & quia experientiâ conſtat, quòd actione frigoris corrumpatur, & vertatur in aquam; ut patet in generatione aquarum in cavernis terræ, & in feneſtris vitreis in hyeme rorantibus; dum aër extrinſecus adhærens in aquam vertitur. Terra tandem quoque eſt frigida, quò enim magìs diſtat ab agentibus calefactivis, eò ſentitur frigidior, ut ab experientia conſtat de cavernis ſubterraneis: eſt etiam ſicca; quia ſi extrahantur ex ipſa vapores, & aqua, perfectè ſicca redditur.

Dico primò: Elementum ignis habet qualitatem primam caloris in gradu ſummo; Elementum aëris humiditatem in gradu ſummo; Elementum aquæ frigus in ſummo; & Elementum terræ ſiccitatem in ſummo. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 15. q. un. & 4. diſt. 47. q. 2.* & communis Scotiſtarum. 7. *Unam in ſummo gradu.*

Probatur prima pars *de Elemento ignis*: tum quia Elementum ignis eſt cæteris nobilius: Ergo habet nobiliorem qualitatem caloris in ſummo ſibi inſidentem. Conſequentia tenet; quia qualitates primæ communicantur Elelementis ab Authore naturæ juxta perfectionem naturarum, quam ipſa includunt. Tum quia Elementum ignis eſt origo, & fons caloris juxta Philoſophum *2. de gen. cap. 3. tex. 23.* Ergo continet calorem in ſummo. Tum quia nullum corpus eſt calidius Elementô ignis; uti experientiâ conſtat: Ergo habet qualitatem primam caloris in ſummo gradu.

Probatur ſecunda pars *de Elemento aëris*: tum quia Philoſophus *loc. cit.* aëri ſpeciali modô adſcribit humiditatem, ſicut

igni

igni calorem: Ergo ſicut ignis habet calorem in ſummo gradu; ita aër humiditatem in ſummo gradu. Tum quia humidum eſt, quod præ cæteris facilè figuratur, & terminatur terminô alienô, ex eodem Philoſopho *2. de gener. 8.* ſed Elementum aëris facilè figuratur, & terminatur terminô alienô; unde è manibus elabitur, & diffluit in omnem figuram propter ſui labilitatem, & fluiditatem: Ergo Elementum aëris participat qualitatem humiditatis in ſummo.

Probatur tertia pars *de Elemento aquæ:* tum quia aqua opponitur igni: Ergo ſicut ignis habet calorem in ſummo gradu, ita aqua frigus in ſummo. Tum quia quò remotior eſt aqua à cauſa calefactiva, eò frigidior percipitur: Ergo ſignum eſt eam participare frigus in ſummo. Tum quia experientiâ ſenſûs conſtat, nullum corpus reddi ita frigidum, ſicut eſt aqua relicta ſuo nativo frigori: Ergo &c.

Probat. quarta *de Elemento terræ* primò: quia Philoſophus *2. de gener. cap. 3.* cenſet, terram continere ſiccitatem in ſummo; & propterea *Gen. 1.* dicitur per antonomaſiam *arida*, id eſt, maximè ſicca, ut gloſſat S. Baſilius *Homil. 4. Hexam.* Ergo &c. Secundò: ſiccum eſt, quod propriô coërcetur terminô: ſed terra ſic coërcetur: Ergo &c. Tertiò; experientiâ conſtat, quòd ſi terra irrigetur aquâ, eam totam abſumat vi ſuæ ſiccitatis, & paulatim ad nativam ſuam ſiccitatem revertatur: Ergo terra participat ſiccitatem in ſummo gradu.

8. *Alteram in remiſſo.*

Dico ſecundò: Elementum ignis participat ſiccitatem in gradu remiſſo, uti & aër frigus, & calorem in remiſſo; & aqua humiditatem, ac Terra frigus in eodem gradu. Ita communis Scholaſt.

Probatur: utraq; qualitas, quam poſſidet quodvis Elementum, nequit ipſi convenire in ſummo; aliàs non eſſet aptú ad mixtionem: Ergo cùm una ipſi conveniat in ſummo, ut mox oſtenſum eſt, alia eidem convenire debet in gradu remiſſo; & ſic ignis habebit in gradu remiſſo ſiccitatem, aër frigus, aqua humiditatem, & terra frigus. Præterea experientiâ ſenſuum conſtat, præfatas quatuor qualitates in gradu remiſſo duntaxat reperiri in ſuis Elementis appropriatis; unde ignis ſentitur in gradu remiſſo aliquomodo ſiccus, aër frigidus, aqua humida, & terra frigida.

Quæres primò: unde Elementa ſuas primas qualitates recipiant? Zarabella reſpondet, eas Elementis imprimi à cælis mediante motu, hac ratione, ut illa quæ participant calorem, & ſiccitatem, eam recipiant à motu veloci; quæ verò frigus, & humiditatem, à circulatione tarda. Sed ego cum communi Peripateticorum reſpondeo; hujuſmodi qualitates Elementis communicari à formis ſubſtantialibus ipſorummet Elementorum, tanquam intrinſecas quaſdam paſſiones. Ratio eſt; quia formæ ſubſtantiales ſunt operativæ: Ergo vel maximè reſpectu ſuarum proprietatum, cujuſmodi ſunt primæ qualitates.

9. *Elementa recipiunt qualitates primas à formis ſuis ſubſtantialibus.*

Quæres ſecundò: an qualitates primæ ſymbolæ Elementorum ſint ejuſdem ſpeciei? Reſpondeo cum Scoto *2. diſt. 15. q. un.* affirmativè. Ratio eſt; quia quæ mutuò ſe intendunt, habent eandem ſpeciem, uti patet in aqua addita aquæ, per quam aqua creſcit: ſed qualitates primæ ſymbolæ ſe invicem intendunt, ſic frigus aquæ intendit frigus terræ, & calor ignis intendit calorem aëris: Ergo qualitates primæ ſymbolæ Elementorum ſunt ejuſdem ſpeciei.

10. *Qualitates ſymbolæ ſunt ejuſdem ſpeciei in Elementis.*

Quæres tertiò: an qualitas prima elementaris calor differat à calore naturali viventis, & quævis alia qualitas prima à qualitatibus mixtis ſimilibus? Reſpondeo cum Scoto *loc. cit.* negativè. Ratio eſt; quia quæ ſunt ejuſdem ſpeciei, ſe juvant, fovent, & intendunt; ut mox dixi de aqua; & ulteriùs patet de lumine addito lumini, quod efficit majus lumen: ſed calor elementaris, & calor naturalis non ſe juvant, fovent, & intendunt; ſed ſe deſtruunt; nam Calor elementaris diſſolvit, & extinguit temperiem viventis: Ergo non ſunt ejuſdem ſpeciei, ſed differunt inter ſe.

11. *Calor elementaris, & viventis ſunt diverſæ ſpeciei.*

QUÆSTIO VII.

Utrùm aliquæ qualitates primæ, vel ſecundæ contrariæ poſſint eſſe ſimul in eodem ſubjecto?

NOta primò: in qualitatibus primis, & ſecundis latitudinem graduum uſque ad octo juxta communem doctrinam Philoſophorum concedi, ut diſtinctiùs de eorum natura poſſit diſſeri; & quando

Digitized by Google

quando aliqua harum qualitatum dicitur intenſa ut octo, cenſetur eſſe in ſummo gradu intenſionis, ultra quem naturaliter intendi nequit: quando verò aliqua dicitur intenſa ut ſex, vel ut quatuor, cenſetur eſſe in gradu remiſſo intenſionis, v. g. quando calor ignis intenditur ut quatuor.

1. *Qualitates primæ contrariæ poſſunt in gradu remiſſo eſſe ſimul.*

Dico primò: aliquæ qualitates tam primæ, quàm ſecundæ ſibi contrariæ in gradu remiſſo, poſſunt ſimul naturaliter commorari in eodem ſubjecto. Ita Scotus *2. diſt. 18. q. un.* & *1. diſt. 17. q. 3.* & *2. diſt. 2. q. 9.* & ſequuntur Tartaret. Baſſol. Columb. ac alii Scotiſtæ; nec non Henric. Marſil. Major. Argent. & RR. contra Durand. Conimbric. Gregor. & ex Scotiſtis contra Trombet. Fabr. Andream, &c.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *3. Top. cap. 4.* & *5. Phyſ. tex. 62.* concluſionem aſſerit: Ergo &c. *Secundò* authoritate D. Auguſtini, qui *lib. de natura & gratia* ait, contraria contemperata non invicem adverſari: Ergo ſunt componibilia naturaliter in eodem ſubjecto.

Probatur etiam ratione: tum quia in aqua tepida ſimul morantur calor, & frigus in gradu remiſſo; quæ ſunt duæ qualitates contrariæ; poteſt enim talis aqua calefacere manum valde frigidam, & frigefacere manum valde calidam: Ergo duæ qualitates ſibi contrariæ poſſunt in gradu remiſſo ſimul naturaliter commorari. Tum quia natura quorundam mixtorum, ut animalium, & aliorum poſtulat, ut pro ſui fomento, & conſervatione qualitates contrariæ caloris ac frigoris in gradibus remiſſis, & cum quodam temperamento ſimul inſint; unde quando calor in homine exuberat, ac nimium intenditur, oritur febris maligna, quæ ſæpe cauſat interitum hominis: Ergo &c. Tum quia in artefactis odores, colores, & ſapores poſſunt reduci ad aliquam mediocritatem, ac temperantiam, ut invicem in eodem mixto permaneant: Ergo etiam in naturalibus qualitates ita attemperari poſſunt, ut in gradibus remiſſis ſimul ſe compati valeant in eodem ſubjecto.

2. *Objectiones contra hanc doctrinam.*

Objicies *primò*: S. Auguſtinus adverſatur concluſioni: Ergo &c. Prob. Ant. nam *in Enchirid. cap. 17.* ait, *nullus cibus, aut potus ſimul dulcis eſt, & amarus, nullum corpus ſimul ubi album, ibi nigrum; nullum ſimul ubi difforme, ibi formoſum*: quibus verbis indicat, qualitates contrarias dulcedinis, & amaritudinis; albedinis, & nigredinis; difformitatis, & formoſitatis non ſe compati in eodem ſubjecto: Ergo &c. *Secundò* Philoſophus *2. de gener. 6.* dicit, qualitates contrarias in eodem ſubjecto copulari non poſſe: Ergo &c. *Tertiò*: Scotus *1. diſt. 43. quæſt. un.* ait, album, & nigrum, & quæcunque contraria ex ſuis rationibus formalibus contrariari: Ergo qualitates contrariæ in gradu remiſſo nequeunt morari ſimul naturaliter in eodem ſubjecto. *Quartò*: oppoſita definiuntur eſſe illa, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubjecto ſeſe expellunt: ſed qualitates contrariæ ſunt oppoſita quædam etiam in gradu remiſſo: Ergo etiam in gradu remiſſo ſeſe expellunt ab eodem ſubjecto, & conſequenter naturaliter nequeunt eſſe ſimul.

3. *Expediuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & gloſſando S. Auguſtinum allegatum, dico, eum loqui de illis qualitatibus dulcedinis, & amaritudinis, &c. in gradibus intenſis; non verò in remiſſis; nam *loc. cit.* pro concluſione concedit qualitates contemperatas, id eſt in gradibus remiſſis, poſſe eſſe ſimul. *Ad Secundum* eſt eadem interpretatio Philoſophi, quòd nimirum loquatur de qualitatibus contrariis in gradu intenſo; nam in remiſſo eas aſſerit poſſe ſtare ſimul; ut videre eſt *cit. loc. tex. 45.* quando ſcilicet ad mixtionem concurrunt. *Ad Tertium* Neg. Conſeq. nam etſi qualitates contrariæ ex ſuis rationibus formalibus opponantur; in gradu tamen remiſſo earum vires ſunt retractæ, ac debilitatæ; unde ſimul cohabitare poſſunt in eodem ſubjecto. *Ad Quartum* eôdem modô reſpondeo; quòd oppoſita in gradibus remiſſis actu non ſe expellant; ſed ſæpiùs (quando videlicet certô temperamentô ad mediocritatem reducuntur) ſimul morari valeant, ita exigente diſpoſitione, perfectione, & conſervatione Univerſi in mixtis: illa ergo definitio oppoſitorum intelligenda eſt de oppoſitis in gradibus intenſis: vel certè de aptitudinali expulſione, ad quam non ſemper ſequitur actualis; ſed impeditur ab agentibus naturalibus in illis ſubjectis mixtis, quæ latitudinem graduum intenſionis, & remiſſionis habent.

4. *Supernaturaliter qualitates contrariæ in ſummo ſimul conſervari poſſunt.*

Dico ſecundò; ſupernaturaliter tamen aliquæ qualitates etiam in ſummo ſibi contrariæ ſimul in eodem ſubjecto copulari poſſunt. Scotus videtur fuiſſe anceps in quibuſdam locis circa hanc con-

concluſionem; attamen deinde in eam magis propendet *4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 4. lit. G.* & ſequuntur Baſſol. Tartar. Maſtr. Bellut. & alii Scotiſtæ; contra Durand. Greg. Soncin. & ex noſtris Tromb. Ant. Andream, Columb; &c.

Probatur primò ex Sacra Scriptura; ex qua conſtat, in damnatis fore ſimul ex ſpeciali ordinatione ſummum calorem, & ſummum frigus; unde dicitur Job *cap. 24. ab aquis nivium tranſibunt ad calorem nimium.* Et Matth. 13. *ibi erit fletus, & ſtridor dentium;* ubi Gloſſa dicit, ut notat P. Baſſolius, quòd corpora damnatorum frigus, & calorem ſimul in gradibus intenſis patientur: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: tum quia duo corpora ſupernaturaliter poſſunt eſſe ſimul in eodem loco per miraculoſam, & ſupernaturalem penetrationem: Ergo & duæ qualitates contrariæ in ſummo in eodem ſubjecto. Conſequentia tenet; quia non magis repugnant qualitates ratione ſuorum effectuum inter ſe, quàm duæ quantitates, ratione dimenſionum quantarum: Ergo &c. Tum quia non videtur ex quo capite oriatur aliqua repugnantia, ratione cujus DEI Omnipotentia non poſſet copulare ſimul duas formas abſolutas qualitatum in ſummo contrarias: Ergo hoc concedendum eſt poſſe fieri ſupernaturaliter. Probat. Ant non ex eo, quòd ſubjectum receptivum talium qualitatum in ſummo contrariarum ſit limitatum, & conſequenter incapax receptionis earundem; quia etſi ſubjectum eſſet limitatum, & incapax receptionis earum reſpectu agentium naturalium; non tamen reſpectu agentis ſupernaturalis; nam ab iſto recipit formas (cujuſmodi eſt quævis qualitas) non per potentiam paſſivam; ſed per potentiam obedientialem, quæ reſpectu talis agentis non eſt determinata: unde ſicut per talem potentiam idem corpus poteſt replicari à DEO ad plura ubi ſimul, etſi ab agente naturali id fieri nequeat; ita dicendum de ſubjecto, quòd ab agente ſupernaturali per potentiam obedientialem poſſit recipere plures qualitates ſibi contrarias in ſummo. Neque oritur repugnantia aliqua ex eo, quòd qualitates ipſæ contrariæ dicant inter ſe oppoſitionem, & una aliam actu expellat; quia expulſio ejuſmodi actualis eſt effectus tantùm, ſecundarius, & veluti conſecutivus, quem DEUS poteſt impedire, ſicut impedit expulſionem alterius quantitatis ab eodem loco, quando fit miraculoſa, & ſupernaturalis rei corporeæ penetratio v. g. Corporis Chriſti penetrantis per januas clauſas, & ſepulchralem lapidem. Itaque licèt effectum primarium qualitatum, qui eſt informare ſubjectum illudque denominare, & reddere tale, non poſſit impedire DEUS; poteſt tamen effectum ſecundarium, cujuſmodi eſt expellere aliam qualitatem contrariam in ſummo ab eodem ſubjecto. Ex his corruunt rationes P. Columbi, quæ ex hoc capite repugnantiam, & impoſſibilitatem etiam reſpectu potentiæ ſupernaturaliter agentis aſſeverare intendunt.

5. *P. Columbus contentatur.*

Objicit primò Columbus: ſi contraria in ſummo poſſent eſſe ſimul ſupernaturaliter in eodem ſubjecto, utique & contradictoria de eodem poſſent verificari, infert Ariſtoteles *4. Met. cap. 4. tex. 27.* ſed contradictoria non poſſunt verificari de eodem ſubjecto: Ergo neque contraria eſſe ſimul. Reſpondeo Neg. Maj. & ad Philoſophum dico, eum non cognoviſſe potentiam ſupernaturalem circa hoc; unde inferebat, ſi naturaliter contraria eſſent ſimul, etiam cotradictoria eſſent ſimul, nō autem ſi ſupernaturaliter eſſent ſimul. Deinde non debet eòdem modò argui de contrariis, ac de contradictoriis quoad excludendum unum per aliud; quia cùm oppoſitio contradictoria ſit per affirmationem, & negationem; ideo unum immediatè excluditur per aliud; aliter contingit in contrariis; quia cùm eorum oppoſitio ſit poſitiva; propterea conceptus formalis unius non conſiſtit in actuali expulſione alterius; cùm ambo ſint poſitivi conceptus; unde ratione effectuum incompoſſibilium tantùm unum aliud excludit, quatenus ad poſitionem unius ſequitur excluſio alterius in gradibus intenſis ſecundùm curſum communem naturæ: cùm autem Deus hujuſmodi curſum naturæ poſſit alterare quoad effectum talem ſecundarium expulſionis, ideo contraria in ſummo poterunt eſſe ſimul; & nō ſequetur, quòd ſtatim etiam contradictoria poſſint verificari de eodem ſubjecto: ſed ſubjectum utrumque contrarium habens diceretur calidum, & frigidum; non verò calidum, & non calidum. Tandem dici poteſt, quòd Philoſ. per contraria intellexerit contrarietatem eſſentialem propoſitionum; id eſt, intendebat dicere, ſi con-

ſi contrariæ propoſitiones eſſent veræ, etiam contradictoriæ eſſent veræ; quod eſt falſiſſimum: non autem loquebatur de contrarietate qualitatum: & ita pariter eſt gloſſandus Doctor, qui idem dictum Philoſophi amplexatur *3. diſt. 1. q. 4.*

6. *Alia argumenta adverſa.*

Objiciunt alii ſecundò: DEUS nequit impedire effectum primarium cauſæ alicujus: Ergo neque ſecundarium; & conſequenter nec expulſionem alterius qualitatis contrariæ in ſummo ab eodem ſubjecto, quæ eſt effectus ſecundarius. Præterea ſi duæ qualitates in ſummo contrariæ, v. g. amaritudo, & dulcedo eſſent ſimul in eodem ſubjecto, non videtur qualem ſenſationem producerent in ſenſu: Ergo gratis aſſeritur eas poſſe eſſe ſimul. Tandem ſequeretur ex concluſione, aliquid etiam poſſe motibus contrariis ſimul moveri: ſed hoc dici nequit: Ergo &c.

7. *Repudiantur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. diſparitas eſt; quia effectus primarius immediatè per ſe procedit à forma inhærente, & ideo etiam vocatur *effectus intrinſecus*, unde implicat formam informare ſubjectum, & eam non denominare tale; quia eſſe album, non eſt aliud, quàm habere albedinem: effectus verò ſecundarius non immediatè procedit ab ipſa forma; ſed mediante effectu primario, & ideo dicitur veluti *extrinſecus*, & conſequenter à DEO impedibilis. *Ad Secundum* Neg. Ant. nam illæ duæ qualitates in ſummo amaritudo, & dulcedo in ſenſu guſtûs agerent ad ſenſationem mediam, ex utriſque permixtam; ſicuti modò faciunt liquores contrarii permixti. *Ad Tertium* Diſt. ſequelam Maj. ſi per motus contrarios intelligantur illi, qui haberent terminos contrarios caloris v. g. & frigoris Conc. Maj. ſi verò intelligantur per motus contrarios aliqui motus incompoſſibiles, cujuſmodi ſunt motus ſurſum, & deorſum reſpectu ejuſdem Neg. Maj. & diſtincta ſic Min. Nego Conſequentiam.

QUÆSTIO VIII.

De qualitatibus motivis Elementorum.

NOta primò: jam ſuprà *quæſt. 3. not. 1.* dixi, per qualitates elementares motivas, ſeu motrices intelligi illas vires, quibus Elementa poſſunt moveri ſurſum, vel deorſum. DD. communiter quatuor aſſignant tales qualitates motivas, ſcilicet levitatem ſimpliciter, gravitatem ſimpliciter; levitatem ſecundùm quid, & gravitatem ſecundùm quid.

1. Quid ſit Gravitas & Levitas habitualis.

Nota ſecundò Gravitatem, & Levitatem dividi in habitualem, & actualem. *Gravitas habitualis*, quæ pariter vocatur *Gravitas in actu primo*, eſt illa qualitas, quâ corpus grave poteſt moveri deorſum. *Levitas* verò *habitualis*, quæ & *Levitas in actu primo* appellatur, eſt qualitas, quâ corpus leve poteſt ſurſum moveri. *Gravitas actualis* eſt, quâ grave actu deorſum fertur, *Levitas* verò *actualis*, quâ actu ſurſum fertur: utraque iſta vocatur *Gravitas, & Levitas in actu ſecundo*, ſeu *gravitatio*, & *levitatio*.

Elementa non gravitant, nec levitant in propriis centris.

Dico primò: Elementa gaudent quidem in ſuis propriis, & naturalibus locis nativâ Gravitate, & Levitate habituali; non autem actuali; ſeu non gravitant, & levitant in propriis centris. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 2. q. 10. & 4. diſt. 49. q. 13.* & ſequuntur Tartar. Pariſienſ. Columb. & alii Scot. ac Conimbr. Ruvi. & alii RR.

Probat. prima pars: Gravitas, & Levitas habitualis ſunt paſſiones Elementorum, identificatæ eſſentiis eorundem, puta Gravitas eſſentiæ terræ, & Levitas eſſentiæ ignis: Ergo Elementa iis gaudent in propriis, & naturalibus locis. Conſequentia tenet; quia proprietates ſunt, ubicunque ſunt eſſentiæ, quibus identificantur; adeoque ſunt etiam in Elementis in propriis centris exiſtentibus; & conſequenter iis gaudent Elementa in propriis & naturalibus locis.

Probat. ſecunda pars: tum quia commune axioma Philoſophorum eſt, Elementa in propriis locis, & centris non gravitare, & levitare actu. Tum quia Urinatores gradientes ſub alta mole aquarum non ſentiunt pondus: ſed ſi Elementum aquæ in ſuis naturalibus ſedibus, & centris gravitaret, deberent ſentire pondus: Ergo non gravitant. Tum quia ſi Elementa in ſuis locis naturalibus haberent actualem Gravitatem & Levitatem, ſeu ſi ibi gravitarent & levitarent, non quieſcerent ibi, ſed eſſent in ſtatu violento, ſentirentque violentiam; quia exiſterent ibi contra inclinationem naturalem: ſed hoc videtur inconveniens: Ergo &c. Tum tandem quia experientiâ conſtat, fiſtulam maximam aquæ aquis putei adhuc immerſam nullum habere pondus; unde leviſſimò negotiò uſque ad ſummitatem aquarum extrahitur; quod ſignum eſt

eſt Elementum aquæ in ea contentæ non gravitare, ob ſedem naturalem, quam ibi retinet: Ergo &c.

3. *Opponitur variè.*

Objicies *primò*: Philoſophus adverſatur ſecundæ parti concluſionis: Ergo &c. Prob. Ant. Philoſophus *4. Cœl. tex. 39.* ſentit, Elementa media, id eſt aërem, & aquam in ſuis locis gravitare, & levitare: Ergo &c. *Secundo*: variæ experientiæ docent, Elementa in ſuis centris actu gravitare & levitare: Ergo &c. Probatur Ant. *imprimus* experientiâ conſtat, aërem quandoque deſcendere infra terram: Ergo tunc gravitat. *Secundò*, utres repleti aëre efficiuntur graviores, quam erant priùs vacui; velociuſque deſcendunt: Ergo &c. *Tertiò*, lignũ centum librarum velociùs deſcendit per aërem, quàm plumbum unius libræ, & hoc ideo, quia aër in poris ligni exiſtens adjuvat illud: in aqua verò faciliùs deſcendit plumbum, quàm lignum; quia aër in ligno exiſtens illud ſuſtentat: Ergo aër in proprio loco gravitat. *Quartò*, aqua ſuper terram exiſtens, eandem penetrat, & movetur deorſum; quòd non eveniret, niſi gravitaret: Ergo &c. *Quintò*, vaſa tam diu natant in aqua, quàm diu non replentur aquâ; ſecutâ autem repletione illico merguntur: ſed hoc non contingeret, niſi in loco proprio gravitaret: Ergo &c.

4. *Sed occurritur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad Probat. ejus dico, quod etſi dicat, utres aquâ vel aëre plenos gravitare; id tamen non habent ex ſe; ſed evenit ideo, quia aër in eis incluſus eſt denſus, & denſa graviora ſunt, quàm rara; ſiquidem halitus terreſtres, & athomi commiſcentur tali aëri, unde illam gravitatem ſortiuntur. *Ad Secundum* Neg. Ant. & *ad primam* experientiam probativam ejus dico, illum deſcenſum fieri per accidens, in ordine ſcilicet ad impediendum vacuum, quod natura abhorret. *Ad ſecundam* jam data eſt cauſa de utribus aëre repletis, quòd ſcilicet graviores efficiantur ob admixtos halitus terreſtres, & athomos gravitantes. Poteſt etiam dici, quòd ratione figuræ, quæ minùs reſiſtit medio, faciliùs deſcendant, ſicque videantur gravitare. *Ad Tertium* dico, quòd lignum 100. librarum deſcendat velociùs per aërem, quàm plumbum, non quia aër in poris ligni exiſtens ipſum adjuvat, ſed quia gravius eſt; in aqua verò non deſcendit tam velociter ſicut plumbum, quia in poris ejus aër aliquis eſt incluſus, qui petit eſſe ſuper aquam; unde lignum eſt magis aëreum, & plumbum magis terreum. Deinde lignũ ob craſſitiem aquæ impeditur in demerſione, motuſque retardatur præſertim, dum lignum eſt ſiccum. *Ad Quartum* dico, illam penetrationem aquæ non oriri exinde, quaſi aqua exiſtens ſuper terram gravitaret, ac ideo moveretur deorſum; ſed ideo quia in poris terræ latitat aër, cui aqua petit ſubeſſe, ac proinde penetrat terram. Vel dici poteſt, illam penetrationem aquæ cauſari à ſiccitate terræ, quæ eſt aquæ attractiva, & ideo cauſativa illius motûs deorſum veluti violenti. *Ad Quintũ* dico, vaſa aquæ innatantia non propterea ſecutâ repletione aquæ mergi, quaſi gravitaret aqua in eis; ſed ex eo, quòd aqua ſit fluida, unde ſecundùm omnes ſuas partes æqualiter petit à terra diſtare, & ſimul uniri cum altera.

Dico ſecundò: Elemento ignis convenit levitas ſumma ſeu ſimpliciter; Elemento terræ Gravitas ſumma, ſeu ſimpliciter; Elemento aëris Levitas ſecundùm quid; & Elemento aquæ Gravitas ſecundùm quid. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 14. q. 3.* & ſequuntur Scotiſtæ communiter. 5. *Quaratione Levitas diſtribuatur per Elementa.*

Probat. prima pars: tum authoritate S. Auguſtini *22. de Civit. cap. 9.* tum S. Damaſceni *2. de Fide cap. 6.* Elemento ignis concedentium Levitatem ſummam: Ergo &c. Tum ratione, quia ſupremo Elemento attribui debet ſuprema qualitas motiva, cujuſmodi eſt Levitas ſimpliciter, & ſumma: ſed Elementũ ignis eſt ſupremum: Ergo ei attribuenda eſt qualitas motiva ſuprema, ſcilicet Levitas ſimpliciter, & ſumma. Præterea Elementũ ignis obtinet ſuperiorem ſitum inter Elementa: Ergo ſignum eſt, ipſum habere Levitatem ſummam, quæ ad ſuperiora evehit.

Probat. ſecunda pars authoritate Philoſophi; qui *5. Top. cap. 2.* aſſerit, terram in ſitu occupare infimum locum, utique ob ſui gravitatem ſummam, quæ ipſam deprimit, & movet deorſum, quàm procul poteſt: Ergo Elemento terræ convenit Gravitas ſumma, ſeu ſimplicer.

Probat. tertia & quarta pars: aër & aqua ſunt Elementa intermedia inter ignẽ, & terram: Ergo ipſis etiam conveniunt intermediæ duntaxat qualitates motrices elementares, cujuſmodi ſunt Levitas ſecundùm quid conveniens aëri, & Gravitas ſecundùm quid conveniens aquæ.

DI-

DISTINCTIO II.

DE QUATUOR ELEMENTIS IN PARTICULARI.

Prænotatio.

DE Elementis quatuor in particulari vaſtiſſimus poſſet confici Tractatus, ſi exactè ſingula de ipſis diſputari deberent, maximè de Terra, quatenus continet metalla, mineralia, lapides, plantas, ac alia cum mira varietate: ſed hæc Naturaliſtis diſcutienda reliquam, & hìc ea duntaxat proponam, quæ neceſſaria ſunt pro aliquali eorum in particulari notitia: Et primò de Elemento Terræ

QUÆSTIO I.
De Terra,

1\. *Terra occupat locum infimum: eſt ſicca, & frigida; creata fuit inanis, & informis.*

NOta primò: etſi Terra cum aqua conficiat unum globum, qui dicitur *Globus terraqueus*; ſecundùm tamen ſitû Univerſi Terra occupat locum infimum; eſt enim ſummè gravis, ut *priori quæſt.* dictum eſt, adeoque tendens ad infimum ſitum. Eſt præterea Elementum ſiccum, & frigidum; utì ſuprà *diſt. 1. q. 6.* pariter oſtenſum eſt. Terra fuit á principio conditionis Mundi producta primô die Mundi; & quidem *inanis & vacua*, ut loquitur ſacer Textus *Gen. 1.* id eſt, abſque omni ornatu, decore, hominibus, animantibus & plantis; nec erat diſcriminata in colles, montes, valles, & campos; ſed undequaque aquis cooperta, & propterea *Sap. 11. cap.* apellatur *materia inviſibilis. & informis*· tertiô verò die, *dixit DEUS* (verba ſunt S. Gen. cit.) *congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum unum, & appareat arida;* & factum eſt ita. Eodem tempore juxta S. Auguſtinum, & alios DD. Deus excavavit globum Terræ, præparando vaſtas voragines, meatus, & cavernas, in quas notabilior pars aquarum Divinâ virtute detruſa fuit, ac maria effecit; alia verò in canales terræ promota fuit, & inde flumina formata: ſicque diſcriminata fuit in montes, valles, & campos.

Nota ſecundò: Terram ſitam eſſe in medio Mundi, ſeu Univerſi; & conſequenter eam eſſe centrum Mundi, ſeu Univerſi. Ita ſentit Philoſophus *2. Cæli cap. 13.* & Ptholomæus, Plinius, & alii Veteres; & ex Scotiſtis Joannes de Magiſtris, Tartaret. Columb. &c. Ratio eſt primò; quia omnia corpora mixta gravia, in quibus prædominatur Terra, deſcendunt per angulos rectos ad Terram: Ergo Terra eſt in medio Mundi veluti centrum Univerſi. Conſequentia patet; quia illud eſt centrum Mundi, ad quod omnia gravia deſcendunt. Ratio eſt ſecundò, quia omnia ſidera, & Planetæ apparent tam Antipodibus, quàm nobis eſſe ejuſdem magnitudinis: Ergo diſtant æqualiter à Terra; adeoqne Terra eſt in medio Cæli ſiderei, & totius Univerſi ſita. Ratio eſt tertiò; quia illi, qui univerſum pene globum Terræ circumnavigarunt, teſtantur, eum ubique remotiſſimè diſtare à Cælis, & ubique aëre ambiri, quod ſignum eſt eum in medio Univerſi ſituatum eſſe: Ergo &c. Hoc ipſum etiam ſvadent frequentes Eclypſes Lunares; qui non contingerent, ſi Terra non eſſet in medio Univerſi; nam ſi extra centrum Univerſi exiſteret, non interponeretur inter Solem, & Lunam (ex qua interpoſitione oritur Eclypſis Lunæ) ſed uterque Planeta poſſet eſſe in puncto Zodiaci ipſi oppoſiti abſque Terræ interpoſitione; ſicque non contingerent Eclypſes lunares.

2\. *Eſt iſta in medio Mundi.*

Nota tertiò: tametſi Terra ſit infimum Elementum quoad ſitum; attamen quoad plures ſuas partes ſupereminet aquas Univerſas; eſtque altior omnibus mari-

3\. *In multis locis eminet ſuper aquas.*

bus. Ita ſentit P. Lyra, Major, Joannes de Magiſtris, Pariſienſ. Columb. Magiſter Sentent. & videtur etiam eſſe Scoti ac S. Bonaventuræ; contra Burg. Catharin. & S. Thomam. Ratio eſt primò; quia ita colligitur ex S. Scriptura, ex illo *Geneſ. 1. Congregentur aquæ, quæ ſub Cœlo ſunt, in unum, & appareat arida*: quem paſſum ponderans doctiſſimus noſter P. Lyra dicit, aquas fuiſſe coactas in profundas concavitates Terræ; ſicque Terram eminuiſſe, & de facto eminere ſuper eas; ne videlicet animantia in ea ab Authore Mundi collocata, aquis abſorberentur; & plantæ ac arbores poſſent germinare. Et propterea etiam dicit alia Scriptura *Pſal. 134. qui firmavit Terram ſuper aquas*: quem locum commentans S. Auguſtinus ait, *ſecundum hanc locationem rectè intelligitur, quòd altius ſit Terra, quàm aqua*, altius *quippe ab aquis ſuſtollitur, ubi habitent terrena animalia*; quod utique eſt Terra. Ratio eſt ſecundò; quia conſentiunt in eandem doctrinam S. Hieronymus *in Pſal. 32.* & S. Chryſoſtomus *hom. 9. ad pop. Antioch.* ac alii SS. PP. Ergo &c. Ratio eſt tertiò; quia hujuſmodi præeminentiam, & ſublevationem Terræ ſuper maria ſvadent, tum curſus omnium fluminum ad mare, tanquam ad depreſſius: tum aſpectus hominis exiſtentis in ſublimibus montanis, ex quibus, ſi quis ſpeculetur maria, depreſſiora deprehenduntur: tum Solis illuminatio, quæ priùs in cacuminibus montium ſublimium cernitur, quam in mari. Et ſanè ſi maria eſſent altiora Terrâ, continuum foret miraculum, quòd ipſa non effluant, & ſubmergant univerſum globum Terræ. Manet ergo firmum dogma, Terram eſſe altiorem cunctis maribus: ideo rectè à S. Scriptura *Pſal. 104. vocatur terminus aquarum, quem non tranſgrediuntur, neque convertuntur operire Terram.*

4. *Non trepidat.*

Nota quartò: Terram non trepidare, aut moveri in gyrum, ut arbitratur Copernicus Aſtrologus; ſed ſubſiſtere immobiliter. Ita ſentit Philoſophus *2. Cœli tex. 102.* Plinius, & communis Catholicorum. Et ego pluribus rationibus oppoſitam Copernici opinionem impugnavi ſuprà *tract. de fabrica Mundi & Cœli diſt. 2. q. 5.* ſicque pro ſtabilitione immobilitatis Terræ repeto ſolùm illud Scripturæ Eccleſiaſtes 1. *Terra verò in æternum ſtat*: & appono rationem; quia Terra eſt graviſſima, ac centrum Univerſi: Ergo debet eſſe immobilis ſicut centrum ſphæræ.

5. *Num ſtatim produxerit roſas cum ſpinis.*

Nota quintò: plures SS. PP. præſertim D. Baſilium, Ambroſium, Damaſcenum, Auguſtinum, & Bedam ſentire, Terram ante Adæ peccatum originale protuliſſe roſas ſine ſpinis. Alii econtra arbitrantur roſas ſtatim à principio conditionis ſuæ è Terra natas fuiſſe cum ſpinis: rationem dant, quòd id nativa Roſarum proprietas, & conditio poſtulet.

6. *Montes terræ ſtatim factis fuère tertio die creationis Mundi.*

Nota ſextò: quòd Terra primò dividatur phyſicè in planitiem, montes, & inſulas; de qua diviſione quæri poteſt, quando facta ſit? Aliqui dicunt, quòd tempore diluvii: aliqui putant eam à ventis & Terræ motibus accidere: ſed probabiliùs eſt, cum Damaſc. *lib. 2. orthod. Fidei cap. 9. & 10.* montes ſtatim à principio Mundi factos tertiò die; uti dixi ſuprà *not. 1.* Et eſt ratio primò; quia non eſt credibile, quòd tot annorum ſæculis, quæ à Mundi exordio uſque ad diluvium tranſacta ſunt, non exhiberet Terra homini eas commoditates, & emolumenta, quæ à montibus proveniunt: montes enim multùm conferunt non ſolùm ad gratiam aſpectûs, decorem, ac pulchritudinem; ſed etiam ad regionum ſalubritatem, ad cohibendum impetum ventorum, ad arcendos maris, fluviorumque incurſus, ad rerum quæ è Terra naſcuntur fertilitatem, ac copiam; omnes enim ferè aquarum rivuli, fontes, & amnes è montibus oriuntur. Item quædam arbores amant colles, aliæ camporum planitiem; quare non ſatis fuiſſet à prima Mundi origine Terræ fœcunditati conſultam, ſi tamdiu montibus caruiſſet. Prob. etiam ex illo Pſal. 89. *priuſquam montes fierent, aut formaretur Terra, aut Orbis.* Item Gen. 8. dicitur, Arcam DEI 27. die menſis ſeptimi, quieviſſe ſuper montes Armeniæ. Item Gen. 7. dicitur, aquas diluvii 15. cubitos ſupra montes fuiſſe elevatas: Ergo &c. Poteſt etiam alia cauſa eſſe montium, ſcilicet aquæ, quæ terram mollem alluunt; deinde rapiunt duriorem; tum ſaxa quoque devolvunt, atque planitiem excavant, & ingentem efficiunt eminentiam, quæ Mons dicitur; ſicut & ima loca valles. Venti quoque montium cauſæ eſſe poſſunt: imò induſtria poteſt aliquis collis exſurgere, ut teſtantur Scriptores de Monte Teſtaceo Romæ, qui ex fragmentis vaſorum in eum locum projectorum fuit compactus.

7. *Altitudo montium.*

Nota octavò: altitudinem montium variè ab Hiſtoriogtaphis aſſignari: de monte

monte Olympo fama fertur, eum tam altè protendi, ut in ipſius cacumine nec nubes, nec venti, nec nix unquam extiterit: quod ſignum evidens eſt, illum montem totam regionem aëris, in qua nix, & pluviæ generantur, tranſcendere: unde Poëtæ Olympum *cœlum* vocant.

8. *Quid ſit Inſula.* Inſulæ propriè dicuntur partes quædam Terræ avulſæ, aquis circumdatæ: quarum cauſæ & diluvium, & induſtria eſſe poteſt. Qua ratione Globus totius Terræ diſtribuatur à Geographis in Aſiam, Africam, Europam, & Americam; & quales ſint iſtæ partes, vide *tom. 3. tract. 4. de Coſmographia.*

Quæres an ſint Antipodæ in terra, id eſt homines ex oppoſito habitantes? Lactantius, D. Auguſtinus & Beda reſpondent negativè; ſed affirmativè reſpondendum eſt, quia experientiâ recentiorum navigantium ſcitur, intrà nos eſſe habitatores; cùm Globus Terræ ſit rotundus, & undequaque quaſi habitatus, quod ignorabant veteres: unde etiam in hodierna Geographia clymata ſunt aucta notatiſſimè uſque ad 48. utì dicam *in tract. de Geographia tom. 3.*

QUÆSTIO II.
De Aqua.

1. *Aqua eſt levior & eminentior terrâ, conſtatur ex maribus, fluminibus &c. eſt poroſa.* NOta primò Aqua in ſyſtemate Univerſi obtinet ſecundum locum; quia minùs gravis eſt, quàm terra. Totum ejus corpus conſtat ex maribus, fluminibus, fontibus, lacubus, rivis, & aliis receptaculis aquarum. Eſt Elementum frigidum, & humidum, utì ſuprà *diſt. 1. q. 6.* oſtenſum eſt. Ejus partes integrales ſunt fluidæ, & tenuiores, quàm partes terræ; craſſiores autem quàm partes aëris: habet etiam Aqua poros ſuos, ratione quorum proinde compreſſione poteſt condenſari, dum vi adigitur intra globum æneum, ibique contra naturalem exigentiam compreſſa magnâ vi partes ſuas explicare conatur; ideoque exiguum foramen nacta ſummo impetu inde exilit, ut teſtatur Cabeus *tom. 1. Meteor. tex. 60. q. 7.* Eandem poroſitatem Aquæ, & conſequenter condenſibilitatem oſtendunt aliæ experientiæ; nam ſi Aquæ fontanæ ſal vulgare immiſceatur, aliqua tantùm ejus pars ab Aqua reſolvitur, & reliqua remanet, quæ ſcilicet ſupereſt poſt repletionem illorum pororum Aquæ, qui erant apti ad recipiendas particulas ſalis: idem evenit cum nitro, alumine, & ſale ærmoniaco conjectis in ſcyphum Aquæ.

Quæres primò: an præter Aquas ſub concavo Lunæ ſitas in maribus, fluminibus, fontibus &c. reperiantur aliæ ſuper Orbes cœleſtes; cùm S. Scriptura dicat *Geneſ. 1. dixit DEUS, fiat firmamentum in medio Aquarum, & dividat Aquas ab Aquis?* Reſpondeo &

Dico primò: dantur reales, & veræ Aquæ ſuper ſphæram firmamenti, ſeu cœli ſyderei. Ita communior SS. PP. & TT. contra P. Fraſſen, & quoſdam alios RR. TT. docentes per Aquas ſuper firmamentum ſitas intelligi Aquas illas, quæ in media regione aëris generantur. 2. *Extant reales Aquæ ſuper cœlum ſydereum.*

Probat. primò authoritate S. Scripturæ; quæ litteraliter procedens aſſerit ſuper firmamentum extare quaſdam Aquas veras; ut patet tum ex illo Cantici trium puerorum, *Dan. 3. benedicite Aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt Domino.* Ubi iſtæ Aquæ diſtinctæ referuntur ab Aquis elementaribus; quia immediatè commemorantur poſt Angelos, & deinde primô ſuô ordine referuntur aliæ creaturæ, puta Sol, Luna, ſtellæ, imber, ros, nubes, ſeu Aquæ mediæ regionis aëris. Tum ex illo *Pſal. 148. laudate eum cœli cœlorum, & Aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt;* ubi per ly *cœli cœlorum* juxta phraſim Hebraicam intelligũtur cœli ſyderei, ſeu firmamentum: Ergo revera dantur Aquæ veræ & reales ſuper firmamentum.

Probatur ſecundò authoritate Eccleſiæ; quæ in Hymno Veſperali Feriæ ſecundæ harum Aquarum meminit canendo:

Immenſe Cœli Conditor,
Qui mixta ne confunderent,
Aquæ fluenta dividens
Cœlum dediſti limitem: Ergo &c.

Probat. tertiò authoritate SS. PP. eaſdem Aquas aſſerentium; ut videre eſt apud V. Bedam, & D. Auguſtinum *lib. 2. Gen. ad lit. cap. 5.* dicentem, *quoquo modo, & qualeslibet Aquæ ibi ſint, eſſe eas ibi minimè dubitemus; major eſt quippe Scripturæ hujus authoritas, quàm* [illegible]*us humani ingenij capacitas:* Ergo &c.

Objicit *primò* P. Fraſſen: DEUS, & natura nihil fruſtra moliuntur: ſed fruſtraneæ prorſus viderentur illæ Aquæ cõſtitutæ ſupra cœlum ſidereum: Ergo &c. 3. *Objectiones P. Fraſſen.*

Secundò, S. Scriptura Aquas ſuper firmamen-

mentum poſitas appellat variis in locis Aquas ipſas in ſecunda aëris regione (quæ pars quoque firmamentum & cælum rectè dicitur) detentas, puta pluvias; ut *3. Reg. cap. 18.* & *Pſal. 103.* & alibi: Ergo &c.

4. *Diluuntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Min. nam etſi à nobis ignorentur determinati præciſi fines, atque cauſæ, ut habet D. Auguſtinus *2. Retract. 6.* ob quas DEUS conſtituerit aliquas ſupra firmamentum; certùm tamen eſt eas à parte rei dari; ut docet S. Auguſt. *lib. 2. Gen. ad lit. cap. 5.* Deinde Interpretes Scripturæ allegant quaſdam etiam rationes illarum Aquarum, ut non videantur eſſe fruſtraneæ; dicit namque Oleaſter commentans *cap. 1. Gen. Aquas ibi primitus à DEO fuiſſe conſtitutas, ut per cœli cataractarum reſerationem terram in diluvio Noë obruerent.* S. Juſtinus *q. 99.* putat eas ideo eſſe poſitas ſuper firmamentum, ut illud ſuô pondere deprimant, ne ſurſum feratur; ſed veluti ſuſpenſum, & libratum conſiſtat. Theodoretus vult eas idcirco ibi eſſe, ut Solis, Lunæ, & aſtrorum ardorem temperent, ne cælos diſſolvant. Vel ut vult V. Beda, *ad remittendum calorem ex vi, & motu ſiderum excitatum.* Alii tandem exiſtimant eas eò eſſe ab Authore naturæ, & gratiæ ſituatas ad voluptatem Sanctorum, in cælo vicino empyreo commorantium, ut oculi eorum aliquando aſpectu hujus chryſtallinæ limpidiſſimæque creaturæ recreentur; quo videtur alludere illud *Apoc. 7. deducet eos ad vitæ fontes Aquarum.* Et illud *cap. 22. oſtendit mihi fluvium Aquæ vitæ, ſplendidum tanquam chryſtallum. Ad Secundum* concedo in allegatis locis, & quibuſdam alliis Scripturarum Aquas pluviales etiam appellare Aquas firmamenti; cum quo tamen ſtat, quòd aliæ quoque ab his diſtinctæ reperiantur ſuper octavam ſphæram collocatæ: de quibus alii paſſus Scripturæ *probat. 1.* allati loquuntur; & ille *Gen. 1. diviſitq; Aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſupra firmamentum.*

5. *Cur Aquæ quædam calidæ prorũpant è terra* Nota ſecundò: maxima Aquarum receptacula eſſe maria, quæ varia ſunt; ſed principalia conſpiciuntur in Mappis Geographicis Oceanum, Mediterraneum, Mare Rubrum & Perſicum: quorum deſcriptiones & diviſiones vide *tom. 3. Scholæ Philoſoph. tract. de Geographia.*

Quæres ſecundò: quare aliqua loca ebulliant aquam calidam, aliqua dulcem, aliqua acetoſam &c. Reſpondeo calorem illum debere refundi in metallicam terram, in venas ſulphuris, & bituminis, per quas ſcaturiunt fontes calidi: ſimiliter dulcedo, odor, acetoſitas, & ſimiles affectiones Aquarum proveniunt à terra, ſimilibus qualitatibus reſperſa, quam alluunt: ex eadem cauſa provenit, quòd aliqui fontes, ut Lyceſtes Macedoniæ, contineant aquas ſimiles vino, verè inebriativas.

Quæres tertiò: quænam ſint cauſæ ſalſedinis Marium? Reſpondeo primam ſecundùm Scotum *2. Met. cap. 3.* eſſe commixtionem ſucci cujuſdam indigeſti terreſtris cum humido, accedente actione caloris cooperantis; qui vel influit in Maria, vel ibi generatur. Secunda eſt magna copia ſalis formalis, quam author naturæ tertiô die magni opificii Mundi Maribus, in alveos, & cavernas ſuas detruſis inſperſit, ad alimentationem, & ſuſtentationem piſcium marinorum, qui in ſalſis duntaxat Aquis vivere poſſunt: & ad præſervationem eorundem Marium à putredine. Ratio eſt, quia arte pharmacopolica in vitris diſtillatoriis, poteſt fieri evaporatio Aquæ dulcis, & tunc ſal in notabili copia remanet. Idem conſtat ex coctura Aquarum maritimarum, in qua maxima ſalis quantitas extrahitur. Et propterea etiam dulceſcit Aqua Maris, quando colatur per varios terræ poros, & anfractuoſos meatus; quia videlicet ſalis copia inſperſa adhæret terræ, & ſeparatur ab Aqua dulci. 6. *Cauſa ſalſedinis maris.*

Quæres quartò: quot ſint motus Maris, & quibus cauſis adſcribendi? Reſpondeo tres potiſſimè obſervari motus Maris. *Primus eſt*, quô fluit à plaga Aquilonari, ſeu Septemtrione versùs plagam Auſtralem, ſeu à Polis versùs Æquinoctialem: hujus motûs tres ſolent aſſignari cauſæ. Prima; quia ſub Polis reperitur major, & frequentior copia nubium & nivium, quàm in plaga Auſtrali, ſeu circa Æquatorum; cùm Sol ſub Polis valde debiles habeat operationes; circa Auſtrum verò, & Æquinoctialem potentes venti, quibus nubes, & nives diſſipantur, & conſumuntur ante lapſum earum in terras. Unde fit, ut reſolutio, & lapſus nivium ſub Polis illum motum cauſet à plaga Aquilonari versùs Auſtrum. Secunda cauſa eſt; quia ex parte Septemtrionali plura flumina ſeſe exonerant in Mare, quàm circa Æquatorem. Tertia eſt, quia Sol ſuis radiis circa Æquatorem maximam vaporû copiam 7. *Quot ſint motus maris.*

copiam ex Mari elevat, conſequenter in Mari inæqualitatem quandam cauſat, quam volentes reliquæ Aquæ vicinæ iterum complanare, ab Aquilone, ſeu Polis accurrunt versùs Æquatorem, ſicque illum motum efficiunt.

Secundus motus obſervatus in Mari eſt, quô fluctuat, & movetur ab Oriente versùs Occidentem: ratione hujus motûs naves majori celeritate moventur ab Oriente in Occidentem, quàm econtrà. Hic motus adſcribi ſolet continuis ventis Orientalibus, flantibus versùs Occidentem.

8. *Contrariæ fluxus & refluxûs Marium afferuntur.*

Tertius eſt motus fluxûs, & refluxûs; quô ſcilicet Maria ſtatis temporibus longioribus, & brevioribus pro varietate Marium, accedunt, intumeſcunt, & fluunt versùs littora, & inde rurſus recedunt, ac refluunt. De hoc motu (qui eſt unus ex præcipuis arcanis naturæ) varij variè philoſophantur, & diverſas afferunt cauſas: nam quidam AA. volunt hujus fluxûs, & refluxûs cauſam eſſe exonerationem quorundam grandium fluminum, ſuô influxu in Mare Aquas ejuſdem propellentium in oppoſitam ripam, ex qua marinæ Aquæ repercuſſæ rurſus revertuntur continuâ reciprocatione. Alii refundunt hunc fluxum, & refluxum in Aquas ex abyſſis erumpentes, & rurſus reſorptas, quaſi hæ ſuis alternis eruptionibus, & relapſibus cauſarent dictum motum. Alii hunc motum æſtûs adſcribunt quibuſdam ſubterraneis ignibus, quaſi hi bituminoſas materias ibidem exiſtentes accenderent ſtatis temporibus, ſicque ebullitionem quandam in Mari excitarent, cauſativam intumeſcentiæ Maris; ex quo tumore deinde naturaliter ſequitur fluxus Maris versùs littora; ſubſidente verò eodem tumore oritur quoque naturaliter refluxus, quô Aqua repetit ſuum priſtinum locum. Alii hunc motum tribuunt cuidam Intelligentiæ, ſeu Angelo, qui propellit fluctus Maris versùs ripam, à qua deinde reſiliunt, ſicque fluxum, & refluxum cauſant. Sed nulla harum cauſarum ſola mihi ſatisfacit. Unde probabiliter ſentio, vel ejuſmodi motum fluxûs, & refluxûs fieri ex commotione ſpirituum quorundam materialium (ut etiam putat P. Van-Sichen) qui ex voraginibus & profundo Marium ſtatis temporibus erumpunt, ſic ordinante Authore naturæ à principio, & ſua agitatione ac convulſione Aquas Maris in tumorem agunt, ſuſtolluntque magis, vel minùs juxta majorem vel minorem copiam ſpirituum; ſicque in æſtum, & fluxum propellunt versùs littora: quoniam autem diffluentibus Aquis, & ipſi ſpiritus diffluunt, diſperguntur, ac evaneſcunt; ideo paulatim illa ebullitio Maris ceſſat; atque ſic Aquæ à littoribus versùs medium, ubi voraginoſæ cavernæ eorum receptiva extant, naturali gravitate revertuntur, & refluxum exercent. Quòd autem ſtatis temporibus hi ſpiritus eleventur, & erumpant, adſcribendum eſt cauſæ generativæ talium ſpirituum, quæ poſſunt eſſe aliqui ignes ſubterranei, vel Luna, vel alia, quæ tantò temporis ſpaciô tantam ſpirituum copiam generant, ac elaborant, ut erumpendo æſtum Maris efficere valeant. Latere autem in viſceribus, & abyſſis terræ copioſos ſpiritus materiales, docent continuæ exhalationes meteorologicæ, & terræ motus cauſati ab incluſione ſpirituum ſubterraneorum; & plures montes igneos vapores evomentes, ut Veſuvius Æthna &c. In hac opinione ſalvatur *primò* variatio fluxûs, & refluxûs, majoris ſcilicet, & minoris, qui in variam copiam nunc majorem, nunc minorem iſtorum ſpirituum ſubterraneorum eſt refundenda. Salvatur *ſecundò*, cur in quibuſdam Maribus, ut in Oſtiis Garumnæ, ſpaciô ſeptem horarum, in aliis ſpaciô duodecim horarum, alibi citiùs, aut tardiùs contingat fluxus, & refluxus; nam hoc provenit ex crebriori, vel tardiori ſpirituum eruptione, & littorum, voraginumque diſpoſitione, ubi memorati ſpiritus ebulliunt, aut fluminum occurſu, in qua Aquæ ſpiritibus agitatæ impingunt. *Tertiò* ſalvatur, cur aliqua Maria, lacus, & flumina nullum prorſus patiantur æſtū; nam ex eorum fundis nulli ſpiritus erumpunt perturbantes Aquas, defectu cauſæ generativæ eorundem ibidem.

9. *Authoris mens aperitur.*

Vel certè fluxus & refluxus Maris ortum ducit à Lunæ influxu, ut putat Scotus *2. diſt. 14. q. 3.* & *lib. 2. Met. q. 2.* Nam Luna habet ſingulare dominium ſuper humida; & conſequenter etiam ſuper Maria: unde à Naturaliſtis præſertim recentioribus Cartheſianis obſervatum eſt, fluxum illum, & refluxum pro varietate Lunationum, incrementum, & decrementum Lunæ variari. Lunæ itaque adſcribi poteſt ille tumor, & æſtus Maris, quem cauſat ſuô magnetiſmô, ſeu virtute attra-

ctivâ, quâ operante Aquæ attolluntur, & versùs littora propelluntur; ceſſante verò ſubſident, & naturali gravitate refluunt versùs ſuas voragines in medio. Et quoniam Luna in uno corpore humido plus operatur quàm in alio, ob qualitates variàs admixtas diſpoſitivas, vel impeditivas, ideo ob eandem rationem in uno Mari majorem, vel minorem, velociorem, vel tardiorem fluxum, & refluxum cauſat, ob Aquarum diſpoſitionem variam, quæ plus, vel minus reſiſtunt magnetiſmo, & virtuti attractivæ, ac alterativæ Lunæ. Plura de Aqua vide in *Tract. de Meteoris.*

QUÆSTIO III.
De Aëre.

1. *Aër eſt levior aquâ, humidus & frigidus, eſt purus & impurus.*

NOta primò: Elementum Aëris in diſtinctione Univerſi tertiô locô ſituatur, qui adhuc minùs gravis eſt aquâ. Aëris autem nomine venit corpus illud pellucidum, & fluidum, quod inſpiramus & exſpiramus. Eſt Elementum humidum & frigidum, ut probavi ſuprà *diſt. 1. q. 6.* Ejus partes integrales, ſeu quaſi integrales ſunt tenuiores, & fluxibiliores, quàm aqua vulgaris. Aër in tertia duntaxat regione eſt purus; in reliquis duobus ei immixtæ ſunt complures vapores, exhalationes, & varii ſpiritus heterogenei, minerales, animales, vegetabiles à Sole extracti ex terra, herbis, plantis, & aliis mixtis, ratione quorum fit nobis reſpirabilis; nam purus Aër non eſt accomodatus humanæ reſpirationi, & vitæ, ob nimiam ſui ſubtilitatem; ut patet ex S. Auguſtino *lib. de Gen. ad lit. lib. 3. cap. 2.* dicente, *perhibetur in Olympi vertice* (qui in tertia puri Aëris regione eſſe dicitur) *Aër eſſe tam tenuis, ut neque nubibus obumbretur, neque turbetur ventô, neque ſuſtentare alites poſſit, neque ipſos, qui fortè aſcenderint, homines craſſioris auræ ſpiritu alere, ſicut in iſto Aëre conſueverunt.*

2. *Habet tres regiones.*

Nota ſecundò: Philoſophum totum Aëris Elementum in tres diſtribuiſſe regiones, ſupremam, mediam, & infimam. Infima incipit à ſuperficie terræ, & uſque ad certum terminum altitudinis protenditur, ubi fit reflexio radiorum ſolarium, & ſupra quem congregantur nubes, ac pluviæ generantur; itaque ubi extinguitur vis reflexionis caloris, & luminis ſolaris, ibi deſinit tractus infimæ regionis. Media regio deſignatur ab hoc termino uſque ad alium, inter quos dictæ nubes, & pluviæ generantur. Tertia regio occupat totum reliquum ſpacium uſque ad concavam ignis ſuperficiem. Iſti termini, penes quos prædictas regiones Aëris ſolemus diſtribuere, non ſunt immobiles, & fixi; quia pro temporum diverſitate variantur; uti patet in media, & infima regione; æſtivô enim tempore infima regio major eſt, quàm in hyeme; quia reflexio caloris, & luminis ſolaris potentior eſt; Sol enim tunc temporis punctô noſtrô verticali propinquior inſidet, unde terram percutit ad angulos rectos, vel rectis propinquiores, & proinde vehementiùs eam verberat, fitque major reflexio caloris; è contrà contingit in hyeme ubi percutit terram per angulos obtuſos, & anguſtiores.

Nota tertiò: probabiliter primam, & ſecundam regionem Aëris finiri cum altiſſimorum montium cacuminibus, exceptis mox adducendis. Ratio eſt: quia tertia regio à motu cæleſti circumagitur, per talem enim motum calida conſervatur; ſed cacumina montium impedirent hunc gyrum, ſi uſque ad eam porrigerentur: Ergo &c. 3. *Earum termini.*

Nota quartò: valde tamen eſt probabilis opinio, quòd mons Olympus in Theſſalia, Atho in Macedonia, & alii alibi ſua cacumina protendant, atque attollant, uſque infra tertiam regionem; quia Solinus *cap. 4.* & D. Auguſt. *3. de Gen.* dicunt, cineres in cacumine Olympi ſparſos, nec ventô diſſlari, nec imbribus ablui; & quia adeò tenuis ibi eſt aura, apta non ſit ad reſpirandum, ut ſuprà dixi, ideo homines illuc aſcendentes ſecum ſpongias deferunt, aquâ perfuſas, quibus ori appoſitis Aër craſſior efficitur, aptus ad reſpirandum. 4. *Olympus & alij quidam montes attollunt ſe ad tertiam regionem Aëris.*

Nota quintò: infimam regionem partim eſſe calidam, partim frigidam; frigida quidem eſt ex propinquitate terræ, & aquæ; calida verò ob reflexionem caloris. Media regio abſolutò frigida eſt, ut conſtat ex jugis Alpium, & Pyrenæorum, in quibus nix per totum annû manet; quam An. 1682. ex Hiſpaniis redux pedibus propriis calcavi in media æſtate; hujus frigoris cauſa ſunt partim vapores aquei, ibi aliquamdiu remanentes frigore præditi, ex quibus nubes, & pluviæ fiunt; partim diſtan-

diſtantia hujus regionis à fervore ignis, diſtantia à cœleſti motu, & diſtantia à reflexione caloris, & luminis ſolaris: antiperiſtaſis etiam aliquid facit. Tertia eſt calidiſſima propter ignis vicinitatem. Plura de aëre in tract. de Meteor.

QUÆSTIO IV.

De Igne.

1. *Ignis alius eſt purus, alius impurus.*

NOta primò: duplicem dari Ignem, impurum, & purum. *Impurus* eſt Ignis noſter, qui terreis exhalalationibus, aliiſque impuritatibus admixtus eſt. *Purus* eſt, qui caret peregrinis admixtionibus; unde hic eſt rariſſimus, & ſubtiliſſimus, & propterea non ita combuſtivus, & læſivus, uti Ignis impurus; unde experientiâ conſtat, quòd viatores tranſeuntes altiſſimos Peruviæ, & Chiles montes, & appropinquantes ætheri, ſeu regioni Ignis, quovis tenui motu igniantur, & toti ignei appareant, & tam ipſi, quàm eorum jumenta ore, naribuſque flammas evomere videntur, uti narrat Kircherus, & Plembius. Elementum autem Ignis eſt calidum, & ſiccum, uti ſuprà *diſtinct. 1. quæſt. 6.* oſtendi.

2. *Elementaris eſt ſitus ſub Lunæ concavo.*

Dico primò: corpus elementare Ignis puri ſitum eſt in ſupremo loco Elementorum ſub concavo Lunæ; eſtque ejuſdem ſpeciei cum noſtro Igne impuro. Ita Scotus *2. diſtinct. 14. quæſt. 3.* & ſequuntur Poncius, Herman, Van-Sichen, aliique Scotiſtæ.

Probatur prima pars *primò* authoritate SS. PP. ponentium in ſupremo loco ſub concavo Lunæ ſphæram Ignis; unde D. Auguſtinus *Serm. 147. cap. 7.* ait *quære quid in imo ſit? Terra eſt: quid deſuper? Aqua: quid ſuper aquam? Aër: quid ſuper aërem? Æther.* Idem facit Philoſophus: Ergo &c. *Secundò* ratione; quia omnis Ignis ſurſum tendit versùs illam ſphæram puri Ignis, ſub concavo Lunæ ſituati, veluti ad ſuum centrum, & domicilium: Ergo ibi reſidet corpus elementare Ignis puri. Præterea Elementum Ignis puri eſt leviſſimum: Ergo poſcit locum ſuper Elementum aëris; & conſequenter ſupremum elementarem, ac ſub concavo Lunæ.

Probatur ſecunda pars: Ignis elementaris purus, & noſter mixtus impurus habent qualitates ejuſdem ſpeciei, puta caliditatem, & ſiccitatem; & eoſdem ferme producit effectus; nec eſt ulla ratio fundamentalis illum ſpecie diſtinguendi à noſtro: ſicut aër purus tertiæ regionis non diſtinguitur ſpecie à noſtro impuro primæ, & ſecundæ regionis: Ergo reverà corpus elementare Ignis puri, ſeu ætherei non diſtinguitur ſpecie à noſtro impuro. 3. *Et ejuſdem ſpeciei cum noſtro.*

Objicies contra primam partem *primò:* ſi extaret corpus elementare Ignis puri ſub concavo Lunæ, illud ob nimiam activitatem omnia corpora contigua conſumeret: Ergo &c. *Secundò* illud Elementum, ſi ibi extaret, utique oculis noſtris cerni poſſet; ſed non cernitur: Ergo &c. *Tertiò:* Ignis ſub concavo Lunæ non habet proportionatum pabulum, quo nutriatur, & à corruptione, ac interitu præſervetur: Ergo &c. 4. *Oppoſita opinio.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam nimia activitas Ignis elementaris puri ſub concavo Lunæ exiſtentis temperatur tum ab influxibus frigidis Aſtrorum, & Luna vicina; tum ab humiditate aëris vicini; & forſitan aliô modô, ſoli Authori naturæ cognitô præpeditur, ne lædat vicina corpora. *Ad Secundum* Neg. Ant. nam cùm Elementum Ignis puri ætherei ſit rariſſimum, & ſubtiliſſimum circa ſphæram Lunæ extenſum, ideo nequit cerni & diſcerni oculis noſtris imperfectis; ſicut nec aër purus cernitur. *Ad Tertium* dico Ignem elementarem non egere ſub concavo Lunæ ullô pabulô, uti eget noſter ob circumſtantia contraria, conantibus eum corrumpere. 5. *Diluitur.*

Nota ſecundò: flammam noſtri Ignis ideo in figura pyramidali acuminatim aſcendere; quia partes ejus tenuiores velociùs aſcendunt, versùs ſuum centrum, & domicilium, quod eſt Elementum Ignis puri ætherei; minùs verò tenues, & groſſiores tardius; mediocres verò mediocriter eò moventur, unde contingit, ut figuram quaſi pyramidalem efforment. 6. *Cur Ignis pyramidetur.*

Quæres primò: quænam ſit cauſa Ignium ſubterraneorum, quales ſunt in monte Veſuvio in Campania, & Æthna in Sicilia, de quibus quæri poteſt, quomodo ibi nutriantur? Reſpondeo cum 7. *Cauſa Ignis ſubterranei.*

communi, nutrimentum & cauſam horum Ignium eſſe maximam ſulphuris, & bituminis, quibus montes illi abundant, quantitatem.

8. *Quæſita de Igne reſolvuntur.*

Quæres ſecundò: cur Ignis ab aqua marina minùs, quàm ab alia extinguatur? Reſpondeo, quia aquæ marinæ pinguiores ſunt aliis aquis; pinguedo autem Ignem nutrit, & fovet: Ergo &c.

Quæres tertiò: quare illi, qui vehementer frigent, ſi ad copioſum Ignem, propiùs accedant, dolorem ſentiant; non ita illi, qui paulatim calefiunt? Reſpondeo, quia calor ſubitâ vi ingruens, & repentinus ille tranſitus ab uno contrario ad aliud præproperam efficit in ſenſorio tactûs mutationem, quæ doloris cauſa eſt.

9. *Num dentur animalia in Igne.*

Quæres quartò: utrùm aliquod animal in Igne vivat? Duæ ſunt brutorum ſpecies, quæ in Igne vivere dicuntur, Pyrauſtæ, & Salamandræ. De Pyrauſtis ita ſcribit Ariſtoteles *lib. 5. in hiſt. animal. cap. 19. In Cypro Inſula beſtiolæ in medio igne naſcuntur pennatæ, paulò muſcis grandibus majores: quæ per ignem ſaliunt, & ambulant, & cùm ab eo receſſerint, mox emoriuntur.* Similiter *loc. cit.* de Salamandra ſcribit. Item Auguſtinus *lib. 21. Civ. c. 4.*

Verùm cùm ad vitam animalium certum requiratur primarum qualitatum temperamentum; item cùm Ignis efficaciter illam temperiem diſſolvat, aſſerendum, nullum animal in Igne diu vivere poſſe. Ad Ariſtotelem reſpondeo, illum id non ex propria mente, ſed aliorum fuiſſe locutum. De Salamandra dicit Galenus *lib. 3. de temperamento*, D. Thomas *in 4, de 44. q. 3.* illam paulatim ab Igne conſumi. Verùm quidem eſt; illam præhumidæ, ac frigidiſſimæ eſſe naturæ, ſuoque attactu brunas aliquando extinguere, & aliquamdiu in Igne verſari, ſed non diu: ſicut de Adamante refert Plinius *lib. 37. cap. 4.* eum vim habere, realis naturæ contemptricem, ferri ſcilicet, & Ignis; unde nec ferrô, nec Igne diſſolvi poteſt, quare in Divinis Litteris Adamantis nomine ſignificantur ij, qui in peccatis occaluerunt, & ſceleribus, quorum macula noſtris in animabus nil fœdiùs, aut deteſtabiliùs eſſe poteſt: quam finaliter ab eis abſtergere, & purificare dignetur DEI infinita Bonitas.

TRA-

TRACTATUS QUARTUS.

De Generatione, & Corruptione, aliiſque Motibus.

PROOEMIUM.

POſteaquam Philoſophus in 8. lib. Phyſic. *egerat de corpore naturali in communi: & in 4. lib. de Cælo, Mundo, Elementis, ac de corporibus ſimplicibus in particulari; ſubjecit duos libros de Ortu, & Interitu corporum naturalium; ſeu de Generatione, & Corruptione eorundem; in quibus etſi agat etiam de aliјs motibus, ac mutationibus, ſcilicet de Alteratione, Accretione, & Decretione, Actione, & Paſſione, Mixtione &c. â motibus Generationis, & Corruptionis diſtinctis; attamen eos duntaxat intitulavit de his duobus, veluti dignioribus, ac nobilioribus. Subjectum proinde hujus Tractatûs adæquatum erit Corpus ut generabile, & corruptibile.*

DISTINCTIO I.

DE GENERATIONE, & CORRUPTIONE.

QUÆSTIO I.

De quidditate; & exiſtentia Generationis ſubſtantialis.

1. *Triplex uſurpatio Generationis.* NOta primò: Generatio tripliciter ſolet uſurpari: *Primò* pro productione cujuſcunque entis, ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis; hoc ſenſu etiam productio caloris in mea manu ſolet dici quædam Generatio. Philoſophus Generationem in iſta ampla acceptione deſcribit, *5. Phyſ. tex. 7.* quòd ſit *mutatio de non ſubjecto in ſubjectum*; id eſt de privativo ad poſitivum, ut de non albo ad album. *Secundò* capitur pro productione viventis duntaxat, v. g. pro productione ovis gallinæ &c. Generatio in hoc ſenſu deſcribitur quòd ſit *productio viventis â vivente principiô vitæ conjunctô in ſimilitudinem naturæ. Tertiò* uſurpatur pro productione ſubſtantiæ mutabilis duntaxat, ſive ea ſit vivens, ſive vitâ carens. Et hæc eſt uſurpatio propria Generationis prout de ea hìc agitur; & vocatur â Philoſopho *1. de gener. cap. 2. Generatio ſubſtantialis*, & *Generatio ſimpliciter*, Generatio verò accidentalis, *Generatio ſecundùm quid.*

2. *Quid ſit Generatio in ratione mutationis, & productionis.* Nota ſecundò: Generationem in hac tertia acceptione ſecundùm Scotum *1. diſt. 2. q. 7.* & *diſt. 5. q. 2.* cadere ſub duplicem conſiderationem: ſcilicet in ratione productio-

 ductio-

ductionis, & in ratione mutationis. Tunc habetur *Generatio in ratione productionis*, ſeu ut alii loquuntur; *in ratione actionis*, quando agens aliquod ſimul cum materia producit formam ſubſtantialem, ita nimirum, ut in materia privatio non præcedat tempore; ſed natura tantùm; ut ſi DEUS in eodem inſtanti crearet materiam alicujus lapidis novi, & ſimul formam ſubſtantialem ejus, ita ut privatio ejus ſolâ naturâ præcederet in materia: & talis fuit Generatio cæli & terræ. Tunc verò habetur *Generatio in ratione mutationis*, quando agens producit formam in materia, in quâ privatio ejus præceſſit tempore: talis eſt, quando ignis hodiernus generat ignem in materia ligni jam pridem exiſtentis; & quando terra generat herbam, plantam, arborem &c. Iſtæ duæ Generationes ſunt omnino diverſæ rationis, & una poteſt eſſe ſinè alia: nam in Divinis reperitur Generatio in ratione productionis, quâ Filius generatur à Patre; non autem in ratione mutationis; cùm hæc includat imperfectionem, dedecentem DEUM. Similiter in creatis dari poſſet una abſque altera, puta ſi agens ſupernaturale ſimul cum materia produceret formam; quo caſu adeſſet Generatio in ratione productionis; non verò in ratione mutationis. Unde rectè concludit Scotus *1. diſt. 2. q. 7.* & cum eo Aretin. Mayr. Complut. &c. Generationem eſſentialiter & neceſſariò non eſſe mutationem.

3. *Definitio Ariſtotelis pro Generatione in ratione mutationis.*

Nota tertiò: Generationis in ratione mutationis (utpote quæ frequentiſſima eſt in hoc mundo mutabili, & variabili) varias affert Philoſophus definitiones *in lib. Phyſ. & de Gen.* omnium uſitatiſſima eſt, quam dat *1. de Gen. cap. 4. eſt mutatio totius in totum, nullô ſenſibili ſubjectô remanente*; id eſt Generatio in ratione mutationis eſt talis mutatio, quâ unum corpus naturale tanquam terminus à Quo tranſit in aliud corpus naturale tanquam terminum ad Quem, ita ut non remaneat idem ſubjectum denominationis ligni v.g. quoad gradum ſuum priorem ſpecificū, quando in eo generatur ignis; ſed in materiam primam inducitur alius gradus ſpecificus ignis. Sed paulò diſtinctiùs

4. *Definitio Authoris.*

Dico primò: rectè definitur Generatio ſubſtantialis in ratione mutationis, quòd *ſit tranſitus materiæ primæ à privatione neceſſariò tempore præexiſtente formæ ſubſtantialis ad ipſam formam ſubſtantialem, cum qua facit unum per ſe corpus ſubſtantiale.* Eſt ad principia Philoſophi *1. de Gen. 25.* & Scoti *1. diſt. 2. q. 7.*

Probatur: hæc definitio ritè exprimit naturam Generationis ſubſtantialis in ratione mutationis: Ergo &c. Ly *tranſitus* eſt genus, in quo convenit Generatio hìc definita cum Generatione accidentali: reliqua collocantur pro differentia. Dicitur *tranſitus materiæ primæ*, ut indicetur ſubjectum Generationis in ratione mutationis, quod eſt materia prima; nuda quidem, ſi fiat Generatio corporum vitâ carentium; informata verò formâ corporeitatis, ſi fiat Generatio viventium. Additur *à privatione*, ut exprimatur unus terminus à Quo fiat Generatio definita, qui eſt privatio formæ ſubſtantialis: dicitur *tempore præexiſtente*, ad differentiam Generationis hìc definitæ à Generatione in ratione productionis, in qua privatio non præcedit tempore; ſed naturâ duntaxat, ut ſuprà dixi. Dicitur *ad ipſam formam ſubſtantialem*, ut exprimatur alter terminus ad Quem Generationis mutativæ hìc definitæ, qui eſt ipſa forma, quæ in Generatione ponitur, v.g. planta, quæ in Generatione mutativa terræ generatur. Apponitur ly *cum qua facit unum per ſe corpus ſubſtantiale*, majoris claritatis gratiâ; & ſimul inſinuatur terminus ad Quem Generationis in ratione mutationis, qui eſt compoſitum totum ſubſtantiale, ſeu corpus ſubſtantiale, quod per ſe coaleſcit ex materia prima, & forma ſubſtantiali generata: & per hoc etiam inſinuatur differentia Generationis mutativæ ab actione eductiva formæ ſubſtantialis, cujus terminus ad Quem eſt tantùm forma educta, non autem compoſitum ex illa forma & materia conſurgens. De Generatione in ratione productionis

Dico ſecundò: bene definitur Generatio in ratione productionis, quòd *ſit actio productiva termini, ſeu compoſiti ſubſtantialis dependenter à ſubjecto, cujus privatio non præceſſit neceſſariò tempore in ſubjecto.* Eſt ad principia Scoti *1. diſt. 5. q. 2.* 5. *Alia ejuſdem.*

Probatur hæc definitio eſt formata juxta leges probæ definitionis: Ergo &c. Ly *actio productiva* eſt genus, in qua Generatio in ratione productionis convenit cum Generatione accidentali, & creatione: reliqua ſtatuuntur, pro differentia. Dicitur *actio productiva termini, ſeu compoſiti ſubſtantialis*, ut Generatio hìc definita diſcriminetur ab accidentali actione, & productione, cujuſmodi eſt altera-

tiva,

tiva, ſolius accidentis productiva; & ab actione eductiva, quæ non attingit compoſitum ſubſtantiale; ſed ſolam formam ſubſtantialem: ſed ſola Generatio ſubſtantialis eſt compoſiti ſubſtantialis effectiva, ut habet Philoſophus *1. Phyſ. 64.* & alibi. Additur *dependenter à ſubjecto*, ut diſtinguatur eadem Generatio hic definita à creatione, quæ eſt independens à ſubjecto; cùm ex nihilo res creetur. Ly tandem *cujus privatio* &c. diſtinguit eandem à Generatione in ratione mutationis.

6. *Fiunt variæ Generationes ſubſtantiales.* Dico tertiò: fiunt defactò complures ſubſtantiales Generationes in rerum natura in ratione mutationis, & dabiles etiã ſunt aliæ in ratione productionis. Ita Scotus *2. diſt. 1. q. 3.* prope finem. Et *4. diſt. 1. q. 1.* & ſequuntur Scotiſtæ, Nominales, & communis Peripat. contra veteres complures Philoſophos, Leucippum, Democritum, Empedoclem, Anaxagoram &c.

Probatur prima pars *primò* authoritate D. Auguſtini, qui *3. contra Maxim. cap. 4.* Generationem ſubſtantialem hominis ab homine, & canis à cane adſtruit dicens, *homo generat hominem, & canis canem*: Ergo fiunt defactò Generationes ſubſtantiales in ratione mutationis.

Secundò authoritate Platonis, & Ariſtotelis, hanc concluſionis partem aſſerentium contra priſcos: Philoſophus quidem *1. de Gen.* in variis tex. & *3. de Cæl. & Mund. à tex. 29.* uſque ad finem: Ergo &c.

Probatur *tertiò* ratione: Tum quia experientiâ quotidianâ conſtat, fieri complures tranſitus materiæ primæ à privatione, ſeu non eſſe formæ ſubſtantialis ad ipſam formam ſubſtantialem, ſeu ad ipsũ eſſe formæ ſubſtantialis; ſic dum ignis applicatur ligno, materia prima ligni tranſit de non eſſe formæ ſubſtantialis ignis ad eſſe formæ ſubſtantialis ignis: & dum granum in terram conijcitur, fit tranſitus materiæ primæ de non eſſe ſpicæ ad eſſe ſpicæ: ſed hujuſmodi tranſitus ſunt Generationes ſubſtantiales, in ratione mutationis ex Philoſopho hic *tex. 18.* & ſequentibus: Ergo fiunt ſubſtantiales Generationes in rerum natura in ratione mutationis. Tum quia agentia naturalia producunt ſibi complura ſimilia, ut homo hominem, leo leonem: ſed ejuſmodi productiones ſunt Generationes in ratione mutationis; cùm per ipſas producatur compoſitum ſubſtantiale ut terminus: Ergo &c. Tum quia ubi adſunt principia requiſita, & ſufficientia ad Generationes ſubſtantiales in ratione mutationis, ibi fiunt tales Generationes: ſed in rerum natura dantur ejuſmodi principia; quæ ſcilicet ſunt materia, forma, & privatio, juxta Philoſophum *1. Phyſ. cap. 6. & 7.* Ergo &c.

Probatur ſecunda pars: defactò exiſtit Generatio ſubſtantialis in ratione productionis: Ergo eſt ulteriùs dabilis. Conſequentia tenet; quia ab actu ad potentiam valet Conſequentia. Prob. Ant. DEUS in principio creavit materiam cæli, in qua non præceſſit tempore forma cæli: Ergo defactò extitit Generatio ſubſtantialis in ratione productionis. Præterea DEUS poteſt hodie creare materiam primam novam, & ſimul cum illa formam aliquam ſubſtantialem novi ligni: in hoc enim nulla eſt implicantia: Ergo dabilis eſt Generatio ſubſtantialis in ratione productionis.

Objicies *primò* contra primam partem concluſ. ſi fierent in rerum natura aliquæ Generationes ſubſtantiales in ratio mutationis, vel hæ eſſent entis ſecundùm eſſentiam, vel ſecundùm exiſtentiam: ſed neutrô modô fieri poſſunt: Ergo non dantur tales Generationes ſubſtantiales. Prob. Min. non eſſent entis ſecundùm eſſentiam; quia eſſentiæ rerum ſunt æternæ, ut paſſim loquuntur Philoſophi: nec eſſent entis ſecundùm exiſtentiam; quia exiſtentia vel eſt accidens, vel eſt modus aliquis entis; adeoque quando ens ſecundùm exiſtentiam fit, non cenſetur generari ſubſtantialiter. *Secundò*: ſi fieret generatio aliqua ſubſtantialis in ratione mutationis, deberet fieri ex non ente ſimpliciter; quia terminus ejus eſt ens ſimpliciter, ſcilicet compoſitum ſubſtantiale: ſed ex non ente nequit fieri Generatio ſubſtantialis; quia ex nihilo (quale eſt non ens) nihil fit; ut habet commune adagium Peripateticum: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Conc. Maj. & Neg. Min. ad cujus Probationem dico, eſſentias rerum dici æternas ſi ſumantur in communi; non autem ſi ſumantur in particulari: quare in particulari poſſunt generari ſubſtantialiter, & acquirere exiſtentiam novam, quæ eſt identificata eſſentiis; adeoque ſubſtantiale quid per identitatem. *Ad Secundum* Diſt. Maj. deberet fieri ex non ente ſimpliciter tam quoad actum, quàm potentiam Neg. Maj. quoad actum Conc. Maj. Itaque in Generatione ſubſtantiali in ratione mutatio- 7. *Oppoſitiones reſolvuntur.*

nis

nis ſit quidem de non ente ſimpliciter quoad actum; quia ſcilicet materia prima non præhabuit actu formam, quæ generatur, ſed ejus carentiam duntaxat; ſit tamen de ente ſimpliciter; quia fuit in potentia ad talem formam generatam; unde tunc Generatio non fit ex puro nihilo, ſed aliquo potentiali; nec omne non ens eſt nihilum, niſi dicat carentiam tam actûs, quàm potentiæ; quod in Generatione ſubſtantiali non contingit.

QUÆSTIO II.

De ſubjecto, & termino Generationis ſubſtantialis.

1. *Generationis mutativa inanimatorum ſubjectum inhæſionis eſt materia prima.*

Dico primò: Generationis ſubſtantialis inanimatorum in ratione mutationis uſurpatæ ſubjectum inhæſionis eſt materia prima; animatorum verò eſt corpus altera pars viventis. Ita Scotus *7. Met. q. 8.* & *2. diſt. 12. q. 1.* & *1. diſt. 2. q. 7.* & ſequuntur Villaverd. Poncius, Maſtrius, Bellutus, & communior Scotiſtarum; ac Ruvius & Complut. contra Bannem, Joannem à S. Thoma, & alios Thomiſtas.

Probatur prima pars primò authoritate Philoſophi; qui variis in locis hanc concluſionis partem tenet, maximè *1. de Gen. 24.* ubi ait, *eſt autem & materia maximè quidem, & propriè ſubjectum Generationis, & Corruptionis ſuſceptibile*: ſi itaque materia prima eſt ſubjectum ſuſceptibile Generationis: Ergo eſt ſubjectum inhæſionis ejuſdem, quatenus uſurpatæ in ratione mutationis. Videatur etiam *8. Met. 15.* & *5. Phyſic.* ac alibi, ubi idem docet: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: tum quia cum veritate nequit aſſignari aliud ſubjectum inhæſionis, in quo recipiatur Generatio ſubſtantialis inanimatorum in ratione mutationis uſurpata, quàm materia prima: Ergo &c. Probat. Ant. nequit aſſignari compoſitum ſubſtantiale, quod de novo fit, ut putant adverſarii; quia dum Generatio exercetur, compoſitum ſubſtantiale necdum exiſtit; neque hoc perſeverat ſub utroque termino mutationis; neque ipſum dicitur mutari, ſed produci: Ergo &c. Tum quia illud cenſetur eſſe ſubjectum inhæſionis ex *5. Phyſ. 6.* circa quod exercetur motus, & mutatio; motus enim eſt in mobili ut in ſubjecto quod actuat: ſed materia prima inanimatorum eſt id, circa quod exercetur motus Generationis, ſeu Generatio in ratione mutationis, ut infrà oſtendam: Ergo ipſa eſt ſubjectum inhæſionis talis Generationis.

2. *Animatorum verò corpus.*

Probatur ſecunda pars: in Generatione ſubſtantiali animatorum corpus altera pars viventis gerit vices materiæ primæ: Ergo ejuſmodi corpus rectè ſtatuitur ſubjectum inhæſionis Generationis ſubſtantialis animatorum in ratione mutationis uſurpatæ. Præterea nil aliud congruentiùs aſſignari poteſt pro ſubjecto inhæſionis talis Generationis; non enim compoſitum animatum; quia hoc nondum eſt; nec materia prima nuda; quia Generatio viventium ſeu animatorum, præſupponit formam corporeitatis, jam in materia prima receptam: adeoque remanet, quòd corpus altera pars viventis, id eſt materia prima cum aliqua forma corporeitatis jam conglobata (quæ ſimul corpus alteram partem viventis efficiunt) ſit ſubjectum inhæſionis Generationis ſubſtantialis animatorum.

3. *Compoſitum eſt ſubjectũ commune omniũ accidentium abſolutorum, & perfectorum.*

Objicies contra primam partem *primò*: compoſitum eſt commune, & ſolum ſubjectum inhæſionis omnium accidentium: ſed Generatio ſubſtantialis inanimatorum in ratione mutationis uſurpata eſt etiam quoddam accidens: Ergo compoſitum ſubſtantiale, & non materia prima eſt ejus ſubjectum inhæſionis. Reſpondeo Diſt. Maj. compoſitum eſt commune, & ſolum ſubjectum inhæſionis omnium accidentium abſolutorum, & perfectorum Conc. Maj. omnium relativorum, & imperfectorum Neg. Maj. Itaque compoſitum eſt tantum ſubjectum commune, & ſolum omnium accidentium abſolutorum, & perfectorum; Generatio verò & unio, ut ſuprà *tract. 1. diſt. 7. q. 3. not. 1.* docui, ſunt accidentia quædam relativa, & imperfecta, quorum ſubjectum inhæſionis proinde non eſt compoſitum.

4. *Generationis quoque mutativæ inanimatorum ſubjectum in quo & circa quod eſt materia prima*

Dico ſecundò: ſimiliter materia prima eſt ſubjectum in quo, & circa quod exercetur Generatio ſubſtantialis inanimatorum in ratione mutationis uſurpata; corpus verò in quo exercetur Generatio ſubſtantialis viventium. Ita Scotus *2. diſt. 12. q. 1.* & *4. diſt. 13.* & ſequuntur Villaverd. aliique Scotiſtæ; ac S. Thomas *1. de Gener. lect. 10.* & alibi.

Probat.

Probatur prima pars *primò* authoritate Philoſophi; nam is *1. Phyſ.* paſſim appellat materiam primam ſubjectum, ex quo aliquid fit, cùm inſit: Ergo eſt primũ ſubjectum, in quo exercentur primæ Generationes ſubſtantiales mutativæ, ſeu ſimplices. Et *5. Met.* eam vocat ſubjectum formarum. Et *2. & 3. Phyſic.* primum mobile, ac primam naturam: Ergo ipſa eſt primum ſubjectum, in qua Generatio ſubſtantialis inanimatorum in ratione mutationis accepta exercetur, ſicque recipiuntur formæ, & fiunt motus.

Probatur ſecundò: in illo ut ſubjecto exercetur Generatio ſubſtantialis inanimatorum in ratione mutationis uſurpatæ, in quo recipitur forma geniti: ſed iſta recipitur in materia prima: Ergo ipſa eſt ſubjectum, in quo exercetur dicta Generatio.

5. *Inanimatorum verò eſt corpus.* Probatur ſecunda pars: corpus organicum ut altera pars viventis gerit vices materiæ primæ, & in eo recipitur anima ſenſitiva, bovis v. g. Ergo in ea ut ſubjecto exercetur Generatio ſubſtantialis viventium.

6. *Productiva verò eſt ipſe generans.* Dico tertiò: Generatio ſubſtantialis in ratione productionis uſurpata ſubjectum eſt ipſe generans. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 13. q. 5.* & *2. diſt. 3. q. 5.* ubi univerſaliter docet, omnem actionem (qualis etiam eſt Generatio ſubſtantialis in ratione productionis) ſubjectari in agente ut ſubjecto; & non in paſſo: & ſequitur Scotiſtarum communis ſententia, contra Thomiſtas.

Probat. primò illis rationibus, quibus *tom. 1. tract. 5. diſt. 2. q. 2.* oſtendi, actionis ſubjectum eſſe agens: Ergo à pari etiam Generationis in ratione productionis ſubjectum erit generans.

Probat. ſecundò: generans denominatur formaliter, & intrinſecè à Generatione ſubſtantiali in ratione productionis acceptæ: Ergo generans eſt ſubjectũ talis Generationis. Conſequentia tenet; quia illud cenſetur ſubjectum alicujus formæ, quod forma denominat formaliter, & intrinſecè, ut patet de pariete, qui formaliter, & intrinſecè denominatur ab albedine, & pater à paternitate: Ergo cùm generans denominetur formaliter, & intrinſecè generans à forma relativa Generationis, ipſe eſt ſubjectum ejus. Circa alterum articulum quæſt.

Dico quartò: terminus ad Quem Generationis ſubſtantialis in ratione mutationis acceptæ eſt forma de novo acquiſita; non verò compoſitum. Ita colligitur ex Scoto *1. diſtinct. 28. quæſt. 2.* & ſequuntur Maſtrius, Bellut, Herman, & alii Scotiſtæ. 7. *Terminus ad Quem generationis mutativa eſt forma de novo acquiſita.*

Probatur: ſubjectum in Generatione ſubſtantiali ſub ratione mutationis accepta tranſit ad formam novam, & non ad compoſitum; neque compoſitum recipit, ſed componit; & compoſitum planè impertinens eſt ad Generationem in ratione mutationis; & Generatio reperitur in ratione mutationis in accidentibus; ubi tamen nullum compoſitum reſultat: Ergo non compoſitum, ſed forma de novo acquiſita eſt terminus ad Quem Generationis ſubſtantialis in ratione mutationis acceptæ.

Dico quintò: terminus totalis, & adæquatus Generationis ſubſtantialis in ratione productionis, ſeu actionis, non eſt unio materiæ, & formæ: ſed compoſitum ex eis reſultans. Ita colligitur ex Scoto *1. diſtinct. 28. quæſt. 2.* & *7. Met. quæſt. 10.* & alibi, & ſequuntur Villav. Poncius, Columbus, Baſſol, Maſtr. Faber, Lamaz. &c. contra Complut. Joan. à S. Thoma, Hurtad. &c. 8. *Terminus totalis generationis productivæ non eſt unio materiæ, & formæ.*

Probatur prima pars: tum quia terminus totalis, & adæquatus Generationis ſubſtantialis in ratione productionis acceptæ generatur, ut pluribus aſſerit Philoſophus præſertim *7. Met. 26.* ſed unio materiæ, & formæ propriè non generatur; cùm ſit quædam relatio conſurgens ex poſitione extremorum: Ergo unio materiæ, & formæ non eſt terminus totalis, & adæquatus Generationis ſubſtantialis in ratione productionis acceptæ. Tum quia terminus totalis, & adæquatus Generationis ſubſtantialis eſt ſubſtantia; unio autem eſt quoddam accidens relativum: Ergo nequit eſſe ejus terminus totalis, & adæquatus. 9. *Sed compoſitum.*

Probatur ergo ſecunda pars: tum authoritate Philoſophi, qui *1. Phyſic. cap. 7. tex. 61.* & *1. Met. cap. 1.* aſſerit, neque materiam, neque formam, ſed compoſitum generari: Ergo compoſitum eſt terminus totalis, & adæquatus Generationis. Tum ratione; compoſitum ex materia, & forma reſultans eſt id, quod ſimpliciter, & per ſe intendit generans, & ad quod producens tendit ultimatè: Ergo hoc eſt ter-

Digitized by Google

minus totalis, & adæquatus Generationis ſubſtantialis in ratione productionis. Deinde terminus totalis Corruptionis eſt privatio totius compoſiti; ſicut patet in deſtructione hominis, in qua nec anima, nec corpus moritur; ſed homo ut totum compoſitum, reſultans ex anima, & corpore moritur, ac corrumpitur: Ergo ſimiliter in Generatione ipſius hominis terminus ejus totalis nec erit corpus, nec anima ſeu forma; ſed totus homo, ex corpore, & anima reſultans.

10. *Quid nomine compoſiti veniat hic.*

Nota autem primò: per compoſitum ſubſtantiale, quod aſſeritur eſſe terminus totalis Generationis ſubſtantialis in ratione productionis, intelligi totam naturam v. g. hominis, ut hæc includit eſſentiam, exiſtentiam, ſingularitatem; non autem ſuppoſitalitatem, ut colligitur ex Scoto *2. diſtinct. 2. quæſt. 3.* & *3. diſtinct. 4. quæſt. un.* Ratio primi, & ſecundi eſt; quia tam eſſentia, quàm exiſtentia pertinent ad conſtitutionem primariam, ut dicam in Metaphyſica: unde utrumque includit compoſitum ſubſtantiale, quatenus eſt terminus totalis Generationis ſubſtantialis in ratione productionis. Ratio ſecundi eſt, quia ſecundùm Philoſophum *1. Met. cap. 1.* actiones, & conſequenter Generationes ſunt circa ſingularia; unde natura in communi non eſt idoneus terminus Generationis; ſed ut in ſingularibus; non enim generatur ignis ut ſic; ſed hic ignis: Ergo compoſitum ſubſtantiale, quatenus eſt terminus totalis Generationis ſubſtantialis, debet includere etiam ſingularitatem. Ratio tertii eſt; tum quia ut probabile definitur à Scoto *3. diſtinct. 1. quæſt. 1.* ſuppoſitalitatem non eſſe quid poſitivum; ſed negativum: Ergo compoſitum ſubſtantiale quà totalis terminus Generationis ſubſtantialis (quæ ad poſitivum terminatur) eam non includit. Tum quia corpus pro altera parte inanimatis eſt terminus Generationis in ſuo ordine; & tamen non includit ſuppoſitalitatem; cùm ſit alteri communicabilis ut Quo, nempe per modum partis: Ergo compoſitum ſubſtantiale quà terminus Generationis ſubſtantialis non includit ſuppoſitalitatem.

11. *Forma ſubſtantialis eſt terminus formalis, &* *Quo generationis.*

Nota ſecundò: formam ſubſtantialem rectè ſtatui pro termino formali, & Quo Generationis ſubſtantialis; ut advertit Scotus *1. diſtinct. 2. quæſt. 2.* Ratio eſt; quia forma eſt id, quô terminus totalis Generationis ſubſtantialis conſtituitur in eſſe formali, & ſpecifico; ut ait idem Doctor *loc. cit.* Ergo forma ſubſtantialis rectè ſtatuitur pro termino formali, & Quo Generationis ſubſtantialis.

QUÆSTIO III.

An Generatio ſubſtantialis inanimatorum peragatur in inſtanti?

SEnſus quæſtionis eſt, an forma ſubſtantialis materialis non viventium (cujuſmodi eſt v. g. forma ignis in ligno, vel charta introducta per ignitionem) generetur & inducatur in tempore, & cum quadam ſucceſſione, ita ut gradus poſt gradum generetur: an verò in inſtanti, & eſt ſermo de tota forma materiali inanimatorum in ſua latitudine conſiderata, non de prima indiviſibili forma. De forma animatorum dicetur infrà quæſt. 6. not. 3.

1. *Generatio totalis fit in tempore.*

Dico primò: probabiliùs eſt, & magìs conforme principiis Scoti atque Philoſophi, omnem Generationem ſubſtantialem totalem peragi in tempore, & ſucceſſivè. Ita colligitur ex Scoto *2. diſtinct. 2. quæſt. 9.* & *4. diſtinct. 43. quæſt. 5.* ubi ait, agens creatum ſucceſſivè inducere formam ſubſtantialem, ſcilicet materialem inanimatorum; unde ibidem infert, quòd ſi forma corporeitatis in reſurrectione in inſtanti introducta fuerit, id Divinæ virtuti fore adſcribendum. Videatur etiam *8. Met. quæſt. 3.* Doctorem ſequuntur Lychet. Villaverd. Faber, Maſtrius, Tartar. Ant. Andreas, & alii Scotiſtæ; ac Thomas de Vio, Heræ. Pererius, &c. contra S. Thomam, Hurtad. Arriag. Tolet. & ex veteribus contra Simplic. Thomiſt. alioſque Græcos, ac ex Scotiſtis contra Columb. Mayron. &c.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui variis in locis ſignanter *4. Phyſic. 129.* & *7. Phyſic. 37.* apertè docet, Generationem ſubſtantialem totalem, utique inanimatorum, eſſe velociorem, & tardiorem; velocitas autem, & tarditas ſucceſſionem quamdam, & temporaneum fluxum formæ ſubſtantialis materialis inanimatorum arguit: Ergo &c.

Proba-

Probatur ſecundò experientiâ; quâ conſtat, formam ſubſtantialem materialem ignis v. g. non ſimul, ac in inſtanti; ſed ſucceſſivè implantari in materiam combuſtibilem chartæ v. g. vel ligni; unde una pars, eſt ignis, & ſubſequens adhuc eſt charta, vel lignum: ſed eſt eadem ratio de quacunque alia forma ſubſtantiali materiali: Ergo &c.

Probatur tertiò ratione: quando paſſum, circa quod fit operatio, eſt affectum contrariis qualitatibus, tunc agens naturale intra ſphæram ſuæ activitatis agit uniformiter difformiter (ut diſcurrit Doctor *loc. cit.*) producendo nimirum qualitatem intenſiorem, diſponentem & expellentem contrariam in partibus ſibi proximioribus, & remiſſiorem in partibus remiſſioribus: in omni autem Generatione ſubſtantiali materiali totali inanimatorum paſſum eſt affectum contrariis qualitatibus, pro quibus expellendis, & ſuperandis præviæ introduci, & produci debent qualitates, diſponentes & expellentes: & cùm idem paſſum ſit diviſibile in plures partes, non poteſt ſecundùm omnes eſſe æqualiter approximatum agenti; unde hujuſmodi qualitates expulſivæ ſucceſſivè induci debent; & conſequenter etiam ipſa formæ ſubſequentis Generatio totalis fit ſucceſſiva; hæc enim conſequitur naturaliter, & neceſſariò ultimas diſpoſitiones, quæ cùm ſucceſſivæ fiant, & ipſam formam ſucceſſivè fluere eſt neceſſe: Ergo non peragitur Generatio ſubſtantialis inanimatorum in inſtanti.

Confirmatur: tunc peragitur aliqua actio ſucceſsivè, quando adſunt hæc duo, *forma* ſcilicet per eam ponenda, habens aliquam latitudinem ſive intenſivam graduum, ſive extenſivam partium, quarum una poſt alteram producitur: & *impedimentum* aliquod, ratione cujus omnes partes formæ ſimul non poſſunt induci: nam ut docet ex Philoſopho Scotus *2. diſt. 2. q. 9.* radix omnis ſucceſſionis eſt ex reſiſtentia medii ad motorem, & mobile impediens, ut omnes partes ſimul ponantur; ſed in omni Generatione ſubſtantiali totali inanimatorum hæc duo adſunt: Ergo omnis talis fit ſucceſſivè, & non in inſtanti. Probat. Min. in primis omnis forma ſubſtantialis inanimatorum per Generationem acquirenda habet latitudinem ſaltèm extenſivam partium; ut patet de forma ignis, in charta genita: habet etiam impedimentum; quia paſſum, circa quod fit Generatio, eſt affectum contrariis, quæ oportet priùs expellere, & ejus reſiſtentiam vincere; quod agens naturale in inſtanti præſtare nequit: Ergo in omni Generatione ſubſtantiali adeſt forma habens aliquam latitudinem, & impedimentum.

Objicit *primò* P. Columbus: illuminatio habetur in inſtanti, etiam ſecundùm Doctorem *5. Met. q. 7.* Ergo & Generatio ſubſtantialis inanimatorum. *Secundò*, Corpus Chriſti in Hoſtia conſecrata per verba Sacramentalia adducitur in inſtanti: Ergo à pari etiam Generatio peragi poteſt in inſtanti. *Tertiò*, niſi Generatio ſubſtantialis inanimatorum foret inſtantanea, ſequeretur, quòd eadem numerò materia ſimul informaretur pluribus formis materialibus; & unum idemque individuum participaret diverſas ſpecies; eſſet enim ſub forma ignis, & ſub forma aquæ; ſicque duas ſpecies participaret: Ergo &c. *2. Oppoſitiones afferuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. diſparitas eſt; quia lumen nullum habet impedimentum, ſeu contrarium, impediens ſui diffuſionem momentaneam per medium, in quo contingit illuminatio; unde totum ſimul inducitur; uti colligitur ex Philoſopho *5. Phyſic. 18.* & habet Scotus *2. diſt. 2. q. 9.* at forma ſubſtantialis habet impedimentum, ratione cujus tota ſimul in inſtanti nequit introduci, ſicque fieri ejus Generatio ſubſtantialis inſtantanea; impedimentum autem hujuſmodi eſt contrarium, quod in paſſo latet, ſeu qualitates contrariæ, quibus paſſum eſt affectum, quæ nonniſi ſucceſſivè poſſunt expelli; uti ſuprà *probat. 3.* oſtendi: & proinde faciunt Generationem formæ ſubſtantialis ſucceſſivam. *Ad Secundum* Neg. quoque Conſequentiam: diſparitas eſt; quia agens adducens Corpus Chriſti eſt illimitatæ, & infinitæ virtutis; unde bene in inſtanti poteſt operari, adducendo illud corpus: at agens generans formam ſubſtantialem eſt limitatæ virtutis, cui dum occurrunt impedimenta in paſſo, ſcilicet contraria; nequit in inſtanti ea ſuperare, & totam ſimul formam introducere. *Ad Tertium* Neg. ſequelas Ant. nam cùm formæ ſubſtantiales inanimatorum ſint diviſibiles in plures partes, & gradus, uti & materia; hinc fit, quòd juxta expulſionem velociorem diſpoſitionum contrariarum in una, quàm in altera pellatur quoque unus gradus formæ prioris *3. Et reſolvuntur.*

diviſibilis v. g. aqua & introducatur alius gradus formæ novæ v. g. ignis in illa parte; ſicque non informatur ſimul materia in eadem parte pluribus formis; nec idem individuum participat duas ſpecies in eadem portione materiæ; ſed in diverſa; quod non eſt impoſſibile.

QUÆSTIO IV.

De diſtinctione Generationis ſubſtantialis à Corruptione, Converſione, & Alteratione.

1. *Generatio diſtinguitur à Corruptione.*

Dico primò: Generatio ſubſtantialis realiter diſtinguitur à Corruptione, etiam in ratione productionis ſeu actionis ſumpta. Prima pars eſt Scoti *1. diſt. 27. q. 3.* & *2. diſt. 1. q. 3.* & ſequuntur Meriner. Faber, Monturſ. Maſtrius, & alii Scotiſtæ; ac Tolet. Conymbr. Complut. &c. contra Marſiliam, Albertum de Saxonia, Zabarellam, Cajet. &c. ſuſtinentes, Generationem, & Corruptionem eſſe unam ſimpliciſſimam mutationem, qua fit acceſſus ad unam formam illam generando, & quâ fit receſſus ab alia illam corrumpendo; & conſequenter volunt hi DD. nullam dari diſtinctionem realem inter eas. Secunda pars colligitur ex Scoto *4. diſt. 16. q. 2.* ubi Scotus ex ſeparabilitate duorum infert eorum diſtinctionem realem: unde quia infuſio gratiæ, & remiſſio culpæ ſunt mutationes ſeparabiles, conſequenter etiam ſunt realiter diſtinctæ: eandem tuentur Faber, Monturſ. Meriner. & alii Scotiſtæ; contra Maſtrium, Bellutum &c. ac ex alienis Marſiliam, Bannem, Albert. Cajetan. &c.

Probatur prima pars *primò*: illa diſtinguuntur realiter, quæ gaudent definitionibus diſtinctis, & diverſis: ſed Generatio ſubſtantialis, & Corruptio gaudent definitionibus diſtinctis, & diverſis: Ergo diſtinguuntur realiter. Probat. Min. nam ſi utriuſque definitiones aſſumantur ex Ariſtotele *7. Met. tex. 26. & 27.* Generatio ſubſtantialis eſt actio productiva compoſiti ſubſtantialis de non eſſe actu ad eſſe actu; Corruptio verò eſt actio deſtructiva compoſiti ſubſtantialis de eſſe actu, ad non eſſe actu: ſed hæ definitiones ſunt diſtinctæ, & diverſæ: Ergo &c.

Secundò: illæ actiones ſunt diſtinctæ realiter, quarum termini ſubſtantiales adæquati realiter diſtinguuntur: ſed Generatio, & Corruptio ſunt duæ actiones, habentes terminos adæquatos realiter diſtinctos: Ergo &c. Probatur Min. terminus Generationis ſubſtantialis adæquatus eſt compoſitum ſubſtantiale genitum; terminus verò Corruptionis eſt deſitio compoſiti ſubſtantialis priùs geniti: ſed iſti ſunt termini adæquati realiter diſtincti: Ergo &c.

2. *Etiamſi ſumatur in ratione productionis.*

Probatur ſecunda pars *primò* argumentô Scoti, quod habet in *cit. 4.* ubi ex duorum ſeparabilitate infert diſtinctionem realem: ſed Generatio ſubſtantialis in ratione productionis, ſeu actionis ſumpta poteſt ſeparari à Corruptione: Ergo Generatio ſubſtantialis in ratione productionis ſeu actionis ſumpta diſtinguitur realiter à Corruptione. Prob. Min. Deus ſaltem de Potentia abſoluta poteſt exuere materiam primam omni formâ, ſecundùm doctrinam Doctoris Subtilis, uti ſuprà *tract. 1. diſt. 3. q. 9. n. 5.* oſtendi; & tunc agens aliquod creatum poſſet in illam agere, educendo formam aliquam, atque eandem in ipſam inducere; hôc caſu haberetur Generatio ſubſtantialis in ratione productionis, ſeu actionis; ſeu actio productiva abſq; Corruptione, ſeu actione deſtructiva ullius prioris formæ præexiſtentis: Ergo Generatio ſubſtantialis in ratione productionis, ſeu actionis ſumpta poteſt ſeparari à Corruptione.

Secundò: Generatio ſubſtantialis in ratione actionis ſumpta habet terminum realiter diſtinctum à termino Corruptionis: Ergo diſtinguuntur realiter. Probat. Ant. Generatio in ratione actionis habet pro termino formam ſubſtantialem poſitivam; Corruptio verò privationem formæ: ens autem privativum & poſitivum ſunt termini realiter diſtincti: Ergo &c.

3. *Argumenta adverſa Scotiſtarum.*

Objiciunt oppoſiti Scotiſtæ contra hanc partem *primò*: Corruptio non eſt aliqua actio; nam corrumpere non eſt agere: Ergo Corruptio non eſt actio aliqua ſeparabilis à Generatione, & conſequenter nec ab ea realiter diſtincta. Prob. Ant. per actionem attingitur aliquid ab agente: ſed per Corruptionem nihil attingitur ab agente; cùm ejus terminus ſit privatio formæ corrumpendæ: Ergo Corruptio nõ eſt aliqua actio. *Confirm.* ens ut ſic reale non rectè dividitur in ens reale poſitivũ, & privativum: Ergo neque actio realis ut ſic in actionem realem poſitivam, & realem corruptivam; & conſequenter actio

cor-

corruptiva, ſeu Corruptio non eſt quid reale diſtinctum à Generatione.

4. *Refelluntur* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & Diſt. Ant. Probationis ejuſdem; per actionem attingitur aliquid vel poſitivum, vel privativum Conc. Ant. poſitivum ſemper Neg. Ant. Itaque ſufficit ad rationem actionis, quòd per eam attingatur aliquid privativum; utì contingit in Corruptione, ſeu actione corruptiva; nam privatio, ſeu ens privativum non eſt aliquod ens purum rationis; utì oſtendi *tom. 1. tract. 2. diſt. 1. q. 4. n. 4.* ſed eſt aliquod ens reale privativum; unde ſuô modò ſpecificare poteſt actionem realem diſtinctam; & conſequenter actio corruptiva erit ſeparabilis, & diſtincta realiter ab actione generativa ſubſtantiali. *Ad Confirm.* Neg. Ant. cujus contrarium patet manifeſtè apud Scotum *1. diſt. 23. q. un.* & *4. diſt. 16. q. 2.* ubi diſtinguit ens reale ut ſic in ens poſitivum, negativum, & privativum; & conſequenter etiam actio realis ut ſic dividi poteſt in poſitivam, & privativam, ſeu corruptivam.

5. *Generatio etiam à converſione differt.* Dico ſecundò: Generatio ſubſtantialis pariter diſtinguitur realiter à Converſione. Ita Scotus *4. diſt. 11. q. 1.* & *Quodlib. 10.* & ſequuntur Monturſ. Faber, Meriner. & alii Scotiſtæ; contra Complut. Albert. Zabarel. &c.

Probatur: Converſio, & Generatio ſubſtantialis ſunt duæ actiones valde diverſæ; nam Converſio eſt mutatio totius ſubſtantialis categorematici, & ſyncategorematici in totum categorematicum, & ſyncategorematicum; utì patet in Converſione panis, & vini in Sacramento Eucharistiæ, ubi nedum panis, qui eſt per ſe unum categorematicum, convertitur in Corpus Chriſti, quod etiam eſt per ſe unum categorematicum; verùm etiam materia panis, & ejus forma convertuntur in materiam, & formam Corporis Chriſti, in quibus reſidet totum ſyncategorematicum: at Generatio ſubſtantialis non eſt ejuſmodi mutatio; nam etſi in ea tranſeat totum categorematicum in aliud totum categorematicum; non tamen totum ſyncategorematicum, ſeu quælibet ejus pars; quia remanet materia prima: Ergo Generatio ſubſtantialis, & Converſio diſtinguuntur realiter.

6. *Similiter ab alteratione.* Dico tertiò: Generatio ſubſtantialis, & Alteratio ſimiliter diſtinguuntur realiter. Ita Scotus *4. diſt. 11. q. 1.* & alibi, & ſequuntur Scotiſtæ, ac com.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *5. Phyſic. tex. 7. 9. & 10.* enumerat tres mutationis ſpecies diſtinctas inter ſe, & inter eas computat Generationem, ac Alterationem: Ergo &c. *Secundò* ratione; Genetatio ſubſtantialis, & Alteratio ſunt pariter duæ actiones valde diverſæ; nam Generatio, ut dicit Philoſophus *1. de Gen. & Corrup. tex. 23.* eſt mutatio totius ſubjecti categorematicè ſumpti in aliud categorematicè ſumptum, non manente aliquô ſenſibili ut ſubjectô eôdem; hoc eſt aliquô accidente, quod idem numero maneat ſub genito, & corrupto: Alteratio verò eſt mutatio ſubjecti ejuſdem ſenſibiliter manentis de una qualitate in aliam contrariam, vel mediam; v. g. dum corpus mutatur de ſanitate in ægritudinem; aut de caliditate in frigiditatem, vel tepiditatem, nullâ factâ mutatione ſubſtantiali in eodem. Item Generatio ſubſtantialis, & Alteratio habent terminos à Quibus, & ad Quos realiter diſtinctos; Generatio enim habet pro termino formam ſubſtantialem; Alteratio verò qualitatem, vel contrariam, vel mediam, ſecundùm Philoſophum hìc *tex. 24.* motûs autem mutationes, & actiones ſpecificantur, atque diſtinguuntur â terminis hujuſmodi, ex eodem *5. Phyſic. tex. 7. & 35.* Ergo Generatio ſubſtantialis, & Alteratio diſtinguuntur realiter.

Nota autem primò: has duas mutationes, ſeu actiones, ut dicunt ordinem ad agens naturale, eſſe valde inter ſe colligatas, & connexas; nam Alteratio corruptiva, & diſpoſitiva naturaliter ordinantur ad Generationem, & Corruptionem; & hæ ſinè illis haberi nequeunt in rerum natura; puta Corruptio abſq; Alteratione corruptiva, quæ ancillatur ad expulſionem formæ veteris; & Generatio abſque diſpoſitiva, quæ famulatur ad introductionem formæ novæ generandæ. 7. *Valde connectuntur Generatio & alteratio.* Abſolutè tamen una harum actionum ſinè alia exiſtere poteſt; nam priùs ut priùs poteſt eſſe ſinè poſteriori: ſed Alteratio eſt prior Generatione: Ergo abſque hac exiſtere poteſt; & conſequenter ab ea realiter diſtinguitur. Deinde non omnis Alteratio corruptiva habet pro fine intrinſeco Generationem; ſicuti claret in calore, qui pro fine intrinſeco non habet ſemper generare ignem, vel carnem, ſed ſæpiùs calorem tantùm, reſpectu cujus eſt inſtrumentum diſpoſitivum.

QUÆSTIO V.

De illo axiomate, *Generatio unius eſt Corruptio alterius*, & ècontra, deque prioritate earum.

1. *Cur Philoſophus dixerit* Generatio unius eſt Corruptio alterius.

NOta primò : Philoſophus hoc axioma, *Generatio unius eſt Corruptio alterius* ; & èconverſo, *Corruptio unius eſt Generatiò alterius*, effatus eſt *3. Phyſic.* & *1. de Gen. 17. & 24.* ac alibi, ad ſolvendum illud dubium, quomodo ſcilicet poſſit perpetuari Generatio in hoc Univerſo, eò quòd illud ſubjectum, ex quo quævis res generatur, videlicet materia, ſit ens finitum, quod per continuam avulſionem portionum ſui tandem debuiſſet eſſe conſumptum; ſicque defeciſſet penitus hoc Univerſum : quod dubium evacuat idem Philoſophus *cit. loc. de Gen.* dicens, ſufficere materiam finitam ad perpetuam Generationem; quia inquit, *Generatio unius eſt Corruptio alterius*; & èconṫra, *Corruptio unius eſt Generatio alterius*, in eadem materia, quòd ut meliùs capiatur, unde, tametſi materia ſit finita, adhuc ſalvetur perpetua Generatio.

2. *Fundamenta hujus axiomatis.*

Nota ſecundò: veritatem hujus axiomatis fundari in duobus. *Primò*: quia materia prima etſi finita ſit; attamen ob inditum ſibi naturaliter appetitum ad formam ſemper propendet in conſortium alicujus formæ, & ob naturalem indigentiam juxta præſentes leges Univerſi, ac naturæ nequit eſſe abſque omni forma; ac proinde fiunt in ea perennes formarum novarum inductiones, & antiquarum expulſiones; & conſequenter Generationes, & Corruptiones. *Secundò* quia duæ formæ ſpecificæ ſubſtantiales nequeunt ſimul cohærere in eadem materia (aliàs aliquod ens importaret eſſentialiter duas ſpecies; unde eſſet v. g. ſimul homo, & Leo) ac proinde una forma machinatur in eadem materia alterius interitum; ſicque Generatio unius eſt Corruptio alterius.

3. *Poteſt habere triplicem ſenſum.*

Nota tertiò: ſecundùm Scotum *2. diſt. 1. q. 3.* iſtud axioma Ariſtotelicum *Generatio unius eſt Corruptio alterius*, & ècontra, poteſt habere triplicem ſenſum, videlicet formalem, cauſalem, & concomitantem. *In ſenſu formali* eſſet verum, ſi Generatio eſſet formaliter Corruptio, ita ut in recto enunciari poſſet hæc propoſitio, *Generatio eſt Corruptio. In ſenſu cauſali* eſſet verum, ſi Generatio eſſet cauſa vel formalis, vel efficiens Corruptionis. *In ſenſu* tandem *concomitanti* eſſet verum, ſi Generatio ſemper haberet annexam Corruptionem, ita ut nulla forma poſſet generari ſine eo, quòd alia corrumpatur, aut ècontra. In ſenſu formali nequit iſtud effatum Ariſtotelicum verificari: tum quia Generatio ſubſtantialis non eſt formaliter Corruptio; ſed actio realiter ab ea diſtincta; uti *priori quæſt. concl. 1.* oſtenſum eſt: tum quia unum diſparatum nequit formaliter prædicari in recto de alio diſparato: Generatio autem, & Corruptio ſunt duæ actiones diſparatæ formaliter. De aliis duobus ſenſibus ſint ſequentes concluſiones.

Dico primò: hoc effatum Peripateticum *Generatio unius eſt Corruptio alterius*; & *Corruptio unius eſt Generatio alterius*, eſt veriſſimum in ſenſu cauſali. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 1. q. 3.* & eſt communis Scotiſtarum ac aliorum; contra Achillinum. 4. *In ſenſu cauſali eſt veriſſimum.*

Probatur: Generatio unius formæ novæ ſubſtantialis intenta ab agente, v. g. Generatio ignis, eſt cauſa vel formalis, vel efficiens ſaltèm per accidens, ut corrumpatur forma vetus, aquæ v. g. cum qua forma nova generata ignis habet phyſicam incompoſſibilitatem: Ergo veriſſimum eſt, Generationem unius eſſe Corruptionem alterius in ſenſu cauſali.

Dico ſecundò: ſimiliter hoc axioma Philoſophi *Generatio unius* &c. eſt veriſſimum, & vel maximè ab eo aſſertum in ſenſu concomitanti; ita ut plurimùm Generationem concomitetur Corruptio. Ita Scotus *loc. cit.* & alibi. Et ſequitur communis Scotiſtarum, ac aliarum Scholarum, contra Achillinum. 5. *Item in ſenſu concomitanti.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ: nam Joan. 12. de Generatione perenni frumenti, & ejus concomitanti, Corruptione dicitur, *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*: Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: tum quia experientiâ quotidianâ conſtat, ad Generationem ſubſtantialem ignis corrumpi lignum; & ad Generationem cineris tandem corrumpi & ignem: Ergo &c. Tum quia modernus naturæ ordo poſtulat

lat, ut ad introductionem, & Generationem unius formæ ſubſtantialis incompoſſibilis expellatur alia ab eodem ſubjecto: undæ duæ formæ ſubſtantiales diſparatæ nequeunt naturaliter eſſe ſimul in eodem ſubjecto: adeoque Generationem formæ ſubſtantialis novæ concomitatur ut plurimùm Corruptio veteris: Ergo hoc axioma Philoſophi, *Generatio unius eſt Corruptio alterius*; & ècontra, eſt veriſſimum in ſenſu concomitanti.

6. *Extendi poteſt ejus uſus & veritas ad Generat. & Corrupt. accidentalem.*

Dico tertiò: etſi præfatum axioma, *Generatio unius eſt Corruptio alterius*, & econtra, *Corruptio unius eſt Generatio alterius* principaliter extendatur ad Generationem, & Corruptionem ſubſtantialem; attamen etiã extendi poteſt ad Generationem accidentalem, & Corruptionem accidentalem, quando accidentia, & corrumpenda ſunt incompoſſibilia ad ſimul exiſtere. Ita Scotus *4. diſt. 1. q. 3.* & *2. diſt. 1. q. 3.* & habet Monturſ. ac alii Scotiſtæ.

Probatur: duæ formæ accidentales accidentium incompoſſibilium, uti experientiâ conſtat, ſe expellunt ab eodem ſubjecto; ſic v. g. calor expellit frigus, & humiditas ſiccitatem: Ergo Generatio unius talis formæ accidentalis eſt concomitanter Corruptio alterius; adeoque præfatum axioma Philoſophi etiam extendi poteſt ad Generationem accidentalem, & Corruptionem accidentalem.

7. *Habet locũ in omnibus inanimatis.*

Dico quartò: prædictum axioma habet locum in omnibus inanimatis rebus; non verò in viventibus, ſeu animatis immediatè, in quibus reperitur duplex forma ſubordinata, una animæ altera mixtionis, ſeu corporeitatis. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 11. q. 3.* & habet Monturſ. Ant. Andr. Raguſæus, Tromb. Zabarel. Mercen. & Areſi.

Probatur prima pars: quia nequit aſſignari ulla Generatio alicujus rei inanimatæ, quæ non haberet annexam Corruptionem præexiſtentis formæ, vel compoſiti; aut ulla Corruptio ſimilis entis inanimati, quam non concomitaretur Generatio formæ, vel compoſiti novi ſubſtantialis: Ergo prædictum axioma habet locum, & veritatem univerſalem in omnibus rebus inanimatis.

8. *Non verò in animatis.*

Probatur ſecunda pars: in rebus viventibus corruptâ v. g. animâ ſenſitivâ, vel vegetativâ, vel abſcedente animâ rationali in morte hominis, remanet corpus mixtum coaleſcens ex materia prima, & forma corporeitatis, quod erat altera pars viventis, ſeu alicujus animati, v. g. leonis, vel hominis: Ergo in his immediatè non habet locum, & veritatem præfatum axioma, *Corruptio unius eſt Generatio alterius*.

9. *Non verificatur in prima Generatione calorũ & elementorum.*

Nota etiam quartò: adductum proloquium Ariſtotelis *Generatio unius eſt Corruptio alterius* (ut rectè annotat Scotus *2. diſt. 1. q. 3.*) non verificari de prima Generatione cælorum, & elementorum; hæc enim generata fuère ex materia abſque ulla prævia Corruptione; cùm Author Univerſi earum formas eduxerit è materia à ſe immediatè creata. Similiter illud aliud *Corruptio unius eſt Generatio alterius*, non verificatur de ultima Corruptione, quâ aliquod mixtum reſolvitur in elementa; tunc enim nullum compoſitum novum generatur; ſicut etiam continget poſt diem Judicii, quando omnia conflagrabunt, & elementa calore ſolventur, quô tempore ceſſabunt omnes Generationes ſublunarium, utì habetur Apocal. 10. Verificatur itaque utraque iſta maxima Ariſtotelica de rebus defactò naturaliter generatis poſt primam Generationem rerum, & de corrumpendis defactò ante ulimam Corruptionem. Circa alterum articulum quæſtionis

10. *Quid prioritas temporis & natura.*

Nota quintò: ad propoſitum duas poſſe attendi prioritates, temporis ſcilicet, & naturæ. *Prioritas temporis* reperitur inter ea, quarum unum exiſtit in aliqua temporis differentia, in qua aliud necdum exiſtit. *Prioritas naturæ* reperitur inter ea, quorum unum eſt cauſa exiſtentiæ alterius, etiam in eodem inſtanti temporis.

11. *Generatio omnis defactò eſt ordine intentionis prior naturâ, quàm Corruptio.*

Dico quintò: omnis Generatio, quæ defactò fit, ordine intentionis eſt prior prioritate naturæ Corruptione; ordine verò executionis Corruptio eſt prior prioritate naturæ Generatione; ambæ verò in eodem temporis inſtanti contingunt; etſi non totaliter. Ita colligitur ex Scoto *2. diſt. 1. q. 3.* & *4. diſt. 43. q. 3.* & *diſt. 16. q. 2.* Prima pars eſt communis. Secundam tenet Faber Monturſ. Rubion. Morion. Meri. Areſ. &c. contra Maſtrium, Aret. Scotiſtas, & contra Hurtad. Arriag. & alios Recentiores. Tertia quoque eſt communis.

Probatur prima pars; illud cenſetur ordine intentionis eſſe alterô prius prioritate naturæ, quod prius ut cauſa exiſtentiæ alterius intenditur ab agente naturali; agens enim naturale agit propter

finem,

finem, & finis ordine intentionis eſt prior intentus, quàm id, quod eſt ad finem; unde cenſetur eſſe ejus cauſa: ſed Generatio formæ novæ, & ejus in materiam introductio priùs naturâ intenditur ab agente naturali, quàm Corruptio, & expulſio formæ veteris: Ergo ordine intentionis Generatio eſt prior prioritate naturæ Corruptione.

12. *Non autem ordine executionis.* Probat. ſecunda pars: tum quia Corruptio, ſeu expulſio formæ antiquæ eſt medium in ordine executionis, ut agens aſſequatur ſuum finem, id eſt introductionem formæ novæ diſparatæ; & conſequenter ejus Generationem intentam; nova enim forma nullatenus poteſt introduci in materiam, niſi materia priùs ſit ſpoliatâ formá veteri; alioquin ſi introduceretur priùs, duæ formæ diſparatæ eſſent ſimul naturaliter; quod eſt contra Scotum *4. diſt. 49. q. 16.* & *11. q. 3.* & ipſam veritatem; uti latè oſtendi *tract. 1. hujus tomi. diſt. 5. q. 1. concluſ. 1.* Ergo ordine intentionis Corruptio eſt prior naturâ, quàm Generatio. Tum quia debent priùs â materia tolli impedimenta, quæ impediunt formæ novæ introductionem; inter hæc autem eſt forma antiqua; quare materia prius debet ab illa purgari, atque adeò expulſio, & Corruptio formæ veteris eſt prior naturâ in ordine executionis, quàm Generatio formæ novæ.

Ex dictis infertur: veram eſſe hanc cauſalem; *quia forma vetus expellitur, ideo forma nova generatur*: hanc verò P. Maſtrii eſſe falſam; *quia forma nova generatur, & introducitur, ideo forma vetus expellitur.*

13. *Ambæ fiunt in uno inſtanti temporis.* Probatur tertia pars: expulſio formæ veteris, & introductio formæ novæ in eadem materia non fiunt in tempore, ita ut tempore una aliam præcedat; alias etiam pro aliquo temporis inſtanti remaneret materia nudata omni formâ, quod reprobatum eſt *tract. 1. diſt. 3. q. 9. hujus tomi.* Ergo fiunt ambæ in eodem inſtanti reali temporis.

14. *Non tamen totaliter.* Dixi in concluſione *etſi non totaliter*; quia cùm tota forma materialis in ſua latitudine in inſtanti introduci nequeat; ſed ſucceſſivè, uti ſuprà oſtendi *quæſt. 3.* conſequenter nec Generatio totalis, & Corruptio contingunt ſimul in eodem unico indiviſibili inſtanti.

QUÆSTIO VI.

De Generatione viventium, ſeu animatorum ut ſic.

Generatio viventium, id eſt, quæ pro forma habent animam aliquam, ut homo, leo, aquila, &c. eſt principalis ſpecies creata ſubalterna Generationis ut ſic quam proinde hic elucidare oportet. S. Thomas eam ſic definit *1. p. q. 27. art. 2. Vitalis Generatio eſt origo viventis à vivente, à principio vitæ conjuncto in ſimilitudinem naturæ.* Scotus ab iſta definitione modicum diſſonat. Unde cum eodem

Dico primò: rectè definitur Generatio viventium ut ſic, quòd *ſit productio naturalis viventis à vivente mediante principio conjuncto, ſimilis producenti in natura.* Ita Scotus *1. diſt. 13. q. un.* & *3. diſt. 8. q. un.* 1. *Deſcribitur Generatio viventium ut ſic.*

Probatur: hæc definitio eſt efformata juxta leges dialecticas probæ definitionis: Ergo &c. Explanantur ſingulæ particulæ: dicitur *productio*, ut oſtendatur genus; reliqua ſtatuuntur pro differentia. Eſt autem productio idem, quod origo. Dicitur *naturalis*, ut inſinuetur differentia Generationis animatorum ab illis omnibus productionibus, quæ fierent per principium liberum, id eſt per voluntatem; cujuſmodi ſunt imprimis proceſſio Spiritûs Sancti in Divinis, quæ etſi ſit origo viventis à vivente; non tamen dicitur Generatio, ſicut productio Verbi; quia illa proceſſio Spiritûs Sancti non fit per intellectum; ſed voluntatem, quæ eſt principium liberum; unde naturalis Generatio dici nequit. Deinde quoque productio Adæ facta per voluntatem DEI viventis. Tandem creationes Angelorum, factæ â DEI viventis libera voluntate. Dicitur *vivens à vivente* ad differentiam productionum inanimatorum, ſeu non viventium: item ad diſtinctionem Generationis quorundam animatorum, quæ producuntur â principio non animato; qualiter producuntur multæ ranæ, ſerpentes, & alii vermes ex putri, quorum Generatio non comprehenditur hac definitione. Dicitur *mediante principio*, ſubaudi *activô*, non paſſivô, ad deſignandum, quòd vivens debeat concurrere activè: & ad diſtinctionem illarum Generationum vitalium, quæ fiunt abſque activo concurſu, qualis fuit productio

Evæ

Evæ ex coſta Adæ; & quales ſunt productiones animalculorum nototum ex ſudore hominis. Apponitur *conjunctio* ad ſignificandum, quod illud principium debeat eſſe aliquomodo conjunctum generanti intrinſecè, & ſubſtantialiter; unde genitum debet habere aliquam ſubſtantiam, quæ fuit in generante, quod in hominibus, animalibus, & plantis fit per materiam ſeminalem, communicatam & transfuſam; & in Generatione Verbi per communicationem Divinæ Naturæ, quæ eadem numerò â Patre communicatur Filio. Per hanc particulam excluduntur â ratione Generationis hìc deſcriptæ, productiones illæ, quæ aſſeruntur fieri a dæmonibus incubis, mediante transportatione celerrima alicujus ſeminis virilis in vas fœminæ; cùm enim ſemen hujuſmodi non ſit de ſubſtantia dæmonis, ſed alicujus viri; quem forſitan alibi polluit; ideo fœtus inde nati non ſunt dæmonis filii; ſed illius viri polluti. Num autem revera factæ fuerint hujuſmodi productiones, & Generationes dæmonum incuborum, incertum eſt; ita quidem hiſtoriæ narrant natum eſſe Merlinum Nigromantam Angliæ: & Ariſtoteles apud Plutarchum hoc idem aſſerit de Homero. Excluduntur etiam productiones aliquæ avium, quando alienæ aves v. g. gallinæ, alienis ovis v. g. anatum incubant, eaque fovent, & pullos tandem excludunt; nam & hìc genito nihil de ſubſtantia generantis, ſeu incubantis, & excludentis avis eſt communicatum. Additur tandem *ſimilis producenti in natura*, per quod denotatur, quòd vivens genitum debeat eſſe ejuſdem naturæ cum generante. Sed

2. *Quanta debeat eſſe ſimilitudo naturæ in generante, & genito viventi.* Quæres: quanta debet eſſe iſta ſimilitudo in natura? nam ſi ſola generica dicatur ſufficere; ſequitur, quòd rana, & ſerpens ſit filius Solis, cum quo convenit in ratione aliqua generica: ſi verò requiratur ſimilitudo ſpecifica; ſequitur, quòd mulus (qui generatur ex equa, & aſino) non ſit filius aſinæ; & ejus Generatio non comprehenditur ſub definitione Generationis hìc ventilata; quia mulus non eſt ejuſdem ſpeciei cũ equa, & aſino. Reſpondeo itaq; quòd ſimilitudo naturæ requiſita inter patrem generantẽ, & filium genitum non debeat eſſe tanta, ut ſit ſpecifica, & athoma; neque tam exigua, ut ſit præcisè in ratione aliqua generaliſſima ſubſtantiæ, in qua generans, & genitum vivum convenirent, ſed ſufficit, ſi ſit in aliquo genere ultimo, in quo diverſæ ſpecies conveniunt; & tale reperitur commune aſino, equo, & mulo; quamvis ejuſmodi genus defactò ſit innominatum.

Nota deinde primò ex Scoto *3. diſt. 8. quæſt. un.* quòd ſi Generatio viventium uſurpetur in arctiſſimo, & ſtrictiſſimo ſenſu, ſcilicet pro ea, quæ fundat denominationem patris, & filii; tunc debet definitioni datæ addi iſta vox *intellectualis*, & ſic conſtrui; *Generatio viventium eſt productio naturalis viventis â vivente mediante principio conjuncto ſimilis producentis in natura intellectuali.* 3. *Additio ad deſcriptionẽ generat. viventium.*

Nota ſecundò; quòd Generatio Chriſti, etſi fuerit anomala, ſeu irregularis, ſpectando præſentem curſum naturæ; id eſt talis, quæ non ſervavit leges naturæ, ſed ex ſolo ſemine fœmineo fuit facta; adhuc tamen ſit univocè Generatio, comparata cum S. Matre. Ratio eſt; quia hæc æqualiter, quantùm eſt ex ſe, concurrit, ac ſi vir (cujus concurſum ſupplevit Spiritus Sanctus) per ſe concurreret. 4. *Generatio Chriſti eſt univoca.*

Nota tertiò: Generationem viventium, quæ vitâ tantùm ſenſitivâ, & vegetativâ ſimul vivunt; vel quæ vitâ vegetativâ tantùm vivunt, fieri ſucceſſivè, & in tempore probabiliter. Ratio eſt; quia cùm ſingulæ earum partes varias organizationes, vel diſpoſitiones poſtulent, quæ in inſtanti induci nequeunt ſimul in materia; propterea Generationes eorum, & animationes fiunt ſucceſſivè. Aliter fit in homine, cujus animatio fit in inſtanti, quô per totum corpus diffunditur anima rationalis à DEO ejus Creatore. 5. *Generatio viventium fit ſucceſſivè.*

QUÆSTIO VII.

De Generatione ſpeciali viventium, quæ fit per propagationem; ubi de ſemine.

NOta primò: Generationes viventium defactò fieri duplici modô, ſcilicet per propagationem veram, & per putrefactionem. *Generatio per propagationem* eſt vera origo viventis â vivente mediante principio conjuncto, ſcilicet aliquo ſemine ſubſtantiali, emiſsô â genitoribus, & communicato ipſis genitis; talis eſt hodierna Generatio hominum, leonũ &c. *Generatio per putrefactionem* eſt pro- 1. *Quid Generatio per propagationem, & ex putre.*

ductio alicujus viventis ex materia putri, beneficiò cauſarum univerſalium, puta cælorum, aſtrorum &c. talis eſt Generatio plantæ, ranæ, vermium, & ſimilium animalium, ex putri prodeuntium. De Generatione per propagationem veram viventis â vivente in hac quæſtione erit ſermo. Et quia ejus una cauſa eſt ſemen; ideò de eo, maximè humano, quantùm ad inſtitutum Philoſophorum ſpectat, hìc tractabitur. Et tametſi ad Medicos ſpectet exacta tractatio de ſemine, concurſu parentum, & toto proceſſu Generationis per propagationem, maximè humanæ: attamen quia multa aſſerta Theologica de Incarnatione, Matrimonio, ac varii caſus confeſſionum abſque aliquali horum notitia ritè non percipiuntur; ideo breve eorum examen hac, & ſequentibus quæſtionibus cum Scoto, & S. Bonaventura proponam, ſupponendo caſtis fore hæc omnia caſta. Unde

2. *Seminis deſcriptio.* Nota ſecundò: Doctor ſubtilis *2. diſt. 18. q. un.* ſemen ſic deſcribit; *Semen eſt corpus quoddam, cujus forma non eſt intenta propter ſe; ſed propter aliud, ut ſcilicet ex illo generetur aliquid ſimile generanti;* unde ſubdit paulò infrà, quòd *ſit quoddam corpus imperfectum, productum â generante, ut ſit via aſcendendi ad ulteriores formas perfectas,* ſcilicet ad perfectas formas animalium, ex eo gignendorum, ut infrà patebit. Medici verò plerumque ſic illud deſcribunt, *ſemen eſt portio optima, & validiſſima totius humoris reſidentis in corpore, corpus humidum, ſpumoſum, & album, ex reliquijs ultimi alimenti, & ſpirituum ubique oberrantium permixtione elaboratum virtute teſtium, in ordine ad perfectam formam animalis inde in Generatione procreandam:* quæ definitio convenit tantùm ſemini animalium perfectorum, cujuſmodi eſt homo, leo &c.

3. *Et explanatio.* Dant rationem ſingularum particularum hujus deſcriptionis: dicitur *portio optima;* quia elaboratur poſt ultimam concoctionem ſanguinis, & illo magìs depurato alimento viventis, ex quo unumquodque membrum capeſſit nutrimentum. Dicitur *validiſſima portio totius humoris reſidentis in corpore,* quia cùm ſit valde depuratum, eſt plenum validis ſpiritibus vitalibus, & inſerviens ad generationem validi fœtûs. Dicitur *corpus humidum,* quia non continetur propriis terminis. Dicitur *ſpumoſum:* quia, ut dixi, ſemen eſt plenum validis ſpiritibus vitalibus, qui ipſum agitant, & ſpumoſum reddunt, ac ferveſcere faciunt. Dicitur *album;* quia teſtes illud elaborantes, ac continentes albi ſunt, eique albedinem imprimunt. Dicitur *ex reliquijs ultimi alimenti elaboratum;* quia, poſtquam peracta eſt ultima concoctio cibi, & potûs aſſumpti, & inde ſanguis alimentatitius confectus, qui in omnia membra diſtribuitur juxta eorum exigentiam ad nutritionem; reſiduum talis alimentatitii ſanguinis efficitur materia ſeminis, & ſugitur attrahiturque â teſtibus, ut docet ex communi Medicorum Fernelius.

Ex his infertur primò: ſemen non eſſe partem ſubſtantialem generantis intrinſecam, uti putat Magiſter Sententiarum, & Sanctus Bonaventura, nec eſſe animatum, ut putat Galenus, Zim. Valeſ. &c. Sed eſt pars merè ſuperflua, ut tenet communis Medicorum, Philoſophorum, & Theologorum modernorum; quæ continetur in vaſis quibuſdam, ſicut aliæ ſuperfluitates. Et eſt ratio; tum quia natura alleviatur per moderatam licitam aliàs ſeminis deciſionem, quod non fieret, ſi eſſet pars intrinſeca generantis; qui ad abſciſſionem etiam minimæ particulæ intrinſecæ ſuæ naturæ non alleviatur. Tum quia pars intrinſeca generantis abſciſſa tendit ad corruptionem; uti patet in manu, vel pede abſciſſo; ſemen verò deciſum tendit ad vitam introducendam: Ergo &c. Similiter ſemen non eſt pars animata, ut habet Scotus *2. diſtinct. 18. quæſt. un.* Ratio eſt; quia ſemen non eſt corpori continuum quid; anima autem nequit informare partes diſcontinuas: nec eſt pars integralis hominis; cùm ſinè eo poſſit eſſe homo, uti patet in pueris. Etſi autem ſemen ſit ſuperfluum quid, & inanimatum; utiliſſimum tamen eſt; quia ex ejus permixtione debita cum ſemine fœmineo generatur ſpecies ſimilis generanti.

Dicitur *& ſpirituum vitalium ubique oberrantium permixtione elaboratum;* nam ſemen, maximè humanum, elaboratur, & quaſi vitalizatur per acceſſum ſpirituum vitalium; qui per univerſum corpus hominis diſperſi oberrant ſingula membra, & ſemini quoque ſeſe permiſcent. Additur *virtute teſtium;* nam ſicut lieni ineſt vis quædam ad prolectandum melancholicum humorem, ordinata ab Autho-

authore naturæ; & in renibus ſubſiſtit alia, quæ urinam allicit; ita pariter in teſtibus eſt vis quædam, quâ materiam ſeminis in ultima concoctione alimenti relictam attrahunt, & â vena Cava, aſſiſtentibus lumbis, & renibus ſugunt; indeque ſemen conficiunt, & maturant concurrentibus ſpiritibus vitalibus; ut docet Fernelius cum aliis Medicis recentioribus, & Ariſtotele.

4. *Semen non deciditur ab omnibus membris.* Ex his infertur ſecundò: falſam eſſe opinionem Hippocratis, & Alb. docentium, ſemen decidi, & elaborari ab omnibus membris hominis; & in eo contineri figuram omnium membrorum, ut fœtus ſimilis generanti poſſit efformari. Ratio eſt; quia aliàs ſi Petrus generans careret unô brachiô, oculô, vel pede, non poſſet integrum hominem generare; cujus contrarium ſæpè oſtendit experientia. Nec obſtat, quòd opponit Hippocrates, omnes partes corporis frequenti uſu venetis debilitari; nam hujuſmodi debilitatio ex nimia ſeminis diſperſione ideo cauſatur in toto corpore, quia pars illa, in qua elaboratur ſemen, & ex qua deciditur, ſugit ſanguinê â vicinioribus partibus pro ſui repletione, & hæ alias viciniores, & ſic per totum corpus; unde fit, quòd per hoc debilitentur omnes partes corporis.

Apponitur tandem in deſcriptione ſeminis, *in ordine ad perfectam formam animalis inde procreandam*, ut inſinuetur cauſa finalis, ſeu finis ſeminis, qui eſt procreatio, ſeu productio formæ ulteriùs perfectæ animalis v. g. in homine formæ embrionis, corporeitatis, & tandem introductio animæ rationalis.

5. *Eſt corpus hæterogeneum.* Nota tertiò: ſecundùm Medicos celebriores, quos etiam ſequitur Scotus *3. diſt. 2. q. 3.* ſemen eſſe corpus hætherogeneum; ſunt namque in eo aliquæ partes groſſæ ac materiales, quæ videntur carere omni activitate; unde ſunt merè paſſivæ; & aliæ reperiuntur ſubtiliores & ſpumoſæ, quæ præditæ ſunt activitate in ordine ad organizandum corpus, quæ proinde hæterogeneitatem, ſeu diverſitatem quandam phyſicam inducunt in ſeminis natura.

6. *Non ſemper ineſt omni viventi.* Nota quartò: ſemen non in eſſe omni viventi pro omni temporis differentia; nam ut habet Ariſtoteles *1. de Generat. animal. cap. 18.* ſemen non reperitur in pueris in prima ætate, nec in ſenectute; nec in morbis gravioribus diutinis: & quidem in pueris necdum eſt pro illa temporis differentia; quia in his totum alimentum cibi, & potûs aſſumpti applicatur, & abſumitur ad eorum incrementum, & nutrimentum: in ſenibus natura ob ſenium non valet ſufficienter concoquere cibum aſſumptum, ut ex ejus reliquiis depuratis, & ultimatè decoctis ſeminis materia relinquatur: in infirmis obſtat ſimiliter concoctioni ſufficienti imbecillitas virium.

QUÆSTIO VIII.

De peculiari hominis procreatione; & concurſu activo Parentum.

Nota primò: omne animal, & conſequenter etiam hominem naturaliter habere inſitam ſuo tempore libidinem, & pruritum procreandi aliud animal ſimile, ut hâc viâ ſpecies viventium in perpetuum conſerventur. Ad hujuſmodi porrò procreationem de facto requiritur mas, & fœmina, ac ſexuum diverſitas, & commixtio: unde fieri nequit, ut ſola fœmina ex ſe ipſa animal ſimile in ſpecie ſua generet: quanquam ſæpiùs molam inchoatam, id eſt rudem quandam maſſam carneam in ſe producere ſoleat: & propterea etiam ova gallinarum, quæ ex maris ſocietate prævia nata non fuêre, infæcunda ſunt. Similiter nec mas totam figuram, & vim generando fœtui confert: ſed uterque parens ad ejus procreationem, & Generationem de facto ſimpliciter requiritur. Sed oritur difficultas inter DD. utrùm uterque parens activè per veram ſeminis activi deciſionem concurrant ad hominis Generationem. Negant Thomiſtæ & Ariſtoteles de matre, comparantes ſemen Patris artifici activè ſe habenti; & ſemen matris materiæ paſſivæ, ligni v. g. ex qua artifex conficit aliquod opus, ſedem v. g. Sed ego 1. *Sexuum diverſitas requiritur pro Generatione hominis.*

Dico primò: tam pater, quàm mater in hominis Generatione (idem eſt de Generatione aliorum animalium perfectorum) concurrunt activè ad prolis procreationem, per emiſſionem veri activi ſeminis. Ita Scotus *3. diſt. 4. q. un.* & ſequuntur Scotiſtæ, ac Medici plerique; quibus hac in parte plurimùm credendum, utpote qui ex profeſſo ſcrutantur opera naturæ phyſicæ. Quare cum eis Pro- 2. *Pater & mater activè concurrunt ad Generat. hominis.*

Probatur concluſio primò: DEUS, & natura nil fruſtra faciunt: ſed per artem anathomicam deprehenſum eſt DEUM, & naturam tam in patre, quàm in fœmina matre efformaſſe ſimilia vaſa, ſemen verum deferentia, concoquentia, & ſervantia: Ergo ſignum eſt, utrumque parentem tam patrem, quam matrem in hominis Generatione concurrere activè ad prolis procreationem, per emiſſionem veri activi ſeminis. Prob. Min. per memoratam artem depræhenſum eſt, tam in patre, quàm in matre reperiri vaſa intorta gyris, & anfractibus, item ſeminaria, teſtes, & parataſtas: anfractus autem, & gyros natura ordinavit ad faciendam veram ſeminis concoctionem; etſi ſit quædam differentia ſitûs, & operationis in eis; nam in patre teſtes ſunt extra corpus viſibiles; in matre verò intra corpus ſituati, in dextero, & ſiniſtro latere uteri: & parataſtæ (id eſt duo vaſa candida glanduloſa & cavernoſa) in patre ſemen deferunt ad radicem penis; in matre verò ad fundum matricis: Ergo &c.

Probatur ſecundò: ſæpè contingit, utì hìc arguit Scotus, quòd proles procreata magìs aſſimiletur matri, quàm patri: Ergo etiam Mater ad eam procreandam concurrit activè. Conſequentia tenet; agens activum univocum eſt, quod intendit ſibi aſſimilare effectum; unde ſi reſultet effectus ſimilis, hoc ſit propter aliquam actionem, & efficientiam activam: Ergo mater ad procreandam prolem concurrit etiam activè.

Probatur tertiò: niſi concedatur matrem pariter concurrere activè ad procreationem prolis, non videtur ratio, cur aſinus cum equa generet mulum; nam in ſententia Thomiſtarum aſinus nonniſi aſinum deberet generare: ſed experientia docet contrarium: Ergo &c.

Probatur quartò: Sacratiſſima Mater Chriſti exercuit verum activum concurſum in Generatione, & formatione Corporis Chriſti; uti ex profeſſo doceo *in Schola mea Theologica tom. 2. tract. de Incarnat. Verbi, diſt. 5. q. 4. concl. 2.* Ergo eadem eſt ratio de aliis matribus. Præterea videtur abſurdum quoddam eſſe, dicere matrem ſe habere paſſivè duntaxat, & per modum cujuſdam vaſis, in quo veluti loco commodo proles conſervaretur; aut inſtar terræ reſpectu mineræ: Ergo &c.

Objiciunt Thomiſtæ primò: ſi mater quoque concurreret activè per emiſſionem veri activi ſeminis, hoc utique erit 3.
ejuſdem ſpeciei, & rationis cum ſemine *Thomiſtarũ*
patris; cum utriuſque potentiæ, & ſan- *oppoſitio*
guis, cujus ſemen eſt reliquia, ſint ejuſ- *quædam.*
dem ſpeciei, & rationis, & differant duntaxat accidentaliter; hôc conceſsô contingere poteſt in matre aliqua calida, & valde ſanæ complexionis, ut ejus ſemen ita augeatur, ut adæquet totam maſſam utriuſq; ſeminis; ſicque tandem fieri poſſit procreatio alicujus prolis abſque omni ſemine virili; quod tamen naturaliter fieri nequit: Ergo Mater non concurrit activè per emiſſionem veri activi ſeminis.

Huic argumento Scotiſtæ varias adhi- 4.
bent reſolutiones: P. Mavr. admittit poſſe *Refellitur.*
fieri procreationem prolis, abſq; omni ſemine virili. Verum ut rectè explicat P. Maſtr. reſolutio præjudicat myſterio Cõceptionis mirabilis Chriſti in utero B. V. Mariæ; nam hujuſmodi Conceptio ideo fuit, miraculoſa, & ſupernaturalis, quia facta abſque omni ſemine virili. Unde aptiùs cum P. Tartareto, & ipſo Scoto *1. diſt. 3. q. 7.* Reſpondetur; etſi ſemina patris, & matris concedantur eſſe ejuſdem ſpeciei, & rationis; neutrum tamen ſeorſim ſumptum, & qualitercunque actum eſt ſufficiens ad procreationem prolis; quia pater, & mater ſunt duæ cauſæ eſſentialiter ab Authore naturæ ſibi ſubordinatæ, ita ut una ſinè alia ſufficienter operari nequeat cũ effectu ſecuto prolis. Deinde dici poteſt, ſemina patris, & matris eſſe diverſæ ſpeciei; nam etſi ſanguis ſit ejuſdem ſpeciei in utroque; quia tamen in diverſo ſpecie organo, & potentiæ generativæ præparato digeritur, & maturatur, ſpecie diverſam ſpeciei formam, ac naturam acquirit.

Objiciunt ſecundò: ex hac ſententia 5.
Scotiſtarum ſequeretur, Chriſtum fuiſſe *Alia eorun-*
conceptum ex ſemine activo B. V. Ma- *dem explo-*
riæ: ſed hoc eſt contra ſenſum Eccle- *duntur.*
ſiæ, utpote quæ canit in Officio Circumciſionis; *& procedens homo ſinè ſemine*: Ergo &c. *Præterea* in aliis actionibus eſt aſſignare principium agens, & principium patiens: ſed ſi tam pater, quàm mater concurrerent activè in actione Generationis, non eſſet aſſignare principium patiens: Ergo &c. *Tandem* S. Scriptura Proverb. 20. aſſerit matres nunquam ſaturari actu venereo, per illa verba, *tria ſunt inſatiabilia, infernus, & os vulvæ, & terra, quæ non ſatiatur aquâ*: ſed ſaturarentur, ſi activè concurrerent; utì ſaturantur viri con-

tinuato

tinuato coitu, & frequenti ſeminis activi deciſione, ac concurſu activo ad generationes: Ergo matres non concurrunt activè.

Reſpondeo *ad Primum* Conc. ſequelam Maj. nam ut docent plurimi SS. PP. ſignanter D. Anſelmus *lib. de conc. Virg. & pec. orig.* & V. Beda *in cap. 11. Lucæ lib. 4. c. 49.* Chriſtus omnino fuit conceptus ex ſemine proprio, & phyſico B. V. MARIÆ: & unde Neg. Min. & ad illud Eccleſiæ canentis dico, Eccleſiam per hunc verſum ſolùm excludere ſemen virile, quod ad Conceptionem Chriſti non fuit adhibitum; uti patet ex alio ejuſdem Officii Circumciſ. verſu, *Templum DEI factus eſt uterus neſciens virum.* *Ad Secundum* Neg. Min. nam ibi pater poteſt aſſignari principium activum, & mater paſſivum, quatenus ſcilicet recipit ſemen patris, vel quatenus ſubminiſtrat ſanguinem menſtruum: cum quo ſtat, quòd quatenus emittens ſemen ſit ſimul principium activum. *Ad Tertium* Neg. Maj. & gloſſo allatum S. Scripturæ textum dicendo, quòd peccatum ſolùm inſinuetur vehemens, & continua libido interna, ac concupiſcentiæ æſtus quarumdam fœminarum laſcivarum, quâ fervent, & feruntur ad uſum venereum habendum: & ex hoc ſtabilitur potiùs opinio in concluſione adducta; nam cùm fœminæ quædam majori concupiſcentiâ ardeant, & ferantur ad venerea, quàm viri, ſignum eſt, eas magis agitari ſtimulis ſeminis, & conſequenter eas eſſe præditas ſemine ſtimulante, ac activo.

6. *Quid ſanguis menſtruus.* Nota ſecundò: Matrem præter ſuum activum ſemen deciſum, ad formationem completam prolis etiam ſubminiſtrare ſanguinem menſtruum, â ſanguine diſtinctum; ut docent omnes Medici. Eſt autem *ſanguis menſtruus* quoddam excrementum ſanguineum, generatum in fœmina â debili calore ejuſdem, propter ſpeciei humanæ conſervationem. Vocatur *menſtruum*; quia natura illud quolibet menſe in fœminis ſanis ſecernit, & ejicit. Generatur autem in fœmina ſic; nam cum fœmina aſſumptum alimentum cibi, & potûs ob caloris ſui nativi debilitatem, & frigiditatem totum concoquere nequeat, ac in ſubſtantiam ſolidam aliti ſanguinemque perfectum, ac laudabilem convertere, reſiduum vertitur in ſanguinem imperfectum menſtruum, quem deinde natura ejicit, ne ejus copiâ gravetur. Hujuſmodi porrò ejectio, & exoneratio regulariter ſecundùm Medicos dicitur incipere Anno 14. ætatis fœmellæ, tunc enim ejus copia incipit gravare, & calor venas dilatare: dicitur ceſſare circa annum 50. quia tunc nativus calor jam valde eſt imminutus in fœmina, ita ut ejuſmodi ſanguinem ampliùs foras expellere nequeat, neq; natura fœminæ tunc multa alimenta aſſumere poteſt, & convertere in alitum, ſicque inſtituere ſecretionem puri ab impuro ſanguine menſtruo. Ceſſat etiam in lactantibus, & prægnantibus; quia lac conficitur ex tali ſanguine menſtruo, ac illo fœtus in utero nutritur.

Nota tertiò: quando Scotus 2. *diſt. 18.* negat ſemen parentum eſſe activum; intelligendus eſt ſic, quòd ſemen non ſit activum, & effectivum reſpectu formæ animæ, quæ completâ organizatione advenit; bene tamen reſpectu formationis embrionis; nam cùm ſemen ſit ſanguineum, & ſpirituoſum, ſeu conſtans ſpiritibus vitalibus, ad hoc ipſum determinatè â natura ordinatis, aliquam activitatem habere dignoſcitur. 7. *Explicatur Scotus.*

QUÆSTIO IX.

De particulari Organizatione; animatione hominis; aliiſq; Generationem ejus concernentibus.

1. *Quid ſit organizatio, & primus motus poſt conceptionem.* Nota primò: Organizationem hominis idem eſſe, quod figurationem, declinationem, & conſtructionem corporis humani in utero matris. Hanc autem Medici docent fieri modô ſequenti (caſtis quæſo ſint ſequentia caſta) Poſtquam â mare, & fœmina deciſa ſunt ſemina, ea in matrice recipiuntur, ac permiſcentur inter ſe: deinde matrix arctiſſimè ſeſe concludit, contrahit, ac circa injectam congeriem, ſeu maſſam ſeminum intimè corrugatur, nativâ ſuâ virtute eam fovet, atque ad operandum promovet ad ſequentes motus: unde *primò* maſſa illa ſeminea incipit quaſi leniter bullire, ita ut partes craſſiores ſeparentur â ſubtilioribus, & craſſiores reijciantur ad extremitates circumferentiæ; ſubtiliores verò intrinſecùs recondantur; ex primis coaleſcit quædam pellicula, ſeu membranula,

Digitized by Google

complectens, & circumvolvens fœtum; & hæc vocatur *ſecundina*: ex ſecundis formatur fœtus accedente ſanguine menſtruo hac ratione, ut ex ſanguine tali accedente delineentur partes carnoſæ; ex ſemine verò coagulantur partes ſpermaticæ, quæ ſunt ſolidiores, & ſicciores, cujuſmodi ſunt oſſa, nervi, &c. Antequam autem incipiat vera formatio dictarum partium, tranſeunt dies ſex à tempore permixtionis primæ, & deciſionis ſeminum, quo tempore illa maſſa ſeminea permixta habet ſimilitudinem cujuſdam quaſi lactis ſpumoſi.

2. *Se. undus incrme.*

Exactis porrò diebus ſex incipit illa maſſa aliqualiter figurari, ac ruditer diſtingui in membra: quodnam autem ex eis primò figuretur, litigant Medici, & Philoſophi curioſiores. Hippocrates vult primò effigiari jecur; Ariſtoteles *lib. de juvent. & ſenect. cap. 1.* primatum in figuratione attribuit cordi: & uterque allegat pro hoc experientiam ocularem, quâ in inſpectione geniturarum imperfectarum dicunt ſeſe præfata membra primò efformata conſpexiſſe. Empedocles putat ſpinalem medullam primitus elaborari, veluti carinam in navi. Democratus umbilicum; Alchmeon caput. Alii arbitrantur hæc tria membra ſimul condi, cor, jecur, & cerebrum. Alii tandem ut Vall. Hurtad. & Maſtrius autumant omnia membra principalia ſimultaneâ delineatione effigiari; etſi poſtea ſucceſſivè ad ſuam perfectionem adducantur, ita ut citiùs illa perficiantur, quæ minori egent concoctione, & partium hæterogeneitate. Rationem dant, quia putant ſemen habere virtutem indeterminatam omnia membra ſimul elaborandi; unde quando debitè applicatur, uti fit in ordinata figuratione embrionis, ſimul omnia efformat membra principalia; & vel maximè, quia hæc mutuò ſe juvant, & ſunt neceſſariò connexa inter ſe. Durat autem iſta prima rudis figuratio diebus novem, quibus maſſa ruditer efformata apparet quaſi ſanguis coagulatus, & in ea membra principalia, maximè cor, jecur, & cerebrum, quaſi guttæ quædam rubræ, & fila.

3. *Alij quoque motus.*

Terminatò ejuſmodi rudi proceſſu novemdiali figurationis corporeæ, ſubſequentibus duodecim diebus tota illa maſſa figurata mollis ſolidatur, & lineamenta illa primæva debilia membrorum magis perfectionantur, & diſtinctiùs apparent. *Tandem* aliis rurſus ſubſequentibus diebus fluentibus uſque ad animationem ad ſuam debitam perfectionem, & diſtinctionem adducuntur; ſicq; completur organizatio corporis humani, & totius embrionis, habeturque in eo forma corporeitatis ſecundùm nos Scotiſtas. Totus iſte proceſſus organizationis (ad quem terminandum multùm etiam inſerviunt cauſæ univerſales cæleſtes, uti docet Scotus *2. diſt. 18.*) exprimitur vulgaribus illis verſibus:

Suſceptum ſemen ſex primis credo diebus
Eſt quaſi lac; reliquiſque novem fit ſanguis; ab inde
Conſolidat duodena dies; reliquique ſequentes
Efficiunt totum fœtum poſt hos oriundum.

Nota ſecundò: ad hujuſmodi formationem, & organizationem hominis concurrere tam patrem, quàm matrem activè, & paſſivè vi ſeminum a ſe emiſſorum; ſed cum hoc diſcrimine, quòd mater propriâ virtute immediatè attingat organizationem; uti habet Scotus *3. diſt. 4. q. 1.* Ratio primi eſt; quia ut ſuprà dixi, ſemen eſt quid hæterogeneum; adeoque utriuſque ſeminis, id eſt tam virilis, quàm fœminei, partes ſubtiliores activè agunt in partes craſſiores. Ratio ſecundi eſt; ſi ſemen patris (de paſſivitate ſeminis matris certum eſt illud paſſivè concurrere) non concurreret etiam paſſivè, & per modum materiæ remanentis in prole, proles non diceretur verè conſubſtantialis patri; quia in ſe non haberet ſubſtantiàm patris; & conſequenter ejus Generatio non eſſet per principium vitæ conjunctum; quod tamen requiritur ad Generationem viventium à viventibus, uti eſt Generatio hominis. Ratio tertii eſt; extra uterum matris nequit fieri ulla conceptio hominis, aut organizatio; etſi utriuſque parentis ſemina adeſſent cum materia neceſſaria: Ergo ſignum eſt, matrem propriâ virtute immediatè attingere organizationem. Præterea mater ſubminiſtrat ſanguinem menſtruum pro formatione fœtûs; fovetque ſuo nativo calore totam maſſam ſeminum, ut delineetur debitè in embrionem; & tandem aſſiſtit immediatè ejus delineationi: Ergo immediatô concurſu attingit organizationem. Circa animationem embrionis organizati. 4. *Diſcrimen concurſus patris, & matris ad organizationem.*

Nota tertiò: poſtquam completa eſt tota organizatio corporis humani, ſubſequium 5. *Quo tempore fiat animatio.*

quitur ejuſdem animatio, quæ fit per adventum animæ rationalis. Variant autem DD, quô tempore præciſè compleatur tota organizatio, ita ut anima rationalis adveniat: omnes tamen in hoc conveniunt, quòd organizatio, & infuſio animæ citiùs fiat in maſculo, quàm in fæmella; quia maſculus generatur ex ſemine calidiori, ac robuſtiori; unde citiùs ejus membra ſolidantur, & perfectionantur; fœmella verò prodit ex ſemine frigidiori, & imbecilliori; unde tardiùs maturatur, & debitè diſponitur ejus corpuſculum ad recipiendam animam rationalem. Itaq; quidam Philoſophi, & Theologi arbitrantur organizationem maſculi debitè perfici ſpatio 40. dierum, quâ periodo exactâ ajunt corpuſculum ejus eſſe aptum ad infuſionem animæ, & tunc fieri etiam hujuſmodi infuſionem: Organizationem autem debitam fœmellæ putant terminari ſpatiô 80. dierum, & eô completô animari ipſius corpuſculum: rationem hujus ſumunt ex Lege Veteri, in qua mulier parturiens maſculum jubetur 40. diebus manere domi in puerperio, & ab aſcenſu ad templum abſtinere; pariens autem fœminam 80. diebus: ex quo volunt iſtû dierum numerum eſſe præſcriptum â Lege ad imitationem naturæ humanæ, ac temporis, quô in utero matris organizatur corpus, & præparatur ad animæ rationalis infuſionem. Medici autem plurimi aſſerunt totam maſculi hominis organizationem compleri ſpatiô 30. dierum, & fœmellæ ſpatiô 40. & poſt hos ſtatim advenire animam rationalem: imò quidam eorum adhuc pauciores aſſignant dies, uti patet in Ideis Operatricibus celeberrimi Doctoris Marci, olim mihi perquàm familiariter noti: hi fundant ſe in experientia, quâ deprehendunt per anatomiam mulierum prægnantium paucis diebus poſt conceptionem mortuarum, fœtus jamjam viventes, uti ipſi arbitrantur. Prior opinio eſt receptior in Schola Philoſophorum.

6. *Solus Deus creat, & infundit animam rationalem.* Nota quartò: ſecundùm Scotum *4. diſt. 43. q. 3.* DEUM creare, infundere, & unire animam rationalem cum corpore hominis perfectè jam organizato, ſicque tota animatio effectivè in ipſum refundi debet, utpote qui ex ratione Officii ſui Creatoris, & cauſæ primæ univerſalis, quæque ſola poteſt propriè creare, tenetur vi Decreti ſui liberi, quô ordinavit, & conſervare vult ſpeciem humanam, ſtatim ac completa eſt organitatio, animare quodvis corpus humanum. Unde falſa eſt opinio Averſæ, Arriagæ, Ruvii, & aliorum, aſſerentium parentes attingere unionem animæ rationalis cum corpore: cùm hæc unio ſit actio ſpiritualis, quæ effectivè ab agente corporeo attingi nequit. Nec valet eorum paritas de animabus aliorum animalium, quarum productionem, & unionem attingunt generantes vi ſeminum: quia anima rationalis eſt purè ſpiritualis, & altioris ordinis; unde petit præciſè creari â DEO, & uniri corpori.

Nota quintò: circa animationem aliorum animalium, quæ vivipara, & vermipera ſunt, concedi poteſt, matrem adhuc vivam concurrere ad eductionem animæ, ſenſitivæ eorum, & ad informationem; uti colligitur ex Scoto *4. diſt. 11. q. 3.* Ratio eſt; quia quando per cauſas inferiores naturales poſſumus ſalvare aliquem effectum naturalem, non eſt recurrendum ad cauſas ſuperiores, ſeu univerſales cæleſtes: poſſumus autem animationem animalium viviparorum, & vermiparorum ſalvare per cauſas naturales inferiores, ſcilicet per matres proprias vivas, quæ habent virtutem effectricem ſufficientem reſpectu animæ ſenſitivæ. Circa autem animationem oviparorum dicendum eſt, quòd ſic ut matres, v. g. gallinæ ova ponentes, & incubantes, non attingunt organizationem animalium inde prodeuntium, v. g. pullorum; ſed tantùm excitant virtutem ſeminalem ovorum: ita pariter non attingunt eductionem, & unionem animæ ſenſitivæ animalium natorum. Redeundo ad hominem — 7. *Ad aliorum animalium educendas matres concurrunt.* 8. *Exceptis oviparis.*

Nota ſextò: pôſtquam ſecuta eſt animatio fœtûs humani, & factus verus homo, incipit ille fœtus nutriri, atque augeri, attrahens alimentum per venam umbilicalem, quod jecur recipit, atque omnibus membris deinde diſtribuit; nondum tamen ullos edit motus ob cerebri imbecillitatem, nervorumque mollitiem, quæ mollities tractu temporis evacuatur, & tollitur â calore, ſicque ſolidantur magis ſingula membra, ac adaptantur ad motus; quos edunt quaſi calcitrando maſculi tertiô menſe; fœmellæ verò quartô. Tandem quando fœtus plenam aſſecutus eſt maturitatem, quod communiter fit ſub initium decimi menſis regulariter, aliquando tamen etiam citiùs, ſcilicet ſextô, ſeptimô, vel octavô, diſtendit ſuô — 9. *Nutritio, & motio fœtûs animati.*

ſuô pondere gravente, & copiâ excrementorum urgente uterum maternum, rumpitque ſecundinam, & effundit ſe in lucem, illicò ingemiſcens ſuper originalem ſuam labem, & præſentes elementorum, mundique miſerias.

10. *Cauſa abortûs.*

Quæres primò: unde proveniat, quaſdam fœminas in exordio organizationis prolis abortiri, ſeu pati abortum, eijciendo embrionem imperſectum? Reſpondet Gallenus, id oriri ex eo, quòd fœtus pendens in ligaminibus adhuc mollibus in principio formationis fœtûs de facili ob motum aliquem vehementem, terrorem, coleram, aut aliam paſſionem convellatur, & rumpatur, ſicque cauſetur lapſus ejus extra uterum; ſicut fructus arboris v.g. poma dum adhuc tenella habent ligamenta, de facili decidunt.

10. *Cauſa variorum prolium in ſtatura, & figura.*

Quæres ſecundò: cur tanta ſit varietas prolium, quoad longitudinem, & brevitatem in ſtatura; item quoad corporis gracilitatem, formoſitatem &c. Reſpondeo hujuſmodi varietatem provenire ex varia, & varia diſpoſitione matricis, in qua formantur, & reconduntur; ac ex ipſa ſeminum complexione.

10. *Unde ſexuum diverſitas proveniat.*

Quæres tertiò: unde oriatur ſexuum diverſitas in prolibus, ita ut fœminæ nunc maſculos, nunc fœmellas concipiant, atque pariant? Reſpondeó primò Theologicè; cùm ſecundùm Scotum *4. diſt. 43. q. 3.* & *in Report.* ac communiorem Scotiſtarum determinatio effectùs creati quo ad individuum intra talem ſpeciem oriatur à DEO ut cauſa prima efficiente; idcirco quòd ex hac maſſa ſeminum naſcatur individuum maſculinum, & ex alia fœmineum, in DEUM refundi debet, qui determinat maſſam illam ad hunc, vel illum naturæ humanæ gradum. Reſpondeo ſecundò phyſicè; quia ut Medici, & Phyſici complures cùm Ariſtotele dicunt, conceptio & Generatio maſculi, vel fœmellæ referri debet in locum peculiarem conceptionis, ac Generationis; nam ut ipſi cum Ariſtotele ajunt, ſi ſemen emiſſum cadat in partem dexteram matricis, putatur generari maſculus, eò quòd hæc pars ſit calidior, & calor ſit valde proficuus ad maſculi formationem. Si verò ſemen tale cadat in ſiniſtram partem matricis, cenſetur efformari fœmella; cùm iſta pars ſit frigidior ratione ſplenis ad frigus cooperantis. Alii tandem Medici hujuſmodi ſexuum diverſitatem referunt in prædominium ſeminis virilis, vel muliebris.

Quæres quartò: unde proveniat gemellorum ortus? Reſpondet Gallenus *lib. de nat. hum.* ex pluralitate cellularum matricis: dicit enim per anathomiam deprehenſis eſſe ſeptem cellulas, ſeu receptacula ſeminis, in quarum unaquaq; efformari poteſt una proles: tres dicit eſſe á dextris matricis; in quas ſi inciderit ſemen, naſcuntur tres maſculi ſimul; & tres à ſiniſtris, in quas ſi prolapſum fuerit deciſum ſemen, organizabuntur tres fœmellæ; & una in medio, in quam ſi ſemen dejectum fuerit, hermofroditi, utrumq; ſexum participantes prodeunt. Ex his patet, ſi ſemen in duas ceciderit cellulas, generari gemellos. Similiter patet nonniſi ſeptem ad ſummum proles poſſe naturaliter ſimul concipi, ac parturiri. 11. *Et gemellorum ortus.*

QUÆSTIO X.

Anatomia de ſingulis partibus corporis humani in particulari.

NOta primò: hominem eſſe ſupremum artificium Divini Opificis DEI, juxta illud piæ matris Machabæorum 2. cap. 7. *& ſingulorum membra non ego ipſa compegi* (ſubaudi principaliter) *ſed Mundi Creator*: & in hoc relucet ſumma DEI Sapientia architectans; quare ad eam magìs recommendandam, juxta Medicorum anatomiam (id eſt diligentem ſectionem, & inſpectionem) ſingulas hujus admirabilis artificii partes breviter deſcribam; quæ ſunt oſſa varia, ſcilicet cranium, vertebre, coſtæ, claviculæ, ſcapulæ, brachia, manus, crura, tibiæ, & pedes. Deinde ſequuntur cartilagines, & ligamenta. Item nervi, & arteriæ. Item venæ. Item muſculi. Item operimenta exteriora partium, cujuſmodi ſunt cutis, pinguedo, abdomen, peritonæus, & omentum. Item ventriculus, inteſtina, meſenterium, hepar, ſel, lien, renes, ureteres, veſica, vaſa ſpermatica, vaſa umbilicalia, & mammæ. Item diaphragma, pleura, mediaſtinum, ac pericardion. Item cor, pulmones, trachea, ſeu arteria aſpera, larynx, æſophagus, collum, caput, cerebrum, frons, oculi, aures, naſus, os, labia, & buccæ. Tandem ſequuntur palatus, fauces, gingiva, guttur, lingua, carnes, quatuor humores principales, capilli, 1. *Quot, & quæ ſint membra hominis.*

pilli, & ungues. Item lac, ſemen, ſpiritus vitales, & animales.

2. *Quid ſint oſſa.*

Nota ſecundò: *Oſſa* ſunt naturæ humanæ attributa veluti quædam fundamenta mirabilis iſtius fabricæ, & parvi Microcoſmi. *Os* autem deſcribitur, quòd ſit pars quædam ſimilaris, ſicca, & frigida, ex terrea craſſitie, & ſeminis adipe vi virtutis formatricis, & mediante calore inducta. Siccitas oſſium oritur ex nimio calore, humidam, & pinguem materiam obdurante. De numero oſſium hominis variant AA. Archelangus vult eſſe 240. alii 204. alii 106. S. Bonaventura ait eſſe 366.

3. *Cranium & dentes, & maxilla.*

Nota tertiò: *Cranium* eſt unum ex inſignibus oſſibus, formans caput, & avulſum à carne, ut ait D. Bonaventura *in 19. Joan.* Hoc vocatur *calvaria* ab oſſibus calvis. Componitur ex 16. oſſibus minoribus, de quibus vide Bartol. lib. 4. cap. 8. Cranium eſt domicillium cerebri: debet habere regulariter figuram modicè rotundam, anteriùs, & poſteriùs oblongam aliqualiter, ut cerebrum aptè complecti valeat: ſed varias hujus conſpicimus figuras, quas depravant partim obſtetrices, dum infantes recenter natos faſciis ligant; partim verò ex inopia, aut copia materiæ Generationis ſic prodeunt. Maxillis Cranii infixi ſunt dentes, quandoque 28. quandoque 30. ſcilicet in ſuperiori maxilla 16. & inferiori 14. quandoque 32. ſcilicet in quavis maxilla 16. quidam eorum vocantur *inciſores*, ſcilicet primi quatuor anteriores in quavis maxilla, & ſunt illi duo in qualibet maxilla, qui inciſores ſequuntur; & quidam *canini*, & quidam *molares*, ſuntq; ultimi 2.

4. *Vertebra.*

Nota quartò: Cranio conjunguntur aliqua oſſa, quæ *Vertebræ* dicuntur, per quas cerebrum profundans medullam, germinat nervos, & tribuit motum corpori. Hujuſmodi Vertebræ numerantur variæ, ſcilicet in collo 7. in dorſo 12. in lumbis 5. in oſſe ſacro 5. vel 6. quibus adde os Cocygis, ſimile roſtro cuculi: omnes iſtæ Vertebræ conſtituunt oblongam ſpinam, quæ quia in parte ſua poſteriori ſpinoſa eſt, propterea etiam *ſpinoſa* vocatur. Hæ Vertebræ omnes ſunt excavatæ, ut continere valeant medullam ſpinalem. Vertebræ collo datæ ſunt ad gulam, & tracheam ſuſtendandam; lumbis datæ ſunt pro tuendo trunco venarum Portæ, & Cavæ deſcendentis; & ideo introrſum inclinant, ſicut & os ſacrum, ut detur locus amplus cordi, pulmonibus, veſicæ, ano, & utero; & ut homo faciliùs poſſit ſe inclinare versùs terram.

5. *Coſta, clavicula, & ſcapula.*

Nota quintò: Vertebris dorſi copulantur 12. *Coſtæ*, quæ ſunt oſſa quædam curvata, longa, non adeò larga. Sub imo collo in ſummo pectoris ſunt tranſverſim iſta duo quædam oſſa, quæ *Claviculæ* vocantur; harum uſus eſt ad varios motus brachii exercendos. Similiter ad conſtituendam humerorum latitudinem natura conſtituit duo oſſa lata incumbentia ſuperioribus coſtis in parte poſteriori inſtar ſcutorum ſub figura fermè triangulari; hæc dicuntur *Scapulæ*. Inſerviunt etiam ad humerorum, & clavicularum articulationem, ac ſecuritatem.

6. *Brachia, cubitus, radius, manus, carpus, metacarpus, digiti, & ſeſamina.*

Nota ſextò: *Brachium* hominis eſt quoddam os magnum, validum, longum, teres, & inæquale, in ſuperiori parte habet capitellum rotundum, cartilagine obductum, quod cum ſcapula articulatur, inferior autem pars ejus articulatur cū cubito, & radio. Cubitus autem, & Radius ſunt duo oſſa humerô breviora, & appendices utrinq; habentia, ſibi mutuò incumbentia, atq; ligamentô membraneô invicem commiſſa ad motum, & operationes plurimas: primum inferiùs, & majus os dicitur *Cubitus*, alterum inferiùs, & minùs dicitur *Radius*. Brachio, mediante Cubitô, & Radiô connectitur *Manus*, quæ conſtat quatuor oſſibus, ſcilicet Carpô, Metacarpo, Digitis, & Seſaminâ. *Carpus* habet octo oſſa diſtincta inæqualia, magnitudine differentia, ſuperiùs ſcilicet quatuor cū Radio articulata ac Cubito; & inferiùs quatuor, quæ ſunt totidem oſſibus Metacarpi connexa. *Metacarpus* habet 4. oſſa oblonga, & gracilia, quæ conjunguntur Carpo per connexionem immediatam, & digitis per ligamenta. *Digitorum* oſſa ſunt 15. in quovis digito tres intus cavitatibus, foris gibbis prædita, ad apprehenſionem rerum perficiendam. *Seſamina* ſunt oſſicula quædam minima, ſemini *Seſami* ſimilia, quæ latent in interodiis manuum, & pedum.

7. *Crus, tibia, pes, tarſus, metarſius & digiti &c.*

Nota ſeptimò: *Crus* eſt os fœmoris longum & maximum hominis, eundem quaſi portans. Hoc in parte ſuperiori in coxendicis acetabulum inſeritur, & nectitur; in inferiori cum Tibia articulatur; huic articulationi interponitur mola, quæ eſt rotundum, & latum os, ubi genu ligamentô cingitur. *Tibia* eſt os intra genua & talum collocatum. *Pes* conſtat tribus, Tarſô, Me-

tarſô, & Digitis. *Tarſi* oſſa ſunt ſeptem; primum eſt *Talus*, qui ad motionem ordinatur; ſecundum eſt Talo connexum, & ordinatur ad firmandum; tertium dicitur *naviculare*, cymbæ ſimile; quartum eſt Cubo ſimile. Reliqua dicuntur *Calcoidea*, & ſunt cuneiformia, naviculari annexa.

8. *Cartilago, & ligamenta.* Nota octavò: *Cartilagines* ſunt quædam partes ſimilares, oſſibus affines; ſunt tamen oſſibus molliores, duriores autem ligaminibus. Cartilaginum uſus eſt primò, motum reddere celeriorem in juncturis, & diuturniorem. Secundò tueri partes ab injuriis externis. Tertiò connectere oſſa. *Ligamenta* ſunt nervis duriora, & earum uſus eſt, colligare ad invicem oſſa, ac alias partes, & ſic ligare & detinere oſſa in capite, thorace, dorſo, artubus, nè luxentur partes.

9. *Nervi.* Nota nonò: tria deprehenduntur in homine vehicula, per quæ vitales humores, & ſpiritus devehuntur ad ſingulas partes corporis; ſcilicet *Venæ*, per quas utpote latioris concavitatis devehitur ſanguis cum ſpiritu naturali ad nutritionem partium: & *Arteriæ*, per quas ſpiritus vitales cum ſubtiliori ſanguinis portione excurrunt in univerſum corpus: & *Nervi*, qui, etſi compactioris naturæ ſunt; attamen ſpiritus animales ſenſui, & motui ſubminiſtrant. Sunt ergo *Nervi* organa quædam communia oblonga, tereta, in partes corporis deducta pro facultate animali; quarum uſus eſt, ſpiritus animales devehere ad omnes partes pro ſenſu, ac motu. Hi majori ex parte originantur juxta probabiliorem Anatomicorum ſententiam in cerebro, ubi ſpiritus vitales in corde geniti, & ad cerebrum transfuſi, attemperantur in animales, quos Nervi partibus corporis diſpertiuntur cum virtute animali. Hi profundiùs jacent, quàm arteriæ; & numerantur communiter 37. paria, ex quibus 10. paria dicit Bartol. originari in capite: & dicuntur paria, quia quivis habet ſuum ſocium, cùm ex uno, & altero latere è cerebro egrediantur ad partes corporis.

10. *Arteria, & earum pulſus.* Nota decimò: *Arteria* eſt organum commune, teres oblongum, cavum ad modum fiſtulæ, progrediens è corde, & vehens ad partes corporis ſanguinem, ac ſpiritum vitalem idoneum ad vitam hominis fovendam, ac ad nutriendum, & ad expellendum excrementum ſanguinis ad renes, meſenterium, uterum, & hemoraides. In latere ſiniſtro cordis prodit arteria magna *Aorta* dicta; in dextra latere *arteria venoſa*, & *arterioſa*. *Arteria* pulſat, ut ſcilicet calor innatus ventiletur, ac temperetur; item ut ſanguis arterioſus minoribus arteriolis inſinuetur, & infundatur, ac inde partes nutriantur; reliquus per valvulas infunditur venis, ut fiat circulatio; & tandem pulſat, ne ſanguis quieſcens computreſcat. Ille pulſus cauſatur ſecundùm Praxagorum à facultate peculiari pulſifica; ſecundùm Galenum per tunicas arteriarum; ſecundùm Ariſtotelem à ſanguine ebulliente; ſecundùm Corteſiũ à ſanguine rarefacto: probabiliùs eſt, quòd pulſus in hominis arteriis cauſetur tum à ſanguine impellente, tum à facultate ſpeciali ad hoc à natura ordinata dirigente, quando cor conſtringitur, & dilatatur: quando cor dilatatur dicitur fieri *diaſtole*, quando verò conſtringitur *Syſtole*. Arteriæ ſub venis latent; ſunt membranoſæ, & venis ſolidiores, ac ſextuplò craſſiores, ut docet Herophilus *in ſua arteriotomia*. Arteria magna ſeu Aorta oritur è ſiniſtro ſpecu cordis, & dividitur in truncum aſcendentem, & deſcendentem: truncus aſcendens, tracheæ incumbens providet partibus omnibus ſupra cor exiſtentibus ſanguinem, & ſpiritus vitales; truncus verò inferior illa miniſtrat partibus intra cor exiſtentibus: hi duo trunci arteriales ramificantur in plurimas minores arterias, per univerſum corpus diſperſas ſub venis.

Nota undecimò: *Venæ* ſunt pariter quædam organa communia, tereta, oblonga, & ad inſtar fiſtulæ cava, per quæ veluti alveos decurrunt jugiter rivuli ſanguinis ad abluendum, & irrigandum areſcentem carnem, quæ, cùm vi caloris abſumatur, defectu radicalis humidi interiret, niſi venarum ſubſidió reficeretur. Unde munus venarum eſt, ſanguinem continere, decoquere magis, & illum viciniis venis per quaſdam fibrulas communicare, & per has carni inſtillare, ut ipſa reficiatur; item transfundere hinc inde in eo natantes ſpiritus naturales, ſeu vitales. Organum venarum ponit Ariſtoteles in corde; Galenus verò cum aliis Medicis in jecore ſeu hepate; tum quia ibi fit prima ſanguificatio: tum quia in anatomia deprehenditur, venam maximam Cavam non attingere cor: tum tandem, quia venæ non pulſant ſicut arteriæ; quod tamen fieret, ſi in corde originarentur. Venæ habent unicam tunicam, ut faciliùs ſubtilior portio ſanguinis 11. *Venæ variæ maximè Porta & Cava.*

transſpi-

tranſpiret: notantur in eis quædam valvulæ, ſeu tenues membranæ, ſitæ in cavitate Venarum. Omnes Venæ, quæ pene innumeræ ſunt, & variæ in variis hominibus, ad duas principales veluti matres reducuntur, ſcilicet ad Venam portæ ad Venam Cavam. *Vena portæ* oritur è cava parte hepatis; eſt mollior, quàm Vena Cava; hujus ſuperiores rami per cavum hepatis diſperguntur; inferior autem truncus, duabus venulis ad veſicam bilariam dimiſſis mittit aliam in ventriculum, poſtea inclinans ad ſiniſtram partem dividitur, ita ut unus ramus vadat ad ſplenem, alter meſenterium totus ingrediatur, & ibi in tres alios ramos dividatur. *Vena Cava* eſt omnium maxima, & oritur è gibbo jecoris, ejus truncus aſcendens ad varias propagines penetrat diaphragma, & per thoracem, collum, caput, & brachia diſſeminatur; deſcendens verò pergit, in ſocietate Aortæ uſque ad quartam lumborum vertebram, ſpargens quoque varias propagines ad renes, partes ſpermaticas, lumbares, & alias. Ex ramis Cavæ naſcitur inſignis illa vena *axillaris*, quæ dividitur in Cephalicam, & Baſilicam. *Cephalica* ſeu *capitalis*, cujus ramus externus ad carpi medium â parte inferiori Baſilicæ ramo conjungitur, & deinde externam carpi ſedem conſcendens inter digitum annullarem, & minimum pergens, dicitur *Salvatella*, quæ in febribus acutis ſecatur. *Baſilica* eſt illa vena, quam alii *hepaticam* vocant, & defertur ſub teneritudine muſculi pectoralis per cubitum, ubi dum cum Cephalicæ ramo interiori ſub flexura cubiti defertur, conſtituit venam communem, quæ dicitur *Mediana*, â ſitu ſic dicta.

11. *Muſculi.*

Nota duodecimò: *Muſculus* qui eſt in humano corpore, deſcribitur, quòd ſit pars organica, motûs voluntarii inſtrumentum: dicitur forſitan ſic à ly *mus*, quia excoriato muri eſt ſimilis. Muſculi ſunt veluti motûs miniſtri, quem ocyùs excitant in variis membris, dum â cerebro per venas, â corde per arterias, & â jecore per venas vim motricem recipiunt: componitur ex partibus diſſimilaribus. Inſigniores muſculi ſunt illi ſedecim, qui abdominis inferiorem ventrem tegunt: horum officium eſt ventrem modò ſuperiùs, modò inferiùs, aliquando ad tumorem protendere, ut faciliùs aër retrahatur, & excrementa ejiciantur. Item illi novem in brachiis diffuſi ſunt ad ejuſdem motus exercendos. Item quatuor ſcapularum ad earum motus varios perficiendos ordinati. Item duodecim thoracis motui reſpirationis inſervientes. Item quadraginta quatuor intercoſtales. Item novem pro capite multiformiter movendo. Item quatuor pro collo, & cervice variè flectendo. Item quatuor paria pro totidem paribus nervorum Dorſi. Item quatuor pro ano; duo pro teſticulis; unus pro veſica; quatuor pro pene; quatuor pro cubito; quatuor pro carpo; ſex interoſſales in ſpaciis metacarpi; duo pro pollice flectendo; duo pro indice; & duo pro quovis minori digito. Item duo pro fœmore majores; & plures alii minores. Item quatuor pro tibia. Item ſex pro flectendo pede antrorſum, & retrorſum. Item duo pro quolibet digito pedis.

Nota decimo tertiò: *operimenta exteriora* partium corporis humani ſunt certa tegumenta, propugnacula, & tunicæ, quibus partes veſtiantur, & defenduntur, nè ab extra lædantur; & ut ſecuriùs intus vacent ſuis operationibus, atque meliùs inter ſe partes ſimilares, & diſſimilares ſecernantur. Hujuſmodi operimenta ſunt Cuticula, Cutis, Pingvedo, Membrana, Abdomen, Peritonæum, & Omentum. *Cuticula* eſt pellicula vitæ, ſenſus expers, exanguis, ex vaporibus oleoſis, & viſcoſis â frigiditate externa condenſatis genita, & ordinata ad Cutem tegendam. *Cutis* eſt tegumentum commune corporis, ſeu membrana â ſemine genita, ut ſit operimentum partium ſubjectarum, & tactûs inſtrumentum. *Pinguedo* eſt corpus ſimilare, expers vitæ, ex ſanguine unctuoſo, membranarum frigiditate creſcente nata, & ad totius tutelam ordinata. Hæc eſt humida, & vitæ obnoxia; quia minuit ſanguinem, & vita in ſanguine eſt: unde pingues, dum ſolvitur pinguedo, moriuntur, plerumque â rheumate ſuffocati. Pinguedini in homine ſubſternitur *Membrana*, quæ operit partem corpulentiorem. Eſt autem pars ſimilaris, lata, alba, â facultate propriâ producta, ut cuſtodiat partes; tales ſunt peritonæum, pleura, perioſtium, pericardium, &c. Membranæ aliæ ſunt tenues, & aliæ craſſæ, & aliæ inveſtientes muſculos. Omnium præcipua eſt membrana carnoſa, quæ operit corpus univerſum. Ejus officia ſunt ſuſtinere debiliores ramos venarum, nervorum, & arteriarum, quæ terminantur ad cutem: item ut

12. *Operimenta exteriora corporis humani.*

13. *Cuticula, cutis, pinguedo, membrana, abdomen peritonæum, & omentum.*

ut colligat craſſiores vapores ſanguinis,& in pinguedinem vertat: item ut carnem muſculis muniat contra externam læſionem. *Abdomen* eſt pars extrema totius corporis, totumque illud, quod inteſtina tegit ex cute, adipe, muſculis decem, & peritonæo compactum. *Peritonæum* eſt membrana inveſtiens inferiora viſcera ventris. Ejus uſus eſt, viſcera omnia ventriculi complecti, ac eadem conſtringere, ut excremementa veluti retro preſſa liberiùs eijciantur: item ita ſtrictè munit inteſtina, ut à nullo flatu, ſeu ventoſitate externa inflari queant. *Omentum*, quod alii vocant *Sagenam*, eſt quoddam tegumentum quaſi ſupernatans, ſuper inteſtina; hoc eſt ſub peritonæo ſitum ad hepar, lienemque, ac ventriculi fundum. Ejus uſus eſt, adipis copiam claudere in fundo, & ventriculum, ne calor exhalet, operire.

14. *Ventriculus ſeu ſtomachus, œſophagus, & pylorus.*

Nota decimò quartò: *Ventriculus* (idem eſt quod Stomachus) eſt pars organica ſita ſub diaphragmate, ad chyliſicandum. Hic habet duo orificia, ambo in parte ſuprema Ventriculi. *Siniſtrum* dicitur os Ventriculi; hoc ſitum eſt ad undecimam thoracis vertebram; habet fibras carnoſas circulares, ut ſe claudat naturali inſtinctu poſt aſſumptum alimentum, ne fumi ad cerebrum aſcendant, & ut ſtomachus coquat cibum. Ex eo aſcendit fiſtula gulæ, quæ dicitur *œſophagus*, quæ nectitur initio cum faucibus, & larynge per tunicam oris, quæ ipſi, & Ventriculo eſt continua. *Dextrum* orificium Ventriculi manet clauſum quouſque concoquatur; ſed completâ concoctione ſeſe aperit, & emittit chylũ; unde etiam ſortitum eſt nomen *pylorus*, id eſt *janitor*; ſi hoc foramen corroſô, vel ſcirrô occludatur, ſequitur mors hominis; ſi verò indignetur, ſequitur paralyſis, & vertigines oriuntur. Cùm membrana Ventriculi ſit frigida, ideo fovetur calore jecoris à parte dextra; â ſiniſtra verò calore lienis; ſubtus â pancreate, â trunco venæ Cavæ, & Aortæ: accipit â liene vas breve fundo inſertum, quod ad orificium repens ei defert humorem acidum fermentatum. Concoctionem ſtomachi attribuunt aliqui Medici cuidam humori acido; quem variè explicant, quòd ſit vel bilis, vel ſpiritus, vel chyli reliquiæ, quaſi fermentum, vel melancholia. Maſſam autem concoctivam eſſe revera aliquid acidum, inde ſvaderi poteſt, quod omne acidum, ut v. g. ſuccus citri, oleum ſulphuris, aut vitrioli, aut cremor tartari, adjuvent macerationem cibi, & Ventriculi imbecillitatem. Hic humor diſſolvit, frangit, & comminuit ciborum fruſtula duriora, quæ â ſolo calore nequeunt diſſolvi.

Nota decimò quintò: *Inteſtina* ſunt partes hominis quædam oblongæ, concavæ, rotundæ, variè circumgyratæ, continuatæ cum pyloro uſque ad podicem pro chylo excipiendo, & excrementis primæ concoctionis expellendis. Inteſtina ideo habent gyros, ne alimentum ſtatim elabatur, nondum abſolutâ chyli diſtributione: homines qui ductus Inteſtinorum habent rectiores, voraciores ſunt; quia citò ex eis elabitur alimentum. Inteſtina ſita ſunt in infimo ventre; corũ ſubſtantia eſt membranoſa, ſicut & ventriculi, ut diſtendi poſſint à chyli fæcibus & flatibus: obducuntur foris pinguedine, intus verò mucô, ut facilè elabantur fæces. In horum exulceratione, ac diſſolutione contingit dyſenteria. Finis Inteſtinorum dicitur podex, ſeu anus. Quodvis inteſtinum dicitur eſſe ſepties longius illo homine, cujus eſt inteſtinum. 15. *Inteſtina.*

Nota decimò ſextò: *Meſenterium* (â medio inteſtinorum, ubi jacet, ſic dictũ) eſt vinculum inteſtinorum; & ferme circulare, complectens inteſtina extenſiùs ad ſiniſtram; eſt in magnitudine â centro ad circumferentiam unius ſpithamæ; in longitudine trium ulnarum. Ejus uſus eſt, fulcire vaſa tranſeuntia, puta ramos venæ Portæ, Arteriæ Cœliacæ, & nervorum, præſertim ramum ſplenicum: juvat etiam concoctionem ventriculi, eſtque ejus quaſi pulvinar, & fugit præterlambentem ſanguinem ſeorſum. 16. *Meſenterium.*

Nota decimò ſeptimò: *Hepar* (idem eſt quod *Iecur*) eſt pars organica hominis, ſanguificationis, & venarum principiũ. Hoc incumbit leniter parti anteriori ventriculi dexteræ ſuperiori, cui, ut cedat, concavus eſt, & ſimus. Ejus ſubſtantia eſt rubra, & mollis, veluti ſanguis concretus. Munus principale Hepatis eſt ſanguificare: fit autem hoc proceſſu ſanguificatio. Poſtquam alimentum in ventriculo eſt coctum, fit chylus ex eo, & pars â venis lacteis per inteſtina diſperſis attrahitur, & ex eis ab Hepatis calore, & virtute ſurſum attracta ſanguinis accipit rudimenta; poſtea adjuvante internô chyli, & Hepatis calore convertitur in 17. *Hepar.*

rubeum

rubeum ſuccum, & in Cavæ radices expellitur, ubi elaboratur ulteriùs; tandem cum ſanguine Portæ, & Arteriarum redeunte in truncum Cavæ effunditur, vergens per truncum ſuperiorem rectâ ad Cor, ut ibi ad nutritionem aptus reddatur, peractâ verò per arterias nutritione redit è minoribus ad maximas venas, & inde circulariter ad Cor.

18. *Veſica bilaria, & canalis bilarius.*

Nota decimò octavò: *Bilis* eſt unus ex quatuor humoribus corporis humani; eſtque duplex, alia enim eſt *flava bilis*, & eſt ſuccus calidus & ſiccus; alia *atra bilis*, & eſt ſuccus frigidus ac ſiccus. Bilis habet in corpore humano duos meatus, qui inter partes corporis recenſentur, ſcilicet Veſicam bilariam, & Canalem bilarium. *Veſica bilaria*, ſeu folliculus fellis eſt quoddam vas oblongum ſimile pyro, concavum, duabus membranis indutum; unâ, quâ alligatur hepati â peritonæo, & hàc hepar tegitur; alterâ craſſiori fibris conſuta, duobus circiter digitis lata: habet valvulas duas, & ſæpe tres, per quas evaporat fel, & penetrat accendens ſanguinem, & iram. Ejus officium eſt flavam, puramque bilem recipere, & retentam ad tempus expellere; item fovere herpar, & juvare ventriculum ad concoctionem: item ut ſit vehiculum ſanguinis, cum quo miſcetur, ad tenuiores venulas penetrandi: & tandem, ut adjuvet nutritionem partium ſibi affinium, puta calidarum. *Canalis bilarius* eſt canalis quidam oblongus, qui ab hepate quandoque bifurcatus abit, & reunito ductu in inteſtini, quod *Jejunum* dicitur, initium ingreditur, ac inde Bilem in ventriculum regurgitat; quandoque etiam per fundum ventriculi reptat, fœces emundando; & hinc ſæpe provocatur vomitus bilis.

19. *Splen.*

Nota decimò nonò: *Lien*, ſeu *Splen* eſt pars organica corporis, coloris obſcuri, ad livorem tendens, ſita in ſiniſtro hypochondrio, è regione hepatis ſub diaphragmate inter coſtas, & ventriculum, dorſali parti vicinior, figuræ oblongæ inſtar linguæ bovis, adaptans ſe partibus vicinis, longitudinis circiter ſex digitorum, latitudinis verò trium, craſſitiei unius; eſt tamen major in melancholicis. Ejus officium eſt, accipere & elaborare illum ſanguinem, qui ad interiorum viſcerum (cujuſmodi ſunt ventriculus, inteſtina, omentum, & meſenterium) nutritionem requiritur; item ex ſanguine partem acidam detinere, ut deinde vaſis & ventriculo admiſceat ad humores ibi attenuandos; unde liene obſtructô generantur craſſi humores in corpore.

20. *Renes.*

Nota vigeſimò: *Renes* ſunt pars organica corporis, duræ ſubſtantiæ, non admodum fibroſæ, latitudinis trium circiter digitorum, craſſitiei pollicis; ſunt in ſuperficie lubrici, coloris rubei obſcuri, figura eorum eſt inſtar phaſeoli, ſeu fabæ majoris; ſunt duo in quovis corpore; ſituantur ſub hepate, & liene, & connectuntur per membranam externam â peritonæo ortam lumbis, & diaphragmati. Eorum uſus eſt, ſanguinem attrahere per emulgentes arterias, cujus utiliorem partem retinent pro nutritione, & ſeroſam colat, & expurgat per carunculas papillares in ramos ureterum ad veſicam; hæc flaveſcit, quia aliquid bilis admiſcetur, ut purgentur ureteres.

21. *Ureteres.*

Nota vigeſimò primò: *Ureteres* ſunt canales urinam educentes è renibus in veſicam; & ſunt vel duo, vel unus, vel tres. Sunt tortuoſi inſtar Litteræ S. *Veſica* eſt figuræ oblongæ, globoſæ, & rotundæ; ejus ſubſtantia eſt membranoſa, apta ad corrugationem, & intenſionem; habet foramina tria, duo paulò ante cervicem, ubi inſeruntur Ureteres, & tertium in cervice pro exitu urinæ; eſt carnoſa, fibris contexta. Uſus ejus eſt, urinas continere, calculos, & arenas, imò aciculas, & olera nonnunquam recipit ad expellendum.

22. *Vaſa ſpermatica.*

Nota vigeſimò ſecundò: *Vaſa ſpermatica* ſunt illæ partes viri, quæ ad ſperma generandum, & deferendum ordinatæ ſunt â natura: & ſunt primò *duæ venæ*, una â dextris à trunco Cavæ oritur; altera â ſiniſtris ab emulgente; harum ramuſi ad teſtes ſerpunt. Secundò *duæ arteriæ ſeminales*, & oriuntur ab arteria magna prope emulgentes; iſtæ ducunt ſanguinem ad teſtes, in anfractibus præparatum. Tertiò ſunt *duo teſtes*, ſeu *teſticuli*, quorum dexter eſt calidior, ac copioſior, ad maris Generationem inſerviens. Horum munus eſt, conficere & præpare ſemen. Quartò eſt *penis*, ſeu *pudendum*. Quintò eſt *Urethra*, & eſt canalis ſeminum, ac urinæ. Vaſa ſpermatica in fœminis dicuntur â Medicis eôdem modô ſe habere, ſicut in viris, paucis mutatis, ſcilicet quòd teſtes earum intrinſecùs ſint in cavitate abdominis; & vaſa deferentia â teſtibus deriventut ad fundum, vel tubas uteri.

Uterus, ſeu matrix dicitur eſſe figuræ rotundæ, fundus cucurbitæ ſimilis, collum verò canali oblongo. *Vaſa umbilicalia* ſunt quatuor, ſcilicet una vena, duæ arteriæ, & uracus. Horum uſus eſt, ſanguinem ducere pro nutritione fœtûs.

23. *Mammæ Diaphragma, pleura, mediaſtinum, thymus, & pericardon.*

Nota vigeſimò tertiò: *Mammæ* ſunt illæ partes eminentes, ſitæ in pectore ſuper muſculum pectoralem; quarum uſus eſt chylum, & ſanguinem in lac convertere in fœminis. *Diaphragma* eſt muſculus ambiens totum corpus tranſverſim, ovatæ figuræ, ſeparans inferiorem ventrem â thorace; eſt autem thorax tota ſuperior pars, ubi mammæ viſuntur, & pectus oritur â lumborum vertebris, imò â tota circumferentia; eſt catnoſum, in medio nervorum, & membranoſum; inſervit ad reſpirationem liberam, dilatatur inſpiratione ad aërem recipiendum; conſtringitur ècontra in expiratione, quando fuligines expelluntur, & pulmones detumeſcunt. *Pleura* eſt membrana intrinſecùs cavitatem thoracis ſuccingens, dura, & alba. Ejus uſus eſt, jungere totam thoracis cavitatem, & æqualem reddere, ne pulmones in motu lædantur. *Mediaſtinum* è Pleura gignitur; eſt autem membrana duplex, thoracis cavitatẽ, & pulmones in duas partes dilcernens. Uſus ejus eſt thoracem bipartiri, ut læsâ unâ parte pulmonum alia ſervetur indemnis; item cor cum pericardio ſuſpendere, ne allidat. *Thymus* eſt corpus glanduloſum, molle, ſpongioſum, album, adnaſcitur jugulo. Ejus uſus eſt, vaſa aſcendentia, venam Cavam, Aortam, earumque ramos ad brachia, & ſcapulas euntes fulcire; & ut ſit veluti cordis tegumentum. *Pericardion* eſt quædam membrana, cordi involucrum præbens, nè ad partes duriores motu allidatur; unde hic etiam ejus eſt uſus. Continet in ſe humorem aquoſum, limpidum, ad cordis ardorem temperandum; unde eô abſumptô torretur cor; hic humor in hecticis eſt flavus, in pleuriticis purulentus.

24. *Cor, & pulmones.*

Nota vigeſimò quartò. *Cor*, eſt principalis pars corporis humani, & dicitur fons vitæ; eſt ſubſtantiæ carneæ ſolidæ, ut motum continuum ſuſtineat, & ſanguinem validè impellat per vaſa ad loca diſſita, & ne ſpiritus exhalent. Figura ejus eſt pyramidalis; ſitus in medio thorace quoad baſim, ſed mucrone ad ſiniſtram vergit. Cordis primum munus eſt calore corpus fovere; ex cujus oppreſſione ſequitur ſyncope, & cardiaca paſſio. Secundum ejus munus eſt, ſanguinem venoſum â dextris è Cava acceptum perficere, & arterioſum inde conficere in ſinu ſiniſtro, indeque per Aortam toti corpori diſtribuere. Cor laborat continuô motu ſyſtoles, & diaſtoles, quô ſanguinem ex Cava receptum excoquit, & â putredine ſervat. *Pulmones* ſunt ad reſpirationem dati, & quaſi cordis flabra. Eorum figura eſt ſimilis ungulæ bovis, color rubeus. Munus ipſorum eſt, ventilare Cor ad refrigerium; moventur á corde mediante aëre, quem Cor attrahit, & repellit.

25. *Trachea, larynx, œſophagus, collum, cervix.*

Nota vigeſimò quintò: *Trachea*, ſeu *aſpera arteria* eſt quidam canalis, pulmones pluribus ramis veluti ſyringis ingrediens, & aſcendens ad gulam; incumbit œſophago extra ab ore per collum ad pulmonem cadens. Ejus uſus eſt, ut in inſpiratione aër pulmonibus recipiatur; habet ſubſtantiam partim cartagiloſam, partim membranoſam. *Larynx* eſt vocis organum, ſituatur in medio collo, eſt rotunda, ejus amplitudo variatur juxta ætatem, ſicut & vox; unde in juvenibus eſt anguſta, in ſenibus laxata. *Oeſophagus* eſt fiſtula ventriculi, per quam cibus trajjcitur, habet figuram rotundam, longam, & ſatis amplam. Hujus actio propria eſt trajjcere cibum. *Collum* eſt thoracis appendix, oblongum, neceſſarium ad modulationem vocis. Ejus pars poſterior vocatur *Cervix*. Uſus verò ad tranſitum œſophagi, & tracheæ.

26. *Caput, pia, & dura mater, cerebrũ, & cerebellum.*

Nota vigeſimò ſextò: *Caput* eſt una inter præcipuas corporis partes, ſitum in eminentiori loco, compactum ex oſſibus cranii, & aliis in cranio contentis; eſt coopertum capillis, qui naſcuntur ex humoribus fuligínoſis, unde ſunt excrementa fuliginum; hi variantur juxta varietatem fuliginum, alimentorum temperamentorum; unde calidl hominès ſunt nigri, flavi temperati, cani verò fiunt vel ob frigeſcentem jam naturam, & validè ampliùs non evaporantem, vel ob curas & applicationes capitis validas, vel ob connaturalitatem parentum citò caneſcentium, dum generant hominem. Inveſtitur craniô, ſub quo ſunt duæ membranæ, una dicitur *craſſa meninx*, ſeu *dura mater*; & alteta *tenuis meninx*, ſeu *pia mater*. Dura mater cranium interiùs undique ambit, & omnes ejus concavitates tegit; pia autem mater veſtit immediatè cerebrum. In *Capite* reſidet *Cerebrum*, quodl

totum

totum cranium Capitis implet, & ſupernè eſt ſubſtantiæ mollioris, coloris cineritii; internè verò eſt medulloſum, albũ, ſolidum & profundè anfractuoſum; per totam ejus maſſam diſſeminantur venulæ, & arteriolæ. Homo habet plus Cerebri quam bos, & aliæ magnæ beſtiæ, & circiter ad quatuor, quandoque ad quinque libras ponderat: item plus habet vir, quàm mulier. Munus Cerebri eſt, producere medullam, & ex ea nervos ad motum perficiendum; item perficere ſpiritus vitales, & temperare eos in animales, ad faciendas ſenſationes; ſunt enim vitales ardentiores; tandem ut ſit animæ ſenſitivæ præcipuum domicilium, & organum univerſale, in quo de omnibus ſenſationibus judicium fertur. *Cerebellum* eſt quaſi decima pars cerebri, in occipite collocatum; differt à Cerebro in gyris; nam Cerebrum habet gyros inordinatos; at Cerebellum circulares paralellos. Ejus uſus eſt, ut ſit receptaculum ſpirituum animalium è ventriculo Cerebri venientium, quos medullæ ſpinæ adaptat.

27. *Frons, aures, naſus, oculi.* Nota vigeſimò ſeptimò: *Frons* eſt illa planities anterior Capitis, patens, & omnibus nota, nec deſcriptione eget. *Oculi* ſunt organum viſûs, & in capite veluti aſtra in cælo, & veluti quidam ſpeculatores in arce ſituantur. Habent figuram oblongam, rotundam, intus pyramidalem, cujus cuſpis deſinit in nervo optico; ſunt naturæ mobilis & pellucidæ; habent varios colores pro varietate hominũ. Sunt duo, unum tamen objectum vident. Oculi partes, & ſtructuram deſcribam amplius in *tract. de anima*, ubi agetur de potentia Viſûs. *Aures* notæ hominis partes ſunt organum auditûs. Earum munus eſt excipere tortuoſo itinere ſonum, & judicium formare in diſcernendis ſymphoniis, dignoſcendo ſonorum flexuum varietatem, intervallum, &c. hujus deſcriptio amplior dabitur in eodem *tractatu animaſtico*. *Naſus* pariter nota eſt pars hominis, ſuperiùs oſſea, inferiùs cartilaginoſa, cujus ima pars *globulus*, laterales verò *pinnæ* dicuntur. Uſus naſi eſt, ut per eum aër intret ad centrum pro ſpiritibus animalibus, & ad pulmones ob refrigerium, & ſpirituum vitalium generationem; item ut odores deferantur uſque ad mamillares proceſſus; item ut cerebri excrementa per eum defluant: ejus uberior delineatio exhibebitur in eodem *Tract. animaſt.*

Nota vigeſimò octavò: *Os* eſt pars 28. *Os, bucca, labia, gingiva, palatũ, fauces, &c. lingua.*
hominis, conſtans maxillis, & dentibus, labiis, muſculis labiorum, & buccarum. Ejus uſus eſt, cibum chylificationi præparare, aërem inſpirare, & expirare, vocem emittere, excrementa è pulmone, ventriculo, & capite excernere. *Buccæ* ſunt illæ partes laterales oris, quæ inflari poſſunt. *Labia* ſunt illæ partes carneæ fungoſæ oris, contegentes dentes. *Gingiva* eſt illa caro dura, quæ dentes fortiter cingit, ne exeant è ſuis ſedibus. *Palatum* eſt cælum, & fornix oris, atque cerebri, baſis, necnon organum guſtûs. Ejus uſus eſt, moderari aërem, ne ſubitò frigidus in pulmones irruat; & ne ex ore potus in nares regurgitet. *Fauces* ſunt inferiores oris partes, quæ ore aperto, & linguâ depreſsâ apparent. In faucibus eſt os gutturis, & linguæ, & eſt baſis ejus, ſuper qua movetur. *Lingua* eſt voluntatis interpres ac nuncia, organumq; ſermonis. Ejus ſubſtantia eſt caro ſpongioſa, & organum guſtûs; eſt mollis ad imbibendum ſapores, humore aliquo vectos. Uſus ejus eſt, eſſe inſtrumentum guſtûs, loquelæ, ac maſticationem adjuvare; eſt effectûs optimi, & peſſimi; quia ancillatur ad opera plurima ſalutaria, & etiam peccaminoſa.

Nota vigeſimò nonò: inter partes humani corporis quoque recenſeri carnes, 29. *Capilli, ungues, ſpiritus vitales, & animales &c.*
quæ ſunt illæ partes variæ aliqualiter ſolidæ, & molles ſanguine imbutæ, quæ paſſim replent in corporibus vacuitates cauſatas inter varia oſſa, ut coſtas &c. nervos, tendones, arterias, quæque tegunt, inveſtiuntque memoratas, & alias partes, ex quibus erecta cernitur fabrica corporis. Similiter annumerantur in ſene partibus humanæ molis corporeæ, *Semen*, de quo ſatis dixi ſuprà *q. 7.* Item *quatuor humores principales*, qui ſunt ſanguis, pituita, flava bilis, & atra bilis, quos vide explicatos infrà *diſt. 3. q. 2. notab. 7.* Similiter annumerantur *Capilli*, & *Ungues*, qui ſunt partes excrementitiæ corporis humani. Item lac, ſpiritus vitales, & animales, quæ omnia *tom. 3. tract. de anima diſt. 1. q. 5.* explicabo, quando agetur de partibus, quas anima informat.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XI.

De Generatione viventium è putri.

1. *Certa animalia ex putri generantur.*

NOta primò: certum eſſe, quædam animalia viventia generari abſque vitalis ſeminis deciſi concurſu, ex putrifica materia; ejuſmodi ſunt multi mures, ranæ, & ſerpentes. Unde D. Auguſtinus *lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 14.* ait, *minutiſſima animalia pleraque aut de vivorum corporum vitijs, vel purgamentis, vel exhalationibus, aut cadaveribus tabe gignuntur; quædam etiam de corruptione lignorum, & herbarum; quædam etiam de corruptionibus fructuum, quorum omnium non poſſumus rectè dicere, DEUM non eſſe Conditorem.* Et hæc vocantur animalia imperfecta, eò quòd pauca requirantur ad eorum ortum, & propagationem; quorum cauſas libet hac quæſtione inveſtigare.

2. *Cauſa finalis animaliũ ex putri natorum.*

Nota ſecundò: circa cauſam finalem communior DD. aſſerit, finem internum talium animalium è putri ortum habentium eſſe ipſam animã, & compoſitum è tali Generatione conſurgens, v. g. ranam, vel apim; ſicuti finis cujuſcunq; actionis eſt terminus ab ea productus: Finis verò externus eſt vel bonum Univerſi, conſurgens ex ſpecierum multiplicitate, & varietate; vel peculiaris aliqua utilitas, quã iſtiuſmodi imperfecta viventia è putri nata afferunt perfectis viventibus, maximè homini; puta, vel quia utilia ſunt pro alimento, vel pro medicinis, uti apparet in ſerpentibus, ſpermate ranarum &c.

3. *Eorundem cauſa materialis.*

Nota tertiò: circa cauſam materialem pariter communior eſt opinio Philoſophorum, eam eſſe ſubſtantiam aliquam putreſcentem; cujuſmodi ſunt certæ herbæ, certa ligna, cadavera, fructus, caſei, &c. uti patet ex S. Auguſtino *loc. cit.* ex quibus varii vermes, animalcula, ſerpentia & volantia ſolent oriri. Capitur autem hìc putredo non in ſolo ſtricto ſenſu, quô ſolis mixtis convenit; ſed in ampliori extenſione, ut etiam in corporibus ſimplicibus reperitur; nam etiam ranæ, quæ ex mixtione pluvialis aquæ, & pulveris generantur, ex putri naſci dicuntur.

4. *Formalis.*

Nota quartò: circà cauſam formalem communiter quoque tenetur, eam eſſe animam, quæ tanquam forma ſpecifica informat illud mixtum ex putri conſurgens; qualis eſt anima ranæ, vel ſerpentis. De cauſa ergo efficienti quoad animationem tota eſt concertatio inter DD. quidam enim volunt viventia è putri orta habere pro cauſa effectrice animarum ſuarum Intelligentiam aliquam, alii animam mundi, alii cælos, alii calorem ambientem vel materiæ putreſcentis, alii alterius viventis ejuſdem ſpeciei. Sed ego

Dico primò: vera cauſa efficiens animæ viventium per putrificationem genitorum eſt DEUS. Ita S. Auguſt. *loc. cit.* cujus authoritate primò probatur concluſio. Eandem tenet Scotus *2. diſt. 18. q. un.* & communis Scotiſtarum. 5. *Efficiens eſt DEUS.*

Probatur reijciendo opiniones adverſariorum: communis eſt doctrina Philoſophorum, ad primam cauſam DEUM ſcilicet Univerſi effectorem eſſe recurrendum pro efficientia alicujus effectûs, quando cauſæ ſecundæ non continent virtutem activam ſufficientem ad eum efficiendum: ſed neque Intelligentia continet virtutem ſufficientem efficiendi, ac producendi animam viventium per putrificationem genitorum; cùm Intelligentiæ, ſeu Angeli ſecundum TT. ſolùm cauſent & agant circa horum inferiorum generationes applicando activa paſſivis: neque anima Mundi continet ejuſmodi virtutem; cùm hæc in rerum natura non extet: neque cæli eam habent, cùm anima vegetativa ſit longè perfectior formâ activa mortuâ cælorum: neque calor ambiens, aut materiæ putreſcentis; cùm hic ſit accidens; & accidens nequeat efficere ſubſtantiam, cujuſmodi eſt anima viventium: neq; alia ſpecies ſimilis; cùm talis ſæpe non extet; aut ſi extet, non ſit approximata ſufficienter ad efficiendum: Ergo recurrendum eſt ad DEUM pro efficacia animæ viventium per putrificationem genitorum; ac proinde ipſe ſolus eſt cauſa efficiens animæ eorum.

Objicies *primò*: Ariſtoteles officit concluſioni: Ergo &c. Probat. Ant. Ariſtoteles *2. de gen. animalium cap. 3.* docet, ſolam animam rationalem de foris advenire, id eſt à DEO creari: Ergo cenſet omnes aliàs, & conſequenter etiam animas viventium per putrefactionem genitorũ effici ab aliquo agente creato, puta vel Intelligentia, vel cælis, vel anima Mundi, &c. *Secundò*: S. Geneſis *cap. 1.* narrat jumenta omnia, & reptilia (cujuſmodi ſunt ſerpentes, & alia plura viventia è putri nata) â terra eſſe producta: Ergo eorum 6. *Objectiones.*

animæ

animæ non à DEO efficiuntur. *Tertiò*: agentia creata habent majorem perfectionem, quâ poſſunt producere viventia perfectioris naturæ; uti fit, dum leo leonem generat: Ergo Intelligentiæ, vel cæli etiam poterunt efficere imperfectiores res, cujuſmodi ſunt animæ viventium ex putri prodeuntium. *Quartò*: videtur, vileſcere DEI Potentia effectrix, ſi ſe applicaret ad minimarum quarumcunque animalculaçum, pulicum, ranarum, murium, cimicum & ſimilium animas producendas: Ergo &c.

7. *Reſolvuntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad ejus Probat. dico, ideo duntaxat Ariſtotelem docere, animam rationalem ſolam de foris advenire, quia hæc ſola eſt à corpore independens, reliquæ veræ ſunt dependentes; quia dependenter à corpore fiunt, à DEO ſcilicet, per eductionem veram; unde Neg. Conſeq. *Ad Secundum* gloſſo S. Scripturam, & dico, quòd S. Geneſis non loquatur de genere cauſæ efficientis, quaſi terra eſſet cauſa effectrix omnium jumentorum, & reptilium; ſed loquitur de genere cauſæ materialis; quòd ſcilicet terra ſit materia illa, ex qua jumenta, & reptilia à DEO producta fuêre; uti gloſſant Abulenſ. & Perer. *Ad Tertium* Neg. Conſeq. nam ex majori perfectione non rectè arguitur virtus activa in rebus; aliàs homo, qui pollet maxima perfectione præ cæteris animantibus, poſſet agere, & producere omnia, quod eſt falſum. *Ad Quartum* Neg. Ant. nam ex hoc recommendatur DEI Providentia, qui inopiam, & imbecillitatem agentium creatorum ſupplet: inſuper ejuſdem Potentia effectrix dignificatur, dum in minutiſſimis quibuſvis corpuſculis è putri proſilientibus efficit animas, quæ acutiſſimum viſum, ac mirabilia opera cauſant in eis.

8. *Animæ animalium è putri prodeuntium ſunt ejuſdē ſpeciei cum animabus propagatorum.* Dico ſecundò: animæ viventium per putrefactionem genitorum ſunt ejuſdem ſpeciei cum illis, quæ quandoque etiam per propagationem ſeminalem generantur, cujuſmodi ſunt mures, ſcorpiones, & ranæ utrôque modô generabiles. Ita Scotus *1. diſt. 2. quæſt. 7.* & ſequuntur Maſtrius, Bellut. Herman, ac alii Scotiſtæ.

Probat. tum quia aliæ res, quæ duplici modô ſunt producibiles, & effectibiles, ut ignis ex affrictu chalybis ad petram, & ignis ab alio igne productus, ſunt ejuſdem ſpeciei: Ergò à pari idem dicendum de animabus viventium per putrefactionem, & propagationem ſeminalem genitorum. Tum quia eadem accidentia, & eædem operationes circa eadē objecta, item eædem conſervationes & corruptiones ab iiſdem accidentibus, & eadem tandem organa arguunt eandē ſpeciem inter aliqua: ſed viventia genita ex putri & per propagationem ſeminalem habent eadem omnino accidentia, uti patet in muribus, & aliis; habent quoque eaſdem operationes circa eadem objecta, & ab iiſdem accidentibus conſervantur, & corrumpuntur, uti patet experientiâ: Ergo hæc in eis arguunt eandem ſpeciem quoad animas utrorumque.

9. *Quædam oppoſitio eliditur.* Objicies: viventia ex putri non habent virtutem generativam, ſed ſunt infœcunda, & ſterilia: Ergo eorum animæ diſtinguuntur ſpecie. Reſpondeo Neg. Conſeq. nam etiam reperiuntur aliqui homines carentes virtute generativa, qui proinde ſunt infœcundi & ſteriles; & tamen nemo Philoſophorum dicit animas eorum ſpecie diſtingui ab animabus aliorum hominum.

DISTINCTIO II.

DE CORRUPTIONE.

QUÆSTIO I.

De quidditate, exiſtentia, ſubjecto, termino, ſucceſſione, & aliis Corruptionis ſubſtantialis.

1. *Deſcriptio Corruptionis.* Dico primò: Bene deſcribitur Corruptio ſubſtantialis, quòd *ſit deſitio formæ antiquæ ſubſtantialis præexiſtentis in materia remanente.* Eſt ad principia Philoſophi, & Scoti.

Probatur: hæc deſcriptio ritè expli-

cat naturam Corruptionis ſubſtantialis, ut opponitur Generationi ſubſtantiali: Ergo &c. Ly *deſitio* eſt genus, in quo convenit Corruptio cum annihilatione; reliqua ponuntur pro differentia ejus ab annihilatione, quæ eſt deſitio totius compoſiti ſubſtantialis tam quoad formam antiquam ſubſtantialem præexiſtentem, quàm etiam ipſam materiam.

2. *Fiunt Corruptiones.*

Dico ſecundò: contingunt in hoc Univerſo frequentiſſimæ Corruptiones ſubſtantiales, ſeu ſubſtantiarum compoſitarum. Ita colligitur ex Scoto *2. diſtinct. 1. quæſt. 5.* & *4. diſtinct. 1. quæſt. 1.* & ſequitur communis Scotiſtarum, ac omnium Peripateticorum, contra Anaxagoram, Empedoclem, Leucip. Democrit. & alios veteres.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui paſſim adſtruit exiſtentiam Corruptionum in hoc Univerſo; ut videre eſt in *3. de cælo & mundo*: ubi oſtendit Corruptiones varias tum in corporibus ſimplicibus, tum in mixtis. Et *1. gen. & corrupt.* Corruptionum exiſtentiam pluribus demonſtrat contra veteres citatos *à tex. 12. uſque ad tex. 24.* Ergo &c.

Probat. ſecundò experientiâ: conſtat quotidianô experimentô, applicatô igne deſinere formam ligni, remanente tamen ejus materiâ ſub nova forma cineris: ſed ejuſmodi deſitio eſt Corruptio quædam ſubſtantialis: Ergo in hoc Univerſo contingunt Corruptiones ſubſtantiales. Præterea fiunt frequentiſſimæ novæ generationes ſubſtantiales frumentorum, & aliarum rerum naturalium, quæ abſque prævia Corruptione præcedentium formarum ſeminis, & aliorum compoſitorum perfici nequeunt: Ergo &c. Tandem Generatio & Corruptio ſunt duæ mutationes oppoſitæ; illa eſt poſitiva & acquiſitiva, hæc privativa & deperditiva: oppoſitorum autem eadem eſt ratio: Ergo cùm contingant frequentiſſimæ Generationes ſubſtantiales in hoc Univerſo, ut *priori diſtinct. quæſt. 1.* oſtenſum eſt, pariter contingunt frequentiſſimæ Corruptiones ſubſtantiales in hoc Univerſo, quæ ſecundùm Philoſophum *5. Phyſic. cap. 3. eſt mutatio de eſſe ſubſtantiali ad non eſſe ſubſtantiale*, v.g. ab eſſe hominis, ad non eſſe hominis.

3. *Subjectum inhæſionis omnis Corruptionis eſt materia.*

Dico tertiò: Corruptio ſubſtantialis ſumpta tam in ratione mutationis deperditivæ; quàm in ratione actionis deſtructivæ habet pro ſubjecto inhæſionis materiam. Colligitur ex Scoto *7. Met. q. 8.* & tenet communis Scotiſt.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *1. de Generat. & Corrupt. tex. 24.* dicit, *eſt autem & materia maximè quidem, & propriè ſubjectum Generationis, & Corruptionis ſuſceptibile*: Ergo &c. *Secundò* ratione; in materia veluti in communi arena exercetur tam Generatio ſubſtantialis, quàm Corruptio ſubſtantialis: Ergo ipſa eſt ſubjectum inhæſionis utriuſque. Conſequentia tenet; nam illud cenſetur eſſe ſubjectum inhæſionis, circa quod exercetur motus, & mutatio, ex *3. Phyſic. 6.* Ant. patet; quia omnes formæ materiales educuntur de potentia materiæ, ut alibi dictum eſt, & in eadem recipiuntur; & conſequenter priores deſtruuntur, ac corrumpuntur: Ergo in materia veluti in communi arena exercetur tam Generatio ſubſtantialis, quàm Corruptio ſubſtantialis.

4. *Terminus verò mutativa eſt non eſſe forma ſubſtantialis.*

Dico quartò: Terminus Corruptionis ſubſtantialis in ratione mutationis ſumptæ eſt non eſſe, ſeu privatio formæ ſubſtantialis prioris; ſumptæ verò in ratione actionis deſtructivæ terminus eſt non eſſe compoſiti, ſeu privatio compoſiti ſubſtantialis. Colligitur ex Scoto *1. diſt. 28. q. 2.* & ſequuntur Scotiſtæ.

Probatur prima pars: ſicuti materia per Generationem ſubſtantialem ſumptam in ratione mutationis tranſit de non eſſe formæ ſubſtantialis ad eſſe formæ ſubſtantialis, & propterea rectè aſſignatur terminus talis Generationis eſſe formæ novæ ſubſtantialis; ita èconverſo eadem materia per Corruptionem in ratione actionis deſtructivæ ſumptam tranſit de eſſe formæ, ad non eſſe formæ, ſeu privationem formæ præexiſtentis: Ergo ejuſmodi Corruptio habet pro termino non eſſe formæ, ſeu ejus privationem.

5. *Productiva autem non eſſe compoſiti.*

Prob. ſecunda pars: Generatio ſubſtantialis in ratione actionis acquiſitivæ, ſeu productionis habet pro termino compoſitum ſubſtantiale: Ergo ècontra Corruptio ſubſtantialis in ratione actionis deſtructivæ habet pro termino non eſſe compoſiti ſubſtantialis, ſeu privationem compoſiti ſubſtantialis præexiſtentis. Cõſequentia tenet; nam ſicut compoſitum eſt, quod dicitur generari propriè; ita ſimiliter compoſitum eſt, quod dicitur corrumpi ac per Corruptionem deſinere, atque adeò deſitio, ſeu nõ eſſe cõpoſiti ſtatuitur

rectè

Digitized by Google

rectè pro termino Corruptionis ſumptæ in ratione actionis deſtructivæ.

6. *Corruptio totalis inanimatorum fit in tempore.* Dico quintò: Corruptio ſubſtantialis totalis inanimatorum peragitur in tempore, & ſucceſſivè. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 43. q. 5.* ubi dicit, agens creatum inducere ſucceſſivè formam ſubſtantialem, adeoque cenſet etiam priorem ſucceſſivè expelli, ac corrumpi. Et ſequitur Tartar. Fab. Moris. Perer. Maſtr. &c. contra Hurtad. Arriag. Capreol. &c.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui *6. Phyſic. tex. 59.* dicit, in Generationibus, & Corruptionibus dari aliquid ſemper priùs factum, vel corruptum eſſe ante eorum complementum; ſicut in quolibet motu ſucceſſivo mutari præcedit mutatum eſſe; & ècontra: Ergo cenſet Philoſophus Corruptionem ſubſtantialem totalem inanimatorum non peragi in inſtanti; ſed ſucceſſivè, & in tempore, ita ut una pars formæ materialis expellatur poſt aliam, ſicut inducitur una poſt alteram.

Probatur ſecundò ratione: Generatio ſubſtantialis totalis inanimatorum non peragitur in inſtanti; ſed in tempore, & ſucceſſivè, ut ſuprà *diſt. 1. q. 3. concl. 1.* oſtenſum eſt: Ergo ſimiliter Corruptio ſubſtantialis totalis eorundem non peragitur in inſtanti; ſed in tempore & ſucceſſivè. Conſequentia tenet â pari; nam pari paſſu procedunt Generatio, & Corruptio; ſicuti ſi quis in trutina unam lancem deprimat, eodem tempore alteram elevat, adeò ut depreſſio unius ſit elevatio alterius.

7. *Nil intendit ſui deſtructionem per ſe.* Quæres primò: num natura creata, ſeu agens naturale intendat per ſe Corruptionem ſui? Reſpondeo negativè. Ratio eſt; quia natura non meditatur, aut intendit per ſe aliquid ſibi malum, cujuſmodi eſt Corruptio & mors, uti patet ex illo S. Dionyſii *de Divin. Nomin. 4. nemo intendens ad malum operatur.* Et quia videmus naturas abhorrere ſui non eſſe; & cùm in individuo manere non poſſint, conantur adminùs ſe conſervare in ſua ſpecie. Itaque natura per accidens tantùm intendit Corruptionem ſui, gratiâ ſcilicet alterius, puta Generationis alicujus inſtituendæ.

8. *Corruptio quodam ſenſu eſt naturalis, quodam non.* Quæres ſecundò: an Corruptio ſit naturalis? Corruptionem in hoc ſenſu dici poſſe naturalem, quatenus eſt â cauſis naturalibus, & intrinſecè agentibus in mixto: quô pactô Scotus *2. diſt. 19. q. un.* docet mortem primi parentis etiam in ſtatu innocentiæ perſeverante futuram fuiſſe naturalem; quia ſcilicet calor naturalis (qui etiam in Adamo idem fuiſſet) agens in humidum radicale, & reagens, atque repatiens tandem conſumitur, & extinguitur, ex quo accidit mors naturalis; uti patet in ſenibus. In alio verò ſenſu Corruptio non eſt naturalis, quatenus ſcilicet non appetitur â natura. Ratio eſt; quia materia non appetit per ſe Corruptionem formæ poſſeſſæ, ſed per accidens: & propterea etiam mors, quæ infert Corruptionem viventibus, dicitur violenta, quatenus ſcilicet eſt â cauſis extrinſecis, lædentibus viventia; unde qui interimitur gladiô, dicitur mortem violentam ſubire.

QUÆSTIO II.

Utrùm in Corruptione compoſiti fiat reſolutio uſque ad materiam primam.

Nota primò: in præſentiarum duplex poſſe attendi compoſitum, animatum, ſcilicet & inanimatum. *Animatum* (quod & *perfectum* dicitur) eſt quod præter formam mixtionis, quæ *corporeitatis* dicitur, adhuc conſtat aliâ formâ ſubſtantiali ultimatâ, â qua recipit ultimatè eſſe ſubſtantiale vivens; tale compoſitum eſt homo. Suppono autem, & probabitur ex profeſſo in *tract. de anima*, dari in quibuſdam compoſitis ejuſmodi formam mixtionis, ſeu corporeitatis, quæ conſtituit mixtum, ſeu corpus in ratione mixti, uti docet Scotus; & hæc ordinatur ad animam. *Inanimatum* (quod & *imperfectum* dicitur) eſt, quod conſtat præciſè unicâ formâ ſubſtantiali, ex materia per generationem educta; tale eſt lapis. 1. *Quid compoſitum animatum, & inanimatum.*

Dico primò: in Corruptione compoſiti animati non fit reſolutio immediata uſque ad materiam primam. Ita Scotus *4. diſt. 11. q. 3.* & *2. diſt. 3. q. 4.* & alibi; & ſequuntur Cavell. Tartar. Faber, Maſtrius, Monturſ. & communis Scotiſtarum. Eandem amplectitur Occam; contra P. Alenſ. Albert. S. Thomam, Ferrar. & communem Thomiſt. & Fonſec. Conimbric. &c. & plures RR. 2. *In Corruptione compoſiti animati non fit reſolutio uſque ad materiam primam.*

Probatur *primò*: poſt Corruptionem compoſiti animati remanet corpus orga-

nicum, & in eo aliqua accidentia corporalia: hujuſmodi autem accidentia non inhærent immediatè materiæ, ſed compoſito alicui ex materia, & aliqua forma ſuperſtite, ſcilicet mixtionis, ſeu corporeitatis: Ergo in Corruptione compoſiti animati non fit reſolutio immediata uſque ad materiam primam; cùm adhuc ſuperſtes ſit forma illa mixtionis. Ant. Probat. tum ex Philoſopho, qui *in lib. de gen. tex. 24.* docet, eadem accidentia, quæ erant in genito, remanere etiam in corrupto. Tum quia in homine v.g. poſt ejus Corruptionem adhuc cernitur corpus diſtinctum in diverſas partes hetherogeneas, ſicut dum erat vivus; & cum iiſdem accidentibus, ſcilicet quantitate, qualitate, figura, lineamentis, ac cicatricibus, quæ erant in corpore vivo: corpus autem ſic diſtinctum, & accidentibus veſtitum eſt verum corpus organicum: Ergo poſt Corruptionem compoſiti animati remanet corpus organicum, & in eo accidentia corporalia. *Secundo* ex Philoſopho *2. de anima 6.* anima eſt actus corporis organici; corpus autem non eſt materia; cum ſit quid tertium reſultans ex materia & forma: Ergo poſt Corruptionem compoſiti animati non fit reſolutio immediatè in materiam; cùm adhuc permaneat forma corporeitatis, per quam conſtituitur corpus in eſſe corporis. *Tertiò* in morte Chriſti deſtructum fuit compoſitum ſubſtantiale vivens Chriſti ob ſeparationem animæ, quæ deſcendit ad inferos: ſed tunc nulla fuit facta ejus reſolutio uſque ad materiam primam; quia remanſit idem Corpus Chriſti totô illô triduô, quod pependit in Cruce, & quod nunc eſt in cælo, & quod conſecratur in hoſtia, uti docet S. Ambroſius, & alij SS. PP. ob eandem formam corporeitatis adhuc remanentem: Ergo in Corruptione compoſiti animati ſubſtantialis non fit reſolutio immediata uſque ad materiam primam; ſed remanet ſemper forma corporeitatis, & mixtionis, ſeu formæ partiales materiales oſſium, nervorum, carnis, & ſimiles; his autem formis mixtis demum etiam deſtructis, fit reſolutio tandem in materiam primam; unde illud axioma (quod etiam fundamentum habet in Philoſopho *1. Phyſic. 82.* docente, materiam primam eſſe ultimum, in quod ea, quæ præerant, reſolvuntur) *in Corruptione fit reſolutio uſque ad materiam primam* intelligendum eſt mediatè reſpectu compoſitorum viventium.

3. *Impugnatur forma corporeitatis.*

Objicies *primò*: non datur ulla forma mixtionis, ſeu corporeitatis, quæ in Corruptione compoſiti animati remaneret, & impediret immediatam reſolutionem uſque ad materiam primam: Ergo &c. Probat. Ant. ſi daretur talis forma, maximè ut organizatio varia corporis ſalvaretur: ſed hæc provenire poteſt ab anima: Ergo &c. *Secundò*: forma mixtionis, corporeitatis, ſeu formæ partiales Scoticæ nil operantur; & dum anima advenit nullum prorſus munus habent, neq; finem: Ergo gratis aſſeruntur; & conſequenter non obſunt reſolutioni compoſiti animati immediatè uſque in materiam primam. *Tertiò*; ſi præter formam animæ adeſſet etiam forma corporeitatis, impediens reſolutionem immediatam uſque in materiam primam, nullum compoſitum eſſet ens unum per ſe, ſed per accidens: ſed hoc dici nequit: Ergo &c.

4. *Sed defenditur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. cum Ant. Probat. ejus; nam illa varia organizatio debet neceſſariò juxta præſentem legem naturæ provenire à formis materialibus partialibus, quæ adintegrant totam formam mixtionis; unde ſalvari nequit per animam, maximè in homine, cujus anima eſt purè ſpiritualis, organizatio corporis humani materialis. *Ad Secundum* Neg. Ant. nam forma mixtionis, corporeitatis, ſeu formæ partiales immediatè operantur informationem materiæ primæ, quam informant, & conſtituunt membra compoſiti viventis ſpecie diſtincta, faciuntque illud hetherogeneum; quod ſola accidentia facere nequeunt; item poſt adventum animæ famulantur eidem ad varias operationes exercendas. *Ad Tertium* Neg. Maj. quod verificatur de pluralitate formarum diſparatarum, & perfectarum; non autem de pluralitate formarum ſubordinatarum, & intermediarum. Itaque quia forma corporeitatis eſt ſubordinata formæ animaſticæ, tanquam imperfectum perfecto, ideo cum ipſa non facit ens unum per accidens, ſed per ſe; poteſtque forma animaſtica abſcedere, & deſinere, ſine eo, quòd forma corporeitatis intereat.

5. *In Corruptione inanimati fit reſolutio uſque ad materiam.*

Dico ſecundò: in Corruptione verò compoſiti inanimati fit immediata reſolutio uſque ad materiam primam. Ita Scotus *4. diſt. 11. quæſt. 3. & 2. diſt. 12. quæſt. 4.* & communis Scotiſtarum ac Peripateticorum.

Probat.

Probat. quodvis compoſitum inanimatum componitur ex materia, & una forma ſubſtantiali corporeitatis tantùm: Ergo deſtructâ illâ formâ ſubſtantiali unicâ in Corruptione talis compoſiti fit reſolutio immediata uſque ad materiam primam. Conſequentia tenet; quia in tali Corruptione nihil ſupereſt, in quod immediatius reſolveretur. Tum quia Corruptio compoſiti inanimati oppoſitò modò ſe habet, ac compoſitio talis compoſiti: ſed hæc fit tantùm ex materia prima, & unica forma corporeitatis ſcilicet: Ergo cum forma corporeitatis deſtruatur tunc, quando fit prima Corruptio compoſiti ſubſtantialis; ſequitur tunc reſolutionem fieri uſque ad materiam primam.

6. *Philoſophus reconciliatur.* Objicies primò: Philoſophus adverſatur concluſioni: Ergo &c. Prob. Ant. Philoſophus *1. de gener. 24.* docet, quòd, dum ex aqua fit aër, remaneat in aëre diaphaneitas aquæ, ac humiditas. Et *2. de generat. tex. 25.* vult, quòd qualitates ſymbolæ maneant in tranſmutatione elementorum ſymbolorum; non autem diſſymbolæ; & propterea dicit, quòd tranſmutatio elementorum ſymbolorum ſit facilior, quàm diſſymbolorum: Ergo ſentit Philoſophus, quòd in Corruptione ſimplicium ac inanimatorum non fiat immediata reſolutio in materiam primam; ſed in materiam veſtitam illis accidentibus. Reſpondeo Neg. Ant. & ad ejus Probat. interpretor Philoſophum dicendo, quòd ſolùm in utraque authoritate allegata velit produci accidentia diaphaneitatis, humiditatis, & qualitates ſymbolas ſimilia ſpecie; non verò quòd remaneant eadem numerô præexiſtentia in aqua, & elementis ſymbolis tranſmutatis.

QUÆSTIO III.

Utrùm compoſitum ſemel corruptum poſſit idem numerô reparari.

Philoſophus *2. de gen. cap. ult.* docet, quòd generationes ſint circulares, quod eſt dictû in generationibus fieri greſſum, ac regreſſum; non quidem ad eaſdem numerô res; ſed ad eaſdem ſpecie, ut volunt Interpretes quidam Ariſtotelis. Occaſione hujus dicti ſolet inquiri, an non idem numerô effectus poſſit reparari, ac reproduci. Plato cum ſua Secta teſte Scotô *4. diſt. 43. q. 3.* docet, hoc non tantùm eſſe poſſe; ſed etiam defactò naturaliter ſic futurum; unde dogmatizat poſt 36. millia annorum omnes res jam corruptas redituras eaſdem numerô, id eſt ſecundùm ſpecificam ſubſtantiam, individuationem, & accidentia; eò quòd evolutis hiſce annis octava ſphæra motu ſuô naturali completura ſit ſuam circulationem. D. Thomas, Durandus, Abulenſ. Marſil. &c. tenent nec naturaliter, nec ſupernaturaliter eandem rem numerô, ſemel corruptam poſſe iterum reparari homine ſolô exceptô. Ego 1. *Annus Platonicus.*

2. *Platonis opinio de reditu omniũ rerum impugnatur.* Dico primò: falſa eſt opinio Platonica, res omnes Univerſi ſemel corruptas eaſdem numerô redituras finitâ circulatione octavæ ſphæræ. Ita Scotus *4. diſt. 43. q. 3.* & communis Chriſtianorum; contra Platonicos, quos impugnat latiſſimè S. Auguſtinus *lib. 12. de Civit. DEI cap. 13.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; nam ad Rom. 6. dicitur de Chriſto, quòd nunquam ampliùs ſit rediturus in mundum ad iterum moriendum, illis verbis: *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur.* Et de omnibus Beatis ampliùs non rediturís in mundum dicitur 1. Theſſal. 4. *Semper cum Domino erimus.* Et Pſal. 11. *Tu Domine ſervabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum*: Ergo &c. Accedit etiam authoritas Ariſtotelis, qui *5. Phyſic. 37.* & *2. de gen.* in fine docet, res corruptibiles non eaſdem numerô redire: Ergo &c.

Probatur ſecundò rationibus: tum quia ſtante veritate iſtius opinionis Platonicæ de rerum circulatione nulla foret æterna beatitudo juſtorum; nam animæ eorum deberent redire ad calamitates & miſerias hujus Mundi: ſed hoc eſt falſum: Ergo &c. Tum quia opinio Platonis adducit ad magnam inconvenientiam, quòd ſcilicet oporteret hominem iterum aliquando relabi in eadem peccata, quæ prius patrarat: item quòd non ſit liberum cuique ducere uxorem, vel in cœlibatu manere; cùm ad eundem ſtatum civilis vitæ redire cogatur in hoc ſæculo, quam habuit in elapſis: verbô tollit omnes actus liberos: Ergo &c. Tum quia fundamentum Platonicæ opinionis eſt falſum; nam ut arguit bene Scotus cum Aſtrologis eruditioribus, quando ſphæra octava complebit ſuam circulationem, & re-

& redibit ad idem punctũ, reliqui Orbes cæleſtes non redibunt ad idem punctum â quo moveri cæperunt; quia eorum motus ſunt varii, differentiſſimi, ac incom̃enſurabiles, ita ut nunquã in eodem aſpectu, & ſitu concurrant; uti etiam oſtendit Clavius in *cap. 1. Sphæra §. de periodis motuum cæleſtium*: Ergo hi Orbes non producent eundem effectum numerô; & conſequenter non redibunt omnes res corruptæ eædem numerô evolutô magnô illô annô Platonicô.

3. *Res corrupta permanens à DEO poteſt reparari eadem numero.*

Dico ſecundò: res permanens ſemel corrupta poteſt eadem numerô â DEO ſupernaturaliter reparari, & redire in ſeriem entium Univerſi. Ita Scotus *4. diſt. 43. q. 1.* & ſequitur ejus Schola, Thomiſtica, ac RR. contra Marſil. Durand. & Saducæos, negantes hominũ univerſalem reſtructionem, tanquam impoſſibilem.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; quæ teſtatur homines corruptos in generali reſurrectione rurſus fore à DEO ſupernaturaliter reparandos, & eos redituros ad judicium extremum: ſic dicitur Job 19. *Scio, quòd in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum.* Et 1. ad Corinth. 15. *Omnes reſurgemus.* Et eſt articulus fidei, regiſtratus in Concilio Nicæno, atque in Symbolo Apoſtolico illis verbis, *carnis reſurrectionem*. Ergo â pari quævis res alia permanens ſemel corrupta poteſt à DEO ſupernaturaliter reparari. Confirmatur authoritate SS. PP. eandem reparationem ut DEO poſſibilem aſſerentium; unde D. Auguſtinus *Serm. 19. de Verbis Domini*, ait, *ſi in nihilum redigeremur, facere DEUS poterat, ut eſſemus; ſicut fecit nos eſſe, cùm antea nunquam eſſemus.* Et *22. de Civit. DEI cap. 20.* loquens de carne reparanda in hominum reſurrectione, ait: *Etſi omnibus periiſſet modis, nec ulla ejus materia in ullis naturæ latebris manſiſſet; tamen ſi vellet, eam repararet Omnipotens:* Et S. Gregorius *hom. 18. in Evang.* dicit, *longè minus eſt DEO reparare, quam creâſſe, quod non fuit:* Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: tum quia nequit aſſignari ulla repugnantia ex parte DEI reparantis; nec ex parte rei permanentis corruptæ: Ergo hujuſmodi reparatio ſupernaturalis DEO eſt concedenda. Probat. Ant. non ex parte DEI; quia hic pollet Omnipotentiâ, ſeu infinitâ virtute effectivâ, quæ ad omnes prorſus effectus ſeſe extendit, qui nullam dicunt implicantiam: neque ex parte rei permanentis corruptæ; quia hæc antequam eſſet producta, erat creabilis: Ergo poſt ejus Corruptionem eſt quoque reparabilis: quia majus arduum videtur, efficere primum, quam ſecundum. Unde rectè D. Auguſtinus in Pſal. 62. *Si DEUS fecit nos, qui non eramus, magnum eſt illi, reparare, quod eramus.* Et *de Verbis Domini Serm. 10. plus eſt facere, quod nunquam fuit; quàm reparare, quod fuerat.* Tum quia ex oppoſita opinione ſequeretur, DEUM non poſſe aliquod brutum ſemel deſtructum rurſus reſuſcitare; cujus contrarium legitur de tauro deſtructo, quem S. Sylveſter Romæ reſuſcitavit DEI virtute præſentibus Conſtantino, & Helena Auguſtis; & hoc DEO negare eſſe poſſibile, videtur magnæ infidelitatis, ait Scotus: Ergo &c.

Objicies *primò*: Philoſophus adverſatur concluſioni: Ergo &c. Probat. Ant. Philoſophus *6. Ethic. cap. 2.* docet, ad præteritum non eſſe potentiam: unde recipit Agathonis dictum illud, *hôc ſolò privatur DEUS, ingenita facere, quæ facta ſunt*: Ergo Philoſophus cenſet, nec DEUM poſſe ſupernaturaliter ſuâ infinitâ Potentiâ reparare rem aliquam permanentem corruptam. *Secundò*; identitas effectûs pendet ab identitate actionis; quia actiones diſtinguuntur penes terminos; & è contra: ſed DEUS non poteſt eandem actionem rurſus edere; quia nec poteſt ponere eundem motum, & idem tempus, â quibus pendet actio: Ergo DEUS non poteſt reparare eandem numerô rem ſemel corruptam. *Tertiò*; eadem res nequit habere duas exiſtentias, nec duas durationes; quia aliàs duobus diſtinctis temporibus coëxiſteret: ſed haberet duas exiſtentias, & duas durationes, ſi â DEO repararetur ſupernaturaliter: Ergo &c. 4. *Objectiones afferuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad ejus Probat. gloſſo axioma Philoſophi, & dico, ipſum tantùm velle ſentire, quòd ad præteritum non detur potentia reduplicativè, ut ſcilicet præteritum eſt; quaſi fieri poſſet, ut id, quod fuit, non fuerit: in quo ſenſu etiam procedit tantùm dictum Agathonis: cum quo ſtat, quòd detur potentia ad præteritum ſpecificativè; ut ſcilicet iterum ſit, quod fuit; eô planè modô, quô ſolemus dicere, album in pariete fieri nigrum non reduplicativè; ſed ſpecificativè; quatenus album ſequitur poſt nigrum. *Ad Secundum* Neg. Maj. quia idem effectus omnino fieri poteſt 5. *Et diluuntur.*

per

per diverſas actiones, unde idem ubi acquiri poteſt motu locali, & motu recto; & eadem rana generari poteſt actione univocâ ab alia rana, & actione æquivoca ex putri. Negari etiam poteſt Minor; quia DEUS poteſt eandem actionem replicare, ſicut defactò eadem actio ſub ratione conſervationis toto ſequenti tempore perſeverat. *Ad Tertium* Diſt. Maj. eadem res nequit habere duas exiſtentias, & duas durationes ſimultaneas, ac continuas Conc. Maj. interruptas, & diſcontinuas Neg. Maj. Itaque in caſu reparationis ſupernaturalis alicujus rei permanentis corruptæ, illa res haberet duas exiſtentias, & durationes duas interruptas, quod non implicat. Dici etiam poteſt, quòd talis res reproducta, & reparata haberet unam eandem exiſtentiam, ac durationem intrinſecam; ſed bis repetitam: quare duplicaretur ſolùm coëxiſtentia ad duplex tempus extrinſecum reale, vel imaginarium interruptum; quod declarari poteſt exemplô corporis replicati ad plura ubi, ſervatâ proportione temporis, & loci.

6. *Similiter res ſucceſſiva corrupta poteſt à Deo reproduci eadem numerò.*

Dico tertiò: ſimiliter res ſucceſſiva corrupta iterum ſupernaturaliter à DEO reproduci poteſt eadem numerô. Ita Scotus *4. diſt. 43. q. 3.* & ſequuntur Mayr. Baſſol. Columb. Maſtr. ac alii Scotiſtæ; contra D. Thomam, Complut. Ruv. Fonſec. Capreol. &c.

Probatur *primò*: ratio ſucceſſionis non affert ullam repugnantiam, ob quam res ſucceſſiva corrupta non poſſet iterum ſupernaturaliter à DEO reproduci eadem numerô: Ergo concedendum eſt hoc fieri poſſe ſupernaturaliter. Prob. Ant. ſucceſſio formaliter dicit tantùm ordinem prioris, & poſterioris inter partes rei ſucceſſivæ, ita ut ſub tali relatione nequeant ſimul coëxiſtere pro eadem differentia temporis, ſed una neceſſaria poſt alteram exiſtit: ſed hoc non affert ullam repugnantiam reproductioni ejuſdem rei ſucceſſivæ corruptæ; quia in tali reproductione non reſtaurarentur omnes partes rei ſimul; ſed una poſt aliam, eôdem prorſus ſervatô ordine ad invicem, quem habuerunt in prima productione: Ergo &c. *Secundò*, ſi quid obſtaret reproductioni ſupernaturali ejuſdem numerô rei ſucceſſivæ corruptæ, maximè obſtaret motus, & tempus, in quo fieret motus ſucceſſivus: ſed hæc non obſtant: Ergo &c. Prob. Min. motus, & tempus ſunt accidentia, quæ ſequuntur ſubſtantiam entis ſucceſſivi: Ergo hæc reparari poterunt cum ſubſtantia entis ſucceſſivi reproducta; adeoque non obſtant ejus reproductioni: præterea motus eſt relatio; relatio reſurgit eadem, quando eadem extrema reſtituuntur, uti fit in reproductione entis ſucceſſivi, ubi res ſucceſſiva reproducta eſt terminus, & DEUS reproducens eſt fundamentum: tandem Deus poteſt rem, quæ debuit produci poſt centum annos, anticipatô tempore creare; adeoque etiam iterum recreare evolutis centum annis: Ergo motus, & tempus non obſtant reproductioni ſupernaturali ejuſdem numerô rei ſucceſſivæ corruptæ.

Objicies *primò*: de ratione eſſentiali entis ſucceſſivi eſt, ut habeat ſuas partes in continuo fluxu cum certo ordine prioris, & poſterioris; atque ut ita fluat, & tranſeat, ut ampliùs exiſtere nequeat, uti colligitur ex Philoſopho *5. Phyſic. 39.* ſed talis ratio non reperiretur in reproductione ejuſdem numerô rei corruptæ: Ergo &c. Probat. Min. in reproductione interrumperetur præfatus continuus fluxus Entis ſucceſſivi, & ordo: Ergo &c. *Secundò*: ſequeretur ex hac ſententia, quòd ens ſucceſſivum poſſit fieri ens permanens; quia poſſet manere ſub tempore præterito, præſenti, & futuro, ſi in hujuſmodi differentiis temporis reproduceretur: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. *Tertiò*: ſequeretur, quòd idem eſſet prius, & poſterius; quia pars prior motûs jam producti, ſi reproducatur, ſubſequetur partem poſteriorem motûs primò producti: ſed ſequela hæc quoque eſt falſa: Ergo &c. 7. *Oppoſitiones adducuntur.*

Reſpondeo *ad Primum*: Neg. Maj. nam licèt ens ſucceſſivum importet regulariter fluxum talem continuum ſuarum partium; non tamen cum tali ordine certo, & invariabili; ut nec quidem extraordinariè, & ſupernaturaliter à prima cauſa infinitæ potentiæ poſſit variari, alterari, ac interrumpi per reproductionem ejus; quo tamen caſu repeteretur in ea res cum tali partium fluxu, qui moraliter æquipolleret primo fluxui non interrupto. Unde Neg. etiam Min. quia ratio illa entis ſucceſſivi habentis ſuas partes in fluxu continuo per æquivalentiam moralem reperiretur in reproductione entis ſucceſſivi corrupti. *Ad Secundum* Neg. ſequelam Maj. quia non eô ipsô, quò res aliqua 8. *Et rejiciuntur.*

aliqua accipit eſſe in diverſis differentiis temporis, cenſetur eſſe permanens; ſed tunc tantùm, quando habet ſuum eſſe ſimul, & totum; quale non haberet motus ſucceſſivus corruptus, & rurſus â DEO miraculosè reparatus, qui non obſtante tali reparatione manet ens ſucceſſivum. *Ad Tertium* Diſt. ſequelam Maj. Sequeretur; quòd idem eſſet prius, & poſterius ſecundùm eandem conſiderationem Neg. Maj. ſecundùm diverſam Conc. Maj. Itaque motus aliquis ſucceſſivus reparatus eſſet prior & poſterior ſecundùm diverſam conſiderationem, & rationem; eſſet prior ut coëxiſtit uni tempori priori; eſſet poſterior, in quantum coëxiſtit alteri tempori poſteriori.

9\. *Etiam quædam res forſitan naturaliter reproduci poſſunt eadem numero.*

Dico quartò: Probabile eſt, quòd per vires præſentes agentium creatorum. quædam res corruptæ eædem numerô poſſint reproduci naturaliter, ſpectando activitatem ipſorum agentium creatorũ. Colligitur ex Scoto *4. diſt. 43. q. 3.* & ſequitur Columb. Faber, Tromb. Baſſol. Mayr. & alii Scotiſtæ; ac Occam, & Neoterici paſſim: contra Abulenſ. Durand. Marſil. &c.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui *1. Celi tex. 22.* & *8. Met. tex. 11.* docet, ſi agens fuerit idem, & materia eadem, effectus erit idem, ſpectando vires agentis: ſed poteſt naturaliter eſſe idem agens creatum cum ſuis viribus continuatis, ſimiliter eadem materia effectûs producti, & reproducti; v.g. ſi foco applicetur lignum & calefiat, deinde verò calor evaporet in eo ab igne ſemoto; rurſus autem idem lignum apponatur eidem foco, ſequeretur idem numerô calor, ſpectando activitatem foci: Ergo per vires præſentes agentium creatorum quædam res corruptæ eædem numerô poſſunt reproduci, ſpectando eorum activitatem. Præterea non exhauriuntur vires præſentes alicujus agentis creati poſt corruptionem effectûs alicuius â ſe producti: Ergo poterit talem effectum eâdem materiâ concurrente reproducere.

10\. *Spectando activitatem agentium naturalium*

Dixi *ſpectando activitatem agentium creatorum*: quia aliunde defactò ab extrinſeco impeditur omne agens creatum, ut non ponat eundem numerô effectum, ſcilicet à Decreto DEI; quia determinatio effectûs quoad individuum ſpectat ad DEUM, ut oſtendi ſuprà *tract. 1. diſt. 10. q. 15. concl. 2.* qui determinat cauſam ſecundam, ſeu agens creatum, aliàs indifferens, ad hunc calorem in hac aqua producendum potius, quàm alium; quæ determinatio eſt Decretum quoddam DEI, quô vult concurrere ad hunc effectum, & non ad alium producendum, vel reproducendum. Itaque etſi ſit poſſibilis naturalis reproductio aliquarum rerum; actu tamen nunquam fit.

Obijcies: Philoſophus adverſatur conclusioni: Ergo &c. Prob. Ant. Philoſophus *2. de gen. cap. 11. tex. 7.* dicit, *quorum ſubſtantia perit, non revertitur eadem numerô*: Ergo nulla res corrupta poteſt eadem numerô naturaliter redire, ac reproduci per vires præſentes agentium naturalium. Reſpondeo Neg. Ant. ad ejus Probat. gloſſo Philoſophum, & dico, eum ſolùm velle, quòd ut plurimùm non revertantur eædem res numerô, quarum ſubſtantia perit: cum quo tamen ſtat, quòd poſſibile ſit; aliquas poſſe reverti eaſdem numerô poſt ſubſtantiæ earum corruptionem. 11.

Philoſophus gloſſatur.

Quæres: an etiam res aliqua adhuc exiſtens poſſit divinitùs eadem numerô reproduci? Affirmant RR. Connich, Moriſan. Gab. & alii: ſed ego

Dico quintò: Eſt manifeſta repugnantia, rem aliquam adhuc exiſtentem, poſſe eandem numerô reproduci. Ita Scotus *1. diſt. 2. q. 3.* & *3. diſt. 1. q. 2.* ubi negat eandem rem poſſe â duabus cauſis totalibus procedere; ſicut contingeret in oppoſita ſententia. Et *4. diſt. 11. q. 3.* negat dari poſſe actionem productivam ad ſubſtantiam præexiſtentem. Et ſequuntur Maſtr. Bellut. &c. 12.

Sed res adhuc exiſtens nequit reproduci eadem numero.

Probat. omnis reproductio formaliter conſiderata incipit â non eſſe ſimpliciter rei, ſeu privatione, & tendit ad eſſe ſimpliciter rei: Ergo &c. Prob. Ant. quia aliàs eſſet reproductio, & non eſſet: eſſet ut ſupponitur; non eſſet autem; quia nil poneret ſubſtantiale de novo; cùm tota ſubſtantia rei ſupponatur jam actu præexiſtere; ſicut ſimplex adductio Petri ad locum A. non cenſetur ſubſtantialis ejus productio ibidem, quia jam præextitit in rerum natura: Ergo &c. Præterea ex oppoſita ſententia ſequeretur, Platonem v. g. poſſe eſſe ſimul vivum, & mortuum: vivus poſſet eſſe, quia adhuc duraret ejus ut viventis prima exiſtentia: poſſet etiam eſſe mortuus; quia actio reproductiva rei præſupponit abſentiam rei reproducendæ, & conſequenter mortem: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c.

Obij-

13. *Objectiones diſſolvuntur* Objiciunt RR. *primò*: Corpus Chriſti adhuc exiſtens in cœlis per actionem transſubſtantiationis de novo producitur in Sacramento, dum accipit eſſe modô Sacramentali: Ergo &c. *Secundò*: effectus in Divina Omnipotentia latet infinities: Ergo poteſt illum ſæpiùs reproducere. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam Corpus Chriſti exiſtens in cœlis, tantùm adducitur per actionem transſubſtantiativam ad ſpecies panis, & vini in Sacramento Altaris, uti ex profeſſo doceo in *Schola mea Theol. Scotiſt. tom. 3. tract. 1. diſt. 4. q. 25.* & habet Scotus *4. diſt. 11. q. 3.* *Ad Secundum* Diſt. Ant. effectus in Divina Omnipotentia latet infinities in hoc ſenſu, quòd DEUS illum poſſit infinities deſtruere, & rurſus reproducere Conc. Ant. quòd illum adhuc exiſtentem poſſit reproducere Neg. Ant. & Conſeq.

DISTINCTIO III.

DE NUTRITIONE VIVENTIUM.

Præfatio.

Perluſtratis præcipuis, & dignioribus motibus Generationis, & Corruptionis, de quibus principaliter Philoſophus agit in libris de ortu & interitu corporum naturalium; *reſtat inveſtigare alias mutationes eorundem corporum, cujuſmodi ſunt Nutritio, Augmentatio &c. de Nutritione procedit iſta diſtinctio; de reliquis ſubſequentes. Unde ſit:*

QUÆSTIO I.

De quidditate, & exiſtentia Nutritionis viventium.

1. *Cauſa Nutritionis.* Nota primò: in animalibus viventibus dari perpetuam pugnam caloris naturalis, & humidi radicalis, quæ ſunt ſubſtantiæ eorum immerſa; ex qua pugna ſubſtantia jacturam quandam, & deteriorationem patitur: ne itaque ipſa propterea penitùs intereat, Author naturæ ordinavit Nutritionem animalem, & alimenti aſſumptionem, quâ vires, & partes deperditæ reſtaurantur.

2. *Nutritionis acceptiones.* Nota ſecundò: Nutritionem aliam eſſe impropriam, aliam propriam. *Nutritio impropria*, & latè dicta vocatur quæcunque converſio alicujus pabuli in ſubſtantiam rei convertentis: hoc ſenſu etiam ignis dicitur nutriri, convertendo lignum in ſuam ſubſtantiam. *Nutritio propria*, & rigoroſè dicta eſt converſio, quâ vivens convertit alimentum in ſuam ſubſtantiam virtute vitali intrinſecâ, ad reſtaurationem deperditi; talis eſt illa, quâ homo aſſumptum cibum convertit in ſuam ſubſtantiam; & de hac procedit præſens quæſtio. Diſtinguuntur porrò iſtæ duæ acceptiones Nutritionis, quòd impropria non fiat per actionem vitalem, nec per intraſuſceptionem, nec ſecundùm omnes partes, nec ad reſtaurationem deperditi, ſed per ſolam juxtapoſitionem, & ſecundùm aliquas partes; propria verò fit per virtutem vitalem intrinſecam, & per intusſuſceptionem alimenti in vivente, & ſecundùm omnes partes, quæ in vivente nutriuntur; fit inſuper ad reſtaurationem deperditæ alicujus ſubſtantiæ ob actionem caloris naturalis agentis in humidum radicale. Circa hujuſmodi calorem, & humidum

Nota tertiò: *Calorem quemdam naturalem* ſeu *nativum* depaſcentem humidum radicale, & inducentem neceſſitatem Nutritionis, eſſe â natura implantatum ſubſtantiæ viventis, tum ad temperamentū, & mixturam animalis unà cum aliis qualitatibus, humidô ſcilicet, frigidô, & ſiccô conſtituendam: tum ad conſervationem, & fomentum animalis: tum ad concoctionem alimenti. Dicitur *naturalis*; quia ad omnia opera vitæ eſt naturale inſtrumentum: dicitur *nativus*, quia ſtatim ab exordio vitæ comitatur vivens. Hic calor probabiliùs reſidet in humido radicali, diſperſo in carne, ac partibus humidis; licèt 3. *Extat calor naturalis, & humidum radicale.*

â ſpiritibus vitalibus maximè foveatur. Reperitur in omnibus viventibus, etiam plantis; nam & hæ debent concoquere alimentum; concoctio autem fit per calorem. Similiter viventi eſt inditum *quoddam Humidum radicale*, nè ſcilicet ob activitatem caloris naturalis partes animalis, vel plantæ indurentur, & deſiccentur; ſed perſeverent in ſua mixtione, & temperatura; unde hujuſmodi humidum requiritur in omnibus partibus mollibus, & humidis, & principaliter in carne. Hoc humidum dicitur *radicale*, vel quia radicitùs ineſt membris, & partibus; vel quia conſervat vitam hominis, ſicut radix vitam arboris. Vocatur etiam *vitale, primigenium, naturale balſamum, pabulum caloris naturalis*, aliaque conſpicua ſortitur nomina â Chymicis, & Medicis. Illud humidum eſt ſubſtantia quædam pinguis, viſcoſa, & oleoſa, & diffunditur per omnes partes ſimilares viventis, ut ubique innato calori pabulum præbeat. Generatur primitùs ex ſemine, & ſanguine menſtruo pinguiori ac humidiori; unde fit, ut quò viciniora ſunt animalia ſuo ortui, eò plùs de iſto humido participent; & propterea molliora, & humidiora ſint; uti patet in pueris. Quando tractu temporis imminuitur hoc primigenium humidum ob caloris actionem ipſum, rurſus reparatur per alimenta aſſumpta.

4. *Deſcriptio Nutritionis.* Dico primò: bene deſcribitur Nutritio propriè dicta, quòd *ſit aggeneratio partis ſubſtantialis ad aliam partem ſubſtantialem præexiſtentem, facta per virtutem intrinſecam vitalem viventis, tranſmutantis, & convertentis alimentum aſſumptum in ſuam ſubſtantiam.* Eſt ad principia Scoti *4. diſt. 44. quæſt. 1.*

Probat. hæc deſcriptio convenit omni & ſoli; habetq; reliquas conditiones bonæ deſcriptionis: Ergo &c. Explicatur; ly *aggeneratio* eſt genus, in quo convenit cum Augmentatione, de qua infrà: reliqua aptantur pro differentia. Dicitur *partis ſubſtantialis*, ad diſtinctionem Alterationis, & aliarum mutationum, in quibus non fit additio, unio, vel aggeneratio alicujus partis ſubſtantialis; ſed tantùm accidentalis; & ad deſignandum effectum, quem habet Nutritio. Dicitur *ad aliâ partem ſubſtantialem præexiſtentem*, ad oſtendendum, quòd pars nova aggenerata per Nutritionem phyſicè uniatur cum priori ſubſtantia aliti, ſeu viventis nutriti. Dicitur *facta per virtutem intrinſecam vitalem viventis*, ut Nutritio propria hic deſcripta differat ab impropria, quæ, ut ſupra *not. 2.* dixi, non fit virtute intrinſecâ vitali convertentis; uti & ab aliis mutationibus mirabilibus, per quas aliquando virtute Divina DEUS ægrotis priores vires, & ſubſtantiam reſtaurat. Additur *tranſmutantis, & convertentis alimentum aſſumptum in ſuam ſubſtantiam*, tum ut Nutritio diſtinguatur â Generatione, quæ tantùm ad ſpeciei conſervationem ordinatur; non autem ad individui ſuſtentationem, uti Nutritio: tum ut exprimatur completa ratio Nutritionis, quæ eſt converſio cibi, & potûs aſſumpti in ſubſtantiam aliti, ſeu viventis aſſumentis illa ad ſui conſervationem individualem.

Objicies: poteſt homo verè nutriri comedendo multas hoſtias conſecratas: ſed ibi nulla eſt converſio, & tranſmutatio alimenti: Ergo malè in deſcriptione apponuntur illæ ultimæ particulæ *tranſmutantis, & convertentis alimentum aſſumptum &c.* Reſp. Neg. Min. nam quamvis ante concoctionem hoſtiarum, ſeu ſpecierum conſecratarum comeſtarum non adſit alimentum ſubſtantiale; attamen poſt earum concoctionem illicò DEUS ſubminiſtrat ſubſtantiam aliquam alimentalem, eamque ſubſtituit locô ſubſtantiæ, quæ aliàs adeſſet in hoſtiis non conſecratis, & hujus ſubſtantiæ ſubſtitutæ fit converſio, & tranſmutatio in ſubſtantiam viventis: de quo ampliùs in Theologia. 5. *Quædam oppoſitio enervatur.*

Dico ſecundò: extat omnino Nutritio propriè dicta in viventibus. Ita Scotus *4. diſt. 44. q. 1.* Et ſequitur communis Scotiſtarum, & aliorum; contra Magiſtrum Sentent. docentem, poſt completam generationem prolis ampliùs ei non aggenerari aliquam novam ſubſtantiam per veram Nutritionem; requiri tamen alimenta veluti pabula caloris naturalis, nè is defectu alimenti invadat ſubſtantiã veram genitam â principio. 6. *Extat Nutritio propria in viventibus.*

Probat. primò authoritate S. Auguſt. *lib. de agone Chriſti cap. 2.* Nutritionem in homine adſtruentis illis verbis; *quod manducamus in noſtrum corpus convertimus, ut ipſe cibus corpus hoc fiat, quod nos ſumus.* Et *lib. 7. de Gen. ad litt. c. 16.* loquens de Nutritione arborum ait, *moventur arbuſta non tantùm vi extrinſecùs impellente, veluti cum ventis agitantur; ſed illo motu, quô intrinſecùs agitur, quidquid ad incrementum, ſpeciemq; arboris pertinet, quô ducitur ſuccus in radicem, vertiturq; in ea, quibus conſtat herba, & ligni natura*: Ergo extat Nutritio propriè dicta in viventibus.

Pro-

Probatur ſecundò; experientiâ quâ conſtat in homine convaleſcente poſt longas ægritudines, & ob prædominium caloris naturalis alterati, ac exuberantis vires, & partes ſubſtantiales hominis convellentis, ac deperdentis, fieri novas reſtaurationes virium, & partium deperditarum: Ergo in eo fit Nutritio, & aggeneratio nova ſubſtantialis. Præterea experientiâ conſtat, hominem uſque ad annum 25. creſcere, & notabiliter augere ſuas partes, ac protendere: ſed hoc fieri nequit, niſi præviâ Nutritione, quâ alimentum tranſit, ac convertitur in ſubſtantiam aliti, & aggenerantur novæ partes prioribus minoribus phyſicè unitæ: Ergo extat Nutritio propriè dicta in viventibus.

7. *R[illegible] examinatur.* Objicies pro Magiſtro Sentent. *primò*: S. Scriptura Matth. 15. ait, *omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & per ſeceſſionem emittitur*: Ergo non datur in homine converſio alicujus alimenti aſſumpti in ſui ſubſtantiam; nec conſequenter Nutritio. *Secundò*: ſi fieret in homine Nutritio propria, poſſet homo naturaliter unire ſuæ animæ rationali illas novas partes aggeneratas in Nutritione: ſed hoc videtur falſum; quia illa unio eſt ſpiritualis: Ergo &c. *Tertiò*: ſi foret vera Nutritio, non poſſet aſſignari in caſu, quô aliquis alimentaretur meris carnibus humanis, cujuſnam forent in Reſurrectione illæ carnes: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* gloſſando Scripturam, & dico, illam intelligendam eſſe in ſenſu diſtributivo, ita ſcilicet, ut de quolibet cibo in os intranti aliquæ partes impuriores vadant in ventrem, & per ſeceſſum emittantur; non verò omnes partes; quia puriores remanent in homine, & vertuntur in ſubſtantiam ejus per Nutritionem. *Ad Secundum* Neg. ſequelam Maj. nam illa unio partium novarum cum anima rationali in genere cauſæ efficientis fieri debet â DEO, animam infundente; utpote qui primam quoque unionem corporis organizati cum anima rationali fecit. *Ad Tertium* Neg. Ant. quia illæ carnes in reſurrectione erunt hominis comeſti, non autem comedentis.

QUÆSTIO II.

De vero nutrimento; potentia nutritiva; & modo, quô contingit Nutritio viventium, maximè hominis.

Ota primò: Nutrimentum viventium, ſeu alimentum, quô viventium vires reſarciuntur, & propagatur eorum moles corporea, ſtatuitur duplex; proximum, & remotum. *Proximum* eſt, quod immediatè tranſmutatur, & convertitur in ſubſtantiam aliti: hoc in animantibus exanguibus, v. g. in cancris, vermibus, limacibus &c. eſt humor quidam æquipollens ſanguini: in ijs verò, quæ ſanguinem habent, v. g. in homine, equo, &c. eſt principaliter ſanguis, decoctus ex alimentis. Dixi *principaliter*; quia etiam chylus, pituita, atra, & flava bilis quibuſdam partibus corporis humani immediatè ſerviunt pro nutrimento: & oſſa juxta Philoſophum *2. de part. animal. cap. 6.* nutriuntur immediatè ex medulla; & nervi teſte eôdem *3. hiſtor. animal. cap. 5.* aluntur humore albidô, & glutinoſô. In plantis tandem pro nutrimento eſt ſuccus quidam, per radices attractus, ex terra, & aqua tranſmutatis converſus. *Nutrimentum remotum* eſt illud, ex quo præparatur alimentum proximum, ac porrigitur viventi pro cibo, potuque. Hoc eſt varium juxta varietatem viventium, & complexionem eorundem; unde quod uni viventi eſt ſalubre, alteri eſt venenoſum. 1. *Nutrimentum aliud eſt proximum, aliud remotum.*

Nota ſecundò: non omnes res, quas affectat vivens humanum, & aſſumit pro alimento, inſervire propriè pro ejus nutrimento remoto. Nam ſecundùm Scotum *4. diſt. 12. q. 6.* accidentia non nutriunt propriè, utì contendunt Thomiſtæ: Ratio Scoti eſt; quia in Nutritione, materia alimenti convertitur in formam ſubſtantialem aliti: ſed accidentia non poſſunt ſic converti, & recipere formam ſubſtantialem: Ergo &c. Probat. Min. quod convertitur in formam ſubſtantialem aliti, facit cum materia ejus ens unum per ſe: ſed accidentia v. g. quantitas, & alia non faciunt ens unum per ſe cum materia aliti; ſed unum per accidens: Ergo nequeunt converti in formam ſubſtantialem aliti. 2. *Accidentia non nutriunt.*

Ex his infertur primò: nec odores, nec ſapores poſſe propriè nutrire hominem; etſi eis mirificè, & ſenſualiter delectetur. Ratio eſt; tum quia ita ſentit Philoſo-

Nec conſequenter odores, niſi eſſent permixti ſubſtantijs ſubtilibus.

loſophus *3. de anima 64.* tum quia hi accidentia mera ſunt: tum quia odores non traijciuntur in Stomachum pro ſubeunda digeſtione; ſed evaporant in cerebrum, quod confortare, & debilitare poſſunt. Quòd ſi tamen aliqui odores, & aliquæ odoriferæ exhalationes quibuſdam ſubſtantiis ſubtilibus depuratis permixtæ eſſent, & ad ſtomachum penetrarent, dico tales poſſe nutrire ratione talium ſubſtantiarum inſenſibilium depuratarum: & ex hoc capite ſalvatur, quod aliqui populi in Indiis ſolis evaporationibus odoriferis certorum fontium Gangis exhalantium paſcantur, & nutriantur.

4. *Elementa nutriunt.*

Nota tertiò: Elementa etſi ſimplicia ſint, tamen nutrire viventia. Tum quia ita conſtat ex S. Gen. *c. 18.* ubi dicitur ſerpens elementô terræ nutriri, & vitam conſervare, *terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Tum quia lupus quandoque teſte Philoſopho *8. de hiſtor. animal. cap. 6.* ſolâ terrâ ſe nutrit; utì & talpa teſte Plinio *lib. 10. hiſt.* Et anguilla ſolâ aquâ dulci alitur, teſte eôdem Philoſophô *cit. cap. 2.* Et Chameleon ſolo aëre: & Pyrauſtæ, ac Salamandræ ſolo igne alimentantur.

5. *Etiam vinum.*

Nota quartò: viventia humana pariter nutriri vinô; utì tradit Philoſophus *ſect. 3. prob. 13. & 15.* ubi ait vinum digeri; adeoque nutrire. Et eſt ratio; tum quia vinum ſubſtantiale quid eſt: tum quia vinum vadit ad ſtomachum hominum, ibidemque concoquitur; eſt inſuper incraſſabile vi caloris, ut habet Philoſophus *4. Meteor. ſum. 4. cap. 1.* Tum quia referente Liceto *lib. 2. de his qui diu vivunt cap. 118.* quidam homines ſolô vinô per aliquot dies fuerunt aliti, ac conſervati. Nec opponas Theologos docentes, vinum etſi copiosè ſumptum non frangere jejunium Eccleſiaſticũ; quòd tamen faceret, ſi nutriret. Reſpondeo enim, quòd Theologi ideo doceant vinum copiosè ſumptum non frangere jejunium Eccleſiaſticum; quia Eccleſia illud nõ prohibuit; Eccleſia enim prohibuit tantùm ea alimenta duntaxat, quæ propriè, & uſu humano primò, & per ſe recipi ſolent ad nutriendum; cujuſmodi non eſt potus vini, aut alterius liquoris ſubſtantialis. Præterea nutrimentum vini fit citiſſimè, & ideo etiam citiſſimè evaneſcit; atque adeo ab Eccleſia non magni æſtimatur; & propterea homo non poteſt ſolô vinô valde diu ſubſiſtere. Circa potentiam nutritivam.

6. *Quid potentia nutritiva.*

Nota quintò: Potentia nutritiva eſt facultas animæ cum aliqua parte corporis conjuncta, tranſmutativa, & converſiva alimenti aſſumpti in ſubſtantiam aliti pro conſervatione individui. Hanc facultatem aliquando videtur Philoſophus confundere cum calore vitali, & temperamento primarum qualitatum; attamen intelligendus eſt in ſenſu inſtrumentali, quia ſcilicet calor vitalis maximè inſervit ad Nutritionem debitam inſtituendam â potentia nutritiva.

7. *Variæ ejus ancillæ.*

Nota ſextò: Potentiæ Nutritivæ, famulari plures alias formas & facultates miniſtras, maximè in homine quæ vocantur â Medicis, & Philoſophis *Virtutes animaſticæ;* & hæ ſunt vel diſperſæ per totum, vel reſidentes in diverſis partibus corporis humani. Prima dicitur *Virtus attractiva*, hâc ſingulæ partes alliciunt, & attrahunt ad ſe alimenta neceſſaria, & ſignanter illæ, quarum munus eſt, præparare, & diſtribuere alimenta, cujuſmodi ſunt in plantis radices; in animalibus verò hepar, & venæ. Secunda vocatur *Virtus retentiva;* hujus munus eſt; aſſumptum alimentum retinere quouſq; vel illud tranſmutet, vel perfectius præparet. Tertia dicitur *Virtus expulſiva;* hujus officium eſt, quaſdam alimentorum partes vel expellere, quia nocivæ ſunt; vel excreare, quia inutiles ſunt, vel quia ad alias partes tranſmittendæ ſunt. Quarta dicitur *Virtus ſeparativa;* hujus functio conſiſtit in ſecernendo, & ſeparando partes impuriores â purioribus. Quinta dicitur *Virtus appetitiva;* hâc ſingulæ partes appetunt neceſſarium alimentum, quando eô carent. Tandem reperiuntur complures aliæ partiales virtutes, & potentiæ concoctivæ diverſimodè alimenti, quas *ſequentibus notabilibus* elucidabo, cujuſmodi ſunt virtus chylifactiva in ſtomacho, & ſanguificativa in hepate; quæ pertinent ad modũ Nutritionis; circa quem

8. *Affertur modus quo incipit nutritio in ore*

Nota ſeptimò: ab Anathomicis aſſignari ſequentem modum, quô dicitur in humano corpore contingere Nutritio, poſt varias actiones, & alterationes prævias. *Primò* cibus aſſumitur in os, & in minutas partes beneficiô dentium conciditur, atq; maſticatur, ut eum ſtomachus meliùs concoquere valeat; quo tempore etiam ſalivâ reſpergitur, & alteratur in odore, colore, & ſapore, diſponiturque ad digeſtionem; ipſa enim ſaliva, habet calorem innatum, ac alias qualitates adminiculatorias digeſtionis, quas â ſtomacho,

hepate,

hepate, corde, & cerebro trahit; diffluit autem ad radices linguæ.

9. *Modus continuationis ejus in ſtomacho, ubi de chylo.*

Secundò: cibus ſic conciſus, maſticatus, & alteratus trajicitur in ſtomachum, ſeu ventriculum agitatione linguæ, & gulæ attractione, ubi adjuvantibus, & foventibus aliis membris calidis, ſcilicet hepate â dextris, ſplene â ſiniſtris, corde in ſuperiori parte mediante diaphragmate, muſculis dorſi in poſteriori, & in anteriori muſculis ventris, & Zirbô adipinô, coquitur. Peractâ autem concoctione cernitur in ventriculo maſſa quædam, quæ dicitur *chylus*, hanc ſtomachus emittit per inferius orificium virtute potentiæ expulſivæ in quædam inteſtina, ubi fit prima ſeparatio, & ſegregatio dictæ maſſæ, ita ut puriores partes (quæ propriè *chylus* dicuntur) per venas meſaraicas tranſvehantur ad hepar, & eò ingrediantur per amplam illam venam Portæ, de qua *priori diſt. q. 10. notab. 11.* impuræ verò, & terreſtres tanquam quædam fœces, & excrementa præcipitantur in alia inteſtina inferiora, ac demum per janitorem, & anum foras deijciuntur, & hæc dicuntur *ſtercora*.

10. *Modus procedendi ejuſdem in hepate, ubi de 4. humorum generatione.*

Tertiò: hepar, ſeu jecur ſuſcipit chylum per venam Portæ immiſſum, & eum ulteriùs coquit, depurat, ac perfectionat; & quia poſt iſtam alterationem illa maſſa continet partes difformes, ſcilicet aëreas, igneas, aqueas, & terreas; idcirco hepar ſuâ activitate ulterius ex illa deducit quatuor humores principales hominis, ſcilicet ſanguinem, pituitam ſeu phlegma, flavam bilem ſeu coleram, & atram bilem ſeu melancholiam. *Sanguis* eſt humor rubicundus calidus, & humidus, & ideo aëri correſpondens, generatur ex partibus temperatioribus, & pinguioribus chyli. *Flava bilis* ſeu *chylera* eſt calida, & ideo igni correſpondens, fabricatur ex tenui & calida portione chyli. *Pituita* ſeu *phlegma* eſt frigida, humida & alba, & ideo aquæ correſpondens; conficitur ex crudiori & frigida parte chyli. *Atra bilis* ſeu *melancholia* eſt frigida, ſicca, craſſa nigri coloris, & ideo terræ correſpondens; producitur ex craſſiori, & terrea parte chyli. Hi quatuor humores pro conſervatione humani corporis ſunt omnino neceſſarij, nam unus alterius exuberantem actionem retundit ob ſuam naturalem oppoſitionem, ne alter excedens machinetur individui interitum. Deinde quivis humor habet ſuum munus peculiare in officina humani corporis; ſanguis enim principaliter nutrit. Pituita ſanguinis liquiditatem conſervat, illamque defert per totum corpus, humectatq; ſingula membra, ne frequentatis motibus deſiccentur, & quia hic humor eſt ſanguis incoctus; propterea de facili tranſmutatur, & ipſe in ſanguinem pro ſervitio nutrimenti. Flava bilis nutrit fel, uti & nonnulla alia membra ſimul cum ſanguine, cui permiſcetur; ac inſervit pro concoctione ventriculo. Atra bilis pariter nutritioni inſervit, nam dum aſcendit à ſplene ad orificium ſtomachi, ſuâ acerbitate famem, & appetitum provocat. Et obſerva; quòd poſtquam præfati quatuor humores ſunt in ventriculo producti, hi ſegregentur ad ſuas nativas ſedes hôc pactò, Atra bilis tendit ad ſplenem; Flava ad folliculum fellis; Pituita autem cum ſanguine per totum corpus devehitur. Eodem tempore natura inſtituit aliam quoque ſegregationem, nam cum chylo è ventriculo accedit ad jecur quidam humor, qui dicitur *vehiculum nutrimenti*, hic cùm non ſit aptus ad Nutritionem, expellitur per quaſdam venas emulgentes dictas, & tranſit ad renes, & inde per poros uritides in veſicam diſtillatur, & vocatur *urina*.

11. *Modus ejuſdem in diffuſione ſanguinis, ubi etiam de excrementis.*

Quartò: ſanguis in hepate decoctus, & depuratus effluit per venam amplam Cavæ, ramificatam per univerſum corpus, & ſic ſe diſtribuit ad ſingulas partes corporis, in quibus tandem finaliter alteratur, & in cujuſvis ſubſtantiam convertitur; ſicque completur totus proceſſus Nutritionis. Dum fiunt iſtæ alterationes, & converſiones, rurſus contingunt aliquæ ſegregationes partium purarum ab impuris; & impuræ (quæ & *ſuperfluitates* dicuntur) partim per nares, & aures, partim per apoſtemata cùm aperiuntur, expurgantur; partim verò in pilos, & ungues vertuntur, partim inſenſibiliter per poros evaporant; ſed potiſſimè per ſudorem egrediuntur: ſudor definitur, quòd *ſit ſuperfluitas humorum, maximè ſanguinis*; unde ſanguinei plus aliis ſudant.

12. *Omnia animalia egent cibô.*

Ex dictis infertur primò: omnia prorſus animalia indigere cibô, in ordine ad iſtum proceſſum Nutritionis inſtituendum: unde ex defectu cibi oritur fames in homine hac ratione; quando in membris ampliùs non reperitur ſufficiens ſanguis, membra ſugunt venas, venæ verò ſugunt hepar, hepar venas meſaraicas, &

 alias

alias ad ſtomachum pertinentes, & iſtæ ſugunt ex ſtomacho reliquias chyli, quô factô ſtomachus corrugatur, ſicque cauſatur in eo quidam dolor, & hic dicitur fames.

13. *Et potu.* Infertur ſecundò: omnia pariter animalia indigere potu aliquali; tum ut ventriculus valeat concoquere ſicciora alimenta; tum ut temperetur membrorum ſiccitas, ſanguiniſque acumen mitigetur: ex hujus defectu cauſatur in æſophago dolor, qui *ſitis* dicitur.

14. *Quomodo nutriantur plantæ.* Nota octavò: in Nutritione plantarum non intervenire tot alterationes alimenti, ut notat Philoſophus *2. de part. anim. cap. 3.* quia ſtirpes agunt ſuas radices in terram, cujus calore utuntur, veluti animalia ventriculô; nam quemadmodum in ventriculo animalis fit prima digeſtio alimenti aſſumpti, & ex ore eò trajecti; ita pariter in terra vicina radicibus fit prima concoctio terræ, & aquæ pro Nutritione plantarum, & ex materia illa terræ, & aquæ ſic digeſta conficitur ſuccus, qui abſque ulterioribus concoctionibus attrahitur ad ſtirpis propaginem, & ſtructuram, in eaque convertitur in plantam.

15. *Vivens, nutritur totâ vitâ.* Nota nonò: viventia toto tempore vitæ ſuæ nutriri propriè. Ratio eſt, tum quia ita ſentit D. Auguſtinus *conc. 2. in Pſ. 88.* inquiens, *ſimilis eſt caro noſtra Lunæ, quæ omni tempore, & omni menſe, patitur augmenta* (quæ fiunt per veram Nutritionem) *& decrementa.* Tum quia experientiâ conſtat, viventia ſana toto tempore vitæ ſuæ aſſumere cibum, & potum, illum in ſtomacho chylificari, & in hepate ſanguificari: Ergo propriè nutriuntur toto tempore vitæ.

16. *In Nutritione acquiritur nova materia, & forma.* Nota decimò: in Nutritione viventium acquiri tum novam materiam, tum novam formam, quando hæc eſt diviſibilis, uti eſt forma plantæ; ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 44. q. 1.* Ratio eſt de forma; quia forma diviſibilis, plantæ v. g. eſt materialis, & de potentia materiæ educitur: Ergo ad materiæ extenſionem quoque extenditur, & augetur; & conſequenter in Nutritione viventium acquiritur forma nova, quando hæc eſt diviſibilis. De materia etiam patet; quia cùm vivens creſcat, dilatetur, & augeatur per Nutritionem, utique ei nova materia accreſcit.

QUÆSTIO III.

An, & quô modô vivens alitum toto tempore vitæ idem numerò perſeveret?

Nota primò: cùm viventia ex dictis indies propriè nutriantur per acquiſitionem novarum partium ſubſtantialium, & plures partes veteris ſubſtantiæ per continuam actionem caloris nativi fluant, atque deperdantur; meritò inquiritur, an, & qua ratione viventia perſeverent eadem numerò toto tempore vitæ. Pro cujus reſolutione

Nota ſecundò: in viventibus partes alias eſſe ſolidas, alias ſpermaticas. *Partes ſolidæ* ſunt, quæ magìs ob duritiem, ſiccitatem, & alias qualitates reſiſtunt activitati caloris naturalis, & nunquam fluunt, ſeu iminuuntur, & corrumpuntur, hujuſmodi ſunt oſſa, nervi, cor, &c. *Partes ſpermaticæ*, quæ & *fluidæ* dicuntur ſunt, quæ ob humiditatem, mollitiem, ac viſcoſitatem minùs reſiſtunt activitati caloris naturalis, & propterea magìs fluunt; cujuſmodi ſunt ſanguis, bilis, pituita, medulla, pinguedo &c. 1. *In vivente ſunt partes ſolidæ, & fluidæ.*

Dico primò: vivens humanum etſi continuò alitum toto tempore vitæ, manet phyſicè idem numerò. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 44. q. 1. n. 12. & 13.* & ſequitur Maſtrius, Bellut. & alii Scotiſtæ; contra P. Ponc. Fuentem, &c. & contra Moriſ. ac Joannem à S. Thoma. 2. *Homo alitus manet idem numerò.*

Probatur *primò*: in vivente humano continuè nutrito, toto tempore vitæ ejus manet principalior pars ſcilicet anima rationalis eadem numerò: Ergo cenſendum eſt remanere ipſum phyſicè idem numerò. *Secundò*: quia videmus in ſenibus remanere eadem accidentia cicatricum, nervorum, & ſimilium, quæ in juventure contraxêre in ſuo corpore: Ergo perſeverat quoque in eis eadem ſubſtantia ſuſtentans dicta accidentia; & conſequenter phyſicè idem numeô vivens humanum. *Tertiò*: Chriſtus à B. V. conceptus, & ablactatus manſit phyſicè idem numerô homo, uſque dum crucifixus & mortuus fuiſſet pro ſalute generis humani; aliàs fuiſſent alius Salvator in cruce, & alius in nativitate: Ergo vivens humanum manet phyſicè idem numerô, etſi

roto

toto tempore vitæ nutriatur. *Quartò*: in homine toto tempore vitæ remanent partes ſolidiores quoad partem principalem, etſi ſecundùm aliam aliquam partem pereant; & etiam fluidæ atque ſpermaticæ, etſi & hæ ſecundùm partem notabilem fluant: Ergo &c.

3. *Verè & quodvis aliud animal.*

Dico ſecundò: ſimiliter quodvis aliud animal non obſtante Nutritione toto tempore vitæ continuatâ, manet phyſicè idẽ numerò. Colligitur ex Scoto *4. diſt. 44. q. 1.* & tenet Maſtr. Bellut. ac alii Scotiſtæ; contra Ponc. Fuentem &c.

Probat. in quovis alio animali, v. g. leone, bove &c. non obſtante Nutritione toto tempore vitæ continuatâ, remanent partes ſolidiores; & pariter ex ſpermaticis notabilis remanet ſubſtantia; unde in hiſce viſuntur antiqua accidentia, ut cicatrices profundæ, & alia ſigna: Ergo &c. Præterea niſi dicatur omnia alia animalia manere toto tempore vitæ phyſicè eadẽ numerò, eorum Nutritio continuata non eſſet aggeneratio tantùm partium aliquarum novarum; ſed ſimpliciter nova totalis generatio: hoc autem eſt falſum: Ergo &c.

Sed hîc oritur controverſia de modo, quô identitas hæc numerica poſſit ſalvari; cùm tot mutationes, & avulſiones partium præexiſtentium ſubſtantiæ animalium contingant. Relictis variis placitis DD.

4. *Ex eo, quòd partes ſolidiores ejus perſeverent & quadam etiam fluidarum.*

Dico tertiò: identitas numerica hominis, & aliorum animalium, quæ totô tempore vitæ nutriuntur, præciſè per hoc ſalvatur bene, quòd partes ſolidiores eorum, & principales majori ex parte perſeverent invariatæ quoad ſubſtantiam, ut & ſpermaticæ magna ex parte. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 44. q. 1.* & ſequitur Maſtr. Herman, Bellut. Ruvius, Areſ. Biragus &c. contra P. Ponc. Monturſ. Fuentem, Fabr. & alios Scotiſtas, ac Hurtad. Conimbr. &c.

Probat. hôc modô in concluſione aſſignatô præciſè ſalvatur bene, quòd hic filius ſit horum parentum verus filius, etſi talis filius ſit provectæ ætatis; & hic bos ſit progenies vera hujus bovis, & hujus vaccæ; quia ſcilicet filius adhuc retinet notabiliorem ſubſtantiam à parentibus in generatione acceptam; cum iſta non ita fluat: ſic etiam bos genitus ſubſtantiam notabiliorem à generantibus communicatam retinet, ob eandem rationem: Ergo identitas numerica hominis, & aliorum animalium, quæ toto tempore vitæ nutriuntur, per iſtum modum in concluſione aſſignatum præciſè bene ſalvatur. Præterea ſtabilitur hujuſmodi præciſa bonitas ex rejectione aliorum modorum, quos DD. paſſim aſſignant: *& imprimis* quòd identitas numerica hominis, & aliorum animalium non bene ſalvetur per æquivalentiam, ut vult P. Poncius, & P. Monturſius; quaſi animal totô tempore vitæ æſtimetur idem exinde, quia ſimiles ſpecie partes per Nutritionem ei aggenerantur, quæ æquivalent deperditis primis: Nam hujuſmodi identitas per æquivalentiam non eſt vera unitas numeralis; cùm conſiſtat in ſola æſtimatione morali, ſicut duorum intimorum amicorum amicitia, quâ in æſtimatione morali dicuntur eſſe unum cor, non affert veram unitatem numeralem: Ergo &c. Deinde ſequeretur, quòd Nutritio, afferens ſemper novas & novas partes ſimiles ſpecificas æquivalentes primis deperditis, non eſſet aggeneratio; ſed generatio propria totalis; quod communiter negatur: Ergo &c.

Secundò: nec iſta identitas numerica ritè ſalvatur per hoc, quòd animal maneat idem ſecundùm partes formales, id eſt ſecundùm communem rationem eſſentiæ, ut volunt Conimbr. & alii: quia & hæc unitas partium formalium ſecundùm rationem communem eſſentiæ non eſt unitas numeralis (quæ aliàs ſumitur à differentiis individualibus) ſed eſt ſpecifica, & eſſentialis; cùm deſumpta ſit ab eſſentia communi remanente.

Nota tertiò: cerebrum, cor, & hepar, quæ principales ſunt partes animalium, item carnes etſi magìs molles ſint, magiſque fluant, quàm oſſa & nervi; adhuc tamen manent eædem numerô; quia notabiles earum partes ſubſtantiales primævæ perſeverant; cerebrum enim ſuam habet duritiem in quibuſdam partibus, ubi propterea non conſumitur: ſimiliter cor quamdam ſiccitatem, duritiem, membranoſitatem, ac ſoliditatem continet, ſecundam quam perſeverant notabiles ejus partes toto tempore vitæ: hepar, etſi magìs humidum ac fluidum ſit, attamen ſimpliciter, & totaliter non diffluit, & abſumitur per activitatem caloris naturalis: etiam carnes veræ aliquam ſoliditatem habent: unde concluditur totum animal quoad partes ſolidas, & has tres principales molles perſeverare totô tempore vitæ

5. *Cor, hepar, & cerebrũ perſeverant quoad partes principales.*

vitæ ſuæ cum vera identitate numerica, primævarum partium; ſicque modum in concluſione aſſignatum optimè proba-re identitatem numericam animalium omnium, etſi ea toto tempore vitæ ſuæ continuè nutriantur.

DISTINCTIO IV.

DE AUGMENTATIONE, & DIMINUTIONE.

Prænotatio.

A*Ugmentatio eſt unus ex tribus motibus propriè ſumptis, quorum meminit Philoſophus* 5. Phyſic. & in lib. de ortu, & interitu, *unde de eadem* hac Diſtinct. *diſſeram poſt traditam doctrinam de Nutritione, à qua hic motus dependet; nam ideo augetur, & augmentatur vivens, quia nutritur, & aggenerat ſibi partes novas ſubſtantiales. Expedietur etiam hìc doctrina de Diminutione, ei oppoſita*

QUÆSTIO I.

De quidditate, exiſtentia, & ratione formali Augmentationis.

1. *Augmentatio variè ſumitur.* NOta primò: Augmentatio in triplici poteſt uſurpari ſenſu, ſcilicet largiſſimô, minùs largô, & propriô. *In ſenſu largiſſimo* accepta ſignificat quandam mutationem ſeu motum, quô aliqua res quovis modô augetur, & creſcit in quocunq; genere, ſive quantitatis, ſive qualitatis; hoc ſenſu dicitur homo augeri doctrinâ, & virtutibus, dum in eis proficit. *In ſenſu minùs largo* uſurpata ſignificat mutationem, quâ, alicui acquiritur pars integralis, ſubſtantialis, & eidem ſuperadditur quomodocunque; hoc ſenſu dicitur aqua augeri per infuſionem alterius aquæ. *In ſenſu proprio* accepta ſignificat mutationem, quâ vivens acquirit majorem quantitatem ex converſione alimenti: & de Augmentatione in hoc ſenſu procedit præſens quæſtio, & vocatur ab aliis *accretio ſubſtantialis.*

2. *Tres conditiones veræ Augmentationis.* Nota ſecundò: ſecundùm Philoſophum *1. de Gen. tex. 32.* ad Augmentationem propriè dictam, ſeu in tertio ſenſu mox explicato requiri tres conditiones. *Prima* eſt, ut res augmentata poſt Augmentationem peractam maneat eadem numerô, quæ fuit ante. *Secunda*, ut res augeatur propter acceſſionem, & ſuperadditionem materiæ ab extrinſeco additæ. *Tertia*, ut res augmentetur, & accreſcat ſubſtantialiter ſecundùm ſingulas ſuas partes.

Nota tertiò: in Augmentatione propria viventium plura intervenire: *Primò* fit quædam diſtenſio partium illius viventis, quod dicitur augmentari & creſcere, versùs omnem dimenſionem ejus; qualis fieret in re aliqua, quæ à lateribus omnibus traheretur; hic motus fit principaliter ab anima, & à potentia augmentativa; inſtrumentaliter verò à calore nativo. Hac diſtenſione dilatantur omnium partium pori, in quos venæ capillares deſinunt, per quarum oſtiola ſanguis exit ad eas partes reſtaurandas; unde caro recenter avulſa madet ſanguine plena in illis poris incluſô, & pori fiunt capaces majoris alimenti, quàm fuerit illud partium proximarum deperditum. *Secundò* poſt ejuſmodi diſtenſionem ſanguis ingreditur ex illis venis poros, ubi decoquitur. *Tertiò* fit converſio alimenti in ſubſtantiam aliti, quæ eſt nutritio. *Quartò* fit acquiſitio quantitatis partialis; & ultimò conſequitur illa extenſio ad majorem locum occupandum. 3. *Ejus motus varij.*

Dico primò: rectè deſcribitur Augmentatio propriè dicta, quòd *fit mutatio rei à minori ad majorem quantitatem, per intus-*

Digitized by Google

intusſuſceptionem vitaliter facta. Eſt ad principia Scoti *4. diſt. 44. q. 1.*

Probat. hæc deſcriptio aptè explicat naturam Augmentationis propriæ: Ergo &c. Ly *mutatio* eſt genus; reliqua ſubeunt locum differentiæ. Dicitur *mutatio rei à minori ad majorem quantitatem*, tum ut Augmentatio diſtinguatur ab aliis mutationibus, & motibus; tum ut exprimatur terminus hujus actionis à Quo, qui eſt minor quantitas præexiſtens in re, v.g. in homine; & terminus ad Quem, qui eſt major nova quantitas in eadem re, v.g. in homine aucto acquirenda. Additur *per intusſuſceptionem*, ut Augmentatio propria diſtinguatur ab impropria, ſeu in largiſſimo ſenſu ſumpta, ut ſuprà *not. 1.* Ly *vitaliter facta.* denotat Augmentationem hìc deſcriptam fieri per virtutem intrinſecam animalis aucti, quæ vitalis dicitur à vita, quâ animal gaudet.

4. *Fiunt Augmentationes.*

Dico ſecundò: fiunt frequentiſſimæ Augmentationes propriæ in viventibus. Ita Scotus *4. diſt. 44. q. 1.* & communis Scotiſt. ac Peripat.

Probat. tum experientiâ quotidianâ, quâ conſtat in infantibus peractâ nutritione fieri accretiones, & aggenerationes novarum partium ſubſtantialium, quibus ſuperaddita eſt nova quantitas partialis, reddens longiores, & latiores ad ſenſum: ſed hæc arguunt Augmentationem propriam: Ergo fiunt Augmentationes: tum authoritate Philoſophi, qui paſſim, & potiſſimè *in lib. de gen.* & ſignanter *lib. 4. de gen. animal. cap. 4.* Augmentationem propriam agnoſcit in viventibus: Ergo &c. Sed oritur difficultas inter DD. in quo conſiſtat formaliter iſta Augmentatio.

5. *Non conſiſtit Augmẽtatio in diſtenſione partium.*

Dico tertiò: Augmentatio propriè dicta non conſiſtit in diſtenſione partium, & pororum animalis augmentati, nec in ingreſſu alimenti ſeu ſanguinis in poros. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 44. q. 1.* & ſequitur Maſtr. Bellut. & alii Scotiſtæ; contra Tolet. Zabarel. Areſ.

Probatur prima pars: tum quia in certis morborum ſymptomatibus corpus animalis ægri intumeſcit, & patitur diſtenſionem partium, ac pororum; & tamen tunc nulla fit propria Augmentatio; quia ille tumor non eſt à principio naturali, & vitaliter factus; ſed eſt violentus: Ergo Augmentatio propriè dicta non conſiſtit formaliter in diſtenſione partium, & pororum animalis augmentati. Tum quia diſtenſio iſta terminatur ad locum, vel ad raritatem; Augmentatio autem terminatur ad quantitatem, ex Philoſopho *3. & 5. Phyſ.* Ergo &c. Tum quia extenſio iſta localis eſt effectus Augmentationis: Ergo in ea non conſiſtit formaliter Augmentatio.

6. *Nec in ingreſſu alimenti in poros.*

Probat. ſecunda pars: quando fit ingreſſus alimenti, ſeu ſanguinis in poros; vivens necdum cenſetur acquirere novã quantitatem, quæ ſit ipſius propria; alimentum enim ſeu ſanguis ille ingrediens necdùm eſt de ſubſtantia viventis, niſi in potentia; & poſtea primò convertitur in ſubſtantiam aliti in ultima concoctione, in ipſis partibus corporis facta: Ergo in tali ingreſſu alimenti, ſeu ſanguinis in poros nequit formaliter conſiſtere Augmentatio propriè dicta.

7. *Sed in acquiſitione novæ quantitatis majoris.*

Dico quartò: Augmentatio propriè dicta conſiſtit in acquiſitione partialis novæ quantitatis, quâ vivens propagatur de minori ad majorem quantitatem virtute caloris naturalis. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 44. q. 1.* & ſequuntur Scotiſtæ communiter; contra Jand. Zabarel. Areſ. &c.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui concluſionem ponit *2. de anima 47.* & *1. de gen. 31. & 41.* unde *5. Phyſic.* Augmentationem appellat motum ad quantitatem: Ergo &c. *Secundò* ratione; tum quia in nullo alio ſtatui poteſt formalitas Augmentationis propriè dictæ; ut patet ex refutatione ſententiarum oppoſitarum *priori concl.* Tum quia quantitas revera poteſt terminare per ſe motum viventis, quò augetur. Tum quia per hujuſmodi acquiſitionem quantitatis majoris Augmentatio ritè diſtinguitur ab aliis motibus, qui in hoc Tractatu attenduntur: Ergo per eandem etiam formaliter conſtituitur.

8. *Argumenta contraria reſolvuntur*

Objicies contra tertiam concluſionem *primò*: Philoſophus *1. de gen. 25.* extenſionem, ſeu diſtenſionem localem vocat accretionem; accretio autem eſt formaliter Augmentatio: Ergo Augmentatio eſt formaliter quædam diſtenſio localis. *Secundò* tunc planè cenſetur homo v.g. eſſe augmentatus, quando in eo facta eſt diſtenſio localis partium: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* gloſſando Philoſophum, & dico, eum ſolùm velle, quòd diſtenſio ſit quædam conditio Augmentationis, ſeu ejus effectus; non autem quòd ſit ejus formalitas, ſeu ratio for-

malis. *Ad Secundum* Neg. Conſequentiam: nam nos â poſteriori quidem arguimus hominem eſſe augmentatum, quando videmus ejus partes eſſe magis diſtenſas; ſed non propterea ſequitur, talem deſitionem eſſe rationem formalem ipſius Augmentationis; ſicut etſi ex riſibilitate arguamus hominis eſſentiam, ſcilicet rationalitatem; non tamen propterea riſibilitas eſt ipſa eſſentia ejus.

QUÆSTIO II.

De diſtinctione, ſucceſſione, & terminatione Augmentationis.

1. *Augmentatio diſtinguitur à nutritione.*

Dico primò: Augmentatio propriè dicta diſtinguitur realiter à nutritione. Ita Scotus *4. diſt. 44. q. 1.* & ſequuntur Fuente, Maſtr. Bellut. & alii Scotiſtæ; contra P. Fraſſen, Marſil. Saxon. Zabarel. Areſ. &c.

Probat. *primò* authoritate Philoſophi; qui *5. Phyſ. 18.* hunc motum ab aliis motibus lationis, alterationis, & Augmentationis diſtinguit. *Secundò* ratione; quando termini duorum motuum, ſeu actionũ ſunt diſtincti realiter, etiam ipſi motus, & actiones diſtinguuntur realiter: ſed termini Augmentationis propriè dictæ, & nutritionis diſtinguuntur realiter; nutritionis enim terminus eſt ſubſtantia aggenerata; Augmentationis verò terminus eſt quantitas partialis nova partibus aggeneratis ſuperaddita: Ergo hi duo motus Augmentatio, & nutritio diſtinguuntur realiter.

2. *Rationes oppoſitæ.*

Objicies *primò*: Philoſophus adverſatur concluſioni: Ergo &c. Probat. Ant. Philoſophus *1. de gen. 41.* dicit, *differunt nutrimentum, & Augmentatio ratione*; & addit, *nutrimentum Augmentationis idem quidem eſt*: Ergo &c. *Secundò*: ſimul in generatione producitur ſubſtantia aliqua nova, & ejus quantitas; quia eſt proprium ejus: Ergo ſubſtantia, & quantitas nõ ſunt duo termini duarum diſtinctarum realiter actionum nutritionis, & Augmentationis.

3. *Eluduntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad ejus Probat. interpretor Philoſophum, & dico, ipſum allegatis verbis duntaxat velle, quòd in nutritione, & Augmentatione, non aſſumatur alia & alia materia, ſeu cibus; ſed quòd idem omnino alimentum pro utraque actione inſerviat: dixit autem iſtas duas actiones *ratione differre*, non quòd ſint una res, & ſola ratione, ſeu intellectu præſcindente differentes; ſed quia ſunt duæ rationes diverſæ, ſeu formæ conjunctæ in eodem ſubjecto. *Ad Secundum* dico, quòd in generatione duæ diſtinctæ actiones concurrant, quarum una terminatur ad generandam ſubſtantiam, altera ad producendam quantitatem, quæ non eſt proprium ſubſtantiæ quartô modô ſumptum, ſed accidens realiter diſtinctum ab ea, uti oſtendi *tom. 1. Scholæ Philoſophicæ tract. 5. diſt. 5. q. 3.* Circa alterum articulum quæſtionis

4. *Augmentatio eſt motus continuus, & ſucceſſivus.*

Dico ſecundò: Augmentatio eſt motus continuus, & ſucceſſivus. Ita Scotus *4. diſt. 44. q. 1.* & ſequitur communis Scotiſtarum, ac Thomiſt. contra Roccum, Avetoiſtas, Arriag. Hurtad. &c.

Probat. *primò* authoritate Philoſophi; qui Augmentationem recenſet inter motus ſucceſſivos: Ergo &c. *Secundò*, Augmentatio fit in tempore continuo, & ſucceſſivo, eôque menſuratur; eſt enim motus acquiſitivus majoris quantitatis in ſubjecto quanto, ex nutritione continua, & ſucceſſiva ptoveniens: Ergo Augmentatio eſt motus continuus, & ſucceſſivus. Conſequentia tenet; quia quod menſuratur tempore continuô, & ſucceſſivô, eſt continuum, & ſucceſſivum; tempus enim menſurans eſt numerus motûs ſecundùm prius & poſterius, juxta Philoſophum *4. Phyſic. tex. 100.* Ergo &c.

5. *Philoſophus reconciliatur.*

Objicies: Philoſophus adverſatur concluſioni: Ergo &c. Probat. Ant. Philoſophus *8. Phyſic. tex. 23.* negat continuitatem in Augmentatione & Diminutione dicens; *neque enim augeri, neque minui poſſibile eſt continuè*: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. & ad ejus Probat. expono Philoſophum, & dico, illum citatis verbis ſolùm negare continuitatem in Augmentatione in ſenſu antiquorum, quatenus idẽ ſonat, quod æternitas; quia revera nulla Augmentatio eſt æterna; non verò negavit continuatam in ea, ut contra diſtinguitur â diſcretione; nam alibi tenet cum tota ſua Schola Peripatetica omnes motus, & conſequenter etiam Augmentationem, & Diminutionem eſſe continuos motus; ut patet *3. Phyſic. tex. 1. & 2.* & *5. Phyſic. tex. 39.* non quòd hi motus aliquando ceſſare non poſſint; ſed dum fiunt, habent eſſe in tempore continuo. Circa 3. artic.

Dico tertiò: in animalibus perfectis non durat Augmentatio toto tempore vitæ eorum. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 9.* & ſequuntur Scotiſtæ.

Pro-

6. *Augmentatio non durat ſemper in animalibus perfectis.* Probat. *primò* authoritate Philoſophi, qui concluſionē aſſerit *1. Phyſ. 23.* Ergo &c. *Secundò* experientiâ Anatomicorum; qui triplex adverterunt tempus in animalibus perfectis, & in duplici poſteriori ajunt non fieri ampliùs Augmentationem eorum: *Primum* vocant propriè tempus augmenti; & dicunt illud durare uſq; ad vigeſimum primum, vel vigeſimum tertium annum ætatis in homine, quo tempore potentia nutritiva plus de alimento convertit in ſubſtantiam aliti, quàm amittat. *Secundum* vocant tempus ſtatûs, ſeu conſiſtentiæ; & durat uſq; ad trigeſimum quintum, vel quadrageſimum annum ætatis in homine: quo tempore homo nec augetur, nec minuitur notabiliter. *Tertium* vocant tempus decrementi, & conſtat ex reſiduo fluxu annorum uſque ad mortem; quo tempore minùs de ſubſtantia alimenti convertitur in ſubſtantiam aliti, quàm amittatur de priori ſubſtantia actione caloris naturalis. Cauſa hujus varietatis à Medicis communiter refunditur in calorem naturalem; hic enim in prima ætate uſq; ad vigeſimum primum, vel vigeſimum tertium annum eſt robuſtior, & propterea plus alimenti convertit, quàm pereat in animali; ſicque augetur animal: in ſecunda ætate uſque ad annum trigeſimum quintum, vel quadrageſimum remittitur, ita ut tantundem ſubſtantiæ novæ acquiratur, quantùm deperditur, ſicque fit ſtatus conſiſtentiæ animalis: in reliquo ſpacio vitæ ita remittitur, ut non poſſit tantùm nutritione reſtaurare, quantùm de propria ſubſtantia deperditur; & propterea ſubſtantia animalis diminuitur.

QUÆSTIO III.

De diminutione, & interitu viventium.

1. *Diminutio deſcribitur.* Dico primò: bene deſcribitur diminutio, ut opponitur Augmentationi propriè dictæ, quòd *ſit mutatio deperditiva partialis quantitatis, facta ob caloris naturalis actionem, corrumpentis aliquam portionem ſubſtantiæ viventis.* Eſt ad principia Scoti *4. diſt. 44. q. 1.*

Probatur: hac deſcriptione bene exprimitur natura diminutionis, ut hæc opponitur Augmentationi propriè dictæ: Ergo &c. Ly *mutatio* eſt genus; reliqua

formant differentiam. Dicitur *mutatio deperditiva*, ad oſtendendum diminutionem non eſſe motum poſitivum; ſed privativum, terminatum ad non eſſe alicujus quantitatis præhabitæ. Dicitur *partialis quantitatis*, ut oſtendatur, cujus rei ſit privativus, & deperditivus iſte motus diminutionis, ſcilicet quantitatis partialis, quâ privat vivens. Apponitur *facta ob caloris naturalis actionem*, ut inſinuetur cauſa effectiva diminutionis, quæ eſt calor naturalis, vel exuberans, & depaſcens aliquam portionem ſubſtantiæ præexiſtentis in animali; vel nimium remiſſus, ita ut ampliùs alimenta aſſumpta convertere nequeat in ſubſtantiam aliti. Ly *corrumpentis aliquam portionem ſubſtantiæ viventis*, monſtrat materiam, circa quam verſatur actio caloris naturalis corrumpentis, ſcilicet ſubſtantiam præexiſtentem animalis, quam deſtruit calor naturalis improportionatus, & ſic ſucceſſivè in animali etiam inducit diminutionem ſeu ablationem quantitatis majoris in illa ſubſtantia exiſtentis.

Ex dictis infertur *primò*: diminutionem formaliter ſpectatam non eſſe de genere motuum poſitivorum; ſed privativorum; utì docet Scotus *diſt. 10. q. 2.* Ratio patet ex dictis; quia diminutio tendit ad non eſſe alicujus quantitatis præhabitæ; adeoque pro termino habet privationem: Ergo eſt motus privativus. Ut autem magis percipiatur natura diminutionis, & qua ratione tandem contingat in viventibus interitus, & mors. 2. *Eſt quid privativum.*

Nota primò: ſecundum Scotum *2. diſt. 19.* mortem eſſe duplicem; violentam, & naturalem. *Mors violenta* cauſatur ab extrinſeca aliqua cauſa, & hoc variè: puta vel propter diſpoſitionem pravam continentis, ſi ſcilicet continens corrumpat contentum; exempligratiâ, ſi aër noxius & peſtilens corrumpat hominem. Vel propter magnam vim extrinſecam illatam, qua ratione morbi periculoſi, influentiæ pernicioſæ cælorum & aſtrorum, gladius, ſagitta, globus &c. enecant vivens. Vel ob alias cauſas necem viventi machinantes. *Mors naturalis* cauſatur propter luctam, & conflictum primarum qualitatum & præſertim caloris naturalis, atque humidi radicalis, quæ dum mutuis actionibus exceſſivè ſeſe impetant, tandem vivens interit, & moritur. Circa quod 3. *Mors violenta, & naturalis.*

Nota ſecundò: homini (idem eſt de

aliis

4. *Quomodo contingat mors naturalis.* alijs viventibus) ab authore naturæ, & genitoribus implantatum eſſe calorem naturalem, ut ſuprà *diſt. 3. q. 1. not. 3.* oſtendi, hic dum extinguitur, vivens interit, & ſubit mortem; unde mortem appellavit Philoſophus *lib. de juvent. & ſenect.* extinctionem caloris. Similiter eidem implantatum eſt humidum radicale, quò calor ille naturalis fovetur; hoc dum deſiccatur, & abſorbetur, vel dum nimiùm abundat, fit pariter interitus, & mors viventis; quare Medici communiter mortem appellant exſiccationem, aut redundantiam humidi radicalis, ſeu ſubſtantialis. Eſt autem Humidum radicale & ſubſtantiale non humor quidam ſimpliciter labilis, veluti eſt aqua, uti quidam arbitrantur; ſed eſt ſubſtantia quædam pinguior, congenita homini, bene cohærens, qualis eſt Subſtantia ſanguineorum. In hac ſubſtantia unctuoſa calor naturalis fovetur, ſemper aliquas partes ſubtiliſando, & depaſcendo, veluti flamma fovetur, & alitur in oleo: quando autem præfata ſubſtantia poſt longas actiones caloris naturalis nimiùm terreſtrificatur, & tandem deficcatur evaneſcente ejus unctuoſitate, ſicque abſorbetur, ejus defectu pariter evaneſcit calor naturalis, & moritur homo. Quandoque verò calor naturalis eſt valde modicus, & humidum radicale ſuperabundans; unde tandem poſt multas actiones caloris in illud ſuffocatur ab eo, & pariter tunc contingit interitus, & mors hominis. Ex his

5. *Omne vivens continet principium ſui corruptionis.* Dico ſecundò: quodvis vivens concludere in ſe principium intrinſecum ſui interitûs, & corruptionis; unde non tantùm ab extrinſeco aliquo eſt corruptibile. Ita Scotus *2. diſt. 15. q. un.* Et ſequitur communis Scotiſt. contra Valeſ. Hurtad. Garciam &c.

Probat. Tum quia quodvis vivens v. g. homo concludit in ſe intrinſecum calorem naturalem, qui continuâ actione agit in humidum radicale, aliquas ejus portiones ſubtiliſando, & depaſcendo, quouſq; tandem ejuſmodi humidum terreſtrificetur, & abſorbeatur, ſicque corrumpatur homo: Ergo quodvis vivens concludit in ſe principium intrinſecum ſui interitûs, & corruptionis. Tum quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, ſi DEUS ſuſpenderet omnem actionem principiorum extrinſecorum de facto agentiũ in hominem v. g. elementorum, & aliarũ cauſarũ ſecundarũ, quod tunc homo perpetuò naturaliter duraret ſine alimento: quia alimenta aſſumuntur ideo in homine juxta Hurt. ut reparetur amiſſio humidi radicalis ab extrinſeco cauſata; quæ ratio ceſſaret in caſu: ſed hæc ſequela eſt contra rationem animæ vegetantis: & quia homo perſeverante ſtatu innocentiæ, in quo fuiſſet immunis ab omni actione impetitiva contrariorum extrinſecorum, adhuc egeret alimentô, & nutritione: Ergo reverà quodvis vivens habet in ſe intrinſecè principium ſui corruptivum.

Objicies *primò*: calor naturalis nunquam eſt cauſa corruptionis illi mixto, cui inſidet: Ergo vivens hunc non includit tanquam intrinſecum principium interitûs cujuſvis viventis. Probat. Ant. calor non corrumpit mixtum, niſi intendatur ab extrinſeco: Ergo &c. *Secundo*: partes, quas Author naturæ attribuit viventibus, ad eorundem conſervationem, non attribuit ad deſtructionem illius: Ergo calor naturalis, qui eſt quoque pars viventis non eſt intrinſecum principium interitûs viventium. *Tertiò*: ex concluſione ſequeretur, viventia calidioris corporis citiùs interire, quàm viventia frigidioris corporis; cujus tamen contrarium cernitur experientiâ, quâ videmus homines calidiora corpora habentes, eſſe longè firmiores, & vegetiores: Ergo &c. 6. *Varia objectiones afferuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Ant. calor naturalis nunquam eſt cauſa per ſe corruptionis mixti Conc. Ant. per accidens Neg. Ant. Itaque calor nativus non intendit per ſe directè deſtruere vivens mixtum, cui inſidet; imò illud intendit conſervare vivum: ſed quia quandoque deficit humidum radicale ex longa actione talis caloris naturalis in ipſum, ideo ſequitur per accidens corruptio talis viventis mixti: ſicut ſpiritus copioſè accurrentes ad partem aliquam hominis vulnerati reſocillandum, cauſant per accidens mortem ejus, ex eo, quòd ſubſequatur inflammatio talis partis læſæ, ob ſpirituum copiam. *Ad Secundum* eſt eadem reſponſio; quòd calor, etſi ſit pars viventium, ab Authore naturæ attributa viventi pro conſervatione ejus, ſit tamen per accidens etiam ejus corruptivus. *Ad Tertium* Neg. ſequela Maj. quia licèt viventia calidioris corporis concludant in ſe plus caloris naturalis, qui per accidens eſt corruptivus viventis; ſimul tamen etiam includunt magnam copiam humidi radicalis; uti cernitur in ſanguineis, quæ diu reſiſtit acti- 7. *Et reſolvuntur.*

activitati caloris naturalis: vel certè continent ſiccitatem quamdam igneam, uti fit in Colericis, quæ non facilè fluit: & tandem talia viventia ob caloris abundantiam, plus alimenti appetunt, aſſumunt, & convertunt in ſubſtantiam aliti; ſicque reſtauratur diu corpus in partibus læſis â calore naturali.

8. *Omne vivens debet mori aliquando.* Ex dictis infertur *ſecundò*: quodvis vivens ſubire neceſſitatem moriendi aliquando. Ratio eſt primò: quia quodvis vivens includit intrinſecè principium ſui interitûs, ſcilicet calorem naturalem, qui continuò agit in humidum, & illud depaſcit; ſicque cauſat mortem animalis. Vel ipſe calor continuò agendo in alimentum debilitatur (*agens enim in agendo repatitur*, ut pro maxima effatur Scotus *2. diſt. 19. q. un.*) ita ut illud perfectè convertere nequeat in ſubſtantiam perfecti viventis; unde ſucceſſivè vivens magis magiſque debilitatur, ſeneſcit, & neceſſitatem moriendi attingit.

DISTINCTIO V.
DE ALTERATIONE.

Prænotatio.

Quoniam inter mutationes phyſicas, quæ ſub conſideratione hujus Tractatûs cadunt, eſt pariter Alteratio; ideo placet ejus naturam, & proprietates hìc indagare. Unde eſto

QUÆSTIO I.
De quidditate, exiſtentia, diviſione, diſtinctione & ſucceſſione Alterationis.

1. *Alterationis definitio â Philoſopho data.* Nota primò: Philoſophus *1. de Gener. cap. 4.* definit Alterationem, quòd *ſit motus ad qualitates contrarias, aut medias eôdem ſubjectô ſenſibili remanente.* Per *qualitates contrarias* intelligit illas ſenſibiles, quæ dicunt extremam oppoſitionem inter ſe; cujuſmodi ſunt calor & frigus; humiditas & ſiccitas. Per *qualitates medias* intelligit illas, quæ ſibi extremè non opponuntur, tales ſunt albedo, & flavedo. Per *ſubjectum ſenſibile remanens* intelligit corpus naturale, quod eſt ſubjectum accidentium. Sed clariorem infrà afferam deſcriptionem Alterationis, pro cujus intellectu

2. *Varia ejus uſurpatio.* Nota ſecundò: hoc nomen Alterationis multipliciter uſurpari poſſe. *Primò* uſurpatur pro mutatione quacunque, per quam ſubjectum ſenſibile fit alterum ab eo, quod fuit antè: in hac uſurpatione comprehendit omnem mutationem ſubjecti ad formam accidentalem, & ſubſtantialem; & de Alteratione in hac acceptione procedunt dicta Philoſophi *lib. 2. de gener. & corrupt. tex. 1.* *Secundò* accipitur pro mutatione, quâ acquiritur qualitas aliqua, quæcunque illa ſit, ſive corporalis, ſive ſpiritualis. Et de hac procedunt dicta Philoſophi *3. Phyſ. ſum. 2.* & *5. Phyſ. â tex. 18. uſque ad finem capitis.* & *7. Phyſ.* ubi loquitur de qualitatibus inferentibus paſſionem in ſenſibus *tex. 14.* & ſequentibus. *Tertiò* capitur pro mutatione, quâ acquiritur qualitas corporalis tantùm. *Quartò*: tandem uſurpatur pro mutatione ad qualitatem corporalem ſenſibilem, quæ habet contrarium extremum expellendum ab eodem ſubjecto, vel medium. Et de Alteratione in iſta uſurpatione propriiſſimè procedit præſens quæſtio.

Dico primò: ritè deſcribitur Alteratio propriiſſimè dicta, quòd *ſit mutatio ab una qualitate ſenſibili contraria extrema, vel media ad aliam contrariam extremam, vel mediam.* Eſt ad principia Philoſophi *1. de gen. cap. 4.* & Scoti ibidem. 3. *Author eam deſcribit.*

Probat. hæc deſcriptio efformata eſt juxta leges bonæ deſcriptionis: Ergo &c. Ly *mutatio* ponitur locô generis; reliqua locô differentiæ. Dicitur *mutatio ab una qualitate ſenſibili*, ut exprimatur ordo, quô fit Alteratio; & terminus ejus â quo, qui eſt qualitas ſenſibilis: differt etiam Alteratio propriè dicta & hìc deſcripta per ly

qualitate ſenſibili ab Alterationibus impropriis, in prima & ſecunda uſurpatione *priori notab.* relatis; cujuſmodi ſunt Alteratio ad qualitatem ſpiritualem, v. g. intellectionem, ſpeciem intelligibilem &c. Dicitur *contraria extrema* ad excluſionem illuminationis, quæ fit mediante lumine; quia lumen licèt ſit qualitas ſenſibilis, non tamen eſt contraria extrema qualitas. Additur *vel media*, quia ſubjectum aliquando alteratur, licèt non tranſeat ab una qualitate contraria extrema ad aliam contrariam extremam; ſed tantùm ad mediam v. g. ab albedine ad flavedinem. Additur ly *ad aliam contrariam extremam, vel mediam* ut explicetur terminus ad Quem Alteratio tendit, qui eſt nova qualitas contraria extrema, vel media in ſubjecto inducenda.

Dico ſecundò: fiunt frequentiſſimæ
4. *Dantur Alterationes.* Alterationes in hoc Univerſo. Ita communis Philoſophorum Peripatet.

Probat. fiunt frequentiſſimæ generationes: ſed ad has neceſſariæ ſunt præviæ Alterationes, tanquam quædam diſpoſitiones pro tali determinata forma ſubſtantiali inducenda: Ergo fiunt frequentiſſimæ Alterationes in hoc Univerſo. Præterea experientiâ conſtat, corpus humanum ſæpiſſimè tranſire de calore ad frigus; & ècontra: item parietatem de albo ad nigrum: ſed hoc fit mediantibus Alterationibus: Ergo &c. Circa diviſionem Alterationis

5. *Diviſiones Alterationis variæ.* Nota tertiò: Alterationem *primò* variè poſſe dividi juxta varios terminos, ſeu qualitates, â quibus ſpecificatur. *Secundò* communiter dividitur in intenſivam, & extenſivam. *Alteratio intenſiva* eſt acquiſitio majoris perfectionis qualitatis in eadem parte ſubjecti: talis habetur in manu, quando ejus calor ut unum intenditur ut quatuor ab igne applicato. *Alteratio extenſiva* (quæ & *qualitativa* vocatur) eſt acquiſitio qualitatis in aliis & aliis ſubjecti partibus. Alteratio intenſiva ſubdividitur in abſolutam, & comparatam. *Alteratio intenſiva abſoluta* eſt acquiſitio qualitatis ſimpliciter novæ, v. g. cùm corpus de calido fit frigidum; & ex inſipido ſapidum; ex inodorifero odoriferum; aut ècontra. *Alteratio intenſiva comparata* eſt, acquiſitio qualitatis ſecundùm quid novæ, vel ſecundùm plures gradus, vel pauciores comparatione factâ ad aliam qualitatem majoris, vel minoris perfectionis; v. g. quando manus aliquando ex minùs calida, fit magìs calida; vel dum acquirit octo gradus caloris, quos non habuit antè.

Nota quartò: utraque Alteratio ulteriùs partitur in corruptivam, & diſpoſitivam. *Alteratio corruptiva*, quæ & *deperditiva* vocatur, eſt quæ terminatur ad qualitates contrarias, & ad invicem pugnantes in eodem ſubjecto, quarum dum una acquiritur, altera deſtruitur, ſeu corrumpitur. *Alteratio diſpoſitiva*, quæ & *acquiſitiva* dicitur, eſt quâ ſubjectum determinatur per actionem agentis mediis qualitatibus contrariis ad recipiendam magìs unam formam, quàm alteram ſubſtantialem; cùm aliàs ejuſmodi ſubjectum ſit ad alterutram indifferens; talis habetur, quando per calorem, & ſiccitatem ignis diſponitur materia ligni magìs ad ſuſcipiendam in ſe formam ignis; quàm ad retinendam formam ligni. Circa diſtinctionem Alterationis

Dico tertiò: Alteratio diſtinguitur
realiter â Generatione. Ita Scotus *4. diſt.* 6. *Alteratio differt à generatione.*
11. q. 1. & ſequuntur Scotiſtæ, contra Thomiſtas.

Probat. primò authoritate Philoſophi; qui concluſionem tenet *1. de gen. cap. 4. ſum. 1. tex. 23. & 24.* & *5. Phyſic. tex. 7. 9. & 10.* inter ſpecies mutationis tanquam diſtinctam â generatione affert etiam Alterationem: Ergo &c.

Probat. ſecundò ratione: termini Alterationis, & generationis ſunt realiter diſtincti: Ergo & ipſa Alteratio, & generatio ſunt diſtinctæ realiter mutationes. Conſequentia tenet; quia motus, & mutationes ſpecificantur, & conſequenter diſtinguuntur â terminis, ex Philoſopho *5. Phyſic. tex. 7.* Probat. Ant. terminus Generationis ſubſtantialis eſt forma ſubſtantialis; terminus verò Alterationis eſt aliqua qualitas vel contraria, vel media ſecundùm Philoſophum hìc *tex. 24.* ſed forma ſubſtantialis, & qualitas ſunt termini realiter diſtincti: Ergo &c. Præterea Alteratio, & Generatio habent definitiones eſſentiales diſtinctas, ut videre eſt apud Philoſophum *1. de gen. & corrupt. tex. 23.* & quia Alteratio eſt mutatio ſubjecti ejuſdem ſenſibiliter manentis de una qualitate contraria in aliam; Generatio verò eſt mutatio totius ſubjecti categorematicè ſumpti in aliud categorematicè ſumptum, non manente aliquô ſenſibili ut ſubjectô eôdem (hoc eſt accidente aliquo, quod idem numerô maneret ſub genito, & corrupto)

rupto) Ergo diſtinguntur realiter. Circa ultimum articulum quæſtionis.

7. *Alteratio eſt motus continuus, & ſucceſſivus.* Dico quartò: Alteratio propriè dicta eſt quidam motus continuus, & ſucceſſivus. Ita Scotus *2. diſt. 2. q. 2.* & ſequuntur Monturſ. Faber, Fuente, & communis Scotiſtarum; quos imitantur Thomiſtæ cum ſuo Principe, contra Capreol. Javel. Ferrari. Arriag. &c.

Probat. *primo* authoritate Philoſophi: qui *5. Phyſic. tex. 7. & 9.* concluſionem aſſerit: Ergo &c. *Secundo* ratione decerptâ ex Philoſopho: Alteratio eſt verus motus phyſicus ex *3. 5. & 7. Phyſic.* ſed omnis motus phyſicus quà talis eſt ex ratione ſua continuus, & ſucceſſivus: Ergo Alteratio propriè dicta eſt quidam motus continuus, & ſucceſſivus. Probat. Min. omnis motus eſt ſpecies quantitatis continuæ, & ſucceſſivæ; uti patet ex diviſione quantitatis tradita â Philoſopho in præd. *cap. de quanto*: Ergo omnis motus phyſicus quà talis eſt ex ratione ſua continuus, & ſucceſſivus.

Probatur deinde ſpecialiter *ſucceſſio* Alterationis: tunc motus aliquis eſt ſucceſſivus, quando in paſſo invenitur reſiſtentia; ut habet Philoſophus *4. Phyſic. tex. 71.* ſed regulariter cauſa alterans invenit reſiſtentiam in paſſo, nè ſibi congenitam qualitatem in illud introducat: Ergo Alteratio eſt motus ſucceſſivus.

Probatur etiam ſpecialiter *continuitas* Alterationis: nequeunt aſſignari ullæ morulæ temporaneæ intercipientes continuitatem motûs Alterationis: Ergo Alteratio eſt motus continuus. Probat. Ant. morulæ intercipientes nec ratione, nec experientiâ oſtendi poſſunt: Ergo &c. Probat. non ratione; quia ſi intercederent aliquæ morulæ tales, ſequeretur agens debitè applicatum paſſo aliquo tempore nil in eo operari: hoc autem eſt falſum: Ergo &c. Nec etiam experientiâ; quia contrarium patet clarè per experientiam; manus enim igni applicata continuè, & non interruptè calefit: Ergo &c.

8. *Philoſophus exponitur.* Objicies: Philoſophus contrariatur concluſioni: Ergo &c. Probat. Ant. Philoſophus *8. Phyſic.* negat, quòd Alteratio fiat continuè: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. ad ejus Probat. expono Philoſophû, & dico ipſum ly *continuè* ſumere pro ly *perenniter*; ibi enim arguit contra Heraclitum docentem, omnia eſſe in continuo & perenni fluxu, quod eſt falſum. Itaq; vult, quòd Alteratio non fluat, & duret perenniter: cum quo ſtat, quòd dum fit, continuè, ſeu non interruptè fiat; ſic manus alteratur continuè, & non interruptè, quàm diu alteratur.

QUÆSTIO II.

An, & qua ratione in Alteratione fiat intenſio, & remiſſio qualitatis.

1. *Qualitas poteſt per Alterationem intendi & remitti.* Dico primò: qualitas per Alterationem poteſt intendi, & remitti. Ita Scotus *8. Met. q. 84.* & ſequuntur Scholaſtici communiter.

Probatur prima pars primò authoritate; tum Philoſophi, qui *lib. de prædic. cap. de qualitate* docet eſſe proprium qualitatis ſuſcipere magis, & minus: poſſe autem ſuſcipere magis, & minùs eſt poſſe intendi, & remitti: Ergo qualitas per Alterationem poteſt intendi, & remitti. Tum authoritate D. Auguſtini, qui eandem doctrinam de intenſibilitate, & remiſſibilitate qualitatis tradit *ad Boniſacium*. Et patet pariter ex illo ad Philippenſes 1. *Oro ut charitas veſtra magis & magis abundet*: Ergo &c.

Probat. ſecundò experientiâ: nam intuemur oculis noſtris aërem eſſe quandoque lucidiorem; palpamus manibus noſtris nivem eſſe frigidiorem; percipimus auribus aliquos concentus eſſe ſuaviores; advertimus homines hos eſſe illis doctiores; quod intenſionem in qualitate indicat: Ergo &c.

Probatur ſecunda pars concluſionis: in Alteratione qualitas aliqua poteſt intendi: Ergo etiam poterit remitti. Conſequentia tenet â pari: & quia oppoſitorum eadem eſt ratio. Præterea experientiâ conſtat, manus frigidas ut quatuor, poſſe fieri frigidas ut duo: Ergo &c. Circa ſecundum articulum quæſtionis.

2. *Hujuſmodi intenſio non fit per majorem radicationem* Dico ſecundò: intenſio qualitatis, facta in Alteratione, non fit per majorem radicationem ejuſdem qualitatis in ſubjecto. Ita Scotus *1. diſt. 17. q. 3.* & ſequuntur communiter Scotiſtæ Columb. Fraſſen, Maſtr. Fuente, &c. contra Thomiſtas.

Probatur primò: major vel minor radicatio in ſubjecto eſt impertinens ad intenſionem qualitatis: Ergo per eam non fit. Prob. Ant. rubor ortus ex verecundia eſt intenſior, quàm rubor cauſatus â natura,

tura, cujuſmodi eſt in homine ſanguineo; tametſi iſte ſit magis radicatus in ſubjecto, quàm ille: Ergo major, vel minor radicatio in ſubjecto eſt impertinens ad intenſionem qualitatis.

Probatur ſecundò: omnes modi Thomiſtici, quibus conantur explicare, & perſuadere iſtam majorem radicationem, patiuntur ſuos manes, & deficiunt, ut patebit mox, quando ſingulos impugnabo: Ergo malè aſſignatur pro intenſione qualitatis facta in Alteratione aliqua major radicatio ejuſdem qualitatis in ſubjecto.

Dico tertiò: intenſio qualitatis facta in Alteratione non fit propter radicationem majorem, explicatam per acquiſitionem novæ exiſtentiæ perfectioris, quàm fuerat prior. Ita colligitur ex Scoto *1. diſt. 17. q. 3.* & *8. Met. q. 3.* & ſequuntur Scotiſtæ univerſi; contra Capreol. Ægid. Aſtud. Vaſq. &c.

3. *Sive ea ſit acquiſitiva novæ exiſtentiæ perfectioris.*

Probatur *primò*: modus explicandi majorem radicationem qualitatis, & conſequenter intenſionem qualitatis per acquiſitionem novæ exiſtentiæ perfectioris nititur falsò fundamentò de diſtinctione reali eſſentiæ ab exiſtentia: Ergo non fit intenſio qualitatis per acquiſitionem novæ exiſtentiæ perfectioris. *Secundò* exiſtentia pullulat ab eſſentia, ut oſtendetur in Metaphyſica: Ergo cùm in intenſione qualitatis non varietur eſſentia, neque variabitur exiſtentia; & conſequenter qualitas tunc non accipit perfectiorem exiſtentiam; ſicque in ea non conſiſtit major ejus radicatio, nec conſequenter intenſio. *Tertiò*, exiſtentia convenit rei illico ac producitur res; non fit autem intenſio: Ergo ab exiſtentia tali malè petitur intenſio qualitatis.

4. *Sive dicas novam perfectiorem unionem, eductionem, vel actuationem.*

Dico quartò: ſimiliter intenſio qualitatis non fit propter radicationem majorem per novum perfectiorem modum unionis, vel eductionis, vel actuationis explicatam. Ita colligitur ex eodem Doct. *locò* mox *citatò*. Et ſequuntur Scotiſtæ; contra Salaſ. Cajetan. Zuard. & alios Thomiſt.

Probat. iſte pariter modus Thomiſticus explicandi majorem radicationem qualitatis, & conſequenter intenſionem ejus, deficit; nam omnis forma qualitatis ſtatim ac advenit ſubjecto, ei unitur ſecundùm omnes ſuas partes, non remiſsè; ſed ita, ut magis ipſi uniri nequeat; ſimiliter ita educitur de potentia ſubjecti, ut tota educatur; & tandem ita actuat ſubjectum, ut illud ampliùs actuare nequeat: Ergo intenſio qualitatis non fit per novũ perfectiorem modum unionis, vel eductionis, vel actuationis. Ant. patet, quia nulla eſt ratio denegandi, formæ qualitatis perfectam, & totalem unionem cum ſubjecto, eductionem atque actuationem ſtatim, ac in Alteratione producitur, & inducitur in ſubjectum; cùm aliæ formæ v. g. quantitatis, animæ, & ſimiles ſtatim in prima ſui unione, eductione, & actuatione uniantur, educantur, & actuent non remiſsè; ſed perfectè, & totaliter: Ergo &c.

Dico quintò: nec intenſio qualitatis in ſubjecto alterato fit per remotionem contrariæ qualitatis, ſeu per receſſum à privatione. Colligitur ex eodem Scoto *loc. cit.* & tenent Scotiſtæ communiter; contra Platonicos, Simplic. Ammon. & Ægid. 5. *Similiter intenſio iſta non fit per remotionem contrariæ qualitatis.*

Probatur: dantur aliquæ qualitates, quæ non habent contrarium, & in his fieri poteſt intenſio, & remiſſio; ut patet de *habitu*, qui conſtituit unum ex decem prædicamentis, qui ſuſcipit magis, & minùs; nam eques eſt armatior pedite; & tamen non habet contrariũ, quod removeretur, & à quo recederetur: Item lux in aëre intenditur nullâ contrarietate interveniente, ratione cujus fieret receſſus à privatione: Item ſpecies intentionales poſſunt intendi, quæ nullum habent contrarium. Et tandem etiam habitus ſupernaturales intenduntur, ut charitas in Beatis, in quibus nullum extat contrarium, à quo foret recedendum: Ergo intenſio qualitatis in ſubjecto alterato non fit per remotionem contrariæ qualitatis, ſeu per receſſum à privatione.

Dico ſextò: neque intenſio qualitatis fit propter majorem radicationem explanatam per majorem diſpoſitionem ſubjecti. Ita colligitur ex Scoto *cit. loc.* & tenent Scotiſtæ; contra quoſdam Thomiſtas.

Probatur ex oppoſita ſententia ſequeretur, etiam animam rationalem poſſe intendi; nam ideo ſecundùm hanc opinionem qualitas aliqua: v. g. calor intenditur, quia in ſubjecto magis diſpoſito agit perfectiùs: at anima rationalis etiam in ſubjecto magis diſpoſito, v. g. in organo viſûs magis diſpoſito, perfectiùs operatur; quàm in alio ſubjecto minùs diſpoſito, v. g. in organo auditûs aliqualiter deſtructi: ſed ſequela eſt falſa: Ergo intenſio 6. *Nec per diſpoſitionem majorem ſubjecti.*

quali-

Digitized by Google

qualitatis non fit per majorem diſpoſitionem ſubjecti explicantem illam majorem radicationem qualitatis.

7\. *Nec etiam per deſtructionem totalem prioris qualitatis, & productionem perfectioris.*

Dico ſeptimò: neque tandem intenſio qualitatis fit per deſtructionem totalem entitatis prioris qualitatis; & productionem perfectioris. Ita colligitur ex Scoto *loc. cit.* & ſequuntur Scotiſtæ; contra Dur. Gotfred. Burl.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi, qui *1. de gen. tex. 31.* dicit, quòd augmentum fit præexiſtenti magnitudini additamentum: Ergo dum fit augmentum, ſeu intenſio in qualitate aliqua, fit additamentum ad præexiſtentem ejus entitatem; ſicque intenſio qualitatis non fit per deſtructionem totalem entitatis prioris qualitatis. *Secundò*, qualitates ſpirituales non intenduntur per deſtructionem totalem entitatis præexiſtentis; ut patet de charitate, quæ in ſui augmentatione, & intenſione non deſtruitur; ſed ejus entitas præcedens tantùm perficitur per additionem novorum graduum; uti claret ex illis D. Auguſtini *ad Bonifacium* verbis, *charitas meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici*: Ergo idem dicendum de qualitatibus materialibus. *Tertiò*, eôdem modô eſt philoſophandum de remiſſione qualitatis, ac de ejus intenſione: ſed in remiſſione non fit totalis deſtructio præexiſtentis entitatis; nec productio novæ: Ergo &c. Probat. Min. illa productio novæ remiſſæ entitatis nequit fieri ab ulla causâ: Ergo &c. Prob. Ant. non à calore; quia calor non eſt per ſe productivus frigoris, quod reperitur in remiſſa qualitate: non ab agente univerſali; quia ad tale abſque gravi neceſſitate non eſt recurrendum, maximè ubi ſenſus, & experientia contrarium docent; uti in propoſito fit, ubi cernimus aquam ebullientem ſenſim remitti, & ſentimus manu ejus calorem imminui abſque ulla causâ interveniente productiva novæ remiſſæ entitatis: Ergo iſta productio novæ entitatis nequit fieri ab ulla causâ.

Ex hactenus concluſis apparet, quid ſit dicendum de remiſſione qualitatis, quòd ſcilicet non contingat per minorem radicationem ejuſdem qualitatis in ſubjecto, explicatæ vel per privationem, vel perfectioris exiſtentiæ, vel perfectioris eductionis, & unionis, vel actuationis majoris, vel per minorem diſpoſitionem ſubjecti; nam cùm intenſio qualitatis non fiat oppoſitô modô; neque remiſſio ejus concedenda eſt ſic fieri.

8\. *Sed per additionem novi gradûs qualitatis ad priores.*

Dico octavò: itaque intenſio qualitatis in ſubjecto alterato fit per additamentum gradûs novi qualitatis ad gradus priores in eadem parte ſubjecti; & remiſſio fit per deperditionem alicujus gradûs præexiſtentis. Ita Scotus *1. diſt. 17. q. 3.* Et ſequuntur Scotiſtæ; ac S. Bonaventura, Alenſ. Occam, Ric. & ex RR. Ruv. Vaſq. Fonſec. Averſa &c.

Probatur prima pars primò authoritate Philoſophi; qui *4. Phyſic. 85.* & *1. de gen. 31.* docet, augmentum fieri ex additione novæ entitatis: ſed in intenſione qualitatis cernitur quoddam augmentum: Ergo illud fit per additionem novæ entitatis, ſeu gradûs qualitatis ad priorem entitatem, ſeu gradus qualitatis.

Probatur ſecundò variis experientiis; quibus cernimus res augeri per acceſſum novæ entitatis, & gradus ad priores; ſic lumen intenditur per additionem gradûs novi luminis; ſic quantitas augetur, & creſcit per additionem novæ quantitatis ad priorem; ſic aqua aliqua, v.g. Danubius augetur per additionem novarum aquarum eò influentium; ſic etiam gratia in homine merente augetur per additionem novæ gratiæ ad priorem entitatem gratiæ: Ergo etiam qualitas quæcunque v.g. calor, augetur, & conſequenter intenditur per additionem, ac productionem novi gradûs ejuſdem qualitatis v.g. ejuſdem caloris in eadem parte ſubjecti, alicujus, v.g. manûs. Roboratur etiam Concluſio ex refutatione aliorum modorum improbabilium, in prioribus concluſionibus rejectorum: & quia alius modus congruentior intendendi qualitatem nequit aſſignari; quàm iſte Scotiſticus: Ergo &c.

Probatur ſecunda pars: remiſſio qualitatis fit ſemper oppoſitô modô, quàm fiat intenſio: Ergo fit per deperditionem alicujus gradûs præexiſtentis.

9\. *Oppoſitiones proponuntur.*

Objicies *primò*: Philoſophus videtur adverſari huic concluſioni, & modo Scotiſtico intendendi qualitatem: Ergo &c. Prob. Ant. philoſophus dicit *4. Phyſic. tex. 84. ex calido fit magis calidum nullô factô in materia calidô, quòd non fuerit calidum quando erat minùs calidum*; quibus verbis inſinuat Ariſtoteles, in intenſione caloris nullum de novo caloris gradum produci: Ergo &c. *Secundò*, ſi intenſio qualitatis fieret per additionem gradûs ad gradus prio-

priores, ſequeretur, quòd qualitas intenſa non eſſet ens unum per ſe; ſed per aggregationem, quia ille gradus, & gradus priores non ſe habent per modum actûs, & potentiæ: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c.

10. *Et diluuntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad ejus Probat. expono Philoſophum, & dico, ipſum duntaxat velle, quòd quando ex calido fit magis calidum per intenſionem caloris, nullum producatur de novo ſubjectum calidum; uti arbitrabantur nonnulli AA. tempore Philoſophi, docentes, tunc intromitti athomos; ſed vult quòd in eodem ſubjecto intendatur calor. *Ad Secundum* Diſt. ſequelam Maj. ſequeretur, quòd qualitas intenſa non eſſet ens per ſe metaphyſicum. Conc. ſequelam Maj. ens per ſe phyſicum, & integrale Neg. ſequelam Maj. Itaque etſi qualitas intenſa non ſit ens per ſe metaphyſicè compoſitum ex illis gradibus unitis velu ti ex actu & potentia; eſt tamen ens per ſe phyſicum, & integrale; ſicut eſt aqua aliqua, quæ conſurgit ex pluribus guttis aquæ confuſis.

QUÆSTIO III.

An gradus qualitatis intenſæ, & remiſſæ ſint homogenii? ubi etiam alia quæſita expediuntur.

1. *Quid ſint gradus heterogenij, & homogenij in ſubjecto.* Nota primò: in qualitatibus poſſe attendi gradus heterogenios & homogenios. *Gradus heterogenij* hic dicuntur illi, qui ſunt diverſæ rationis, & perfectionis in perficiendo ſubjectum, & naturam; *Homogenij* verò illi, qui ſunt ejuſdem rationis, & perfectionis in perficiendo ſubjectum, & naturam in ipſo receptibilem. Secundùm Scotum heterogenii ſunt ita ſubordinati ex natura rei, ut ſecundus non ſolùm præſupponat primum, verùm etiam ut illum excedat in perfectione ac virtute ſecundùm continentiam virtualem, & ſic pariter tertius ſecundum, & quartus tertium, & ſic deinceps uſque ad ſummum. Homogenii verò non ſunt ita ſubordinati; nam ſive hic gradus ſit primus, ſive ſecundus, ſive ultimus; non excedit alium in perfectione, nec differt ab iſto primo plus quàm ab altero octavo; ſed junctus cum quocunque facit intenſionem. Gradus heterogenii vocantur ab aliis *diſſimilares*: & homogenii *ſimilares*.

Nota ſecundò: heterogeneitatem, & homogeneitatem iſtorum graduum, qui in intenſione alicujus qualitatis poſſunt attendi, non eſſe deſumendas â differentiis ſpecificis, vel individualibus qualitatis: nam ſecundùm Scotum *1. diſt. 17. q. 3.* & communem DD. ſpectando differentias ſpecificas omnes gradus qualitatis intenſæ cenſentur eſſe ejuſdem rationis ſpecificæ, ſeu in ſpecifica natura convenire; ac conſequenter in hoc ſenſu eſſent omnes homogenii; ſic v. g. omnes gradus caloris intenſi ſunt ejuſdem ſpeciei: ſimiliter omnes gradus qualitatis intenſæ ſpectando differentias individuales ſunt diverſæ rationis individualis, & realiter ac numerò diſtincti; cùm ſint ſeparabiles ab invicem, ac conſequenter in hoc ſenſu eſſent omnes heterogenii; ſed heterogeneitas in propoſito deſumenda eſt â diſſimilitudine, & inæqualitate in perfectione, ac ſubordinatione inter illos; & homogeneitas â ſimilitudine, & æqualitate in perfectione, & non ſubordinatione inter illos; quod bene notandum, ut ſtatus quæſtionis hujus ritè intelligatur. 2. *Heterogeneitas, & homogeneitas unde ſumenda.*

Dico primò: omnes gradus qualitatis intenſæ, & remiſſæ ſunt homogenii, & ejuſdem perfectionis ad invicem comparati. Ita Scotus *1. diſt. 17. q. 3.* & ſequuntur Scotiſtæ communiter, ac Nominales cum Arriag. Averſ. Vaſq. & aliis multis RR. contra nonnullos veteres Godfred. &c. & ex RR. contra Hurt. Murc. Moriſ. &c. 3. *Gradus qualitatis intenſæ & remiſſæ ſunt omnes homogenij.*

Probatur prima pars *primò*: non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: ſed nulla extat neceſſitas multiplicandi gradus heterogenios in qualitate intenſa, cùm per homogenios ſufficienter ſalvetur natura talis qualitatis; nam eò ipsò quòd plures gradus ſimillimi caloris ponantur in manu, ſufficienter fit calida ut quatuor, vel ut octo: Ergo &c. *Secundò*, quantitas augetur per partes, & gradus homogenios ſibi unitos; uti patet experientiâ de tabula, & aliis côtinuuis quantis; item ignis, aqua, & alia homogenia, per partes ſimilares augentur; idem eſt de gratia ſanctificante juſtorũ: Ergo qualitas augetur, & intenditur per partes, & gradus homogenios. *Tertiò*, duæ lucernæ ardentes ſimul junctæ retinent eoſdem gradus homogenios lucis, etſi lux communis ab utraque proficiſcens ſit intenſior: item

item duo pondera eidem bilanci ſuperpoſita retinent ſuos gradus homogenios gravitatis, etſi gravitas intendatur: Ergo pariter qualitas v. g. calor habet meros gradus homogenios, etſi intendatur per varias additiones eorundem.

Probatur ſecunda pars concluſionis: eadem eſt ratio de gradibus intenſionis, ac remiſſionis: Ergo cùm omnes gradus qualitatis intenſæ ſint homogenii, etiam gradus remanentes qualitatis remiſſæ erunt homogenii.

4. *Oppoſita argumenta.*

Objicies *primò*: quantitas non intenditur per conjunctionem graduum homogeniorum ſuperadditorum quantitatis: Ergo neque qualitas. *Secundò*: Beati defactò per perfectiores, & intenſiores viſiones, intuentur DEUM perfectiùs, & clariùs: ſed ſi gradus intenſionis qualitatis eſſent homogenii, ac ejuſdem perfectionis, ſequeretur, quòd unus Beatus habens duos gradus viſionis æquè perfectè, & clarè videret DEUM, ac alter habens ſex gradus viſionis; quia unus gradus nō eſt perfectior alterô in ſententia Scoti: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. *Tertiò*: ex hac ſententia ſequeretur, quòd aliquod agens poſſit ultra ſphæram ſuæ activitatis agere producendo aliud perfectiùs: ſed hoc dici nequit: Ergo &c. Probat. ſequela Maj. ſequeretur, quòd unum calidum ut quatuor applicatum alteri calido ut ſeptem poſſet in eo producere unum gradum caloris, & ſic hoc fiet calidum ut octo, quod eſt perfectius calidô ut ſex, ſicque agens aliquod ageret ultra ſphæram ſuæ activitatis.

5. *Diſtinguimtur.*

Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Ant. quantitas non intenditur per conjunctionem graduū homogeniorum in hoc ſenſu quòd ſcilicet non augeatur per ipſos Neg. Ant. in hoc ſenſu, quòd non acquirat novas vires ad fortiùs, & citiùs operandum, ſicut acquirit qualitas per adventum novorum graduum homogeniorum Conc. Ant. Itaque qualitas per conjunctionem novorum graduum homogeniorum redditur capax ad fortiùs, & citiùs operandum; non autem quantitas, etſi per ſimiles gradus homogenios augeatur; nam quantitas ex ſe non eſt operativa, ſed tantùm extenſiva impenetrabiliter ſubſtantiarum, quibus inhæret. *Ad Secundum* Neg. Min. nam licèt gradus viſionis ſint intrinſecè æqualiter perfecti in utroque Beato; non tamen ſunt pares in numero; ideo Beatus habens ſex gradus viſionis beatificæ perfectiùs, & clariùs intuebitur DEUM; quàm Beatus habens duos duntaxat: ſicut cenſetur eſſe opulentior ille, qui in numero excedit facultates alterius. *Ad Tertium* Neg. ſequelam Maj. & ad ejus Probat. Neg. Ant. nam receptum eſt axioma in Peripato, & veriſſimum, probabiturque infrà, quòd *ſimile non agat in ſimile actione univocâ*; unde calidum ut quatuor applicatum alteri calido ut ſeptem, non producit ullum gradum caloris in eo; uti patet experientiâ.

6. *Omnes qualitates materiales ſenſibiles ſunt intenſibiles.*

Quæres primò: utrùm omnes qualitates poſſint intendi, & remitti per gradus homogenios? Reſpondeo, omnes qualitates ſenſibiles, & materiales eſſe intenſibiles, & remiſſibiles. Ratio eſt, quia ratio intenſibilis, & remiſſibilis eſt proprietas qualitatis ſaltèm ſenſibilis, ut docui *tom. 1. hujus Scholæ tract. 5. diſt. 6. q. 1.* adeoque convenit omni qualitati ſenſibili, & materiali: & quia aſſignari nequit qualitas ſenſibilis, quæ non eſſet aliquô modô intenſibilis, & remiſſibilis. Quoad qualitates inſenſibiles, & ſpirituales nonnulli DD. excipiunt actus vitales, ſpecies intentionales, & quaſdam alias qualitates, denegando ipſis intenſibilitatē, & remiſſibilitatem: rationē dant, quia illæ natæ ſunt eôdem modô ſemper movere, & eſſe; eò quòd objecta, & potentiæ vitales non liberæ agant naturaliter; ac proinde neceſſariò, & conſequenter tantùm, quantùm agere poſſunt.

7. *Intenſio & remiſſio qualitatis ſunt motus diſtincti.*

Quæres ſecundò: an intenſio, & remiſſio qualitatis ſint motus diſtincti? Reſpondeo affirmativè cum Scoto *1. diſt. 17. q. 3.* Ratio eſt, quia motus diſtinguuntur penes ſuos terminos: ſed intenſio & remiſſio qualitatis habent terminos realiter diſtinctos; nam intenſionis terminus eſt poſitivum quid, remiſſionis verò privativum quid: Ergo &c.

8. *Omnes qualitates ſenſibiles naturaliter habent terminos ſuæ intenſionis.*

Quæres tertiò: an omnes qualitates habeant terminos ſuæ intenſionis? Reſpondeo primò: qualitates ſenſibiles quà tales naturaliter habere terminos extrinſecos ſuæ intenſionis, ultra quos naturaliter ab aliquo extrinſeco agente naturali intendi nequeunt, & hic terminus communiter â DD. aſſignatur gradus octavus. Ratio hujus reſolutionis eſt primò experientia, quâ obſervamus qualitates ultra octavum gradum nunquam intendi, quod potiſſimè in limitatam virtutem agentium creatorum, & naturalium refundi debet. Secundò, quia aliàs poſſet

dari naturaliter infinitum categorematicum in intenſione, quod rejeci ſuprà *tract. 1. diſt. 13. q. 6.* poſſet enim agens naturale ſucceſſivè totgradus qualitatis intendere, ut tandem eſſent infiniti actu, ſeu categorematicè. Reſpondeo ſecundò: attamen reſpectu agentis ſupernaturalis, id eſt DEI, nullæ qualitates habent terminos ſuæ intenſionis, ſed ſemper ſyncategorematicè poſſunt ampliùs & ampliùs intendi; non tamen in infinitum categorematicè. Ratio primi eſt; quia Omnipotentia DEI effectrix rerum naturalium nõ eſt limitanda, niſi inconveniens aliquod obſtet; quale in qualitatibus ampliùs, & ampliùs intendendis non obſtat: Ergo reſpectu agentis ſupernaturalis, ſeu DEI, nullæ qualitates habent terminos ſuæ intenſionis; ſed ſemper ſyncategorematicè amplius, & amplius poſſunt intendi. Præterea res inanimatæ non habent terminos intrinſecos ſuæ magnitudinis, uti oſtendi *tract. 1. hujus tomi diſt. 12. q. 4.* Ergo cum qualitates ſint res inanimatæ, Agens Divinum poterit eas in infinitum ſyncategorematicè intendere, nunquam neceſſariò ſiſtendo in aliquo earum termino. Ratio ſecundi eſt; quia infinitum categorematicum in intenſione ſimpliciter repugnat, etiam reſpectu Omnipotentiæ Divinæ; uti pluribus oſtendi *cit. tract. 1. diſt. 13. q. 6.* Ergo nullæ qualitates reſpectu agentis ſupernaturalis poſſunt in infinitum intendi.

DISTINCTIO VI.

DE RAREFACTIONE & CONDENSATIONE.

Præfatio.

R*Arefactio, & Condenſatio ſunt quadam ſpecies alterationis, & motus ad qualitatem; unde non incongruè poſt alterationis examen de iiſdem hìc diſſeretur. Sit itaque*

QUÆSTIO I.

De quidditate, & exiſtentia Rarefectionis, ac Condenſationis.

1. *Quid rarum & denſum.* NOta primò: illa actio dicitur *Rarefactio*, quæ eſt motus ſecundùm rarum; & illa *Condenſatio*, quæ eſt motus ſecundùm denſum. Eſt autem *Rarum* ex Philoſopho *4. tex. 84.* illud, *quod habet parum materiæ* (id eſt ſubſtantiæ materialis) *ſub magnis dimenſionibus*; id eſt ſub magna quantitate; *Denſum* verò, *quod habet multum materiæ ſub parvis dimenſionibus*, id eſt ſub parva quantitate; ſic v. g. ignis dicitur rarus, & rarior aëre, quia ejus ſubſtantia eſt ſub majoribus dimenſionibus, ſeu majori quantitate, quàm ſubſtantia aëris: & terra dicitur denſa, ſeu denſior aquâ; quia ſubſtantia terræ eſt ſub minori quantitate, quàm ſubſtantia aquæ.

Nota ſecundò: Rarefactionem, & Condenſationem ſumi poſſe dupliciter impropriè, & propriè. *Rarefactio impropriè ſumpta* vocatur quævis laxatio, dilatatio, & diſcontinuatio notabilis partium alicujus rei; talis reperitur in ſpongia aliqua, repleta aëre, vel aquâ, quæ proinde ſic repleta dicitur impropriè rarefacta. *Condenſatio* verò *impropriè ſumpta* vocatur quævis coarctatio, & compreſſio notabilis partium alicujus rei: talis foret compreſſio ſpongiæ, quâ expellitur aër, vel aqua ab eadem; quare tunc ſpongia dicitur impropriè condenſata. Uterque iſte motus dicitur improprius; quia in laxatione, & compreſſione ſpongiæ nulla intervenit mutatio, quæ tamen eſt neceſſaria ad Rarefactionẽ propriam, & Condenſationem propriam. *Rarefactio propriè dicta* eſt ampliatio quædam partium rei aliàs connexarum, majorem locũ, majuſque ſpacium occupantium nunc, quàm occupabant ante talem mutationem: talis eſt in aqua, vino, vel oleo bullientibus, & ſeſe attollentibus in olla. 2. *Quid Rarefactio, & Condenſatio propria, & impropria.*

Con-

Condenſatio propriè dicta eſt compreſſio earundem partium ſimul connexarum, minus ſpacium, minoremque locum occupantium; talis eſt in cera, quæ poſt ebullitionem rurſus in compactam maſſam recidit. Ex his

3. *Author deſcribit rarefactionem, & condenſationem propriam.*

Dico primò: rectè deſcribitur Rarefactio propriè dicta, quòd *ſit mutatio, quâ partes alicujus rei aliàs conjunctæ ita notabiliter ampliantur, ut nunc majorem locum occupent, quam prius.* Condenſatio verò propriè dicta *ſit mutatio, quâ partes alicujus rei ampliata ita notabiliter conſtringuntur, ut minorem locum occupent.* Eſt ad principia Scoti *4. diſt. 12. q. 4.* & Philoſophi *4. Phyſic. tex. 84.*

Probat. his deſcriptionibus debitè explicatur natura Rarefactionis, & Condendenſationis propriè dictarum: Ergo &c. Ly *mutatio* in utraque deſcriptione ponitur locô generis; reliqua locô differentiæ harum duarum mutationum propriarum ab aliis impropriis; uti & ab aliis motibus.

4. *Fiunt rarefaction. & condenſat.*

Dico ſecundò: contingunt in rerum natura variæ Rarefactiones, & Condenſationes propriè dictæ. Ita Scotus *loc. cit.* & communis Peripat.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *4. Phyſic. tex. 83. & 84.* aſſerit, Rarefactiones, ac Condenſationes contingere: Ergo &c. *Secundò* ratione: inter affectiones corporum naturalium tum ſimplicium, tum mixtorum recenſentur rarum, & denſum; uti patet ex Philoſopho *4. Phyſic. tex. 84.* & comprobat experientia in ebullione aquæ, vel alterius liquoris: ſed Rarefactio, & Condenſatio ſunt motus ſecundùm rarum, & denſum: Ergo contingunt ejuſmodi motus.

5. *Philoſophus accommodatur.*

Objicies primò: Philoſophus enumeravit omnes ſpecies motûs *5. Phyſic. tex. 7.* qui ſunt generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & ſecundùm locum mutatio: ſed Rarefactio, & Condenſatio ad nullum horum pertinent: Ergo non dantur. Reſpondeo Neg. Min. nam Rarefactio, & Condenſatio reduci poſſunt ad augmentationem, & diminutionem. Deinde dico Philoſophum diminutè procedere *loc. cit.* unde ibi non expreſſit omnes ſimpliciter motus.

6. *Cauſa 3. rarefact. & condenſat.*

Nota autem tertiò: Rarefactionem & Condenſationem fieri ex tribus potiſſimùm cauſis. *Primò* ex cauſa alterationis, ſcilicet ex calefactione, & frigefactione; nam calefactio eſt cauſa Rarefactionis, & frigefactio cauſa Condenſationis; uti patet experientiâ aquæ, quæ ſi in lebete media ex parte duntaxat repleto apponatur igni, tractu temporis, dum caleſit, ebullit uſque ad ſummum lebetis: & ſi eadem amoveatur ab igne, tandem â circumſtante frigore frigefacta reducetur ad minorem locum, quàm antè: idem patet experientia pulveris tormentarii, & caſtaneorum, glandium, & ſimilium, quæ per calorem, & ignem rareſcunt. *Secundò* fit Rarefactio, & Condenſatio generatione; cùm ſcilicet ex corpore denſo fit rarum; & ècontra; & hæc viſitur in elementis, quorum aliqua in æſtate creſcunt, & rareſcunt; ut ignis & aër: alia decreſcunt, & denſantur, ut aqua & terra: in hyeme verò oppoſitum in eis contingit; illa enim minorantur; hæc majorantur. *Tertiò* fit Rarefactio, & Condenſatio loci mutatione; nam dum fit impetus ventorum, aër condenſatur: dum autem is ceſſat, rarefit; quia occupat majorem locum.

QUÆSTIO II.

Varii modi Rarefactionem, & Condenſationem ſvadentes rejiciuntur.

Nota primò: circa modum, quô fiat Rarefactio, & Condenſatio DD. plurimùm variant. Quidam enim putant eam fieri per deperditionem prioris quantitatis, & acquiſitionem majoris: Condenſationem verò per deperditionem prioris quantitatis, & acquiſitionem minoris. Quidam verò arbitrantur Rarefactionem fieri per ſolam extenſionem localem prioris quantitatis, abſque nova ſuperaddita quantitate; ita ut raritas ſit tantùm majoris loci occupatio, & Condenſationem ajunt fieri per contractionem ſolam localem prioris quantitatis; ita ut denſitas ſit minoris loci occupatio duntaxat. Alii contendunt Rarefactionem fieri per ſolam admixtionem vacui inter partes corporis rarefacti: Condenſationem verò per reditum earundem partium in vacuum. Alii antiquiores reſpuentes vacuum, clamant Condenſationem fieri per compenetrationem partium corporis addenſati: Rarefactionem verò per extractionem earundem ab invicem. Alii inſtituunt Rarefactionem per modum cujuſdam 1. *Varia placita AA. circa modum rarefact. & condenſat.*

 cla-

elatebrationis partium rei rarefactæ; & Condenſationem per convolutionem earundem. Alii docent Rarefactionem fieri per acquiſitam aliquam qualitatem, quæ dicitur raritas; & Condenſationem per aliam, quæ dicitur denſitas. Alii ſignanter quidam Hiſpani, meditantur Rarefactionem fieri per puncta quædam inflata; & Condenſationem per punctorum illorum reſtrictionem. Alii aliter ratiocinantur. Doctor Subtilis plures horum modorum, & alios infrà pro mea ſententia ponendos, ita oppugnat *4. diſt. 12. q. 4.* & alibi, ut difficile ſit, ejus genuinam mentem aſſertivam aſſequi. Unde liberum relinquitur Scotiſtis hac in parte ad quam libuerit ſententiam declinare. Antequam ego meam aperiam, aliorum modorum, quibus prætatos motus fieri contendunt, improbabilitatem oſtendam. Unde

2. *Rarefactio non fit per deperditionem totius prioris quãtitatis.*

Dico ptimò: Rarefactio non fit per deperditionem totius prioris quantitatis, & generationem totaliter novæ majoris; nec Condenſatio per deperditionem prioris quantitatis totalis, & acquiſitionem minoris totaliter novæ. Colligitur ex Scoto *4. diſt. 12. q. 4.* & ſequuntur Monturſ. Columb. Fraſſen, & alii Scotiſtæ; contra Gotfredum, Averſ. Marſil. Pomponatium &c.

Probatur prima pars *primò:* quando non deperditur totaliter ſubjectum, etiam non deperditur totaliter ejus paſſio; nam paſſio eſt proprietas ſubjecti: ſed in Rarefactione non deperditur ſubjectum, ſcilicet illud compoſitum phyſicum, quod rareſit: Ergo neque deperditur totaliter ejus paſſio, quæ eſt quantitas præexiſtens; & conſequenter Rarefactio non fit per deperditionem totius prioris quantitatis, & generationem totaliter novæ majoris. *Secundò*, omnia accidentia abſoluta perſeverant in re rarefacta, ſic v. g. in vino rarefacto perſeverat idem odor, color, & ſapor: Ergo etiam remanet eorum ſubjectũ immediatum, quod eſt quantitas præexiſtens, ut docui ſuprà *tract. 1. diſt. 7. q. 6. concl. 2.* Conſequentia tenet; quia accidentia non migrant de ſubjecto in ſubjectum; nec ſvapte naturâ poſſunt eſſe abſq; ſubjecto.

Probatur ſecunda pars concluſionis: Condenſatio fit oppoſitô modô Rarefactioni: Ergo cùm Rarefactio non fiat per deperditionem totius prioris quantitatis, & generationem totaliter novæ majoris; nec Condenſatio fiet per deperditionem totius prioris quantitatis, & generationem totaliter novæ minoris.

3. *Nec per ſolam extenſionem localem prioris quantitatis.*

Dico ſecundò: ſimiliter Rarefactio non fit per ſolam extenſionem localem prioris quantitatis, abſque nova aliqua ſuperaddita quantitate; nec Condenſatio fit per ſolam contractionem localem prioris quantitatis. Colligitur ex Scoto *4. diſt. 10. q. 1.* Et ſequuntur Fuente, Monturſ. Columb. & alii Scotiſtæ; contra Averr. S. Thomam, Fonſecam, Ruv. & ex Scotiſtis contra Maſtr. Bellut. Tart. Aretin. & alios Scotiſtas, ac contra Hurtadum, Ruv. & alios RR.

Probatur prima pars primò: ex oppoſita ſententia ſequerentur duo inconvenientia: Ergo non eſt aſſumenda. Probat. Ant. ſequeretur *primò*, quòd in Rarefactione quantitas eſſet naturaliter in duobus locis; quod eſt magnum inconveniens, & alibi *tract. 1. hujus tom. 2. diſt. 14. q. 4.* rejectum, ubi oſtenſum eſt unum non poſſe eſſe naturaliter in duobus locis adæquatis; adeoque nec eandem quantitatem: Ergo Rarefactio non fit per ſolam extenſionem localem. Probat. Ant. accipiatur aliqua res affectâ quantitate bipedali v. g, fiſtula ænea tripedalis repleta vinô media ex parte, & rarefiat bene, tunc illa quantitas vini, quæ primò erat in loco adæquato bipedali, ita ebulliet, & ſeſe attollet, ac extendet in Rarefactione, ut repleat totam fiſtulam; ſicque occupabit duplò majorem locum, ſcilicet tripedalem: ſed tunc eſſet naturaliter in duobus locis adæquatis: Ergo &c. Probat. Min. unus locus bipedalis eſt ille quantitati vini adæquatus, & coëxiſtens: Ergo ſi eſt in duobus bipedalibus, eſt in duobus adæquatis. *Secundò* ſequeretur: Angelum poſſe dici rarefieri; quia Angelus poteſt occupare nunc majorem locum, quàm antè, & conſequenter ſeſe extendere localiter in majori ubicatione: ſed ſequela eſt inconveniens: Ergo &c.

Probatur ſecundò eadem pars: iſte modus explicandi Rarefactionem per extenſionem localem, adhuc non ſatìs explicat Rarefactionem, quia adhuc non explicat, quâ ratione corpus rarefactum occupet majus ſpacium, & faciat illam extenſionem localem: Ergo &c. Præterea extenſio actualis provenit â ſola quantitate: Ergo dum in Rarefactione acquiritur major extenſio actualis, illa utique proveniet â majori quantitate; adeoque

non

non bene explicatur per extenſionem localem ratio Rarefactionis; ſed potius per majorem quantitatem.

Probatur ſecunda pars: ſi Condenſatio fieret per ſolam contractionem localem prioris quantitatis, ſequerentur duo inconvenientia: *Primò* quòd naturaliter poſſet dari penetratio dimenſionum: ſed hoc eſt inconveniens: Ergo &c. Probat. ſequela Maj. partes corporis rarefacti per rarefactionem occupant majorem locum: Ergo dum condenſantur, occupant minorem locum; in quo proinde ſe debent eorum dimenſiones penetrare: Ergo &c. *Secundò* ſequeretur, quòd Angelus poſſet condenſari; poſſet enim relicto majori occupare minorem locum, ſicque ſe retrahere localiter: ſed hæc ſequela eſt inconveniens: Ergo &c.

4. *Nec per ſolam admixtionem vacui.*

Dico tertiò: nec etiam Rarefactio fit per ſolam admixtionem vacui inter partes corporis rarefacti; nec Condenſatio per reditum earundem partium in vacuum. Ita colligitur ex Scoto, qui variis in locis negat vacuum naturaliter dari; Doctorem ſequuntur Scotiſtæ communiter; contra antiquiores.

Probatur *primò*: omnibus illis rationibus, quibus ſuprà *tract. 1. diſt. 15. q. 1.* oſtendi, non dari naturaliter vacuum, adeoque nec concedendum eſt Rarefactionem fieri per admixtionem vacui; nec Condenſationem per talis vacui repletionem. *Secundò* ignis poteſt rarefieri; hic autem cùm ſit naturæ valde ſubtilis, & mobilis, non videtur habere aliqua vacua, & concavitates: Ergo &c. *Tertiò* ex hac oppoſita ſententia ſequeretur, quòd in hyeme, quando aër valde conſtringitur, ac condenſatur, vaſtum relinqueret vacuum, non niſi tempore æſtivo replendum: ſed hoc eſt falſum, cùm natura omni niſu abhorreat vacuum, & motus admirandos edat, ut illud evitet uti dixi mox *cit. tract.* Ergo &c.

5. *Nec per extractionem partium.*

Dico quartò: pariter Rarefactio non fit præcisè per extractionem partium â ſe invicem; neque Condenſatio per compenetrationem earundem in corpore condenſato. Ita colligitur ex Scoto *cit.* & eſt communis Scotiſtarum, contra antiquos.

Probat. tum quia compenetratio rerum quantarum eſt naturaliter impoſſibilis, uti oſtendi *tract. 1. hujus tomi diſt. 14. q. 5.* Ergo partes alicujus rei quantæ rarefactæ non fuerunt prius compenetratæ: adeoque Rarefactio non fit per earundem partium compenetratarum extractionem, nec Condenſatio per novam compenetrationem earundem. Tum quia natura non minùs abhorret compenetrationem corporum quantorum, quàm vacuum; unde tormenta bellica diſrumpuntur in exploſionibus; nam cùm ignis accenſus, & rarefactus non poſſit metalla eorum penetrare, facit ſæpiùs violentiam tantùm, ut tormentum crepet: Ergo &c.

6. *Nec per elatebrationem*

Dico quintò: Rarefactio quoque non fit per ſolam aliquam elatebrationem partium rei rarefactæ; nec Condenſatio per convolutionem earundem. Colligitur ex eodem Doctore; & ſequuntur Scotiſtæ; contra RR. quoſdam.

Probat. nequit ritè explicari, quid ſit iſta elatebratio, & convolutio partium: aut enim eſt quædam extractio, & compenetratio earum; & ſic iſta opinio coincidit cum priori opinione mox refutata: aut dicit aliquam extenſionem duntaxat localem partium, & contractionem earundem; & coincidit cum altera opinione ſuprà *q. 2.* relata, & eliſa: vel ſupponit fieri in elatebratione aliquas vacuitates, & in convolutione earum repletionem; & coincidit cum opinione in tertia concluſione rejecta: Ergo iſte modus explicandi Rarefactionem, & Condenſationem per elatebrationem, & convolutionem non eſt admittendus.

7. *Nec per acquiſitionem qualitatum.*

Dico ſextò: Rarefactio ſimiliter non fit per acquiſitionem illius qualitatis, quæ raritas dicitur; nec Condenſatio per acquiſitionem illius, quæ denſitas dicitur. Ita Tartar. Faber, Maſtr. & alii Scotiſtæ; contra modernos Amicum, Hurtad. Perer. Averſ. & ex noſtris contra Aretin. & Iribar.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *in prædic.* eliminat raritatem; & denſitatem ex claſſe qualitatum; & ponit eas in prædicamento ſitûs: Ergo per eas ut qualitates cenſet non fieri Rarefactionem, & Condenſationem. *Secundò* ratione: tunc eſt corpus denſum, quando habet partes magis propinquas ad invicem; & tunc eſt rarum, quando habet partes remotiores ab invicem: hoc autem fit abſque omni qualitate: Ergo ad rationem rari, & denſi non requiritur ulla qualitas: & conſequenter Rarefactio, & Condenſatio non fit per acquiſitionem alicujus qualitatis.

Dico ſeptimò: tandem neque Rarefactio

8. *Nec per dilatationem punctorum inflatorum.*

factio fit per aliquam dilatationem punctorum inflatorum & turgentium, habentium partes tantùm virtualiter diſtinctas; nec Condenſatio per eorundem punctorum reſtrictionem. Ita Scotiſtæ communiter, contra Hiſpanos quoſdam DD.

Probatur *primò :* hujuſmodi puncta inflata, tumida, ſeu turgentia abſque ratione confinguntur eſſe in compoſitis phyſicis continuis: Ergo per eorum dilatationem, vel reſtrictionem non fit Rarefactio, & Condenſatio. *Secundo*, virtualitas partium iſtorum punctorum pugnat cum natura rerum materialium ; convenit enim potiùs rebus ſpiritualibus, v.g. quæ dicitur virtualiter ſeſe extendere in locum majorem : Ergo & deinde res materiales rarefactibiles ſunt in loco per extenſionem formalem ſuæ entitatis, habentis partes integrales, non autem virtuales : Ergo malè explicatur per ejuſmodi puncta Rarefactio, & Condenſatio.

QUÆSTIO III.

Stabiliuntur duo modi magìs probabiles, quibus fit Rarefactio, & Condenſatio.

1. *Probabile eſt Rarefactionem fieri per acquiſitionem quantitatis partialis novæ.*

DIco primò : valde probabilis eſt modus illorum, qui dicunt Rarefactionem fieri per acquiſitionem alicujus quantitatis partialis novæ, priori aggeneratæ; & Condenſationem fieri per deperditionem alicujus partis quantitatis rei condenſatæ. Ita colligitur ex Scoto *1. diſt. 17. q. 3.* ubi concedit Rarefactionem ſpecierum vini concomitari majorem quantitatem. Et *4. diſt. 12. q. 4.* & *in Report. q. 5. §. dico tamen.* Et eam tenent Baſſol. Faber, Tart. Mont. Columb. Meriner. & ex alienis Tolet. Cajetan. &c. contra Godfredum &c.

Probatur primò authoritate Philoſophi ; qui *4. Phyſic. 84.* dicit rarum eſt id, quod magìs in potentia erat dimenſivum, fit actu magìs dimenſivum: nequit autem aliquid eſſe actu magìs dimenſivum, niſi per adventum novæ quantitatis, cujus eſt dimenſionem majorem facere ; ſicut Danubius fluvius nequit eſſe major, niſi per adventum novæ aquæ affluentis : Ergo cenſet Philoſophus tunc rem aliquam fieri rarum, ſeu rarefactum, quando accidit nova quantitas ; & conſequenter vult Rarefactionem fieri per acquiſitionem novæ quantitatis partialis.

Probatur ſecundò ratione : ex poſitione hujuſmodi percipitur bene, quomodo res rarefacta v.g. aqua in lebete bulliens, occupet nunc majorem locum, majuſque ſpacium lebetis, quam antè, quia ſcilicet in ebullitione tali, ſeu Rarefactione, acceſſit nova pars quantitatis novæ, quæ aggenerata ſeu addita priori quantitati minori, facit majorem dimenſionem, & occupationem majoris loci, ac ſpacii : ſimiliter bene percipitur, quomodo res condenſata occupet nunc minorem locum, minuſque ſpacium, quàm antea ; quia ſcilicet jam eſt deperdita, & corrupta aliqua pars quantitatis, quæ priùs faciebat majorem dimenſionem, majoremque occupationem loci : Ergo valde probabile eſt Rarefactionem, & Condenſationem fieri iſto modo in concluſione aſſignato.

Probatur tertiò : intenſio qualitatis fit per acquiſitionem novæ qualitatis partialis : & remiſſio per deperditionem alicujus qualitatis partialis ſeu gradûs, uti ſuprà probavi *diſt. 5. q. 2. concl. 8.* Ergo ſimiliter Rarefactio fit per acquiſitionem alicujus quantitatis partialis novæ ; & Condenſatio per deperditionem alicujus partis prioris qualitatis rei condenſatæ. Conſequentia tenet â pari ; & quia ſicut ſe habet intenſio, ita extenſio : Ergo cùm intenſio qualitatis, aut alterius formæ fiat per acquiſitionem novi gradûs, & remiſſio per deperditionem ejus; ita & extenſio, & coarctatio, & conſequenter Rarefactio, & Condenſatio. Confirmatur concluſio ex reſolutione objectionum, quæ contra eam opponuntur. Unde

2. *Opponitur variè contra hunc modum.*

Objicies *primò :* hic modus explicandi adverſatur Philoſopho : Ergo &c. Probat. Ant. Philoſophus *4. Phyſic. cap. 9. tex. 84.* docet, in Rarefactione nil acquiri novi in corpore rarefacto; & in Condenſatione nihil penitus deperdi, unde eadem cera eſt in & poſt Rarefactionem : Ergo &c. *Secundo*, ſi Rarefactio dicatur fieri per iſtum modum acquiſitionis novæ quantitatis partialis in re rarefacta, ſequitur unum ex duobus inconvenientibus, aut quòd daretur accidens ſinè ſubjecto ; aut quòd detur penetratio duarum dimenſionum : Ergo non ſic fit. Probat. Ant. & quæro, in quonam ſubjecto ſubjectetur iſta partialis nova quantitas? non poteſt dici,

dici, quod in ulla parte materiæ, vel ſubſtantiæ præexiſtentis; quia aliàs daretur penetratio duarum dimenſionum (quod eſt inconveniens) ſiquidem in qualibet parte eſt propria quantitas; adeoque nequit in ea recipi ulla nova quantitas, quin alteram penetret: Ergo ſequitur, quod quantitas illa nova partialis ſit ſinè omni ſubjecto naturaliter; quod eſt inconveniens. *Tertiò* dato caſu, quòd ſpecies Sacramentales naturaliter rareficrent juxta modum concluſionis, tunc illa nova quantitas partialis deberet creari ab agente creato; quod implicat: & inſuper adeſſet quantitas in Sacramento illo ſinè ſubjecto, ſub qua non eſſet Corpus, & Sanguis Chriſti, unita tamen quantitati ſpecierum conſecratarum: ſed utrumque eſt inconveniens: Ergo &c. Probat. Maj. quoad primum; in tali caſu nullum adfuit ſubjectum, ex quo educi poſſet illa nova partialis quantitas: Ergo deberet creari ab agente creato. Probat. etiam quoad ſecundum; Corpus & Sanguis Chriſti non continentur, niſi ſub ſpeciebus panis, & vini conſecratis: ſed illa quantitas nova partialis adveniens abſque ſubjecto non eſſet conſecrata: Ergo ſub illa non eſſet Corpus, & Sanguis Chriſti.

3. *Sed reſpondetur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad ejus Probationem interpretor Philoſophum, & dico, ipſum duntaxat *loc. cit.* velle, quòd in Rarefactione nil novi de materia, & partibus ſubſtantialibus acquiratur: cum quo tamen ſtat, quòd acquiratur nova quantitas partialis, & alia accidentia. *Ad Secundum* Neg. Ant. & ad Probat. ejus dico, quòd illa quantitas nova partialis ſit in aliqua parte ſubſtantiæ materialis præexiſtentis; non quidem eôdem modô ſe habentis ut ante Rarefactionem; ſed ut rarefactæ. Itaque cùm per Rarefactionem nedum tota ſubſtantia materialis; ſed & quælibet ejus pars acquirat ſubtilius, & extenſius eſſe, quàm habuit priùs; idcirco poſt Rarefactionem ſit capax recipiendi adhuc aliam quantitatem de novo advenientem, abſque ulla penetratione duarum dimenſionum; additur enim illa nova quantitas partialis antiquæ quantitati rei rarefactæ in illa parte, in qua ſubtiliatur, & Rarefactione extenditur, acquiritque aliud eſſe rarefacti; ſicut aqua affuſa aquæ additur aliis partibus aquæ: verbô, illa nova quantitas in aliis portionibus illius partis diviſibilis rarefactis, & extenſis additur, eaſque reddit quantas, & dimenſivas: unde nulla ſequitur penetratio partium. *Ad Tertium* Neg. Maj. & ad ejus Probat. Ant. primam partem, dico cum Scoto *4. diſt. 12. q. 4.* illam quantitatem utique debere creari ob defectum ſubjecti; at non ab agente creato; ſed ab increato, DEO ſcilicet: nec hoc eſt inconveniens; quia DEUS eadem volitione, quâ inſtituit pro Eccleſia ſua S. Euchariſtiam, voluit etiam creare quantitatem, ut, ſi circa illas ſpecies activum aliquod naturale cauſaret mutationem aliquam rarefactivam, hæc ad eam inſerviret. Ad alteram Ant. partem dico; Chriſtum contineri etiam ſub illa nova quantitate partiali, unita aliis partibus quantitatis præexiſtentis; quia eſt ſub omnibus accidentibus, ſub quibus eſſet ſubſtantia panis & vini, ſi hæc fuiſſet rarefacta. Pro ſeq. concl.

Nota primò: in corporibus, & rebus materialibus tam viventibus, quàm non viventibus paſſim dari poros. De viventibus res eſt clara per experientiam; ſic enim cernimus in noſtro corpore humano extare poros complures, per quos natura eijcit ſudores; & in non viventibus eos dari convincit pariter experientia; nam oſſa arida, ligna ſicca, ſaxa, & ipſa planè marmora ſolidiſſima humorem intimè ſugunt, & poſtea eundem iterum reddunt, quod ad oculum cernitur in marmore congelatione diſſoluta, non obſtante quavis abſterſione, quâ humores ab extrinſeco illi adhærentes tempore congelationis ſunt abſterſi. In ipſo etiam auro poros eſſe admittendos, convincitur ex eo, quòd hydrargyrum, ſeu mercurium altè imbibat. 4. *Dantur pori in rebus.*

Nota ſecundò: in hoc Univerſo extare infinita corpuſcula, ſeu corpora quædam ſubtiliora aëris, vaporum, exhalationum variarum, humidarum ſcilicet, ſiccarum, ignearum, & ſimilium, quæ ſunt ſubtiliſſimæ quædam portiones purioris ætheris, & aliorum compoſitorum mox relatorum; & tales etiam ſunt atomi, quos paſſim obſervamus in aëre lucente Sole. Hujuſmodi porrò corpuſcula diverſa ſeſe inſinuant intra præfatas poros apertos compoſitorum groſſiorum; & ſignanter corpora ætherea inſenſibiliter ingrediuntur in Rarefactione poros rei rarefactæ, & in Condenſatione egrediuntur; idem faciunt 5. *Varia item extant corpuſcula.*

ciunt corpuſcula ignea, qui ſunt ſpiritus quidam ignei, & pervadunt poros illius rei, quæ rareſit per applicationem ignis; uti fit in ebullitionibus, & coctionibus.

6. *Etiam probabile eſt Rarefactionem fieri per ingreſſum corpuſculorum.*

Dico ſecundò: valde etiam probabilis eſt modus illorum, qui aſſerunt Rarefactionem fieri per dilatationem rei rarefactæ, & inſenſibilem ingreſſum, quorundam corpuſculorum ſubtilium intra poros, ac partes ſic diſtentas rei rarefactæ; Condenſationem verò per compreſſionem, & egreſſum inſenſibilem eorundem corpuſculorum. Hanc ſententiam proponit Scotus *4. diſt. 12. q. 4.* non tamen aſſertivè; cùm eam impugnet, & tandem irroſolubilis manet. Eam tamen ſequuntur plurimi Scotiſtæ, Fuente, Fraſſen, Van-Sichen, Ponc. Herman &c. eandem plures tempore Scoti tenebant, ut Occam, cum Gabr. & aliis Nominalibus; & noviſſimè amplexi fuêre multi RR. Arriaga, Oviedo &c. contra Maſtr. Meriner. & alios Scotiſtas.

Probat. primò: per poſitionem iſtius modi declinantur omnes difficultates, ac inconvenientia, quæ militant adversùs alios modos *priori quæſt.* recenſitos: Ergo &c. Prob. Ant. per poſitionem iſtius modi in Rarefactione non ſequitur, quòd non deperdatur ulla quantitas præexiſtens, quæ eſt paſſio ſubjecti; uti opponitur primô modó *q. priori* adductô; ſed ſtatuuntur corpuſcula quanta, quæ ſeſe inſinuant intra poros, & partes rei quantæ, eamque dilatant abſq; præjudicio prioris quantitatis. Item non ſequitur, quòd eadem quantitas eſſet naturaliter in duobus locis; uti arguitur contra ſecundum modum *pri. q.* propoſitum; quia major locus qui videtur in aliqua Rarefactione occupari, non occupatur ab eadem quantitate priori; ſed ab ea, & ſimul â corpuſculis quantis ingreſſis intra latera diſtenſa, & poros rei rarefactæ. Item non ſequitur dari naturaliter ullum vacuum; uti impingitur modo tertio *q. pri.* refutato; quia corpuſcula ſubingredientia replent illa ſpacia vacua, quæ in Rarefactione putantur fieri. Item non ſequitur, fieri aliquam compenetrationem, aut contractionem partium naturaliter impoſſibilem; uti obtruditur quarto modo rejecto *eadem quæſt.*, quia ſtatim aſſignari poſſunt corpuſcula, quæ ſuo ingreſſu, & egreſſu intra partes, & poros rei rarefactæ impediunt omnem compenetrationem, & contractionem partium. Item non ſequitur, quòd res aliqua rareſiat per acquiſitionem aliquarum qualitatum raritatis, & denſitatis, quæ de genere qualitatis non ſunt; uti objicitur quintô modô *præfatæ quæſt.* repulſó; quia corpuſcula immiſſa intra partes, & poros rei rarefactæ ſunt magis proportionata, quàm ejuſmodi qualitates ad raritatem, & denſitatem inſtituendam: hæc enim ſimul unita varias dimenſiones efficere poſſunt. Item non ſequitur, quòd aliqua virtualitas partium in re rarefacta ſit ponenda, quæ naturæ ejus materiali repugnat; quia corpuſcula per quæ explicatur Rarefactio per formalem extenſionem ſuæ entitatis habentis partes integrales occupant illum majorem locum: Ergo per poſitionem iſtius modi corpuſcula immiſſa aſſerentis declinantur omnes difficultates, & inconvenientiæ, quæ militant adversùs alios modos. Et eadem eſt ratio de modo, quo in iſta concluſione adſtruitur fieri condenſatio: nam oppoſitorum eadem eſt ratio.

Probatur ſecundò concluſio: ex *notab. 1. hucuſque* patet dari omnino poros in rebus materialibus, quæ ſubjacent rarefactioni: & hujuſmodi poros circumſtant varia corpuſcula ſubtilia, recenſita *notab. 2. hujus quæſt.* Ergo dum hi in Rarefactione aperiuntur, & partes rei rarefactæ dilatantur, ejuſmodi corpuſcula eò ingrediuntur, ſicque efficiunt rarum, ſeu rarefactam rem; ſic v. g. in ebullitione aquæ aliqui ſpiritus ignei ab igne appoſito propagati ſeſe inſinuant intra poros ollæ, eoſque penetrant, & tandem magno impetu in intima aquæ effunduntur, ipſamque aquam celerrimè agitant, quo tempore ſe pariter adjungunt corpuſcula ætherea, ſeu aëris circumſtantis, & unà cum igneis illis corpuſculis aquam in bullas ſenſibiles elevant, ſicque fit Rarefactio ejus. Deinde verò cùm ignis ceſſat ab emiſſione hujuſmodi igneorum corpuſculorum, corpuſculaætherea pariter recedunt, & tunc aqua rurſus deprimitur extinctis illis bullis ſenſibilibus; & ſic fit Condenſatio: Ergo &c.

Probatur tertiò: per illud efficitur Rarefactio, per quod res rarefacta occupat majorem locum nunc, quàm antea: ſed hoc ritè fit per juxtapoſitionem, & immiſſionem ſubtilium corpuſculorum; hæc enim afferunt novam quantitatem cum ſuo ſubjecto, cauſantq; dimenſionem & extenſionem localem majorem: Ergo

per

per horum immiſſionem efficitur Rarefactio; & ſimiliter Condenſatio per eorundem emiſſionem.

7. *Argumenta adversùs hunc modũ proponuntur.* Objicies *primò*: hic modus non habet locum in Rarefactione ſpecierum Euchariſticarum: in harum enim specierum Rarefactione nulla immittuntur corpuſcula; aliàs ibi non eſſet ſola ſubſtantia corporis Chriſti; contra doctrinam Concilii Tridentini, quod *Seſſ. 13.* dogmatizat, per conſecrationem totam ſubſtantiam panis, & vini converti in Corpus, & Sanguinem CHRISTI: Ergo &c. *Secundò*, Philoſophus hunc modum videtur excludere: Ergo &c. Probat. Ant. Philoſophus dicit *4. Phyſic. cap. 9. rarum eſt, quod habet multum quantitatis, & parum materiæ: denſum verò, quod habet multum materiæ, & parum quantitatis*: Ergo raritas, ſeu Rarefactio contingit per multam tantùm quantitatem advenientem; & non per multam materiam adventantem, qualem tamen continent corpuſcula ſimul unita cum ſubſtantia rei rarefactæ. *Tertiò*, Scotus opponit huic modo varia argumenta, quorum rationes ſunt iſtæ: *Prima*, quòd difficile videatur, quòd poſſit generari ab igne, vel Sole corpus ſubtilius vinô, quô rareſit ab ignis vel Solis actione. *Secunda*, quòd mirum ſit, ſubſtantiam manentem eandem non poſſe mutari à rara ad denſam; ſed ad ejuſmodi mutationem neceſſarium eſſe egreſſum corpuſculorum aliquorum: Ergo &c. Rurſus Scotus *4. diſtinct. 12. quæſt. 4.* videtur velle, quòd Rarefactio fiat per augmentum novæ quantitatis tantùm: Ergo &c.

8. *Sed refelluntur.* Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad Probat. ejuſdem Neg. Ant. ad cujus rationem dico, Concilium Tridentinum *locô citatô* tantùm velle dogmatizare, quòd per Conſecrationem tota ſubſtantia panis & vini, quæ erat Subſtantia conſecrabilis ex inſtitutione CHRISTI, tranſubſtantietur in Corpus, & Sanguinem CHRISTI: cum quo tamen ſtat, quòd aliqua alia ſubſtantia peregrina admixta, quæ non eſt conſecrabilis, poſſit ſimul ſubeſſe illis ſpeciebus; cujuſmodi ſunt corpuſcula rarefacientia; quæ tamen non ſunt materia adorationis ſpecierum Euchariſticarum; ſicut ſi v.g. maſſæ Hoſtiæ conſecrandæ intruderetur, aut conjungeretur ejus ſpeciebus poſt Conſecrationem peregrina aliqua ſubſtantia v.g. pars Ceræ; adhuc verum eſſet dicere, quòd tota ſubſtantia panis ſit converſa in Corpus CHRISTI, ſcilicet tota, quæ erat materia conſecrabilis; & quòd poſt Conſecrationem ſit ſola Subſtantia CHRISTI ibi, ſcilicet adoranda, & vi verborum poſita ſub ſpeciebus. *Ad Secundum* Neg. Ant. ad cujus Probat. gloſſo Philoſophum, & dico, ipſum ſic eſſe intelligendum, quòd rarum ſit illud, quod habet multum quantitatis, & parum materiæ, id eſt propriæ ſubſtantiæ antiquæ; denſum verò, quod habet multùm materiæ, id eſt propriæ ſubſtantiæ antiquæ extenſibilis per corpuſcula, & parum quantitatis, id eſt extenſionis per interpoſitionem ſubtilium corpuſculorum. *Ad Tertium* verum eſt, Scotum opponere huic modo argumenta quædam; hoc tamen facit tantùm diſputationis causâ; non verò ideo, quaſi modum hunc improbabilem omnino judicaret ob rationes à ſe oppoſitas: ad quarum *primam* dico, etſi difficile videatur, quòd ab igne, vel Sole poſſit generari corpus ſubtilius vinô; attamen faciliùs hoc fieri poteſt, quàm quod duæ partes quantitatis ſint in eadem parte ſubſtantiæ; vel una pars in duobus adæquatis, & alia inconvenientia, quæ ſequuntur ex aliis ſententiis, & modis *priori quæſtione* refutatis. Deinde ſicut Sol ex aqua generat, & attrahit varios vapores; item ex terra exhalationes; ſic etiam videtur poſſe idem Sol, & ignis generare ſubtiles aliquos quaſi ſpiritus igneos, ſeu corpora ignea ſubtiliſſima, quæ primò poros ollæ v.g. ſubingrediantur, deinde ipſum vinum in ea contentum agitare incipiant, diſcontinuentque ac dilatent ejus partes, ſicque efficiant Rarefactionem. Ad *ſecundam* rationem Scoti dico, mirum quidem videri, quòd aliqua ſubſtantia manens eadem non poſſit mutari à rara ad denſam: ſed oppoſitum videtur magis mirum; cùm ejuſmodi mutatio fieri deberet, vel per penetrationem partium rei condenſatæ; vel per alium modum ex ſuprà recenſitis, qui aliud inconveniens involveret. *Ad authoritatem Scoti in 4.* Neg. Ant. nam etſi hunc modum de quantitate nova cenſeat probabilem (quem & ego propterea Concluſ. 1. amplexus

plexus ſum) non tamen aſſertivè procedit, hunc ſolùm adſtruendo.

9. *Alia rurſus rationes oppoſita.* Objicies rurſus varia argumenta, quibus adverſarii modum in concluſione allatum convellere conantur: *primò*, ſi vas aliquod repletum aquâ tempore brumali congeletur, tandem frangitur, ne detur vacuum; quòd fieri non deberet, ſi Condenſatio fieret per egreſſum corpuſculorum; nam tunc corpuſcula immixta aquæ egrederentur, & occuparent locum ab aqua condenſata relictum; ſicque impedirent vacuum, & conſequenter rupturam vaſis ex metu vacui procedentem: Ergo reverà Condenſatio non fit per egreſſum corpuſculorum. *Secundò*, nonnulla corpora rareſiunt ita, ut decuplò plus ſpacii occupent nunc, quàm antè: ſed ſi Rarefactio fieret per ingreſſum corpuſculorum, ſequeretur, quòd decuplò plus de ſubtilibus iſtis corporibus reperiretur inter latera rei rarefactæ, quàm de propria ſubſtantia, quod videtur incredibile; quia tunc deberent apparere, & noſtrum ſenſum movere potiùs corpora ſubtilia intra poros, & latera rei rarefactæ latentia, & contenta, quàm ipſum corpus rei rarefactæ; quod eſt contra experientiam: Ergo &c. *Tertiò*, ipſa etiam corpuſcula poſſent rareſieri unà cum re rarefacta; & hæc utique per alia corpuſcula, quæ rurſus etiam poterunt rareſieri per alia; & ſic quoque de his, & aliis; unde ſequeretur proceſſus in infinitum, qui eſt declinandus: Ergo &c. *Quartò*, ſequeretur, quòd juxta hunc modum in reſpiratione noſtra contingeret aliqua Rarefactio; quia in ea pectus noſtrum dilatatur; uti & folles, dum aër attrahitur, & eo ingrediuntur ſubtiles portiones ejus, quæ ſunt corpuſcula quædam ætherica: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. *Quintò*, ſi ſpecies Sacramentales rareſierent per ingreſſum corpuſculorum, & rurſus condenſarentur per egreſſum eorundem, ſequeretur, quòd illa corpuſcula egredientia deberent capi à Sacerdote, & poni in Sacrario; quia continent Corpus CHRISTI; nam præfuerunt unà cum eo ſub ſpeciebus conſecratis: ſed ſequela eſt contra uſum Eccleſiæ, & involvit impoſſibilitatem: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum*, illud vas non propterea frangi, ut vacuum in eo impediatur poſt congelationem aquæ, ſed partim ex eo, quòd humor ille, qui conglutinabat partes integrales vaſis, diſtemperetur; ſicque latera vaſis fragilia reddantur; quâ ratione etiam ferrum congelatum fragilius redditur; uti patet experientiâ: partim ex eo, quòd agentia conſtringentia aquam ſuo impetu latera vaſis comprimant diſſolvantque; unde quandoque in maximis frigoribus etiam hac de cauſa vacua vaſcula diſrumpuntur: partim tandem ex eo, quòd aqua in vaſe ſecundùm ſuperficiem ſuperiorem, & extimam primò congelata in fundo, in medio areſcat ob aërem circumſtantem, exhalationeſque & alios halitus præſentes, qui ex aliis aquæ partibus eò coacti fuêre; hi deinde exire conantes diſtendunt vas, illudque rumpunt: & ob eandem cauſam etiam ipſam glaciem ſuperiùs in gibbum elevant. *Ad Secundum* Neg. ſecundam partem Min. cum ratione ejuſdem; quia cùm iſta corpuſcula ſint valde ſubtilia, & inſenſibilia, minimæque entitatis, & coloris aut aërei, aut alterius non facilè ſenſibilis; idcirco etſi ſint ad decuplum plus multiplicata, attamen non cadunt ſub ſenſum, neque movent ſenſum viſûs; maximè cùm ſint valdè mobilia, & à cauſa efficiente Rarefactionem, v. g. ab igne cauſante ebullitionem aquæ, agitantur hinc inde, & ita viſum ſubterfugiunt: unde quando rareſit pulvis nitricus, quamvis in toto illo ſpacio, quod ab accenſo illo pulvere occupatur, ſit multò plus aëris, quàm pulveris accenſi, tamen ita abripitur, & feritur ſenſus, ut aër, & exhalatio ei permixta non moveat ſenſum aſpicientis. *Ad Tertium* Neg. Ant. quia cùm illa corpuſcula ſint minimæ entitatis, & conſequenter non poroſa, non eſt concedendum ea poſſe rareſieri, aut condenſari; unde declinatur proceſſus in infinitum. *Ad Quartum* Neg. Ant. nam non quæcunque dilatatio, aut interpoſitio unius corporis intra partes alterius (qualis eſt interpoſitio aëris intra folles in reſpiratione) eſt Rarefactio propriè dicta, & de qua hic; uti malè ſentire videntur quidam adverſarii: ſed tantùm illa, quæ ſit intra poros, ita ut corpus rarefactum quoad ſenſum maneat continuum, & ex ſe ſit poro-

10. *Repudiantur.*

poroſum, ac receptivum corpuſculorum intra poros, quæ deinde diſtendant latera, & partes corporis rarefacti ſub quadam continuatione earundem: quod ſi ſecùs fiat partium avulſio (utì fit in elevatione pectoris, & follium) potiùs erit quædam ſeparatio, quàm Rarefactio. *Ad Quintum* Neg. ſequelam Maj. nam illa corpuſcula egredientia nil Divinitatis, vel Corporis CHRISTI continent; quia non ſunt materia debita Conſecrationis; ſed extranea, quæ per accidens conjuncta fuit cum Corpore CHRISTI; nec conſequenter continent Corpus CHRISTI: deinde non præfuerunt tempore Conſecrationis in corpore panis, vel vini: & tametſi etiam præfuiſſent ſtante Rarefactione panis, & vini temporo Conſecrationis, adhuc tamen non continerent Corpus CHRISTI; nec conſequenter poni deberent in ſacrario in ſuo egreſſu tempore Condenſationis ſpecierum Sacramentalium; quia non præfuerunt ut materia conſecrabilis, quæ eſt ſola ſubſtantia naturalis panis, & vini, ſecluſis aliis quibuſcunque minutis peregrinis ſubſtantiis.

DISTINCTIO VII.

DE MIXTIONE & MIXTO.

Procemium.

Mixtionem annumerat Philoſophus motibus phyſicis, & comitatur communiter generationem, ac alterationem; unde ad hunc quoque Tractatum de Ortu, & Interitu corporum naturalium pertinet. Contingit autem tum inter elementa, quando hæc permiſcentur in ordine ad generandum tertium, quæ mixtio dicitur prima Mixtio, *tum inter compoſita naturalia, quæ in ſe invicem ſæpiùs vertuntur, & permiſcentur. De utraque hìc. Unde ſit*

QUÆSTIO I.

De quidditate, & exiſtentia Mixtionis.

1. *Quid Mixtio impropria, & propria.*

NOta primò: dupliciter ſolet uſurpari Mixtio, impropriè, & propriè. *Mixtio impropria* eſt omnis juxtapoſitio, & congeries plurium rerum etiam diverſæ rationis, retinentium ſuas formas proprias; hoc ſenſu congregatio plurium nummorum aureorum, & argenteorum in marſupio vocatur Mixtio; item confuſio plurium granorum in eodem ſacco; item congregatio bonorum, & malorum in Eccleſia Mixtio vocari poteſt. *Mixtio propria* eſt congreſſus præcisè Elementorum, & inde conſurgens generatio alicujus corporis naturalis. Hanc ſic deſcribit Philoſophus *1. de generatione cap. 10. tex. 90. Mixtio eſt miſcibilium alteratorum unio*: quæ deſcriptio intelligenda eſt in ſenſu cauſali, quatenus ſcilicet talis unio eſt cauſa generationis, in qua conſiſtit formaliter ratio Mixtionis. Ariſtoteles autem per ly *miſcibilium* intelligit plura elementa, quæ ſeſe mutuò ita convellunt, interſecant, & intercipiunt variis alterationibus, quoadusque debitè permiſceantur, & conſurgat tertium compoſitum, quod mixtum appellatur: per ly *alteratorum* intelligit elementorum permixtorum temperiem quoad quatuor qualitates primas, quæ

mutua actione, & reactione ita alterant, & diſponunt elementa, ut fiant apta ad generationem formæ Mixti. Clariùs deſcribendo Mixtionem

2. *Authoris deſcriptio pro Mixtione propria.*

Dico primò: bene deſcribitur Mixtio propria, quòd *ſit generatio alicujus corporis naturalis ex pluribus elementis alteratis, & coëuntibus, quæ deinde virtualiter in ipſo perſeverent.* Eſt ad principia Philoſophi mox *citati*, & Scoti *1. Report. diſtinct. 3.*

Probatur: hæc deſcriptio clarè exprimit, & elucidat naturam Mixtionis: Ergo &c. Ly *generatio* eſt genus: reliqua ſtatuuntur pro differentia. Dicitur *generatio alicujus corporis naturalis*, ut exprimatur effectus Mixtionis, qui eſt productio corporis phyſici. Dicitur *ex pluribus elementis* ad differentiam productionis illius, quâ generatur aliquod corpus ſimplex; cujuſmodi eſt quodvis elementum, quod non fit ex congreſſu plurium elementorum. Dicitur *alteratis*; ut inſinuetur Mixtionis modus; nam ut habeatur debita Mixtio generativa corporis naturalis, debent elementa debitè alterari, & ad certam temperiem eorum qualitates primæ reduci, ac ita diſponi, ut demum ſequi poſſit generatio formæ Mixti. Additur *& coëuntibus*, ad deſignandum in Mixtione propria elementa debere coire inter ſe, ac ſibi ita applicari ſecundùm contactum phyſicum, ut ſeſe mutuò impetere, incidere, & alterare valeant. Apponitur *quæ deinde virtualiter in ipſo perſeverant*, ut oſtendatur Elementa poſt ſui converſionem in mixtum aliquomodo, ſcilicet virtualiter remanere in compoſito, quod conſurgit ex Mixtione eorundem, ut habet Scotus *2. diſtinct. 15. quæſt. un.* Et *in Report.* ibidem: quæ permanentia qualiter ſit intelligenda, ſatis docui *Tractatu 3. hujus Tomi 2. diſtinct. 1. quæſt. 3.* Ex his

3. *Conditiones debitæ Mixtionis.*

Infertur primò: in Mixtione propriè dicta requiri ſequentes conditiones. *Prima* eſt, ut adſint miſcibilia, id eſt, elementa, ex quibus fiat Mixtio. *Secunda* eſt, ut iſta elementa ſint activa, & paſſiva; ut enim producatur mixtum aliquod, debent elementa miſcibilia inter ſe confligere, alterari, remitti, & refrangi ſecundùm ſuas partes, ad quæ omnia ratio activi, & paſſivi in eis requiritur. *Tertia*, ut minima pars unius elementi miſcibilis miſceatur cum minima parte alterius elementi; aliàs non Mixtio, ſed juxtapoſitio contingeret. *Quarta*, ut Mixtum contineat elementa virtualiter. *Quinta*, ut multum unius Elementi non avellatur à pauco alterius; aliàs contingeret augmentatio, vel deſtructio, qui ſunt motus diverſi à Mixtione; ſic v. g. gutta aquæ conjecta in rogum copioſum non cenſetur propriè miſceri; ſed penitùs abſumi, & interire.

4. *Diſtinguitur à generatione.*

Infertur ſecundò: Mixtionem diſtingui à Generatione. Nam Mixtio eſt quoddam ſuperius, & genus: Generatio verò eſt inferius, & ſpecies; unde non omnis Generatio eſt Mixtio.

5. *Philoſophus reconciliatur.*

Objicies contra deſcriptionem datam in Concluſione: Philoſophus *3. de Generat. animal. cap. 11.* docet, quædam viventia generari ex unico elemento, ſcilicet ex aëre generari aves, piſces ex aqua, & belluas ex terra: Ergo in deſcriptione Mixtionis malè apponitur, quòd *ſit generatio corporis naturalis ex pluribus elementis*. Reſpondeo interpretando Philoſophum, & dico, ipſum loc. cit. ſolùm velle innuere prædominium unius elementi præ altero in quibuſdam viventibus; ſic ſcilicet, quòd in avibus prædominetur elementum aëris; in piſcibus prædominetur elementum aquæ; & in belluis elementum terræ: cum quo ſtat, quod in eorum compoſitione concurrat aliud quoque elementum. Circa ſecundum punctum quæſtionis

6. *Extant mixtiones.*

Dico ſecundò: admittendæ ſunt Mixtiones elementorum. Ita Scotus *in Report. diſtinct. 3. quæſt. 3.* & alibi; & ſequuntur Scotiſtæ communiter; contra quoſdam veteres, quos impugnat Philoſophus.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui Mixtiones elementorum aſſerit *1. de generat. cap. 10. tex. 82.* *Secundò*, admittenda ſunt varia Mixta; quia hujuſmodi oculis noſtris intuemur, ut culices, muſcas, pulices, &c. quæ generantur ex aqua, aëre, & terra: ſed horum productio eſt Mixtio: Ergo admittendæ ſunt Mixtiones. *Tertiò*: experientia docet fieri Mixtiones artificiales, dum ſucci per diſtillationes extrahuntur ex herbis, arboribus, radici-

bus,

bus, & aliis compoſitis: Ergo etiam admittendæ ſunt Mixtiones naturales.

QUÆSTIO II.

De Mixto, & Mixtorum Temperamento.

1. *Quid Mixtum, & quotuplex.*

Nota primò: per *Mixtum* intelligi compoſitum quoddam naturale, ſeu corpus naturale, quod vi Mixtionis conſurgit ex elementis inter ſe altera is, in quo remanent elementa virtualiter. Mixta ſunt in duplici differentia, alia animata, alia inanimata. *Animata* ſunt, quarum forma ſubſtantialis eſt anima; hujuſmodi ſunt homo, leo, avis &c. *Inanimata* ſunt, quæ habent formam carentem omni vitâ; talia ſunt aurum, argentum, & uniones, quæ generantur ex Mixtione elementorum. De horum omnium cauſa effectiva inquiri poteſt.

2. *Nec elementa, nec cæli ſunt cauſa efficiens Mixtorum animatorum.*

Dico primò: cauſa effectiva Mixtorum animatorum quoad animam non ſunt elementa, neque cæleſtia aliqua corpora. Ita communis DD.

Probatur: nemo dat quod non habet, juxta communem parœmiam: ſed elementa, & corpora cæleſtia non habent ullam animam: Ergo neque eam in genere cauſæ effectivæ dare poſſunt mixtis animatis. Itaque elementa, & corpora cæleſtia ſunt tantùm cauſæ diſpoſitivæ, ratione quarum aliud agens vivum poſſit animam in materiam Mixti bene diſpoſitam introducere.

3. *Nec inanimatorum.*

Dico ſecundò: neque cauſa principalis effectiva Mixtorum inanimatorum ſunt elementa; ſed alia agentia univerſalia, puta corpora cæleſtia. Ita Scotus 2. *diſtinct.* 15. *quæſt. un.* & ſequuntur Scotiſtæ.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui 1. *Meter. cap.* 2. aſſignat pro cauſa principali effectrice mixtorum inanimatorum cælum: Ergo &c. *Secundò* ratione; elementa ob perennem luctam, & conflictum, quem inter ſe habent, aut debilitantur, aut corrumpuntur, aut rarefiunt; ac proinde virtutes eorum valde diminuuntur: Ergo inſufficientia ſunt ad efficiendum mixtum inanimatum; & conſequenter ad corpora cæleſtia pro eorum efficientia principali eſt recurrendum. *Tertiò*, hæc mixta in particulari aurum, argentum, uniones, lapides pretioſi, & alia metallica corpora nequeunt effectivè produci ab elementis; ſed pro eorum generatione recurritur communiter à Philoſophis naturaliſtis ad Solem, aliaſque Planetas, & cælos; unde Soli adſcribitur effectio auri, Lunæ argentum ſolidum, &c. Ergo &c. *Quartò*, omnis cauſa effectiva vel eſt univoca, vel æquivoca: ſed elementa non poſſunt eſſe cauſa univoca effectiva mixtorum inanimatorum; cùm mixta ſint diverſæ rationis ab elementis: nec poſſunt eſſe cauſa æquivoca; quia hæc eſt ſemper perfectior ſuo effectu; mixta verò ſunt perfectiora elementis: Ergo &c. Sunt ergo elementa cauſæ tantùm minùs principales effectrices mixtorum inanimatorum, ſi quam talem cauſalitatem in ea exercent.

Dico tertiò: etſi omnia elementa abſolutè poſſint concurrere ad generationem Mixti, ita ut forma Mixti in omnium materiam poſſit introduci; attamen regulariter omnia non ita concurrunt. Ita communis Peripateticorum. 4. *Poſſunt, ſed defactò non concurrunt omnia elementa ad Mixtum.*

Probatur prima pars: omnia elementa poſſunt per mutuam actionem tandem diſponi cum tali proportione, ut ſe mutuò privent diſpoſitionibus neceſſariis ad retinendam ſuam formam elementarem; ſimiliter qualitates eorum ita poſſunt attemperari, ut forma Mixti in cujuſque materiam poſſit induci; hoc enim non eſt contra naturam elementorum, & earum qualitatum: Ergo &c.

Probatur ſecunda pars: defactò nunquam fit, ut omnia quatuor elementa ſimul congregentur in ea proportione, ut mutua actione poſſint ſe ſecundùm ſuas qualitates eatenus refringere, quatenus proveniat debita diſpoſitio Mixti; præſertim cum virtutes naturales eorum tendant in diverſa: Ergo &c.

Quæres: an etiam ex liquorum compoſitorum permixtione reſultare poſſit Mixtum tertium diſtinctum? Reſpondeo, ſi liquores illi participent diverſas naturas ſpecificas, dico ex eis poſſe fieri Mixtum quoddam tertium, ſecundùm 5. *An ex liquoribus confuſis poſſit conſurgere mixtum tertium.*

cundùm ſubſtantiam diſtinctum â quovis liquore ſeorſum. Ratio eſt; quia in illis liquoribus participantibus diverſas naturas ſpecificas poſſunt eſſe qualitates activæ, quæ tales alterationes inducant ſuô conflictu mutuô, ut formæ ſubſtantiales liquorum corrumpantur, & ipſimet liquores abeant in tertium. Quod ſi verò participent eandem naturam ſpecificam, dico ex eis non generari Mixtum tertium diſtinctum. Ratio eſt; quia una ſpecies non corrumpit alteram ſimilem, ut exinde aliam producat. Circa Temperamentum Mixtorum

Nota ſecundò: Temperamentum Galenus deſcribit ſic, *eſt concentus ſeu harmonia quatuor qualitatum primarum ad certam mediocritatem reductarum.* Alii Medici paulò aliter, *eſt aggregatio primarum qualitatum ad certam temperiem redactarum:* Alii ſic, *Temperamentum eſt ſimetria id eſt primarum qualitatum proportio.* Etſi autem iſtæ deſcriptiones ſint explicativæ utcunque Temperamenti; attamen cum Scoto

6. *Deſcriptiò Temperamenti.*

Dico quartò: rectè deſcribitur Temperamentum, quòd *ſit congrua diſpoſitio qualitatum convenientium, quâ forma Mixti conſervatur in ejus materia.*

Probatur: hæc deſcriptio debitè elucidat naturam Temperamenti: Ergo &c. Ly *diſpoſitio* ponitur locô generis; reliqua locô differentiæ. Dicitur *congrua diſpoſitio* qualitatum convenientium, per quod datur intelligi, primas qualitates, quæ Mixto inſunt, debere ritè, & cum debita proportione ita ineſſe, & ei convenire, ut diſponatur Mixtum & manuteneatur per earum harmoniam; unde ratione talis diſpoſitionis congruæ, ſeu attemperationis forma Mixti conſervatur in ejus materia, & conſequenter totum Mixtum ſecundùm ſuum eſſe perſeverat; unde additur in deſcriptione, *quâ forma Mixti conſervatur in ejus materia;* defectu verò talis congruæ diſpoſitionis natura Mixti diſtemperatur, formaque ejus recedit ex materia; & tandem perit totum Mixtum.

7. *Quid Temperamentum uniforme, & difforme.*

Nota autem tertiò: Medicos dividere Temperamentum in uniforme, & difforme, quæ Philoſophi appellant temperamentum ad pondus, & ad juſtitiam. *Temperamentum uniforme*, ſeu *ad pondus* quod & *temperatiſſimum* appellatur) eſt illud, in quo omnes primæ quatuor qualitates in æquilibrio, ſeu cum omnimoda proportione graduum coëunt, ita ut æquè ponderent; unde etiam *ad pondus* nuncupatur, v. g. ſi omnes quatuor qualitates eſſent intenſæ ut ſex. *Temperamentum difforme* ſeu *ad juſtitiam* (quod etiam vocatur *intemperatum*) eſt illud, in quo omnes primæ quatuor qualitates non coëunt cum æquali proportione graduum; eſt tamen ſecundùm exigentiam Mixti, & propterea dicitur eſſe *ad juſtitiam*, quia exigitur â Mixto; tale eſt in hominibus plerumque qui etſi conſtent majori calore, & ſiccitate, quam frigiditate & humiditate; hujuſmodi tamen qualitatum exceſſus, & defectus exigitur à complexione humana.

8. *Variæ ſpecies Temperamentorum.*

Nota quartò: Temperamentum difforme, ſeu ad juſtitiam poteſt eſſe ſimplex & compoſitum. *Simplex* eſſet, ſi una duntaxat qualitas excederet contrariam; aliæ verò eſſent in æquali gradu attemperatæ. *Compoſitum* eſſet, ſi duæ qualitates coëuntes eſſent inæquales, & excederent alias duas. *Compoſitum Temperamentum* communiter ſtatuitur quadruplex: *primum*, in quo abundat, & excedit calor, ac ſiccitas; & hoc dicitur *igneum*; & in animalibus *colericum*. *Secundum*, in quo abundat, ſeu excedit humiditas, & frigiditas; & hoc vocatur *aqueum*; in animalibus verò *phlegmaticum*. *Tertium*, in quo abundat, & excedit humiditas, & calor; & hoc nuncupatur *aereum*; in animalibus verò *ſanguineum*. *Quartum* eſt, in quo abundat, & excedit ſiccitas, ac frigiditas; & hoc vocatur *terreum*; in animalibus verò *Melancholicum*.

9. *Poteſt fieri mixtum cū uniformi temperat.*

Nota quintò: quòd poſſint generari Mixta, in quibus ſit Temperamentum uniforme, & ad pondus, utì colligitur ex Scoto *4. diſtinct. 49. quæſt. 13.* Et eſt ratio primò; quia non videtur, ex quo capite ſit impoſſibile omnes quatuor qualitates poſſe ita attemperari, ut coëant cum omnimoda æqualitate graduum ſuorum intenſionis, vel remiſſionis: Ergo &c. Secundò Theologi communiter tenent Chriſtum Salvatorem noſtrum habuiſſe ejuſmodi Temperamentum; unde erat ſpecioſus formâ præ filiis hominum, & omnium ſaniſſimus. Idem plures ſentiunt de Adamo in ſtatu Innocentiæ: Ergo &c.

Nota

10. *Quod temperat, ſit accommodatius.* Nota ſextò: Temperamentum, quod ex cholerico, & melancholico componitur, judicant plures verſatiores Medici eſſe in homine præ cæteris accomodatius ad nobiliores functiones humanas. Rationem dant; quia illi, quorum corpora cum ſimili Temperamento condita ſunt, ob flavam bilem, ſeu choleram, ſunt agiles, aërii, facilè apprehendentes, expeditè ac velociter ratiocinantes; ob melancholiam verò admixtam animum ab externis avocant, & in ſe recollecti ſpeculantur agibilia grandia, incumbunt executioni præmeditatarum & præconceptarum ſuarum actionum, de inventis conſtanter judicant; & cùm ſiccitas præponderet in eorum corpore, pauca habent excrementa, quæ aliàs ſpiritus conturbant, & obfuſcant. Quare refert Philoſophus *Sect. 30.* problemat: omnes inſignes, & ingenioſos antiquos Philoſophos, celebriores item Rerumpublicarum Adminiſtratores, & Laureatos Poëtas fuiſſe melancholicos. Sanguineorum Temperamentum ſuccedit cholerico-melancholico; ſed eſt eô longè inferius: nam etſi ſanguinei ſint valde habiles ad functiones potentiarum vegetativarum, quia ſcilicet calidi, & humidi ſunt; non tamen æquè ad functiones ſenſuum internorum. Cholericorum Temperamentum deinde ſuccedit ſanguineo; & qui illô potiuntur, citò quidem apprehendunt, ac expeditè penetrant, & intelligunt; attamen quia ſunt inquieti, minùſque conſtantes, ac laborum impatientes, ac citò arreptâ quavis occaſione animum ad alia convertunt; ideo minùs ſolidè judicant, & ratiocinantur. Phlegmaticorum Temperamentum eſt omnium viſius; quia eô præditi ob nativi caloris imbecillitatem abundant excrementis, ob fuſcativis, & oppreſſivis ſpirituum; unde tales ſunt plerumque rudes, ſtolidi, ſomnolenti; & ad generoſas actiones inhabiles. Plura de Temperamento vide *in Tractatu de Phyſionomia Tomò tertiò.*

DISTINCTIO VIII.

DE ACTIONE PHYSICA; REACTIONE; & ANTIPERISTASI.

Prænotatio.

P*Lura de uſurpatione varia, natura, & diviſione Actionis (qua motus quidam eſt à Philoſopho hìc conſideratus) aliaq; eam concernentia attuli* Tomò 1. Tract. 5. Diſt. 8. quæſt. 2. *&* *hòc* Tomò 2. Diſt. 10. quæſt. 7. *ubi Actionem in diſtans examinavi. Et* quæſt. 16. *ubi Actionem agentis ſeſe ipſum efficientis ventilavi; reliqua hac Diſtinct. expediam, ſicq; terminabo hunc Tract. de Generatione & Corruptione. Quare ſit*

QUÆSTIO I.

An detur Actio ſimilis in ſimile; & in ſcipſum.

N*Ota primò*: Poſſe aliqua dupliciter eſſe ſimilia, in forma ſcilicet ſubſtantiali, & in forma accidentali. *In forma accidentali ſimilia* nuncupantur illa, quæ habent ſimilia accidentia qualita- 1. *Dupliciter aliqua ſunt ſimilia.*

tum; cujuſmodi ſunt duo calida, vel duo frigida. *Similia in forma ſubſtantiali*, ſeu natura, ſunt illa, quæ participant eandem ſpeciem; talia ſunt v. g. Plato, & Socrates. De primis ſimilibus hæc procedit quæſtio.

Nota ſecundò: ſimilia in forma accidentali qualitatum rurſus ſunt in duplici differentia; alia enim ſunt, quæ in eodem prorſus gradu qualitatis conveniunt; ita ſe habent v. g. duo calida, ut quatuor. Alia ſunt quæ in diverſo gradu participant eandem qualitatem; ita ſe habent unum calidum ut quatuor, & alterum calidum ut ſex, v. g. ferrum calidum ut quatuor, & lapis calidus ut ſex.

2\. *Simile per omnia non agit in ſimile.*

Dico primò: ſimile in forma accidentali, & gradu ejuſdem qualitatis non agit in ſimile in eadem forma, & gradu qualitatis. Ita Scotus *1. diſtinct. 17. quæſt. 3.* & ſequuntur Scotiſtæ communiter; contra Marſil. Tolet. &c.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *1. de generat. 50.* dicit, *agens agit in paſſum, ut in aliud*: ſimile autem in forma accidentali, & eodem gradu qualitatis non reſpicit alterum tale ſimile tanquam ſuum paſſum, & aliud; cùm participet eandem formam, & gradum formæ: Ergo &c. *Secundò* experientiâ; quia etſi duo calida ut quatuor ſibi invicem applicentur, nunquam experimur calorem eorum augeri ad quintum gradum: etſi contendas talem ab ipſis augeri, utique ſucceſſivè uſque ad octavum gradum eum poſſent augere, quod adverſatur rurſus experientiæ: ſed hoc fit ideo, quia ſimile in forma accidentali, & gradu qualitatis non agit in ſimile: Ergo &c. *Tertiò* ratione: agens agit ex victoria, quam reportat ſuper paſſum juxta Philoſophum *1. de generat. cap. 7.* ſed unum ſimile in forma accidentali, & gradu qualitatis nullam poteſt reportare victoriam de alio per omnia ſimili; cùm ambo ſint æqualia: Ergo &c.

Objectiones.

Objicies *primò*: ſi uni lucernæ in camera addatur altera lucerna pariter accenſa per omnia æqualis, & ſimilis lucis, lumen cameræ augebitur: ſed hoc fit, quia ſimile agit in ſimile: Ergo &c. *Secundò* duæ manus calidæ, & ſimiles in gradu caloris ut quatuor ſimul junctæ mutuò ſe fovent, & ſuum calorem ſervant: Ergo tunc unum ſimile agit in aliud ſimile. *Tertiò*, aër frigidus congelat aquam: Ergo in aqua producit majus frigus, quàm contineat; ſicque agit in ſimile illud intendendo. *Quartò*, aliquod agens naturale poteſt in paſſo diſſimili producere majorem formam: Ergo multò magis poterit producere formam ſimilem in paſſo ſimili. Probat. Ant. ferrum candens accendit ſtramen, & conſequenter in eo producit majorem calorem in illo, quàm in ſe; cùm ferrum candens non ſit accenſum: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſequent. quia una lucerna non augebit intenſivè lumen alterius per Actionem ſimilis in ſimile addendo aliquos gradus; ſed ſolùm illud auget extenſivè longiùs ſcilicet diffundendo lumen, quàm priùs diffundebatur. *Ad Secundùm* Neg. Conſeq. nam etſi illæ duæ manus junctæ conſervarent, & foveant calorem habitum; quia quà junctæ meliùs reſiſtunt agentibus infrigidantibus; nullum tamen gradum novi majoris caloris producunt per Actionem ſimilis in ſimile. *Ad Tertium* Neg. Conſeq. nam aër congelans, & aqua congelata habent eoſdem, & ſimiles planè gradus frigoris: quòd autem frigus aquæ congelatæ magìs ſentiatur â manu v.g. tangente illam glaciem, oritur ratione denſitatis glaciei, quæ denſitas frigoris activitatem acuit, ejus partes ſtrictiùs uniendo; partes enim alicujus qualitatis eò plùs habent activitatis, quò plùs conjunctæ ſunt; conjunguntur autem, & uniuntur plùs per denſitatem, ſicque meliùs eidem parti ſubſtantiali applicantur, & propterea Actio eſt fortior; virtus enim unita fortior, inquit commune adagium Philoſophorum: & hinc ferrum candens illico adurit manum etiam leviter admotam, non ſic flamma ignis, per quam manus leviter traducitur. *Ad Quartum* Neg. Ant. ad ejus Probat. Neg. Conſeq. nam ferrum candens non accendit ſtramen; ſed ignis latens in poris ferri; unde ſtramen non â ferro, ſed ab igne recipit majorem calorem, & accenſionem. 4. *Expediuntur.*

Dico ſecundò: ſimile tamen in forma accidentali, ſed non in gradu qualitatis poteſt agere in aliud ſimile. Ita colli- 5. *Simile in forma ſed nō in gradu agit in ſimile.*

colligitur ex Scoto cit. & ſequitur Columb. & alii Scotiſtæ.

Probatur experientiâ: manus calefacta â radiis Solis calidis ut duo poteſt ampliùs calefieri ab igne calido ut ſex: ſed hoc per Actionem ſimilis in ſimile in forma accidentali, ſed non in gradu qualitatis: Ergo &c. Circa alterum articulum quæſt.

Nota tertiò: Actionem aliam eſſe perfectivam, aliam corruptivam. *Actio perfectiva* eſt, quâ agens perficitur; talis eſt intellectio, quâ intellectus perficitur. *Actio corruptiva* eſt, quâ agens corrumpitur; v. g. dum caput hominis corrumpitur nimiô ſtudiô. Rurſus alia eſt Actio univoca, alia æquivoca. *Actio univoca* eſt, quâ agens producit formam ejuſdem rationis cum forma, quam in ſe habet, talis eſt ignitio, per quam ignis producit ignem. *Æquivoca* eſt, quâ agens producit formam alterius rationis, & ſpeciei ab illa, quâ conſtat ipſum agens; talis eſt intellectio, quæ eſt diverſæ rationis, & ſpeciei ab intelligente; cùm illa ſit accidens, intelligens verò ſubſtantia.

6. *Idem nequit in ſeipſum agere actione corruptivâ.*

Dico tertiò: idem nequit directè in ſeipſum agere Actione univocâ, neque æquivocâ corruptivâ; poteſt tamen id præſtare Actione æquivocâ, & perfectivâ. Ita Scotus *1. diſt. 3. q. 7.* & *2. diſt. 25. q. un.* & ſequitur communis Scotiſtarum; contra Areſ. &c.

Probatur prima pars: tum omnibus illis rationibus, quibus ſuprà hoc eodem *tomo. diſtinct. 10. quæſt. 16.* oſtendi nullam cauſam poſſe ſeipſam efficere; quòd tamen fieret, ſi idem directè in ſeipſum ageret Actione univocâ: Ergo &c. Tum quia ſimile non agit in ſimile in forma & gradu, ut *Concl. 1.* oſtenſum eſt: Ergo multo minùs in ſeipſum Actione univocâ. Tum quia agens agendo in ſeipſum Actione univocâ, deberet in ſe producere illam formam, quam jam habet: ſed hoc videtur inconveniens; quia aliàs illam tempore talis Actionis haberet, & non haberet; haberet ut ſupponitur; non haberet illam, quia intendit illam producere, & productio ſupponit privationem rei producendæ: Ergo idem nequit directè in ſeipſum agere Actione univocâ.

7. *Bene tamen*

Probatur ſecunda pars: agens æquivocâ Actione nil corrumpit, niſi quod eſt ſibi contrarium: ſed nihil ſui eſt ſibi contrarium: Ergo agens non agit in ſeipſum Actione æquivocâ corrupuivâ. Præterea nulla res tendit, & machinatur poſitivè, per ſe & directè ſui interitum; omnis enim res exiſtens appetit ſuum eſſe, & illud pro viribus conſervat: Ergo nullum agens agit in ſeipſum Actione corruptivâ.

Actione perfectivâ.

Probatur tertia pars: aqua v. g. calefacta ſibi relicta per ſuam nativam formam ſubſtantialem reproducit in ſe ſuum frigus: item homo per ſuam intellectionem ſeipſum intelligit: ſed hæc contingunt Actione æquivocâ aquæ, & hominis ejuſdem in ſeipſum agentium: Ergo idem poteſt directè in ſeipſum agere Actione æquivocâ.

Objicies contra hanc tertiam partem *primò*: omne agens agit ut aſſimilet ſibi paſſum: ſed nihil poteſt ſibi aſſimilare ſeipſum: Ergo nihil poteſt agere in ſeipſum Actione æquivocâ. *Secundo*: Philoſophus adverſatur huic parti concluſionis: Ergo &c. Probat. Ant. Philoſophus *7. Phyſic. cap. 1.* & alibi docet, quòd quidquid movetur, ab alio moveatur; id eſt, quidquid mutatur, ab alio mutetur; motus enim & mutatio univerſaliter idem ſonant: Ergo nihil movetur, aut mutatur â ſeipſo. 8. *Rationes adverſæ.*

Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Maj. omne agens univocum agit, ut aſſimilet ſibi paſſum Conc. Maj. omne agens æquivocum Neg. Maj. *Ad Secundum* Neg. Ant. ad ejus Probat. Diſt. pariter cum Scoto *1. diſtinct. 3. quæſt. 7.* Maj. quidquid movetur univocè, ab alio movetur Conc. Maj. quidquid movetur æquivocè, ab alio movetur Neg. Maj. 9. *Diluuntur.*

QUÆSTIO II.

De Actione per antiperiſtaſim, per reflexionem, & de Reactione.

1. *Quid ſit antiperiſtaſis.*

Nota primò: Ly *Antiperiſtaſis* eſt vox Græca, Latinè ſonat idem quod *circumobſiſtentia* ſeu *circumobſeſſio* contrarii debilioris â contrario fortiori circumdante, & circumvallante, ratione cujus cir-

circumvallationis, & obſidionis contrarii corpus obſeſſum evadit potentius ad retundendas contrarii vires, & ſic intenditur; talis notatur in aqua putei tempore æſtatis, quæ eſt frigidior in æſtate, quàm tempore hyemis; & ècontra tempore hyemis eſt calidior, quàm tempore æſtatis propter obſeſſionem contrarii. De Actione hujus Antiperiſtaſis hìc inquiritur.

2. *Datur Antiperiſtaſis.* Dico primò: admittendæ ſunt Actiones Antiperiſtaſum: ita colligitur ex Scoto; & eſt communis Peripatetic. contra Cardanum, & Galenum.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *1. Meteor. 1.* & Hippocrates, qui *lib. 1. aphoriſmo 15.* Antipariſtaſim concedunt: Ergo &c. *Secundo* experientiis variis: nam ſpecies ſubterraneæ æſtate frigent, & hyeme calent, utique ob Actionem Antiperiſtaſis; quia ſcilicet exhalationes calidæ, quæ ſuperfuerunt in terra per Solis receſſum, & per adventum hyemis recluduntur â frigore, quod tunc in ſuperioribus partibus terræ maximè viget, ſic calefaciunt in hyeme puteos; ècontra verò, quia frigus terræ obſidetur â calore in æſtate; ideo aqua putei frigidior fit: Ergo &c. Item ventres animalium hyeme calidiores efficiuntur, quàm æſtate; ut notat Hippocrates *citatô locô.* Et Ariſtoteles *26. problemat. quæſt. 13.* quorum eventuum alia cauſa aſſignari nequit, quàm Actio Antiperiſtaſis, ſeu circumſeſſio contrarii, ratione cujus vires frigoris in illis ſpecibus, & vires in ventre animalium colliguntur; collectæ autem fortiores & validiores ſunt: Ergo &c. Idem patet in aquis putealibus, quæ æſtate frigidiores efficiuntur per circumſeſſionem caloris, & in hyeme calidiores, ob circumvallationem frigoris. Item aqua tepida frigori expoſita citiùs congelatur, quàm frigida, ob Actionem Antiperiſtaſis; & aër ſub aurora frigidior eſſe ſolet; quia radii ſolares tunc Antiperiſtaſim in eo cauſant: Ergo reverà admittendæ ſunt Antiperiſtaſes.

Objicies cum Galeno *3. de ſimplicium medicamentorum facultatibus cap. 7.*
2. *Galenus expeditur.* ſenſus noſter falsè judicat, aquam eſſe calidiorem in puteis tempore hyemali, quàm tempore æſtivô: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. nam Galenus in hoc imperfectum habuit ſenſum; cùm majorem calorem aquæ putealis in hyeme clarè arguat fumus, qui inde exit; & quia quivis bene ſenſatus notat manu ſuâ majorem calorem in ea in hyeme.

Dico ſecundò: malè ſtatuitur cauſa effectiva per ſe Antiperiſtaſis aliquod contrarium obſidens. Eſt ad mentem Scoti; & conſentiunt Fuente, Columb. ac alii complures Scotiſtæ; contra Pomponat. 4. *Contrarium obſidens non eſt cauſa efficiens per ſe antiper.*

Probatur: contrarium obſidens eſt potius cauſa deſtructiva qualitatis contrariæ intenſæ v.g. frigoris in aquis putealibus tempore æſtivô; nec qualitatem contrariam in ſua virtute continet: Ergo ipſum malè conſtituitur pro cauſa effectiva per ſe Antiperiſtaſis. Eſt ergo contrarium obſidens tantùm cauſa per accidens Antiperiſtaſis; quatenus ſcilicet impedit, ne qualitas intenſa oppoſita ulteriùs progrediatur, & ampliùs intendatur.

Dico tertiò: cauſa vera effectiva Antiperiſtaſis eſt aliquando intrinſeca, 5. *Sed aliquando aliquarati intrinſeca.* aliquando extrinſeca. Ita ad mentem Scoti ſentiunt P. Fraſſen, Columb. Fuente, & alii Scotiſtæ; contra Hippocrat. & Salem. &c. cauſam per ſe effectivam Antiperiſtaſis aſſignantes tantùm circumobſiſtentiam contrarii, quæ in calidis impedit tranſpirationem ſeu egreſſum partium calidarum, quô fit, ut omnes illæ ſimul junctæ fortiùs agant; in frigidis verò facit, ut partes calidæ, ſi quæ ſint, per frigidarum partium unionem depellantur.

Probatur prima pars de cauſa intrinſeca; quando qualitates, quæ per Antiperiſtaſim intenduntur, ſunt ſubjecto connaturales (quomodo connaturalis eſt calor igni, & frigus aquæ) tales qualitates intenduntur â forma ſubſtantiali earum: ſed hæc eſt cauſa intrinſeca: Ergo &c. Probat. Maj. forma ſubſtantialis aquæ in puteo tempore æſtivô magìs intenſæ in ſuo frigore appetit ſui conſervationem; cùm autem ſuum eſſe tueri nequeat, niſi beneficiô ſuarum qualitatum nativarum; idcirco dum illæ qualitates ab extrinſeco, id eſt ab obſidente calore æſtatis impugnantur, ipſa novos gradus qualitatis frigoris in ſe producit, quibus prior qualitas frigoris intenditur, magìſque roboratur: nam â forma ſubſtantiali perenni fluxu propriæ paſſiones fluunt, donec ad congruam, & ſubjecto competentem intenſionem perveniant: Ergo quando qualitates, quæ per Antiperiſtaſim intenduntur,

duntur, ſunt ſubjecto connaturales, tunc tales qualitates intenduntur intrinſecè â forma ſubſtantiali earum.

6. *Aliquando aliqua agentia extrinſeca.*

Probatur ſecunda pars: in æſtate multæ exhalationes calidæ virtute Solis, & aliorum corporum cæleſtium ex terra extrahuntur, & in aëre morantur; adventante verò hyeme ab aëre frigido in poros, & cavernas terræ depelluntur, & ibi â frigore hyemis omnia penetrante obſidentur, ne erumpant; hæ tunc ibidem conſtitutæ calefaciunt aërem ſubterraneum, & hic facit quoque incaleſcere aquas puteales, quas circumvallat, ſicque cauſatur in eis Antiperiſtaſis per cauſam extrinſecam, id eſt, per illas exhalationes calidas abſconditas, & aërem calidum: Ergo &c. Eâdem ratione cauſatur Antiperiſtaſis in ſpecubus ſubterraneis. Circa alterum articulum quæſt.

7. *Fiunt reflexiones, & per eas intenduntur qualitates.*

Nota ſecundò: experientiâ conſtat, quaſdam qualitates, cùm in certa corpora impingunt, reflecti; ſic v. g. reflectuntur ſpecies viſibiles â ſpeculo ad oculum; ſic ſonus, ſeu echo â loco flexuoſo, vel concavo ad aures reflectitur. Similiter experientiâ conſtat per reflexiones ejuſmodi intendi qualitates illas; nam quando Sol directè versùs terram proijcit ſuos radios, & calefacit aërem ac terram, tunc calor Solis intenditur ex reflexione terræ obſiſtentis, & reflectentis: ſimiliter lumen aëris, & Solis radii, & calor intenduntur ex reflexione ſpeculi. De iſta ergo reflexionis Actione hìc quæritur, quænam ſit cauſa illius intenſionis, quæ ratione reflexionis in qualitate oritur.

8. *Cauſa intenſionis qualitatis ex reflexione orta non eſt corpus reflectens; ſed agens producens qualitatem.*

Dico quartò: cauſa effectiva intenſionis qualitatis factæ in medio per Actionem reflexionis, non eſt corpus obſiſtens, & reflectens; ſed illud agens, quod producit illam qualitatem. Ita colligitur ex Scoto *4. diſt. 10. q. 9. §. ad argumenta.* Et ſequuntur Scotiſtæ Columb. Fuente, Maſtr. Bellut. & alii Scotiſtæ; & ex RR. Ruv. Averſ. Arriag. Areſ. &c. contra Joan. â S. Thom. Svar. &c.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui *8. Phyſic. tex. 31.* docet, cauſam motûs pilæ reſilientis â pariete ſibi objecto, non eſſe parietem: ſed proijcientem talem pilam: Ergo etiam â pari dicendum, quòd cauſa intenſionis qualitatis factæ in medio per Actionem reflexionis non ſit corpus obſidens, in quod impingit qualitas; ſed agens producens illam qualitatem, v. g. Sol, qui producit qualitatem caloris reflexi â corpore terræ. *Secundò* videtur inconveniens, quòd ſpeculum reflectens, quod ex ſe eſt corpus opacum, & nil lucis continens, intendat lumen â Sole productum, & non concedatur Soli, tanquam corpori habenti multam lucem, talis intenſio: Ergo &c. *Tertiò* magìs conſonum rationi eſt, ut illud ſit cauſa efficiens intenſionis qualitatis, quod eſt cauſa effectiva productionis ejuſdem: Ergo dicendum eſt, quòd cauſa effectiva intenſionis qualitatis in medio, factæ per Actionem reflexionis ſit revera ipſum agens, producens qualitatem. Prob. Ant. nam ratio monſtrat, hanc eſſe naturam agentium naturalium, ut cùm ulteriùs agere non poſſint ex eo, quòd impediantur ab aliquo obſtaculo, tunc ſtatim ibi producant illum ſuum effectum, quem producerent in partibus ulterioribus; v. g. ſi Sol ultra murum aliquem non poſſit ampliùs producere aliquos gradus caloris, ut tunc illos producat in partibus aëris, ipſi muro contiguis, ſicq; in illis tanquam in medio intendatur calor, ratione reflexionis cauſatæ â corpore denſo muri: Ergo &c. Circa ultimum artic. quæſt.

9. *Quid Reactio.*

Nota tertiò: per *Reactionem* intelligi reciprocam Actionem; hoc eſt Actionem ipſiuſmet paſſi, quâ paſſum agit in agens. Eſt autem duplex Reactio. *Prima* fit per qualitatem contrariam alteri; v. g. dum ignis agit in aquam frigidam per qualitatem ſuam, calori aquæ contrariam, & aqua reagit in ignem calidum per qualitatem ſuam frigori, igni contrariam. *Secunda* fit per qualitatem diſparem, & alterius rationis; v. g. dum ignis agit in aquã per calorem, & aqua in ignem per humiditatem. Paſſio quæ coreſpondet in agente huic Reactioni vocatur *Repaſſio.*

10. *Dantur Reactiones, & Repaſſiones.*

Dico quintò: reverà dantur Reactiones & Repaſſiones in hiſce rebus elementaribus. Ita Scotus *1. diſt. 17. q. 3.* & *3. diſt. 16. q. 1.* & ſequuntur Scotiſtæ Fuente, Maſtrius, Columb. Fraſſen, & alii Scotiſtæ; contra Godfred. Ruv. Major. Niphum, &c.

Probatur *primò* authoritate Philoſophi; qui Reactionem & Repaſſionem concedit *1. de gen. tex. 51.* Ergo &c. *Secundò* experientiis variis: nam quando aqua frigida ſuperfunditur aquæ calidæ, refrigeratur, & calefit, ac tota aqua tepida evadit; quod fit ob intervenientes Reactiones,

Digitized by Google

nes, & Repaſſiones. Item quando ferrum candens immergitur aquæ frigidæ, eandem calidam reddit, & ipſum ab aqua refrigeratur, utiq; ratione Reactionis, & Repaſſionis. Item vinum agit in aquam, eam in vinum convertendo, & ab eadem repatitur; quia ejus vires, & ſpiritus fervidiores debilitantur. Item glacies â manu calida tacta reſolvitur, & ipſa manus â glacie reagente repatitur; quia refrigeratur: Ergo dantur Reactiones, & Repaſſiones.

Probatur etiam ratione; tum quia paſſum ſæpiùs eſt capax faciendi reſiſtentiam agenti, & propterea tunc ei reſiſtit, ne ab agente conſumatur, & pereat; omne enim ens appetit conſervationem ſui eſſe: ſed ubi eſt reſiſtentia, ibi contingunt Actiones, & Paſſiones; Reactiones, & Repaſſiones; utì patet in duobus exercitibus confligentibus, & mutuis vulneribus ſeſe impetentibus: Ergo tales Reactiones, & Repaſſiones dantur. Tum ſi applicentur ſibi duæ res, una frigida, & altera calida, utraque eſt quoddam agens naturale non impeditum ad agendum: Ergo utræq; agunt in ſe invicem mutuis Actibus, & Reactibus, ex quo ſequuntur etiam Paſſiones, & Repaſſiones. Conſequentia tenet; quia non videtur quænam ex eis deberet privari ſuâ Actione; cùm utrobiq; activitas naturalis ſuppetat: Ergo utræq; agunt in ſe invicem mutuis Actibus, & Reactibus, quas concomitantur Paſſiones, & Repaſſiones.

Objicies: ex concluſione ſequeretur, quòd idem ſubjectum moveretur motibus contrariis, aër v. g. calefieret ab igne, & frigefieret ab aqua: ſed ſequela eſt contra Philoſophum *5. Phyſic. cap. 6.* Ergo non datur Reactio. Reſpondeo Neg. Maj. ad ejus rationem dico, quòd aër calefieret ab igne, & frigefieret ab aqua in gradu remiſſo, non autem in gradu intenſo: nam cùm duæ qualitates contrariæ in gradu remiſſo poſſint ſtare ſimul in eodem ſubjecto, ut alibi dixi *tract. 3. diſt. 1. q. 7.* idem aër poterit ſecundùm quid fieri calidus, & frigidus, & conſequenter etiam idem ſubjectum poterit moveri motibus hôc modô contrariis: unde Philoſophus *loc. cit.* ſolùm negat motus contrarios reſpicientes qualitates contrarias in ſummo non poſſe hoſpitari ſimul in eodem ſubjecto.

11. *Obviatur cuidam oppoſitioni.*

Nota autem quartò: ſecundùm Philoſophum *1. de gen. 53.* certas requiri conditiones, ut contingere valeat Reactio, & Repaſſio. *Prima* eſt, ut agens & patiens afficiantur contrariis qualitatibus, quales ſunt calor in igne, & frigus in aqua. *Secunda* eſt, ut utrumque ſit capax utriuſq; qualitatis v. g. ut ferrum calidum ut ſex poſſit ſuſcipere ſucceſſivè frigus ut ſex. *Tertia* eſt, ut utrumque ſit intra ſphæram ſuæ activitatis, v. g. ut ferrum calidum ut ſex agat in aquam frigidam ut ſex, & aqua reagat, debet ferrum eſſe juxta ſuperficiem aquæ. *Quarta*, ut utrumque habeat virtutes activas agendi. *Quinta* ut utrumq; ſit approximatum.

12. *Conditiones neceſſaria ad Reactionem & Repaſſionem.*

Omnia in hoc Tomo concluſa ſubijcio promptiſſimè Cenſuræ Sanctæ Matris Eccleſiæ.

F I N I S.

INDEX.

INDEX
CONTENTORUM IN HOC SECUNDO TOMO.

P. paginam, N. numerum marginalem denotat.

A.

A*Bdominis* deſcriptio, p. 348.
Abortus cauſæ, p. 344. n. 10
Accidens eſt imperfectius ſubſtantiâ etiam in activitate, p. 114, n. 3. Accidentia concurrunt ad productionem ſubſtantiæ diſpoſitivè, p. 116, n. 10. Accidens conjunctum ſubſtantiæ poteſt imediatè producere Accidens ſibi ſimile in alieno ſubjecto, p. 118, n. 1. Objecto ſatisfit, ibid: n. 2. Idem poteſt Accidens ſeparatum, ibid: n. 3. Modò illud Accidens non ſit ſeparatum etiam â quantitate, p. cit: 118, n. 4. Accidens producens aliud Accidens eſt cauſa principalis ejus, p. 119, n. 5. Objectiones expediuntur, ibid: n. 7. Accidentia non nutriunt. p. 363 n. 2.

Actio in diſtans an dari poſſit? vide cauſa efficiens. Actio replicativa quid ſit? vide, locus.

Actus entitativus, & formalis quid? p. 21, n. 6. Actus vitales ſupernaturales educuntur de potentia ſubjecti, p. 51, n. 8. Actus immanentes ſubjectantur immediatè in potentia eliciente, & non in quantitate, p. 80, n. 10.

Aër habet figuram ſphæricam, p. 301, n. 3. De ejus utilitate, p. 302, n. 9. Aër eſt levior aquâ, humidus, & frigidus, p. 322, n. 1. Eſt purus & impurus, ibid: Aër purus non eſt accommodatus humanæ reſpirationi, ibid: Habet tres regiones, p. cit: 322, n. 2. Trium harum regionũ termini & qualitates, ibid: n. 4, & p. 323.

Æternitatis variæ acceptiones, p. 228 n. 7. Æternitas formaliter non dicit rationem menſuræ, ibid: n. 8. Nec triplicem negationem, p. 229, n. 9. Nec formalitatem poſitivam ab Eſſentia Divina diſtinctam, ibid: n. 10. Sed formaliter dicit Exiſtentiam Divinam cum reſpectu aptitudinali coëxiſtendi cuicunque temporis differentiæ, p. cit: 229, n. 11. Æternitas ſoli DEO convenit, ibid: n. 12. Objectio ſolvitur, ibid: n. 13. Æternitas â parte antè, & á parte pòſt quid? p. 232, n. 1.

Ævum quid ſit? p. cit: 229, n. 14. Quæ ejus differentia ab Æternitate, ibid: n. 15. Sancti PP. objecti explicantur, p. cit: 229, n. 16. Reſpondetur replicæ, p. 230, n. 17. Differentia Ævi â tempore, ibid: n. 18. Varia corollaria de Ævo, cit: p. 230, n. 19. Ens ſucceſſivum an DEUS potuiſſet producere ab æterno? vide Deus.

Agere propter finem formaliter, & materialiter quid ſit? p. 153, n. 9. Agentia propter finem quotuplicia ſint? ibid: n. 2. Deus eſt Agens formaliter, & propriè propter finem, ibid: n. 3. Similiter Angeli & homines, p. 154, n. 4. Agentia naturalia ſenſitiva agunt propter finem materialiter tantùm, ibid: n. 5. Agentia naturalia vegetativa, ſicut & inanimata etiam aliquomodo agunt propter finem, p. 155, n. 10, & p. 156, n. 11. Idem nequit directè agere in ſeipſum actione corruptivâ, p. 395 n. 6. Actione verò perfectivâ poteſt, ibid: n. 7. Reſpondetur ad oppoſitiones, ibid: n. 8.

Alteratio â Philoſopho deſcribitur, p. 373, n. 1. Varia ejus acceptio, ibid: n. 2. Clarior ejuſdem deſcriptio, ibid: n. 3. Alterationes frequentiſſimæ contingunt in hoc Univerſo, p. 374, n. 4. Alterationis variæ diviſiones, ibid: n. 5. Differt à generatione, ibid: n. 6. Eſt motus continuus & ſucceſſivus, p. 375, n. 7. Philoſophus gloſſatur, ibid: n. 8.

Angeli & animæ rationales an ſint in loco? vide locus. Angeli an moveant cœlos, per potentiam locomotivam diſtinctam ab intellectu, & voluntate? vide cælum. An ſint diffuſi per totum ſuum Orbem? vide ibidem. Ex quo ſint Ordine, ibid: Angeli nullas producunt animas, p. 290, n 13. Angeli nequeunt immediatè producere ullam ſubſtantiam ſpiritualem, p. 116, n. 9. Angeli an propriè

priè agant propter finem? vide ſuprà Agere.

Animæ ex putri naſcentium ſunt ejuſdem ſpeciei cum animabus animalium propagatorum, p. 353, n. 8.

Animam rationalem ſolus Deus infundit, p. 343, n. 6.

Animalibus quibuſdam quô ſenſu S. Auguſtinus concedat intellectum materialem? p. 154, n. 7. Animalia ex ſolo inſtinctu naturæ operantur propter finem, p. 155, n. 8. Animalia quædam quâ ratione ponant actiones redolentes operationes propter finem formaliter, ibid: n. 9. Animalia quædam ex putri generantur, p. 352, n. 1. Animalium ex putri naſcentium cauſa finalis, materialis & formalis quænam? ibid: n. 2, 3, & 4. Efficiens eſt Deus, p. cit: 352, n. 5. Objectis ſatisfit, p. 353, n. 7.

Animatio quo tempore fiat, p. 342, n. 5.

Animaterum Author quis ſit? p. 290 n. 12.

Annus Platonicus quid? p. 357, n. 1.

Antiperiſtaſis quid ſit? p. 395, n. 1. Actio per Antiperiſtaſim datur, p. 396, n. 2. Galleno reſpondetur, ibid: n. 3. Cauſa effectiva per ſe Antiperiſtaſis non eſt contrarium obſidens, p. cit: 396, n. 4. Sed aliquando eſt ratio aliqua intrinſeca, aliquando agentia extrinſeca, ibid: n. 5. & p. 397, n. 6.

Appetitus deſcribitur, p. 31, n. 1. Quid ſit Appetitus innatus, & elicitus? p. 32, n. 1. Quid deſiderii, & complacentiæ, ibid: n. 2. An materia dicat appetitum ad omnes formas? vide materia.

Approximatio ſecundùm contactum Mathematicum, & Phyſicum quid? p. 119 n. 1.

Aqua eſt figuræ rotundæ, p. 301, n. 2. Ejus præſtantia, p. 302, n. 8. Aqua eſt levior & eminentior terrâ, eſt elementum frigidum, & humidum, p. 319, n. 1. Phyſicè dividitur in maria, flumina, fontes, lacus, rivos &c. ibid: Cur mare ſalſum? p. 320, n. 6. Maris motus quot ſint? ibid: n. 7. Fluxûs & refluxûs maris cauſæ quænam ſint? p. 321, n. 8. Dantur veræ & reales aquæ ſuper Firmamentum, p. 319, n. 2. Objectis ſatisfit, p. 320. n. 4. Aquæ cur aliquæ calidæ proveniant è terra, item cur aliquæ dulces, aliquæ acetoſæ, ibid: n. 5.

Aquarij ſigni natura, operationes, & dominium, p. 274, n. 11.

Areomantia deſcribitur, p. 294, n. 5.

Arietis ſigni Zodiaci natura, operationes, & influxus, p. 271, n. 1.

Ars variè uſurpatur, p. 89, n. 1. Ejus definitio, ibid: n. 2. & p. 144, n. 5. Nō conſiſtit in ſolis ubicationibus rerum, p. cit: 89, n. 3. Nec formaliter eſt aliquod accidens abſolutum, ibid: n. 4. Sed eſt relatio ordinis, & proportionis partium naturalium ad ſe invicem, ibid: n. 5. Cur dicatur relatio partium ad ſe invicem, & nō ad locum? p. 90, n. 6. Ars differt â natura, & artificialia â naturalibus ibid: n. 7, & 9. Ars nequit effectivè producere opera Naturæ, p. cit: 90, n. 1. Objecta reſolvuntur, p. 91, n. 2. Bene tamen directivè, ib: n. 3. Ars imitatur naturam, ibid: n. 4. Eamque perficit, p. 92, n. 5. Per Artem Chymicam non repugnat confici verum aurum, p. cit: 92, n. 1. Ars tamen ejuſmodi eſt difficillima, ibid: n. 2. Et vix hucuſque bene detecta, n. 3. Eſt periculoſa, p. 93, n. 4.

Arteria anatomicè deſcribitur, p. 346, n. 10. Ejus pulſus unde proveniat? ibid: Arteria magna ſeu Aorta quid? ib:

Aſtra quomodo influant in ſublunaria? vide Planeta. Item vide cælum.

Aſtrologia judiciaria quid ſit? p. 293, n. 1. Aſtrologia judiciaria circa eventus futuros liberos eſt prohibita & damnata, p. 293, n. 2. Eſt ars incerta, & fallax, ibid: n. 3. Oppoſitionibus ſatisfit, p. 294, n. 5. Circa eventus futuros naturales eſt ars licita, p. 295, n. 1. Extendit ſe ad cognitionem effectuum naturalium, ad ſtatum cæli pertinentium, ibid: n. 2. Item ad cognitionem effectuum dependentium â cauſis particularibus ſublunaribus, p. cit: 295 n. 3. Aſtrologia judiciaria valet etiam ad conjecturandas inclinationes humanas, p. 296, n. 4. Item ad conjecturanda bella, pacem &c. ibid: n. 5. Pariter ad prognoſticandum divitias, felicitatem, honores, ſecundùm quoſdam Aſtrologos, p. cit: 296, n. 6. Objecta tolluntur, p. 297, n. 7.

Augmentationis uſurpationes variæ, p. 368, n. 1. Augmentatio propriè dicta tres requirit conditiones, ibid: n. 2. Varii ejuſdem motus in viventibus, p. cit: 368, n. 3. Fiunt frequentiſſimæ Augmentationes, p. 369, n. 4. Augmentatio non conſiſtit in diſtenſione partium, p. cit: 369 n. 5. Nec in ingreſſu alimenti in poros, ibid: n. 6. Sed in acquiſitione novæ quantitatis partialis, ibid: n. 7. Oppoſitionibus ſatisfit, p. cit: 369, n. 8. Augmentatio diſtinguitur â nutritione, p. 370, n. 1. Solvuntur objecta, ibid: n. 3. Eſt motus continuus & ſucceſſivus, ibid: n. 4. Philoſo-

phus

phus explicatur, p. cit: 370, n. 5. Non durat toto tempore vitæ in animalibus perfectis, p. 371, n. 6.

Aures hominis deſcribuntur, p. 351, n. 27. Quodnam earum munus? ibid:

Axinomantia quid ſit? p. 93, n. 3.

B.

Bilis quid? p. 349, n. 18. Flavæ Bilis & atræ Bilis deſcriptio, ibid: Ex qua materia producatur? p. 365, n. 10.

Bilaria veſica quid? vide veſica.

Boni duplex acceptio ex Scoto, p. 151, n. 9. Quid Bonum honeſtum, Bonum delectabile, & Bonum utile? ibid:

Brachij humani deſcriptio, p. 345, n. 6. Cubitus, radius, manus, carpus, metacarpus quid? ibid:

Buccæ deſcribuntur, p. 351, n. 27.

C.

Calor quid ſit? p. 310, n. 1. Calor elementaris, & Calor viventis ſunt diverſæ ſpeciei, p. 312.

Cancri ſigni Zodiaci deſcriptio, p. 272, n. 4.

Capillorum varietas & canities unde oriatur in homine? ibid:

Capricorni ſigni natura explanatur, p. 213, n. 10.

Capitis humani deſcriptio, p. 350, n. 26.

Cartilagines & ligamenta deſcribuntur, p. 346, n. 8. Eorum uſus, ibid:

Caſus quibus rebus conveniat, & quodnam ſit diſcrimen inter Caſum & fortunam, vide Fortuna.

Cauſa variè accipitur, p. 98, n. 1. Cauſa ut ſic propriè dicta definitur, ibid: n. 3. Objectis ſatisfit, ibid: n. 5. Cauſa in rigore non ſignificat idem quod principium, p. cit: 98, n. 2. Cauſæ reales etiam intrinſecæ diſtinguuntur realiter à ſuo cauſato, p. 72, n. 4. In qualibet Cauſa quatuor diſtingui poſſunt, p. 99, n. 1. Cauſalitas fundamentalis & formalis quid? ibid: Cauſalitas formalis eſt quid realiter diſtinctũ ab entitate Cauſæ, ibid: n. 2. Non mediat inter Cauſam & effectum, p. cit: 99, n. 3. Cauſalitas Cauſæ fundamentaliter accepta eſt ipſa entitas abſoluta Cauſæ, & non modus aliquis ſubſtantialis, ibid: n. 4. Nulla relatio tranſcendentalis ingreditur conceptum eſſentialem cauſalitatis fundamentalis, p. 100, n. 5. Maſtrio reſpondetur, ibid: n. 6. Cauſalitas formalis eſt quædam relatio Cauſæ ad cauſatum, p. cit: 100, n. 7. Objecto ſatisfit, ibid: n. 8. Relatio cauſalitatis formalis non eſt unio, p. 101, n. 9. Cauſa Prima & ſecunda quid ſit? ibid: n. 1. Quid Cauſa univoca & æquivoca? p. cit: 101, n. 2. Quid mediata & immediata? ibid: n. 3. Totalis & partialis, n. 4. Univerſalis, particularis, intrinſeca & extrinſeca, n. 5. Quid ſubordinans, & ſubordinata, p. 102, n. 6. Moralis, phyſica, & metaphyſica, ibid: n. 7, & p. 150, n. 1. Item quid Cauſa principalis & inſtrumentalis, per ſe & per accidens, vitalis & nõ vitalis? p. cit: 102, n. 8, 9, & 10. Libera & neceſſaria, naturalis & ſupernaturalis, ibid: n. 12. Quid ſit Cauſa materialis, formalis, efficiẽs & finalis, p. cit: 102, n. 12. An rectè ponantur tantùm hæc quatuor genera Cauſarũ? ibid: n. 13. Objectis ſatisfit, p. 103, n. 14. Quælibet ex illis Cauſis verè cauſat, p. 104, n. 15. Et quidem diverſô modô cauſandi, ibid: n. 16. Diviſio hæc in quatuor Cauſarum genera eſt univoci in univocata, ib: Cauſa in ratione cauſæ eſt ſimpliciter perfectior ſuô effectu, p. cit: 104, n. 1. Cauſa materialis & formalis ſecundùm entitatẽ abſolutam ſunt imperfectiores compoſitô, ibid: n. 2. Cauſa efficiens univoca eſt æqualis perfectionis cum ſuo effectu, p. 105, n. 3. Æquivoca verò eſt perfectior, ibid: n. 4. Objectis reſpondetur, ibid: n. 6. Cauſa Finalis aliquando eſt perfectior ſuô effectu, aliquando imperfectior, p. cit: 105, n. 7. & 8. aliquando æqualis ibid: n. 9. Cauſa Phyſica ſecundùm entitatem ſuam abſolutam ſemper eſt prior ſaltèm naturâ ſuô effectu, p. cit: 105, n. 10. Philoſophus objectus gloſſatur, p. 106, n. 11. Cauſa & effectus ſecundùm relationes, quas dicunt ad invicem, ſunt ſimul naturâ, ib: n. 12. Cauſæ ſunt ſibi invicem cauſæ in diverſo genere, p. cit: 106, n. 1. Quomodo intelligatur illud axioma: *idem manens idem, ſemper facit idem*, ib: n. 2. Tres enumerantur proprietates Cauſæ, n. 3. Quæ conditiones neceſſariò requirantur ad cauſandum, p. 107, n. 4. Dantur Cauſæ efficiẽtes creatæ tam corporales, quàm ſpirituales, p. 108, n. 1. Rationes oppoſitæ ſolvuntur, p. 109, n. 4. Cauſæ efficientis etymologia, ibid: n. 1. Ejuſdem definitio, n. 2. Convenit univocè Cauſis efficientibus phyſicis & moralibus, p. 110, n. 3. Variæ diviſiones Cauſæ efficientis, ibid: n. 4. Cauſalitas Cauſæ efficientis fundamentaliter & formaliter conſiderata quid ſit? ibid: n. 5. Relatio actionis non eſt medium *quô* efficiendi effectum, p. 111, n. 6. Objectis ſatisfit, ibid: n. 7. & 8. Cauſæ efficientes aliæ ſunt ejuſdem ordinis, aliæ di-

diverſi ordinis, p. cit: 111, n. 1. Duæ Cauſæ totales & adæquatæ ejuſdem ordinis nec ſupernaturaliter poſſunt producere ſimul eundem numerò effectum, ibid: n. 2. Objectiones variæ ſolvuntur, p. 112, n. 4. Secus dicendum eſt de duabus cauſis totalibus diverſi ordinis, p. 113, n. 5. Poſſunt duæ cauſæ totales & adæquatæ etiam ejuſdem ordinis diviſim producere eundem numerô effectum, ibid: n. 6. Thomiſtis reſpondetur, p. cit: 113, n. 8. Cauſa efficiens ſubſtantialis eſt immediatè productiva aliquorum accidentium in ſeipſa, p. 116, n. 1. Thomiſtis ſatisfit, p. 117, n. 3. Et etiam in alieno ſubjecto, ib: n. 4. Non tamen omnium, p. 118, n. 5. Utrùm accidens poſſit producere aliud accidens, vide Accidens. Cauſa efficiens naturalis poteſt naturaliter agere in diſtans agendo etiam in medium, ſi ſit capax, p. 120, n. 2. Idem poteſt non agendo etiam per medium, ibid: n. 3. Rationes allatæ contra magnetiſmú refutantur, ibid: n. 5. Objectiones tolluntur, p. 121, n. 7, 8, & 10. Eſſentia an propriè cauſet ſuas paſſiones? vide Eſſentia. Cauſa inſtrumentalis quid ſit? vide inſtrumentum. Quid Cauſa idealis? vide Exemplar. Cauſa materialis quid? p. 146, n. 1. Cauſalitas Cauſæ materialis formaliter, & materialiter conſiderata quænam? ibid? n. 2. Objecto ſatisfit, n. 3. Effectus Cauſæ materialis enumerantur, p. cit: 146, n. 4. Cauſa materialis univerſaliter accepta latiùs patet quàm materia prima, ibid: n. 5. Influxus Cauſæ materialis in compoſitum eſt ignobilior influxu Cauſæ formalis, ib: n. 6. An Deus poſſit ſupplere cauſalitatem Cauſæ materialis? vide Deus. Cauſæ formalis deſcriptio, p. 147, n. 1. Nomine Cauſæ formalis intelliguntur etiam formæ accidentales & artificiales, ibid: n. 2. Quæ ſit cauſalitas Cauſæ formalis fundamentaliter, & formaliter conſiderata? ibid: n. 3. Quinam ejus effectus? n. 4. Influxus Cauſæ formalis eſt phyſicus, p. 148, n. 5. Utrùm Deus poſſit impedire ejus cauſalitatem? vide Deus. Cauſa finalis eſt ultima in executione & prima in intentione, p. 148, n. 1. Finis duplex acceptio, ibid: n. 2. Finis variè deſcribitur, p. 149, n. 3. Ejuſdem clarior deſcriptio, ibid: n. 4. Extant Cauſæ finales, ibid: n. 5. Quid finis cui, & qui, objectivus, & formalis, finis operis & operantis; item quid finis generationis, & rei genitæ &c. p. cit: 149, n. 6, 7, 8, 9. Cognitio finis non eſt de ratione intrinſecè conſtitutiva ejus, p. 156, n. 13. Dantur fines intermedii, ib: n. 14. Cauſa finalis eſt vera & realis Cauſa, p. 150, n. 2. Non tamen rigoroſè phyſica, p. 151, n. 3. Sed metaphorica, ibid: n. 4. Cur metaphorica dicatur? ibid: n. 5. Ut finalizet debet priùs amari, & deſiderari, p. cit: 151, n. 6. Sufficit finem exiſtere intentionaliter, ib: n. 7. Cur ab Ariſtotele Cauſa finalis numeretur inter cauſas phyſicas? p. cit: 151, n. 8. Ratio conſtitutiva Cauſæ finalis eſt aliqua bonitas, p. 152, n. 10. Quid ſit cauſalitas Cauſæ finalis fundamentaliter & formaliter conſiderata, ib: n. 11. Cauſa finalis finalizat penes eſſe intentionale, n. 12. Effectus ejuſdem recenſentur, p. cit: 152, n. 13. Quænam agentia agant propter finē? vide Agentia. Utrùm Cauſa finalis ſit nobilior cæteris, p. 156, n. 12. Cauſa ubicationum productiva quænam? vide Locus.

Centrum ſphæræ quodnam, p. 283, n. 4.

Cerebrum & cerebellum quid ſit? p. 350 n. 26. Pia & dura mater quid? ibid: Utrùm homo habeat plus cerebri quàm alia animalia, ibid: Cerebri, & cerebelli munus quale? ibid:

Cervix quid ſit? p. 350, n. 25.

Chiromantia quid? p. 93, n. 3, & p. 294, n. 5.

Chylus quid ſit? p. 365, n. 9.

Cibo indigent omnia animalia, p. 365, n. 12. Et etiam potu, p. 366, n. 13.

Circuli ſphæræ qui, & quot ſint? p. 283, n. 2, & 3. Circulus æquinoctialis deſcribitur, ibid: n. 5. Circuli meridiani deſcriptio p. 284, n. 9. Circulus arcticus, & antarcticus deſcribitur, p. 285, n. 12. Circuli & orbes excentrici & concentrici quinam vocentur? p. 260, n. 1. Excentricus ſimpliciter quid? ibid: Excentrici neceſſariò ſunt admittendi, p. 261, n. 4.

Cœli etymologia, p. 245, n. 1. Ejuſdem variæ acceptiones ibid: n. 2. Varietas opinionum circa naturam Cœli, ibid: n. 3. Cœli ſunt compoſiti ex materia & forma phyſica, p. cit: 245, n. 4. Varii textus Ariſtotelis in contrarium adducti exponūtur, ibid: n. 5. Cœlorum materia eſt ejuſdem ſpeciei cum ſublunari, p. 246, n. 6. Philoſophus gloſſatur, ib: n. 7. Cœli ſunt corruptibiles ab intrinſeco, p. 247, n. 8. & p. 250, n. 3. Objectis ſatisfit, ib: n. 4. Variæ opiniones circa qualitatem formæ Cœlorum, p. cit: 247, n. 1. Cœli nō ſunt animati, ib: n. 2. Varii paſſus S. Scripturæ exponuntur, p. 248, n. 6. Opinio Origenis contraria damnatur â quinta Synodo, ibid. n. 7.

Cæli non componuntur ex elementis, p. 249, n. 8. Cælum tamen undecimum eſt aqueum ibid: n. 9. Oppoſitionibus obviatur, p. cit, 249, n. 10. Cæli extrinſecè ſunt incorruptibiles. p. cit. 249, n. 1. Objectis ſatisfit, p. 250, n. 2. Cæli excedunt in perfectione omnia inanimata corporea, p. 251, n. 5. Quodvis tamen animatum ſimpliciter excedit cælos in perfectione, ibid: n. 6. Objectionibus reſpondetur, p. cit: 251, n. 7. Cæli ſunt corpora ſolida, p. 252 n. 8. Oppoſitionibus reſpondetur, p. 253. n. 10. Cæleſtis globus eſt aggregatũ quid ex pluribus cælis, p. cit: 253, n. 1. Conſtat duodecim cælis; ibid: n. 2. Cæli Planetales ſunt ſeptem, p. 254, n. 3. Cælum Zodiachicum quid? ibid: n. 5. Cælum Criſtallineum authoritate S. Scripturæ & SS. PP. adſtruitur, p. cit: 254, n. 7. An, & qualiter moveatur? p. 265, n. 12. Cælum Lunæ, Mercurii &c. qualiter moveantur, & quo tempore ſuum curſum peragant, p. 264, n. 5, 6, 7, & 8. &c. Cæli non moventur á propria forma intrinſeca, p. cit. 265, n. 1. Sed ab Intelligentiis aſſiſtricibus, ibid: n. 2. Et quidem quodlibet á particulari Intelligentia, p. 266, n. 3. Intelligentiæ non imprimunt cælis motum per intellectum aut voluntatem, ibid: n. 4. Sed per potentiam locomotivam formaliter ab ijſdem diſtinctam, p. cit: 266, n. 5, & 6. Angelus Cæli motor non eſt diffuſus per totum ſuum Orbem. ibid: n. 7. Eſt actu beatus, etſi Orbi aſſiſtat, p. 267, n. 8. Angeli motores probabiliter ſunt ex Ordine Virtutum, ib: n. 9. Cæli an moveantur motu naturali, violento, vel neutro? vide motus. Cæleſtes Orbes an diſtinguantur ſpecie, vide Orbes. Cælum Empyreum eſt totum lucidum, p. 281, n. 7. In Cælis & aſtris non eſt calor, frigus, ſiccitas & humiditas formaliter, p. 282, n. 9. Nec qualitates mixtæ ibi ſunt, ibid: n. 10. Bene tamen accidentia primas qualitates non conſequentia, p. cit: 282, n. 11. Cælorum accidentia ſunt ejuſdem ſpeciei cum ſublunaribus, ibid: n. 12. Cæli influunt in hæc inferiora, p. 286, n. 1. Objectis reſpondetur, p. 287, n. 7. Nec Cæli, nec aſtra directè influere poſſunt in animam rationalem, p. 290, n. 1. Indirectè tamen, & mediatè influunt, p. 291, n. 2. Variis experientiis reſpondetur, ibid: n. 3. Indirectus ille influxus in animam non neceſſitat voluntatem, p. cit: 291, n. 4. Cæli & aſtra influunt mediante motu, ibid: n. 5. Cælorum motu ceſſante adhuc moverentur ſublunaria, p. 292, n. 6. Corpora cæleſtia influunt etiam mediante luce, & lumine, ibid: n. 7. Hoc tamen ſublato adhuc generarentur ſublunaria, p. cit: 292, n. 8. Potiſſimè influunt per qualitates occultas, ibid: n. 9. Quare qualitates illæ dicantur occultæ? p. 292, n. 10. Cælum duodecimum unde vocetur Empyreum? p. 255, n. 9. Objecta reſolvuntur, ibid: n. 10. De cæleſtis ſphæræ ſyſtemate variæ opiniones, vide Syſtema.

Cognitio an ſit de ratione intrinſeca Finis? vide Cauſa finalis.

Colli deſcriptio, ejuſque uſus, p. 350, n. 25.

Coluri ſolſtitiorum ex æquinoctiorũ deſcribuntur, p. 284, n. 7, & 8.

Compoſitum phyſicum ſubſtantiale, non ſolùm includit formam eſſentialiter, ſed etiam materiam primam, p. 69, n. 1. Thomiſtarum oppoſitiones ſolvuntur, p. 70, n. 3. Compoſitum phyſicum ſubſtantiale eſt ens unum per ſe, p. 71, n. 4. Objecto ſatisfit, ibid: n. 5. Compoſitum logicum, metaphyſicum, & phyſicũ quid? ibid: n. 1. Homogeneum, heterogeneum, per accidens, eſſentiale, & integrale quid? cit: p. 71, n. 1. Totum compoſitum phyſicum eſſentiale dicit tertiam entitatem realiter diſtinctam â ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis, p. 72, n. 3. Authoritates contra tertiam entitatem adductæ explicantur, p. 73, n. 7. Oppoſitionibus ſatisfit, ibid: n. 9. & p. 74, n. 11. In toto compoſito eſſentiali phyſico manent partes eſſentiales phyſicè incluſæ, ibid: n. 12. Et quidem ſecundùm proprias ſuas entitates, p. cit: 74, n. 13. Objectio ſolvitur, p. 75, n. 14. Diſtinctio totius eſſentialis phyſici â partibus, eſt mutua, ibid: n. 15. Quid ſit tertia entitas phyſica? vide Entitas. Totũ compoſitum phyſicum integrale non diſtinguitur realiter à partibus, ſimul ſumptis & unitis, p. cit: 75, n. 1. Objectiones expediuntur, p. 76, n. 2. Similter totum per accidens non diſtinguitur â ſuis partibus, ibid: n. 3. Objectis ſatisfit, p. 77, n. 5. Compoſitum ſubſtantiale eſt ſubjectum inhæſionis, omnium accidentium corporalium, p. 78, n. 2. Objectis ſatisfit, ibid: n. 5. An quantitas ſubjectum immediatum ſit accidentium illorum? vide Quantitas. De potentia abſoluta poſſibile eſt compoſitum conſtans tam ſubjecto ſpirituali, quàm formâ ſpirituali, p. 81, n. 12. Item compoſitum ex ſubjecto ſpirituali & forma materiali, ibid: Compoſitum ſubſtantiale an rectè dicatur natura? vide natura.

Compoſitum animatum & inanimatum quid? p. 355, n. 1. Compoſitum ſubſtantiale eſt cauſa effectiva phyſica quantitatis, p. 123, n. 3. Similiter accidentium naturalium, ibid: n. 4. Item ſuô modô relationū prædicamentalium, ibid: n. 5. Objectis reſpondetur, p. cit: 123, n. 6.

Conceptus formalis & objectivus quid? vide Exemplar.

Concurrere mediatè, & iṁediatè quid ſit? p. 127, n. 1. Quid concurrere immediatè immediatione ſuppoſiti & virtutis, p. 128, n. 2. Deus concurrit immediatè, immediatione ſuppoſiti & virtutis, ad effectus creatos producendos, ibid: n. 3. Durando reſpondetur, p. 129, n. 6. Concurſus Dei eſt actio diſtincta, ab actione creaturæ, p. 130, n. 1. Variis objectis ſatisfit, p. 131, n. 3. Eſt determinatus phyſicè ad hunc numerô effectum producendum, ibid: n. 4. Objectio ſolvitur, ibid: n. 5. Non tamen eſt phyſicè prædeterminans aut præmovens, reſpectu cauſarum naturalium, p. 133, n. 4. Thomiſtis reſpondetur, p. 134, n. 6. Scotiſtis quibuſdam ſatisfit, ibid: n. 7. Neque reſpectu cauſarum liberarum, p. 135, n. 1. Thomiſtarum argumenta ſolvuntur, p. 136, n. 5. Sed eſt concurſus concomitans, p. 137, n. 6. Quomodo fuerit ab æterno? ibid: n. 10.

Condenſatio quid ſit? vide Rarefactio. Condenſationis varii modi, vide ib: Condenſationis ratio vera in quonam conſiſtat? vide ut ſuprà.

Continui permanentis definitio, p. 178 n. 1. Continuum ſubſtantiale, & accidentale quid? ibid: n. 2. Differentia inter continuum, & contiguum, n. 3. Dantur in continuo permanenti partes actuales, p. 179, n. 8. Realiter inter ſe diſtinctæ ibid: n. 9. Philoſophus exponitur, p. 180, n. 10. Dantur etiam in continuo puncta, ibid: n. 11. Tam continuativa, quàm terminativa, ibid: n. 12, & 13. Continuum non componitur ex meris punctis, p. 181, n. 1. Rationes mathematicæ Scoti contra compoſitionem continui ex punctis, p. 182, n. 3, & 4. Argumenta Zenoniſtarum ſolvuntur, p. 183, n. 6. & p. 184. Rationes aliæ ſolvuntur, ibid: n. 8. & 9, & p. 185, n. 11. Continuum non componitur ex ſolis partibus, p. cit: 185, n. 1. Sed ex partibus & punctis ſimul, ibid: n. 2. Partes continui an ſint infinitæ? vide Infinitum.

Copernicus reijcitur circa motum terræ, p. 257, n. 3. Oppoſitiones ejus ſolvuntur, ibid: n. 4.

Cordis humani deſcriptio ſitus & figura, p. 350, n. 24. Munus ejus quodnam? ibid:

Corpus mathematicum, animatum & phyſicum ſeu naturale quid? p. 6, n. 1. Corpus mobile, & corpus naturale non ſunt ſynonima, p. 7, n. 3. Corpus generabile & corruptibile an ſit objectum adæquatum Phyſicæ? vide Objectum. Corpus in fieri & facto eſſe, quid ſit? p. 13, n. 1.

Corruptio ſubſtantialis deſcribitur, p. 353, n. 1. Corruptiones ſubſtantiales frequentiſſimè contingunt, p. 354, n. 2. Omnis corruptionis ſubjectum inhæſionis eſt materia, ibid: n. 3. Terminus corruptionis ſubſtantialis in ratione mutationis eſt non eſſe formæ, ibid: n. 4. In ratione verò actionis deſtructivæ eſt non eſſe compoſiti, p. cit: 354, n. 5. Corruptio totalis inanimatorum fit ſucceſſivè, p. 355, n. 6. Nihil intendit per ſe ſui corruptionem, ibid: n. 7. Corruptio in aliquo ſenſu eſt naturalis, in aliquo non, p. cit: 355, n. 8. Omne vivens continet in ſe principium ſuæ corruptionis, p. 372, n. 5. Solvuntur objecta, ibid: n. 7. In corruptione compoſiti animati non fit reſolutio uſque ad materiam primam, p. 355, n. 2. Oppoſitionibus ſatisfit, p. 356, n. 4. Aliter dicendum eſt in corruptione compoſiti inanimati, ibid: n. 5. Philoſophus objectus explicatur, p. 357, n. 6. Res ſemel corruptæ non redeunt eædem numerô finita circulatione, p. 357, n. 2. Res corrupta permanens poteſt eadem numerô ſupernaturaliter reproduci, p. 358, n. 3. Objectis ſatisfit, ibid: n. 5. Idem dicendum de re ſucceſſiva, p. 359, n. 6. Oppoſitiones ſolvuntur, ibid: n. 8. Aliquæ etiam res corruptæ fortaſſis naturaliter eædem numerô reproduci poſſunt, p. 360, n. 9. Ab extrinſeco tamen in hoc agentia naturalia defactò impediuntur, ibid: n. 10. Philoſophus exponitur, p. cit: 360, n. 11.

Coſcinomantia quid ſit? p. 93, n. 3.

Coſtæ hominis quid ſint & quot? p. 345 n. 5.

Cranij humani deſcriptio anatomica, p. 345, n. 3.

Creatura nequit creare ut cauſa principalis, p. 126, n. 1. Neque etiam poteſt eſſe cauſa phyſica inſtrumentalis Creationis propriè dictæ, ibid: n. 3. Ad objectiones reſpondetur, p. 127, n. 5. An Creaturæ defactò â Deo conſerventur? vide Deus.

Crocodillus an habeat terminum in-

trin-

trinſecum magnitudinis? vide, Terminus magnitudinis.

Crus hominis quid ſit? item quid tibia? p. 345, n. 7.

Cubitus, radius, manus in homine, quid ſit? vide Brachium.

Cuticula, & cutis deſcriptio, p. 347, n. 13.

D.

DEnſum quid? vide Rarum.

Dentes humani in quibuſdam plures, in quibuſdam paucióres numerantur, p. 345, n. 3.

Dependentia eſſentialis, & accidentalis quid? p. 55, n. 2.

Determinatio effectûs quoad ſpeciem proxima, provenit tam â Cauſa Prima, quàm ſecunda, p. 138, n. 1. Remota regulariter prius oritur â cauſa ſecunda, ibid: Objectio ſolvitur, p. 139, n. 4. Determinatio effectûs quoad individuum provenit â Cauſa Prima, p. cit: 139, n. 5. Oppoſitiones tolluntur, p. 140, n. 7.

Deus defactò conſervat omnes creaturas, p. 129, n. 8. Objectiones ſolvuntur, p. 130, n. 9. An Deus immediatè concurrat cum cauſis ſecundis ad effectus ſuos producendos, vide Concurrere. Deus poteſt ſupplere cauſalitatem cauſæ efficientis creatæ, p. 140, n. 1. Objectis ſatisfit, p. 141, n. 3. Deus nequit facere, ut idem producat ſeipſum, ibid: n. 5. Etiam quoad eſſe ſecundũ, p. cit: 141 n. 6. Deus utrùm propriè agat propter finem? vide Agere. Deus an poſſit creare creaturam categorematicè infinitam in Eſſentia? Item an poſſit producere qualitatem actu infinitè intenſam? vide Infinitum. Deus an ſit in loco? vide Locus. Deus potuiſſet producere aliquam creaturam permanentem ab æterno, p. 232, n. 2. S. Auguſtinus objectus explicatur, p. 233, n. 3. Oppoſitiones aliæ ſolvuntur, ibid: n. 4, & 5. Quales operationes ab æterno elicere potuiſſet hujuſmodi creatura? p. cit: 233, n. 6. Nullum ens ſucceſſivum potuit eſſe ab æterno etiam de Potentia abſoluta, ibid: n. 7. Objectis reſpondetur, p. 234, n. 8, & 9. Deus nequit ſupplere cauſalitatem cauſæ materialis in proprio genere, p. 147, n. 7. Bene tamen in genere cauſæ efficientis, ibid: n. 8. Deus non poteſt impedire effectum informationis cauſæ formalis ut actu unitæ, p. 148, n. 7. Neque ſupplere ejus cauſalitatem in proprio genere, ib: n. 8.

Diaphragma quid? p. 350, n. 23.

Diminutio deſcribitur, p. 371, n. 1. Eſt de genere motuum privativorum, ib: n. 2

Divinatio quid? p. 294, n. 5. vide maleficia.

Duratio quid ſit? p. 227, n. 1. Non conſiſtit formaliter in ratione menſuræ, ibid: n. 2. Nec in modo â re diſtincto, p. 228, n. 3. Neque in negatione deſitionis, aut reſpectu permanentiæ, ibid: n. 4. Duratio dicit formaliter exiſtentiam rei cum reſpectu rationis ad tempus, ibid: n. 5. Oppoſitionibus reſpondetur, p. cit: 226, n. 6.

E.

EClipſis Solis deſcribitur, p. 277, n. 4. Figura ejuſdem proponitur, p. 278. Eclipſis Lunæ deſcriptio, p. cit: 278, n. 5. Ejuſdem figura exhibetur, ibid: Eclipſium Solis & Lunæ differentia, p. 279, n. 6. Jupiter, Mars & Saturnus cur non eclipſentur? ibid: n. 7. Eclipſium varii effectus, p. cit: 279, n. 8.

Eductionis varia uſurpatio, p. 46, n. 1. Eductio formarum deſcribitur, ibid: n. 2. Eductio formæ diſtinguitur â generatione compoſiti, p. 47, n. 3. Ad veræ Eductionis rationem ſufficit, quòd materia exiſtat priùs naturâ ſub privatione formæ, ibid: n. 4. Eductio non eſt formæ unio, p. 50, n. 15. Quænam formæ educantur è potentia materiæ? vide Forma. Ad Eductionem animæ ſenſitivæ concurrunt matres, p. 343, n. 7. Exceptis oviparis, ib: n. 8

Effectus determinatio quoad ſpeciem & individuum â quo proveniat, vide Determinatio. Effectus cauſæ materialis quinam? vide Cauſa materialis. Effectus cauſæ formalis, vide ibid:

Elementi etymon, p. 298, n. 1. Ejuſdem variæ acceptiones, ibid: n. 2. Definitur Elementum, p. 299, n. 3. Doctrina Chymicorum de Elementis, ibid: n. 4. Quatuor tantùm admittenda ſunt vera Elementa, p. cit: 299, n. 5. Objectis Chymicorum ſatisfit, p. 300, n. 6. Elementorum formæ conſtitutivæ non ſunt primæ qualitates, ibid: n. 7. Philoſophus gloſſatur, p. cit: 300, n. 8. Conſtituuntur in eſſe primario, & eſſentiali, formis propriis ſubſtantialibus, ibid: n. 9. Elementũ defactò nullum apud nos purũ extat quoad qualitates, p. 303, n. 12. Variæ Veterum opiniones de remanentia Elementorum in mixtis, p. cit: 303, n. 1. Non remanent in mixtis formaliter, ibid: n. 2. Sed tantùm virtualiter, p. 304, n. 3. Variis objectionibus reſpondetur, ibid: n. 4. Elementorum

remanentia in mixtis non bene explicatur à Thomiſtis, p. 305, n. 5. Verus Scotiſtarũ ſenſus affertur circa hoc, ibid: n. 6. Elementa ſunt generabilia & corruptibilia ſecundùm quid, p. cit: 305. n. 1. Objecto ſatisfit, p. 306, n. 2. Secundùm verò totam ſubſtantiam ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia, naturaliter, ibid: n. 3. Elementa in ſe invicem tranſelementari poſſunt, p. cit: 306, n. 4. Oppoſitiones tolluntur, ibid: n. 5. Elementa ſymbola, & diſſymbola quid? p. 307, n. 6. Utraque in ſe invicem ſunt convertibilia, ibid: n. 7. Symbola tamen celeriùs, ibid: Objectis ſatisfit, p. cit: 307, n. 8, & 9. Unum Elementum poteſt aliud generare ſpecie diſtinctum, ibid: n. 10. Quodlibet habet duas qualitates primas, p. 311, n. 6. Unam in gradu ſummo, ibid: n. 7. Alteram in gradu remiſſo, p. 312, n. 8. Accipiunt illas à ſuis formis ſubſtantialibus, ibid: n. 9. Qualitates ſymbolæ Elementorum ſunt ejuſdem ſpeciei, p. cit: 312, n. 10. Qualitates primæ Elementorum quid ſint? vide qualitates. Elementa non gravitant nec levitant in propriis centris, p. 315, n. 2. Objectiones ſolvuntur, p. 316, n. 4. Gravitas & levitas Elementorum quid ſit? vide Gravitas. Elementa nutriunt, p. 364, n. 4.

Ens ſucceſſivum an poſſit eſſe ab æterno de Potentia abſoluta, vide Deus.

Entitas tertia phyſica totius quid ſit? p. 71, n. 2. Cur vocetur à Scoto forma totius? p. 72. An totum phyſicum ſit tertia entitas realiter diſtincta à partibus, vide compoſitum.

Epicyclus deſcribitur, p. 261, n. 5. Epicycli neceſſariò debent admitti, p. 262, n. 7. Epicycli moventur, non verò Stellæ ipſis infixæ, p. 263, n. 1. Objectio ſolvitur, ibid: n. 2.

Eſſentia non eſt cauſa efficiens phyſica ſuarum proprietatum realiter identificatarum, p. 122, n. 1. Obectioni ſatisfit, ibid: n. 2.

Exemplar & Idæa ſunt ſynonima, p. 143, n. 1. Ideæ etymon, & ejus deſcriptio, ib: Exemplar internum, & externum quid? p. cit: 143, n. 2. Cauſæ exemplaris creatæ deſcriptio, ibid: n. 3. Dantur exemplaria interna, ſeu cauſæ exemplares, p. 144, n. 4. Exemplar ſeu Idea non eſt ars, ibid: n. 6. Nec ſpecies intelligibilis, n. 7. Neque conceptus formalis, ſed objectivus, n. 8. Objecta ſolvuntur, p. 145, n. 10. Conceptus formalis & objectivus quid? p. cit: 144, n. 5. Cauſa Exemplaris reducitur ad efficientem, p. 145, n. 11.

Exiſtentia quid ſit? p. 21, n. 1.

F.

F*Ati* etymon, p. 158, n. 1. Varii Gentilium errores de Fato, ibid: Fatum Catholicè deſcricitur, ibid: n. 2. Licitus eſt uſus Fati Catholici, p. cit: 158, n. 3. Fatum Gentile non datur, p. 159, n. 4.

Finis quid? vide Cauſa Finalis. Finis variæ diviſiones, vide ibid:

Fluxûs & refluxûs maris cauſæ quænam? vide Aqua.

Fœminæ an ſint monſtra, vide Monſtrum.

Fœtûs animati nutritio, & motio, p. 343, n. 9.

Formæ etymologia nominis, p. 44, n. 1. Quid forma naturalis, artificialis, ſubſtantialis, & accidentalis? ibid: Quid Forma aſſiſtens, & informans? ib: n. 2. Dantur Formæ ſubſtantiales, p. 45, n. 3. Diſtinguuntur à temperamento primarum qualitatum, ibid: n. 5. Oppoſitiones tolluntur, p. cit: 45, n. 6, & p. 46. Duæ definitiones Formæ ab Ariſtotele datæ, ibid: n. 7. Clarior ejuſdem definitio, ibid: n. 8. Forma materialis, & immaterialis quid? p. 47, n. 5. Omnes Formæ ſubſtantiales materiales regulariter educuntur de potentia ſubjecti, ibid: n. 6. Non verò immateriales, n. 7. Objectis ſatisfit, p. 48, n. 8. Formæ Cœlorum etiam educuntur è potentia materiæ, ibid: n. 9. Objectiones ſolvuntur, ibid: n. 10. Quid ſit eductio Formæ de potentia ſubjecti? vide Eductio. Formæ ſubſtantiales ante eductionem, non præexiſterunt actu in materia, p. cit: 48, n. 11. Bene tamen virtualiter, p. 49, n. 12. Formarum eductio non fit per Colchodeam, vel Ideam, p. 49, n. 13. Sed fit per agens naturale ſingulare conjunctum in generatione, ibid: n. 14. Formæ accidentales ſunt in triplici differentia, p. 50, n. 1. Quid Forma accidentalis naturalis, intentionalis, abſoluta, & relativa? ibid: Quid ſupernaturalis, habitualis, & actualis? p. cit: 50, n. 2. Forma artificialis quid? ibid: n. 3. Omnes Formæ accidentales naturales educuntur de potentia materiæ, ibid: n. 4. Oppoſitiones tolluntur, p. 51, n. 5. Formæ etiam artificiales educuntur de potentia ſubjecti, ibid: n. 6. Objecto ſatisfit, n. 7. Utrùm Formæ ſupernaturales vitales educantur de potentia ſubjecti? vide Actus vitales. Quid de habitibus

bitibus

Digitized by Google

bitibus ſupernaturalibus dicendum? vide Habitus. Una forma ſubſtantialis nequit naturaliter informare ſimul plures materias adæquatas diſcontinuatas, p. 53, n. 2. Neque etiam inadæquatas diſcontinuatas, ibid: n. 3. Bene tamen continuatas, n. 4. Una forma ſubſtantialis de potentia abſoluta poteſt ſimul informare plures materias diſcontinuatas adæquatas, p. cit: 53, n. 5. Objectiones ſolvuntur, p. 54, n. 6, & 7. & p. 55, n. 8, & 9. Formæ ſubordinatæ, & diſparatæ quænam dicantur? p. 55, n. 1. Duæ Formæ diſparatæ ſubſtantiales, naturaliter nequeunt ſimul informare eandem numerô materiam, p. 56, n. 3. Arriagæ reſpondetur, ibid: n. 4. Bene tamen de potentia abſoluta, ibid: n. 5. Objectionibus variis reſpondetur, p. 57, n. 6, & 7. & p. 58, n. 8, 9, & 10. Nulla Forma ſubſtantialis materialis naturaliter conſervari poteſt ſinè omni materia, p. 59 n. 1. Bene tamen ſpiritualis, ibid: n. 2. De Potentia abſoluta quævis Forma ſubſtantialis materialis poteſt conſervari abſque omni materia, ib: n. 3. Oppoſitiones ſolvuntur, p. cit: 59, n. 4. Conſervaretur abſque novo influxu conſervativo Dei, & ſinè novo perſeitatis modo, ibid: n. 5. Solvuntur objecta, p. 60, n. 8, 9, & 10. Formæ accidentales nequeũt naturaliter conſervari abſque omni ſubjecto, p. 61, n. 11. Bene tamen ſupernaturaliter, ib: n. 12. Niſi relativæ ſint, n. 13. Rationibus in oppoſitum reſpondetur, p. cit: 61, n. 14. Non egent novô aliquô modô poſitivô perſeitatis, ad ſui conſervationem extra ſubjectum, ibid: n. 15. Neque ſpeciali novo influxu Dei, p. cit: 61, n. 16. Formæ an conveniat ratio naturæ? vide Natura. Una forma expellit aliam in genere cauſæ formalis, p. 148, n. 6.

Fortuna & caſus quibus rebus conveniant? p. 156, n. 1. Diſcrimen inter caſum & fortunam, ibid: Fortuna & caſus dantur in rerum natura, ibid: n. 2. Varia Veterum ſentimjna de Fortuna, p. cit: 156, n. 3. Fortunæ deſcriptio, p. 157, n. 4. Duo requiruntur ad rationem effectûs fortuiti, ibid: n. 5. Non datur Caſus fortuitus reſpectu Dei, p. cit: 157, n. 6. Fortuna bona & mala quid ſit? ibid: n. 7. Caſus deſcribitur, ibid: n. 8. Fortuna & caſus reducuntur ad genus cauſæ efficientis, p. 158, n. 9.

Frigus deſcribitur, p. 310, n. 2.

Frons in homine quid? p. 351, n. 27.

G.

G*Emellorum* ortus, p. 344, n. 11.

Geminorum ſigni Zodiaci natura & operationes, p. 271, n. 3.

Generabile & corruptibile ſubjectivè, & terminativè quidnam dicatur? p. 25, n. 7.

Generatio ſubſtantialis, & accidentalis quid? p. 12, n. 9. Generationis triplex uſurpatio, p. 325, n. 1. Generatio in ratione mutationis, & productionis quid ſit, ibid: n. 2. Generatio in ratione mutationis deſcribitur ab Ariſtotele, p. 326, n. 3. Ejuſdem clarior definitio, ibid: n. 4. Generationis definitio in ratione productionis, p. cit: 326, n. 5. Dantur de factò plures Generationes ſubſtantiales in ratione mutationis, p. 327, n. 6. Et dabiles ſunt etiam aliæ in ratione productionis, ibid: Objecta ſolvuntur, p. cit: 327, n. 7. Generationis mutativæ inanimatorum ſubjectum inhæſionis, eſt materia prima, p. 328, n. 1. Animatorum verò corpus altera pars viventis, ibid: n. 2. Oppoſitio tollitur, ibid: n. 3. Generationis mutativæ inanimatorum ſubjectum in quo, & circa quod, eſt etiam materia prima, p. cit: 328, n. 4. Corpus verò animatorum, p. 329, n. 5. Generationis productivæ ſubjectum eſt ipſe generans, ibid: n. 6. Terminus ad quem Generationis mutativæ eſt forma noviter acquiſita, p. cit: 329, n. 7. Generationis verò productivæ terminus totalis non eſt unio materiæ & formæ, ibid: n. 8. Sed compoſitum, n. 9. Nomine compoſiti quid hic intelligatur? p. 330, n. 10. Terminus formalis & quô Generationis eſt forma ſubſtantialis, ibid: n. 11. Generatio ſubſtantialis totalis, fit ſucceſſivè & in tempore, p. cit: 330, n. 1. Objectis ſatisfit, p. 331, n. 3. Diſtinguitur realiter â corruptione, p. 332, n. 1. Etſi ſumatur in ratione productionis, ibid: n. 2. Objectiones expediuntur, p. 333, n. 4. Pariter diſtinguitur realiter â Converſione, ibid: n. 5. Similiter ab alteratione, ibid: n. 6. Generatio & corruptio valde inter ſe connectuntur, p. cit: 333, n. 7. Generatio unius eſt corruptio alterius, & ècontra, quomodo intelligatur? p. 334, n. 1. Fundamentum hujus axiomatis, ibid: n. 2. Poteſt habere triplicem ſenſum, ibid: n. 3. In ſenſu formali non verificatur, ibid: In ſenſu cauſali, & in ſenſu concomitanti eſt veriſſimum; p. cit: 334, n. 4, & 5. Ejus uſus, & ve-

Digitized by Google

& veritas extendi poteſt etjam ad Generationem, & corruptionem accidentalem, p. 335, n. 6. Habet locum in omnibus rebus inanimatis, ibid: n. 7. Non verò in rebus viventibus & animatis, ibid: n. 8. Nec in prima Generatione cælorum & elementorum, p. cit: 335, n. 9. Omnis Generatio de facto ordine intentionis, eſt prior naturâ, quam corruptio, ibid: n. 11. Nõ autem ordine executionis, p. 336, n. 12. Ambæ fiunt in uno inſtanti temporis, ib: n. 13. Non tamen totaliter, p. cit: 336, n. 14. Prioritas temporis & naturæ quid? vide Prioritas. Generatio ut ſic viventium definitur, p. 336, n. 1. Quanta debeat eſſe ſimilitudo naturæ in Generante, & Genito viventis? p. 337, n. 2. Additio ex Scoto ad deſcriptionem Generationis viventium ut ſic, ibid: n. 3. Generatio Chriſti eſt univoca, p. cit: 337, n. 4. Generatio viventium vegetativorum, & ſenſitivorum fit ſucceſſivè, ibid: n. 5. Generatio per propagationem, & ex putri quid? p. 337, n. 1. Ad Generationem hominis requiritur ſexuum diverſitas, p. 339, n. 1. Tam Pater, quàm Mater activè concurrunt ad Generationem hominis, ibid: n. 2. Thomiſtis reſpondetur, p. 340, n. 4. Objectis aliis ſatisfit, p. 341. Organizatio hominis quomodo fiat? vide Organizatio. In Generatione unde proveniat tanta diverſitas prolium? p. 344, n. 10.

Geomantia deſcribitur, p. 294, n. 5.

Gigantes an habeant terminum magnitudinis? vide Terminus magnitudinis.

Gingiva deſcriptio, p. 351, n. 28.

Gradus heterogenii, & homogenii quid ſint, p. 378, n. 1. Heterogeneitas & homogeneitas Graduum unde ſumenda? ib: n. 2. Gradus qualitatis intenſæ, & remiſſæ omnes ſunt homogenii, p. cit: 378, n. 3. Ad objectiones reſpondetur, p. 379, n. 5.

Gravia, & levia proximè non moventur verſùs ſua centra naturaliter â medio, p. 174, n. 4. Nec â cælo, aſtris, aut Generante, ibid: n. 5, & 6. Objectis ſatisfit, ibid: n. 8. Gravia & levia moventur proximè â ſeipſis, per formas ſuas congenitas ſubſtantiales, p. 175, n. 9. Gravitas, & levitas actualis & habitualis quid ſit? p. 315, n. 1. In quo gradu cuilibet elemento conveniat Gravitas & levitas? p. 316, n. 5.

H.

HAbitus ſupernaturales non educuntur de potentia ſubjecti, p. 52, n. 9. Objectiones Maſtrii expediuntur, ibidem, n. 10.

Hepatis humani conſtitutio ejuſque munus principale, p. 348, n. 17.

Homo alitus toto tempore vitæ manet idem numerô, p. 366, n. 2. Similiter quodvis aliud animal, p. 367, n. 3. Et hoc ex eo, quòd partes ejus ſolidiores perſeverent, & quædam etiam fluidæ, ibid: n. 4. Idem dicendum eſt de corde, hepate, cerebro, & carnibus, p. cit: 367, n. 5.

Horizontis deſcriptio, p. 285, n. 10.

Humiditas quid? p. 310, n. 3. Humidum radicale, & calor nativus an extent, & quid ſint? p. 61, n. 3. Humidum radicale eſt ſubſtantia quædam, p. 362. Unde generetur? ibid:

I.

IDea quid? vide Exemplar.

Idem an poſſit agere in ſeipſum? vide Agere. *Idem manens idem, ſemper facit idem* quomodo intelligatur? vide Cauſa.

Ignis eſt figuræ rotundæ, p. 301, n. 4. De proprietatibus & effectibus ejus, p. 302, n. 10. Ignis eſt reliquis elementis præſtantior, ibid: n. 11. Alius eſt purus, alius impurus, p. 323, n. 1. Ignis elementaris eſt ejuſdem ſpeciei cum noſtro, ibid: n. 2. Eſt ſitus ſub concavo Lunæ, ibid: Oppoſitiones tolluntur, p. cit: 323, n. 5. Ignis ſubterranei cauſa, ibid: n. 7. Quædam quæſita de Igne reſolvuntur, p. 324, n. 8. Utrùm aliqua animalia in igne vivant? ibid: n. 9.

Incipiendi modi duo ſunt, & totidem deſinendi, p. 234. Incipere & deſinere intrinſecè & extrinſecè quid ſit? p. 171, n. 1. Quibus rebus competat Incipere, & deſinere extrinſecè, quibus intrinſecè, p. 234, n. 1. & p. 235, n. 2, & 3.

Indiviſibile ſpirituale, & materiale quid ſit? p. 172, n. 1. Indiviſibile materiale, ut ſeparatum â continuo, an poſſit moveri localiter, vide Motus. Quid Indiviſibile ſubſtantiale & accidentale? p. 179, n. 5.

Infiniti deſcriptio, p. 189, n. 1. Infinitum per Eſſentiam & participationem quid? ibid: n. 2. Quid categorematicum, & ſyncategorematicum ibid: n. 3. Infinitum categorematicum in intenſione magnitudine, & multitudine quid? p. cit: 189, n. 4. Quid ſubſtantiale, accidentale, â parte antè, & â parte poſt? p. 190, n. 5. Infinitum ſyncategorematicum definitur, ibid: n. 6. Similiter categorematicum, p. cit: 190, n. 7. Variæ affectiones Infiniti, ibid:

ibid: n. 9, & 10. Et p. 191, n. 11, & 12. Infinitum per Eſſentiam datur, p. cit: 191, n. 1. Syncategorematicum etiam datur, ibid: n. 2. Non tamen categorematicum creatum, ibid: n. 3. Objectis pro Infinito categorematico ſatisfit, p. 192, n. 4. Deus nequit creare creaturam categorematicè infinitam in eſſentia, p. cit: 192, n. 1. Argumenta contraria ſolvuntur, p. 193, n. 3. Deus procedere poteſt ſyncategorematicè in Infinitum, in creandis ſpeciebus perfectioribus, p. 194, n. 4. Oppoſitiones tolluntur, p. 195, n. 6, & 8. Repugnat Deum producere Infinitum categorematicum in quantitate, p. cit: 195, n. 1. Variis objectis ſatisfit, p. 197, n. 4. Non tamen ſyncategorematicum, ibid: n. 5. Similiter Deus nequit producere Infinitum categorematicum in multitudine, p. 198, n. 1. Objectiones expediuntur, p. 199, n. 4, & 6. Infinitum ſyncategorematicum in multitudine eſt poſſibile, p. 200, n. 7. Deus non poteſt efficere qualitatem actu infinitè intenſam, p. cit: 200, n. 1. Objectis ſatisfit, p. 201, n. 3. Deus poteſt aliquam qualitatem in Infinitum ſyncategorematicè intendere, p. cit: n. 4. Objectiones refutantur, p. 202, n. 6. Partes continui tam proportionales, quàm aliquotæ, ſunt ſolùm ſyncategorematicè infinitæ, p. 185, n. 3.

Inſtrumenti variæ acceptiones, p. 141, n. 1. Inſtrumenti ſeu cauſæ inſtrumentalis artificialis deſcriptio ex Scoto, p. 142, n. 2. Inſtrumentum ex ſe propriè non eſt activum, ibid: n. 3. Oppoſitiones tolluntur, p. cit: 142, n. 5. Cauſa inſtrumentalis reducitur ad genus cauſæ efficientis, p. 143, n. 6. Inſtrumenta compoſitiva, & diviſiva quid ſint? ibid: n. 7.

Inſida quid ſit? p. 319. n. 8.

Intelligentiæ motrices cælorum an ſint per totum ſuum Orbem diffuſæ? Item an moveant cælos per potentiam locomotivam diſtinctam ab intellectu & voluntate? vide Cœlum. Intelligentiæ aſſiſtrices cælorum an ſint actu beatæ? vide ibid:

Intenſio qualitatis non fit per majorem radicationem, p. 375, n. 2. Quomodocunque à Thomiſtis explicetur, p. 376, n. 3. & 4. Neque fit per remotionem contrariæ qualitatis, ibid: n. 5. Nec per diſpoſitionem majorem ſubjecti, p. cit: 376, n. 6. Neque etiam per deſtructionem totalem prioris qualitatis, & productionem perfectioris, p. 377, n. 7. Sed fit per additamentum novi gradûs qualitatis, ad priores gradus in eadem parte ſubjecti, ibid: n. 8. Objectiones ſolvuntur, p. 378, n. 10. Intenſio & remiſſio qualitatis ſunt motus diſtincti, p. 379, n. 7.

Inteſtina humana deſcribuntur anatomicè, p. 348, n. 15, Eorundem longitudo, ibid:

Jovis Planetæ natura, & operationes, p. 275, n. 3.

L.

L*Abia* deſcribuntur anatomicè, p. 351, n. 28.

Lapis cur non intelligeret ſi in ipſo poneretur intellectio? p. 141, n. 4.

Lecanomantia quid? p. 93, n. 3.

Leo ſignum Zodiaci deſcribitur, p. 272, n. 5.

Libræ ſigni Zodiaci operationes, p. 272, n. 7.

Lienis deſcriptio & quale ejus officium? p. 349, n. 19.

Linea & ſuperficies ſunt entia realia poſitiva, p. 118, n. 16.

Linguæ humanæ deſcriptio ejuſque uſus, p. 351, n. 28.

Loci duplex acceptio, p. 203, n. 1. Locus extat, ibid: n. 2. Variæ Loci diviſiones, p. cit: 203, n. 3. & p. 204, n. 4, 5, 6, &c. Locus circumſcriptivus, diffinitivus, & immenſivus quid? vide ibid: Variæ Philoſophorum opiniones de natura Loci, p. cit: 204, n. 1. Locus non conſiſtit in ſpacio imaginario, p. 205, n. 2. Nec in ſpacio reali trium dimenſionum, ibid: n. 3. Nec in ſuperficie, & virtute conſervativa ſimul, ibid: n. 4. Neque formaliter conſiſtit in duplici dimenſione, aut ſitu quem habent corpora in ordine ad polos fixos, p. cit: 205, n. 5, & 6. Locus pro materiali conſiſtit formaliter in ultima ſuperficie corporis continentis, p. 206 n. 7. Pro formali verò in entitate relativa, ibid: n. 8. Loci circumſcriptivi pro materiali deſcriptio, ibid: n. 9. Et pro formali, p. 207, n. 10. Oppoſitiones variæ refutantur, ibid: n. 11, 12, 13, 14, & p. 208, n. 15, 16. Loci immobilitas non ſalvatur per diſtantiam ad polos, p. cit: 208, n. 1. Philoſophus explicatur, ibid: n. 2. Nec per immobilitatem elementorum, p. 209, n. 3. Loci immobilitatis ratio vera adſtruitur, ibid: n. 4. Concluſio ad mentem Scoti declaratur, ibid: n. 5. Objecto ſatisfit, p. cit: 209, n. 6. Loci attributa explanantur, ibid: n. 7. Omnia corpora quanta tam mixta quàm ſimplicia; ſunt

 cir-

cumſcriptivè in Loco, p. 210, n. 2. Exceptô Cœlô Empyreô, p. 211, n. 3. Ad objecta reſpondetur, ibid: n. 5. Deus neque diffinitivè, neque circumſcriptivè eſt in Loco, p. cit: 211, n. 6. Objectio ſolvitur, ibid: n. 7. Angeli, & animæ rationales ſunt in Loco diffinitivo, ibid: n. 8. Angeli non ſunt in Loco per operationem, p. 212, n. 9. Sed per ſuam ſubſtantiam, ibid: n. 10. Thomiſtis reſpondetur, ibid: n. 11. Plures res ſpirituales poſſunt naturaliter ſimul eſſe in eodem loco, cit: p. 212, n. 2. Et etiam cum alia re corporea, ib: Objectionibus ſatisfit, p. 213, n. 4. Plura corpora nequeunt eſſe naturaliter in eodem loco ſimul, ibid: n. 5. Oppoſitiones expediuntur, ibid: n. 7. Bene tamen ſupernaturaliter p. cit: 213, n. 8. Durandus reijcitur, p. 214, n. 9, 10, & 11. Objectiones ſolvuntur, ibid: n. 13. Nulla res ſpiritualis aut corporea poteſt naturaliter eſſe ſimul in pluribus locis adæquatis, p. 215, n. 1. Nec etiam inadæquatis, quæ eſſent extra ſphæram Loci naturalis. ibid: n. 2. De potentia abſoluta idem corpus poteſt poni in pluribus locis ſimul. in uno circumſcriptivè, in altero diffinitivè, p. 216, n. 3. Poſſibilis etiam eſt replicatio unius rei, ad plura loca circumſcriptiva, ibid: n. 4. Eadem res ſpiritualis poteſt replicari ad plura ubi diffinitiva, p. 217, n. 5. Thomiſtis reſpondetur, p. 218, n. 7. Abſurda Thomiſtica reijciuntur, ibid: n. 9. Variæ regulæ generales in hac materia afferuntur pro foro Scoti, ibid: n. 10. & p. 220, n. 11. Actio replicativa eſt tantùm adductiva corporis replicati, ib: n. 12. Objecto ſatisfit, ib: n. 13. Utrùm poſſit â Deo creari aliqua creatura, quæ eſſet & nullibi eſſet, problematicè proponitur, p. cit: 220, n. 1. Diſtinctæ ſunt præſentiæ ſubſtantiarum & accidentium, p. 221, n. 3. Replicis reſpondetur, ibid: n. 4. Cauſa ubicationum productiva quænam? ibid:

Lunæ natura & influxus, p. 276, n. 8. Lunæ maculæ quid? vide Maculæ. Luna eſt corpus opacum, p. 280. Novilunium, Plenilunium, Luna creſcens, & decreſcens quid? ibid:

Lux & Lumen quid ſit? p. 280, n. 1. Lux & Lumen non eſt de genere ſubſtantiæ, ibid: n. 2. Sed de genere accidentis, p. 281, n. 3. Luminis deſcriptio, ibid: n. 4. Luminis reflexio & refractio quomodo fiat? p. cit: 281, n. 6. Quid radius rectus, reflexus, & refractus? ibid: n. 5.

M.

Maculæ Solis quid ſint? p. 277, n. 1. Et quid Maculæ Lunæ? ib: n. 2. Maculæ Jovis, Martis, & Mercurii quid? ib: n. 3

Magia idem ſignificat quod ſapientia, p. 93, n. 1. Magia eſt duplex naturalis, & dœmoniaca, ibid: Magia naturalis quid? ibid: Dœmoniaca quid? ibid: n. 2. Variæ ſpecies Magiæ diabolicæ, p. cit: 93, n. 3. Quatuor ſigna diſcernendi Magiam diabolicam â Magia naturali, & licita, p. 94, n. 4, 5, 6, & 7. Effectus Magici mirabiles non ſunt miracula, ibid: n. 8. Quidam tamē ſunt ità portentoſi, ut vires humanas excedant, ibid: n. 9. Maleficia, præſtigiæ, divinationes quid? p. 95, n. 10. Tres modi quibus Dœmon, vel ſeipſo, vel cum Mago exercet Magiam, p. 95, n. 11, & p. 96, n. 15, & 16.

Malum quà tale poteſt eſſe finis, p. 156, n. 15.

Mare quare ſit ſalſum? vide Aqua. Quales habeat motus? item unde proveniat fluxus & refluxus Maris? vide ibid:

Martis influxus & dominiū, p. 275, n. 4

Mater an concurrat activè ad generationem? vide Generatio.

Materia & forma univocantur in ratione principii, p. 15, n. 9. Materia verò, forma & privatio analogantur in ratione principii, ib: n. 10. Materia diverſas habet acceptiones, p. 16, n. 1. Ejuſdem multiplex diviſio, ib: n. 2. Materia prima datur, p. 17, n. 2. Objectiones ſolvuntur, p. 18, n. 5. Materia prima cum Ariſtotele definitur, ibid: n. 6. Clarior ejuſdem definitio, ibid: n. 7. Materia prima non eſt unum ex quatuor elementis, p. cit: 18, n. 1. Nec eſt numerus p. 19, n. 2. Sed ens reale ſubſtantiale diverſum â forma, ib: n. 3, 4, 5. Eſt creata â Deo creatione propriè dictâ, p. 20, n. 1. Objecto cuidam ſatisfit, ib: n. 2. Materia prima eſt ſubſtantia incompleta, p. cit: 20, n. 3. Non eſt creata cum aliqua forma coæva ſibi, ib: n. 4. Neque eſt pura potentia objectiva, n. 7. Thomiſtis reſpondetur, p. 21, n. 9. Potentia objectiva & ſubjectiva quid? vide Potentia. Materia prima habet exiſtentiam propriam partialem, p. 22, n. 2. Thomiſtarum objectionibus reſpōdetur, ib: n. 3. Etiam in aliquo ſenſu habet ſuam ſubſiſtentiam, p. 22, n. 7. Materia omnium ſublunarium eſt unâ ſpecie, p. 24, n. 1. Non verò una numerô, ibid: n. 2. Philoſophus explicatur, ib: n. 4. Materia prima corporum cæleſtium eſt ejuſdem rationis cum

mate-

materia ſublunarium, p. cit: 24, n. 5, & p. 25, n. 6. Dici poteſt generabilis & corruptibilis ſubjectivè non tamen terminativè, p. 25, n. 8, & 9. Objectiones ſolvuntur, p. 26, n. 11. Quid ſit eſſe generabile & corruptibile ſubjectivè, & terminativè? vide Generabile. Materia prima eſt ſuô modô activa reſpectu ſuarum paſſionum, p. 26, n. 1. Quo ſenſu dicatur paſſiva? ib: n. 2. Eſt etiam activa reſpectu formæ educendæ, & compoſiti, n. 3. Non verò reſpectu operationum totius, n. 4. Eſt radix prima corruptionis omnium rerum naturalium, p. 27, n. 5. Objectis reſpondetur, ibid: n. 6. Eſt cognoſcibilis ſinè habitudine ad aliud, ibid: n. 7. Ariſtoteles gloſſatur, n. 8. Non tamen â nobis pro hoc ſtatu, ibid: Potentia paſſiva remota Materiæ, radicaliter conſiderata eſt de eſſentia Materiæ, p. 28, n. 6. Non verò formaliter conſiderata, ibid: n. 7. Sed eſt ejus paſſio, n. 8. Potentia ut importat relationem informati ad informans eſt accidens realiter diſtinctum â Materia prima, p. 29, n. 10. Potentia Materiæ eſt indifferens ad omnes formas, ibid: n. 11. Tam ſecundùm gradum ſpecificum, quàm individualem, ibid: ſive ad formas, non poſſeſſas, ſive etiam corruptas, p. cit: 29, n. 13. Objectio ſolvitur, ibid: n. 14. Potentia Materiæ proximæ eſt multiplex, p. 30, n. 15. Remota verò eſt unica ad omnes formas, ibid: n. 16. Objectis ſatisfit, ibid: n. 17. Potentia ſuſtentativa Materiæ eſt formaliter diſtincta â potentia receptiva, p. cit: 30, n. 18. Objecta ſolvuntur, p. 31, n. 20, 21. Similiter potentia receptiva formæ ſubſtantialis in Materia formaliter diſtinguitur â potentia receptiva formæ accidentalis, ibid: n. 22. Oppoſitio ſolvitur, n. 23. Potentia Materiæ remota, & proxima quid? vide Potentia. Materia appetit univerſaliter omnes formas ſubſtantiales, etiam corruptas, p. 32, n. 3, & 4. Objectis ſatisfit, p. 33, n. 6. Non ſolùm ſecundùm gradum genericum, ſed etiam ſpecificum, & individualem, ibid: n. 7. Et quidem unicô appetitu innatô univerſali, ibid: n. 8. Non verò unicô appetitu proximô, & particulari, cit: p. 33, n. 9. Non appetit æqualiter omnes formas, ſed magis nobiliores, ibid: n. 10. Objectionibus reſpondetur, p. 34, n. 11. Materia ſub forma nobiliori adhuc verè appetit formam ignobiliorem, ibid: n. 12. Non verò ſub forma perfectiſſima, ibid: n. 13. Appetitus innatus & elicitus Materiæ quid? vide Appetitus. Materia prima de potentia ordinaria nequit exiſtere abſque omni forma, p. 35, n. 2. Objectiones ſolvuntur, ibid: n. 4. Bene tamen de Potentia abſoluta, ibid: n. 5. Thomiſtis ſatisfit, p. 36, n. 7. Similiter poteſt ſic exiſtere abſque omni relatione prædicamentali, non verò tranſcendentali, ibid: n. 8, & 9. Materia exiſtens abſque omni forma non acquireret novum eſſe, nec egeret novô influxu DEI conſervativô, p. 37, n. 10. Objectiones ſolvuntur, n. 11. Quid Potentia ordinaria, & abſoluta? vide Potentia. In Materia non præexiſtunt ullæ rationes ſeminales, p. cit: 37, n. 1. Eſt de Eſſentia compoſiti, p. 38, n. 2. Solvuntur rationes oppoſitæ, ibid: n. 3. Materia ex ſe caret omni dimenſione, ibid: n. 4. Nullam habet quantitatem coævam, cit: p. 38, n. 5. Objectis Averroiſtarum ſatisfit, ibid: n. 6. Quid ſit dimenſio interminata? vide Quantitas. Materia adæquata, & inadæquata continua, & diſcontinuata quid? p. 53, n. 1. Quid intelligatur per materiam præparatam? p. 65, n. 5. Materiæ primæ an conveniat ratio naturæ? vide Natura. Materialis cauſa quid? vide Cauſa.

Membra humana quæ & quot ſint? p. 344, n. 1.

Membrana corporis deſcribitur, p. 347, n. 13. Membranæ ſunt in triplici differentia, ibid:

Mercurij Planetæ influentiæ, & operationes, p. 276, n. 7.

Meſenterium quid? p. 348, n. 16. Ejuſque uſus, ibid:

Metoſcopiæ deſcriptio, p. 294, n. 5.

Mixtio propriè & impropriè quid? p. 389, n. 1. Mixtionis propriæ deſcriptio, p. 390, n. 2. Conditiones requiſitæ ad Mixtionem, ibid: n. 3. Mixtio diſtinguitur â generatione, ibid: n. 4. Philoſophus gloſſatur, n. 5. Mixtiones elementorum admittendæ ſunt, p. cit: 390, n. 6. Mixtum quid, & quotuplex? p. 391, n. 1. Mixtorum animatorum cauſa efficiens, nec cæli nec elementa ſunt, ibid: n. 2. Neque inanimatorum cauſa effectiva ſunt elementa, ſed corpora cæleſtia, p. cit: 391, n. 3. Poſſunt ſed tamen defactò non concurrunt omnia elementa ad generationem Mixti, ibid: n. 4. Utrùm ex liquoribus confuſis poſſit conſurgere Mixtum tertium, ib: n. 5. Mixtum poteſt generari cum uniformi temperamento, p. 392, n. 9.

Monſtrum quid? p. 159, n. 6. Ejuſdeſcriptio, ibid: n. 7. Cauſæ Monſtrorum novem enumerantur, p. 160. n. 8. 9. 10. 11. 12.

n. 12. Natura per ſe non intendit Monſtrum, p. 161, n. 17. De Monſtris quibuſdam ſpecialis doctrina, ibid: n. 18. Fœminæ non ſunt Monſtrum, p. cit: 161, n. 20. Satyri, Sirenes, & Fauni probabiliter non ſunt Monſtra, ibid: n. 19.

Montes terræ facti fuerunt tertiò die creationis Mundi, p. 318, n. 6. Montium quorundam altitudo, ibid: n. 7.

Mors naturalis & violenta unde cauſetur? p. 371, n. 3. Quomodo contingat Mors naturalis, p. 372, n. 4. Omne vivens debet aliquando mori, p. 373, n. 8.

Motus datur, p. 162, n. 1. Definitur ab Ariſtotele, ibid: n. 3. Clarior ejuſdem deſcriptio, ibid: n. 4. Motus inſtantaneus & ſucceſſivus, ſubſtantialis, & accidentalis, naturalis, violentus, & neuter quid ſit? p. 163, n. 5, 6, & 7, & p. 267, n. 1. Plures aliæ ſpecies Motûs recenſentur, ib: n. 8. Definitio Ariſtotelica Motûs convenit omni ſpeciei Motûs, p. 164, n. 9. Ad objectiones reſpondetur, ibid: n. 10, & 11. Succeſſio non eſt de eſſentia Motûs ut ſic, neque paſſio ejus, p. 165, n. 12. Variæ opiniones de natura Motûs, p. cit: 165, n. 1. Motus phyſicus materialiter conſideratus, eſt ipſa entitas formæ fluentis, ſeu eſt ipſa forma in fieri, ibid: n. 2. Formaliter verò eſt relatio extrinſecùs adveniens mobilis ad movens, n. 3. Adverſariorum ſententiæ, circa formalitatem Motûs phyſici impugnantur, p. 166, n. 4. Ariſtoteles, D. Auguſtinus, Scotus in contrarium objecti reconciliantur, p. 167, n. 5. Motus formaliter conſideratus diſtinguitur realiter â ſubjecto, p. cit: 167, n. 1. Et â termino ad quem, ibid: n. 2. Similiter â movente, ab actione, & paſſione, ibid: n. 3. 4. & 5. Objecto ſatisfit, cit: p. 167, n. 6. Unitas generica, vel ſpecifica Motûs non deſumitur â motore, vel mobili, p. 168, n. 9. Nec â termino aut medio, ibid: n. 10. Motus habet duplicem terminum â quo, unum negativum, alterum poſitivum, ibid: n. 8. Unitas & diſtinctio Motûs ſumuntur ab eodem, p. cit: 168, n. 11. Unitas generica & ſpecifica Motûs, deſumitur â termino ad quem, ibid: n. 12. Reſpondetur ad objecta, p. 169, n. 4. Unitas numerica Motûs deſumenda eſt ab unitate numerica mobilis, termini, & temporis, ib: n. 15, 16, 17. Objectio ſolvitur, ib: n. 18. Contrarietas Motûs colligitur â termino ad quem, p. cit: 169, n. 19. Motus materialiter ſumptus pertinet ad illud prædicamentũ ad quod forma, ſeu terminus ejus ſpectat, p. 170, n. 1. Formaliter verò ſumptus ad prædicamentum paſſionis pertinet, ibid: Motus in ampliori ſenſu acceptus datur ad omnia prædicamẽta, ib: n. 2. Motus opponitur quieti privativè tantùm, p. cit: 170, n. 3. Idem nequit moveri motibus contrariis ſimul naturaliter, bene tamen ſupernaturaliter, ib: n. 4. Subjectum Motûs eſt ſubſtantia materialis completa, ib: n. 5. Nequit dari Motus ſucceſſivus in inſtanti, & inſtantaneus ſucceſſivè, ibid: n. 6. Unde oriatur, quòd Motus gravium in fine ſit velocior? p. cit: 170, n. 7. Motus ut eſt quid ſucceſſivum incipit, & deſinit extrinſecè, p. 171, n. 2. Continuitas & ſucceſſio non ſunt de eſſentia Motûs ut ſic, nec paſſiones ejus intrinſecæ, ib: n. 3. Velocitas & tarditas Motûs explicantur, ib: n. 4. Non ſunt affectiones intrinſecæ Motûs ut ſic, ib: Indiviſibile materiale ſeparatum poſſet per ſe moveri localiter, p. 172, n. 2. Oppoſitionibus ſatisfit, ib: n. 3. Motus localis nõ poteſt fieri in inſtanti naturaliter, p. 173, n. 4. Bene tamen ſupernaturaliter, ib: n. 5. Reſpondetur objecto, ib: n. 6. Motus intentionalis, emanativus, & phyſicus quid ſit? p. cit: 173, n. 1. Multa moventia naturalia æquivoca poſſunt moveri intrinſecè â ſeipſis, motu reali phyſicô, ibid: n. 2. Dictum Philoſophi, *quidquid movetur, ab alio movetur*, explicatur, p. 174, n. 3. Gravia & levia quomodo moveantur? vide Gravia. Motus violentus projectorum non cauſatur principaliter, & adæquatè â medio, p. 175, n. 1. Objectum ſolvitur, ibid: n. 2. Similiter Motus violentus projectorum, non provenit â gravitate, & levitate eorum, p. 176, n. 3. Nec ab aliqua antiperiſtaſi, ib: n. 4. Sed ab impulſu proijciẽtis, projectis impreſſo, ib: n. 5. Adminiculatoriè tamen etiam provenit â majori vel minori denſitate medii, p. cit: 176, n. 6. Motus reſilientiæ cauſatur per ſe effectivè â proijciente imprimente impulſum projectis, ib: n. 7. Per accidens verò â corpore impediente, p. cit: 176, n. 8. Mobile projectum quieſcit in puncto reflexionis, p. 177, n. 9. Hoc tamẽ univerſaliter non eſt neceſsè, ibid: n. 10. Primus Motor quis ſit & qualis? p. cit: 177, n. 11, & 12. Motus tres præcipui obſervati fuerunt in Orbibus cæleſtibus, p. 263, n. 4. Motus cæleſtis non eſt cælis naturalis, p. 267, n. 2. Nec violentus, ib: n. 3. Sed neuter, p. cit: 267, n. 4. Quâ ratione Philoſophus Motum cæli vocet naturalem? ib: n. 5. Motus cæli eſt regularis, p. 268, n. 6. Succeſſio in Motu provenit quandoq; â ſola reſiſtentia eſſentiali, p. 227. Quænam ſit cauſa Motûs per ſe horologiorum? p. 90, n. 8.

Mundi variæ acceptiones, p. 236, n. 1. Ejuſdem deſcriptio, p. 237, n. 2. Mundus non eſt aliquod novum magnum animal, ibid: n. 3. Unicus de facto creatus eſt Mundus, ibid: n. 4. Plures tamen ſunt creabiles, p. cit: 237, n. 5. Ariſtoteles reconciliatur, p. 238, n. 6. Solus Deus creavit Mundum, p. cit: 238, n. 1. Qualis ſit diſpoſitio inter partes Mundi, ibid: n. 2. Mundus creatus eſt perfectus, ibid: n. 3. Objectio tollitur, p. 239, n. 4. Mundus poterat creari perfectior, eſſentialiter & accidentaliter, ibid: n. 5, & 6. Objecto ſatisfit, p. cit: 239, n. 7. Mundus exceptô Cælô Empyreô eſt figuræ ſphæricæ, ibid: n. 8. Non eſt creatus ab æterno, p. 240, n. 1. Objecta ſolvuntur, ibid: n. 2, & 3. Arriſtoteles in hoc erravit, p. cit: 240, n. 4. Potuit tamen creari â DEO ab æterno quoad entia permanentia, p. 241, n. 5. Objectionibus reſpondetur, ibid: n. 6, 7, & 8. Non verò quoad entia ſucceſſiva, p. 242, n. 9. Mundus probabiliter creatus eſt tempore Vernô, p. cit: 242, n. 1. Patri Lyrano reſpondetur, ib: n. 2. Mundi creatio peracta fuit ſpaciô ſex dierum realium, p. 242, n. 3. Divus Auguſtinus gloſſatur, p. 243, n. 5. Objectis ſatisfit, ibid: n. 6, & 7. Mundus tam quoad cælos quàm quoad elementa aliquando innovabitur, p. cit: 243, n. 8. Exceptô Cælô Empyreô, p. 244, n. 9. Innovatio Mundi ſolùm erit accidentalis, non ſubſtantialis, ibid: n. 10. Tunc ceſſabit motus cæleſtium, p. cit: 244, n. 11.

Muſculi in corpore humano quid ſint? p. 247, n. 11. Quodnam illorum munus? ibid: Muſculi ſingularum, partium enumerantur, ibid:

N.

Naſus quid, & quod ejus munus? p. 351, n. 27.

Naturale variè accipitur â Scoto, p. 6, n. 2. Naturæ etymon nominis, p. 82, n. 1. Variæ acceptiones naturæ, ibid: Natura naturans, & Natura naturata quid? ibid: Definitio Naturæ Ariſtotelica declaratur, p. cit: 82, n. 2. Objectiones ſolvuntur, p. 83, n. 3. Natura conſtituitur per principium paſſivum tantùm in eſſe talis, ib: n. 2. Maſtrio reſpondetur, p. 84, n. 3. Objectis ſatisfit, p. 85, n. 6, & 7. Principium activum, & paſſivum quid? vide Principium. Ratio Naturæ convenit materiæ primæ, p. 86, n. 1. Ad oppoſitiones reſpondetur, ibid: n. 3. Convenit & formæ ſubſtantiali, ibid: n. 4. Etiam animæ rationali, p. 87, n. 5. Objectis ſatisfit, ib: n. 6, & 8. Compoſitum ſubſtantiale etiam rectè dicitur Natura, p. cit: 87, n. 9. Poncio reſpondetur, p. 88, n. 11. Privatio non participat rationem Naturæ, ibid: n. 12. Neque formæ accidentales, ibid: n. 13. Utrum quidditas Angeli rectè dicatur Natura? vide ibid: Ratio Naturæ convenit materiæ, formæ & compoſito ſubſtantiali univocè, p. cit: 88, n. 14. Admixtâ tamen analogia, ibid: n. 15.

Nervorum anatomica deſcriptio, p. 346, n. 9. Majori ex parte originantur in cerebro, ibid: Eorumque numerus in corpore humano, ibid:

Nigromantia quid? p. 93, n. 3, & p. 294, n. 5.

Nutritio cur inſtituta ab Auctore naturæ? p. 361, n. 1. Ejuſdem variæ acceptiones, ibid: n. 2. Nutritio propriè dicta deſcribitur, p. 362, n. 4. Oppoſitio quædam expeditur, ibid: n. 5. Extat Nutritio propriè dicta in viventibus, ibid: n. 6. Objectis ſatisfit, p. 363, n. 7. Nutrimentum proximum, & remotum quid? p. cit: 363, n. 1. An accidentia nutriant? vide Accidentia. Vinum an nutriat? vide Vinum. Nutritionis modi tres afferuntur, & explicantur, p. 364, n. 8. & p. 365, n. 9, & 10. Nutritur vivens totâ vitâ, p. 366, n. 15. In Nutritione acquiritur nova materia, & nova forma, ſi hæc eſt diviſibilis; p. cit; 366, n. 16. Plantæ quomodo nutriantur? vide Plantæ.

O.

Objectum materiale adæquatum Phyſicæ, non eſt ens mobile quà tale, p. 7, n. 4. Objectionibus reſpondetur, ibid: n. 5, & 6. Nec eſt corpus generabile & corruptibile, p. 8, n. 7. Objectio tollitur, ibid: n. 8. Neque ſubſtantia ſenſibilis, aut ſubſtantia finita, ut intelligentias comprehendit, bene ſtatuitur pro Objecto adæquato Phyſicæ, p. cit: 8, n. 9, & 10. Pat. Maſtrio reſpondetur, ibid: n. 11. Objectum adæquatum & attributionis phyſicæ eſt corpus naturale, quatenus naturale, p. 9, n. 13. Naturalitas eſt ratio formalis determinans corpus naturale ad eſſe Objectum formale Phyſicæ, p. 10, n. 14. Objecta refutantur, ibid: n. 15.

Oculorum deſcriptio, p. 351, n. 27.

Odores & ſapores non nutriunt, niſi

 ſint

ſint permixti ſubſtantiis ſubtilibus, p. 363. & 364.

Oeſophagus quid & quænam ejus figura? p. 350, n. 25.

Olympus & alii montes quidam extollunt ſe uſque ad tertiam regionem aëris, p. 322, n. 4.

Operimenta humani corporis ſecundùm Anatomicos, quæ? p. 347, n. 12.

Oppoſitio formalis & virtualis quid? p. 212, n. 1.

Orbes cælorum ſpecie inter ſe differunt, p. 268, n. 7. Non tamen ab aſtris tum fixis, tum errantibus, quæ infixa ſuſtentant, ibid: n. 8.

Organizatio hominis deſcribitur, p. 341, n. 1. & p. 342, n. 2, & 3. Diſcrimen inter concurſum patris & matris ad organizationem hominis, p. cit: 342, n. 4.

Oris humani deſcriptio, p. 351, n. 28.

Oſſa quid ſint? p. 345, n. 2. De numero Oſſium humanorum variæ opiniones, ibid:

P.

P*Alatum* quid? p. 351, n. 28.

Partes aliquotæ & proportionales quid? p. 178, n. 4. Partes ſolidæ & fluidæ in vivente quænam? p. 366, n. 1.

Peritoneum quid ſit? p. 348.

Pes humanus conſtat tribus, tarsô, metarsô, & digitis, p. 345, n. 7. Singulorum anatomica explanatio, p. 346.

Phyſica etymologia, p. 3, n. 1. Ejus definitio, ibid: n. 2. Phyſicæ quis fuerit reſtaurator? n. 3. Ejuſdem dignitas, & utilitas, p. ſuprà 3, n. 4, & 5. Eſt ſcientia in rigore, p. 4, n. 1. Objectis ſatisfit, ibid: n. 2. Eſt ſpeculativa, ibid: n. 3. Objectiones ſolvuntur, p. 5. n. 5. Phyſica non eſt una ſimplex qualitas, ibid: n. 6. Dicit unitatem aggregationis, n. 7. Admittit etiam aliquomodo unitatem genericam, & ſpecificam, p. cit: 5, n. 8. Nulli alteri ſcientiæ ſubalternatur, p. 6, n. 9. Philoſophus reconciliatur, ibid: n. 10. Objectum adæquatum Phyſicæ quodnam? vide Objectum.

Phyſionomia quid? p. 294, n. 5.

Pinguedo quid ſit? p. 347, n. 12.

Piſcium ſigni Zodiaci operationes & dominium, p. 274, n. 12.

Planetæ quid? vide Stellæ fixæ. Planetarum ſtationes, & arcus quid? p. 262, n. 6. Planetæ ſunt ſeptem, p. 274, n. 1. Influunt in hæc inferiora, ibid: Planetæ & aſtra fixa varias exercent influentias in hæc ſublunaria, p. 286, n. 2. Similiter in elementa quoad alterationem, p. 287, n. 1. Objectio ſolvitur, p. 288, n. 2. Planetæ & aſtra cauſant etiam motum localem in ſublunaribus, ibid: n. 3. Influunt etiam in mixta tam perfecta, quàm imperfecta, p. cit: 288, n. 4, & 5. Imo etiam in animata, ibid: n. 6. Poſſunt etiam influere totaliter in generationem formæ corporeitatis animatorum imperfectorum, p. 289, n. 7. Partialiter verò in generationem formæ corporeitatis perfectorum, ibid: n. 8. Varia objecta ſolvuntur, p. cit: 289, n. 10. Planetæ & aſtra alia non influunt in productionem animæ cujuſcunque, p. 290, n. 11.

Plantæ quomodo nutriantur? p. 366, n. 14.

Pleura quid? p. 350, n. 23. Quid Mediaſtinum, & quinam ejus uſus, ibid:

Poli ſphæræ quinam? p. 283, n. 4. Polus arcticus, & antarcticus quid? ibid:

Pori dantur in corporibus tam viventibus, quàm non viventibus, p. 385, n. 4.

Potentia objectiva & ſubjectiva quid? p. 20, n. 5. Potentia quid ſit? p. 28, n. 1. Potentia activa & paſſiva, ſeu receptiva quid? ib: Quid Potentia remota & proxima, item naturalis, violenta, & neutra? ibid: n. 2, & 3. Quid fundamentalis, & formalis, & quid naturalis, & obedientialis? p. cit: 28, n. 4, & 5. An materia prima habeat Potentiam proximam & remotam ad omnes formas? vide Materia. Quid ſit Potentia ordinaria & extraordinaria ſeu abſoluta? p. 34, n. 1, & p. 56, n. 3. Potentia activa & paſſiva obedientialis quid ſit? p. 123, n. 1. Potentia obedientialis paſſiva datur in qualibet re ad quamlibet formam, quæ eſſentialiter non dependet â determinato ſubjecto, p. 124, n. 2. Potentia obedientialis activa etiam datur in aliquibus rebus, ibid: n. 3. Thomiſtis reſpondetur, p. 125, n. 6. Non tamen datur in quolibet ad quodlibet, ibid: n. 7. Unde cognoſcatur, quòd in quibuſdam rebus ſit Potentia obedientialis activa, p. cit: 125, n. 8. An cauſa efficiens habeat Potentiam obedientialem activam ad creandum? vide Creatura. Potentia nutritiva quid? p. 364, n. 6. Variæ ejus ancillæ, ibid: n. 7.

Præſentiæ locales ſubſtantiarum & accidentium utrùm ſint diſtinctæ? vide Locus.

Principia vera phyſica rerum naturalium dantur, p. 11, n. 1. Principium multipli-

Digitized by Google

tipliciter accipitur, ibid: n. 2. Principia intrinſeca phyſica corporis naturalis definiuntur, ibid: n. 3. Cur dicantur prima? n. 4. Objectis ſatisfit, p. cit: 11. n. 5. Varia quæſita circa definitionem Principiorum proponuntur, p. 12, n. 6. Definiuntur ſolùm ab Ariſtotele, Principia generationis, ſub ratione mutationis, ibid: n. 7. Tam ſubſtantialis, quàm accidentalis, ib: n. 9. Et quidem in fieri tantùm, p. cit: 12, n. 8. Principia generationis & Principia compoſitionis, quomodo differant? p. 13, n. 1. Corpus in fieri & facto eſſe quid? vide Corpus. Circa numerum Principiorum variæ opiniones, p. cit: 13, n. 2. Principia generationis in fieri ſunt tria, materia, forma, & privatio, p. ſupra 13, n. 3. Objectis ſatisfit, p. 14, n. 4, & 5. In facto eſſe duo tantùm ſunt, ibid: n. 6. Objectio tollitur, p. 15, n. 7. Principium activum & paſſivum quid? p. 83, n. 1.

Prioritas naturæ, & durationis quid? p. 42, n. 1. Prioritas temporis & naturæ quid? p. 335, n. 10.

Privatio & forma habent contrarietatem inter ſe, p. 15, n. 8. Privationes an participent rationem naturæ, vide Natura. Privationis variæ acceptiones, p. 39, n. 1. Privationes ſumunt ſuam diſtinctionem â formis, ibid: n. 2. Privatio conſiderata pro formali, pro connotato, & pro fundamentali quid? p. 40, n. 3. Quæ ſit differentia inter Privationem & negationem? ibid: n. 4. Privationes extant, nulle cogitante intellectu, n. 5. Privationis deſcriptio, p. cit: 40, n. 6. Eſt aliquod ens reale, ibid: n. 7. Non poſitivum, n. 8. Sed privativum, n. 9. Objectis ſatisfit, p. 41, n. 10. Privationes multiplicantur juxta multiplicationem formarum oppoſitarum, ibid: n. 1. Objectioni reſpondetur, ibid: n. 2. Inter Privationem, materiam, & formam, reperitur diſtinctio realis privativa, p. cit: 41, n. 3. Objecto ſatisfit, ibid: n. 4. Privatio immediatè opponitur formæ, n. 5. Quomodo intelligatur dictum illud *â Privatione ad habitum non datur regreſſus*? p. 42, n. 6. Privatio formæ ſubſtantialis non ſuſcipit magìs & minùs, bene Privatio formæ accidentalis, p. cit: 42, n. 7. Privatio eſt verum Principium corporis naturalis in fieri, ibid: n. 2. Objectiones expediuntur, p. cit: 42, n. 4. Privatio principiat ut terminus â quo, p. 43, n. 5. Objecto reſpondetur, ibid: n. 6. Sola Privatio proxima & particularis principiat, p. cit: 43, n. 7. Privatio ut principium mutationis debet duratione præcedere formam, p. cit: 43, n. 8. Inſtantiæ ſatisfit, ibid: n. 9.

Projectum an quieſcat in puncto reflectionis? vide Mobile.

Pulmonum deſcriptio, figura, color & quodnam eorum munus? p. 350, n. 24.

Puncta continuantia, & terminantia quid? p. 179, n. 6. Quid phyſica & mathematica? ibid: n. 7. Puncta ſunt verè entia realia poſitiva, & non negationes, p. 180, n. 14. Specialis ratio ex Philoſopho pro punctorum realitate poſitiva, p. 181, n. 15. Philoſophus reconciliatur, ib: n. 17. An dentur puncta in continuo? vide Continuum.

Pyromantia quid ſit? p. 93, n. 3. & p. 294, n. 5.

Q.

QUalitates activæ & motivæ quid? p. 308 n. 1. Qualitates primæ deſcribuntur, ibid: n. 2. Qualitates ſecundæ quænam dicantur? ibid: Qualitates primæ quatuor extant, p. cit: 308, n. 3. Sunt formæ poſitivæ, p. 309, n. 4. Oppoſitiones tolluntur, ibid: n. 6. Omnes quatuor qualitates primæ ſunt realiter diſtinctæ â ſuis elementis, p. cit: 309, n. 7. Sunt formæ tantùm accidentales, p. 310, n. 8. Philoſophus definit ſingulas primas qualitates in concreto, p. 310, n. 1. Et per effectus ſecundarios tantùm, p. 311, n. 5. Qualitates contrariæ in gradu remiſſo, poſſunt eſſe ſimul, p. 313, n. 1. Objectis ſatisfit, ibid: n. 3. Qualitates contrariæ in ſummo etiam poſſunt eſſe ſimul ſupernaturaliter, p. cit: 313, n. 4. Objectiones ſolvuntur, p. 314, n. 5. & p. 315, n. 7. Qualitates motrices elementorum quid & quænam ſint? p. cit: 315, n. 1. Qualitas poteſt per alterationem intendi & remitti, p. 375. n. 1. Quomodo fiat intenſio Qualitatis? vide intenſio. Qualitates omnes materiales ſenſibiles ſunt intenſibiles, p. 379, n. 6. Naturaliter habent terminos ſuæ intenſionis, ibid: n. 8. Gradus qualitatis intenſæ & remiſſæ an ſint homogenii, vel heterogenii? vide Gradus. Qualitates aliquàndo intenduntur, per reflexiones, p. 397, n. 7. Cauſa intenſionis per reflexionem non eſt corpus reflectens, ſed cauſa producens Qualitatem, ibid: n. 8.

Quantitas eſt immediatum ſubjectum accidentium, p. 79, n. 6. Objectis ſatisfit, p. 80, n. 9. An idem dicendum ſit de

actibus imanentibus? vide Actus. Quantitas interminata, & terminata quid? p. 38, n. 4. Dimenſio terminata quid? vide ibid:

R.

R*Adius* rectus, reflexus, & refractus quid? vide Lumen.

Rarum & denſum quid? p. 380, n. 1. Rarefactio & Condenſatio propria & impropria quid? ibid: n. 2. Rarefactio & condenſatio propria deſcribitur, p. 381, n. 3. Rarefactiones & condenſationes propriè dictæ contingunt variæ in rerum natura, ibid: n. 4. Philoſophus reconciliatur, p. cit: 381, n. 5. Rarefactionis, & condenſationis cauſæ tres afferuntur, ib: n. 6. Variæ opiniones recenſentur circa modum Rarefactionis & condenſationis, p. cit: 381, n. 1. Rarefactio non fit per generationem novæ quantitatis majoris deperditâ priori, p. 382, n. 2. Nec per ſolam extenſionem localem prioris quantitatis, ibid: n. 3. Nec etiam per ſolam admixtionem vacui, p. 383, n. 4. Neque fit per extractionem partium à ſe invicem, ibid: n. 5. Aut per elatebrationem earundem, ibid: n. 6. Similiter condenſatio non fit per acquiſitionem quantitatis minoris, p. cit: 382, n. 2. Neque per ſolam contractionem localem prioris quantitatis, ibid: n. 3. Nec fit per compenetrationem partium, p. cit: 383, n. 5. Neque etiam per convolutionem earundem, ibid: n. 6. Rarefactio ſimiliter non fit per acquiſitionem, qualitatis quæ raritas dicitur, p. 383, n. 3. Neque per acquiſitionem denſitatis fit condenſatio, ibid: Non fit tandem Rarefactio per dilatationem punctorum inflatorum, p. 384, n. 8. Probabile eſt Rarefactionem fieri per acquiſitionem alicujus quantitatis novæ, p. cit: 384, n. 1. Et condenſationem per deperditionem alicujus partis quantitatis, ibid: Objectis reſpondetur, p. 385, n. 3. Probabile etiam eſt, Rarefactionem fieri per ingreſſum corpuſculorum, p. 386, n. 6. Condenſationem verò per egreſſum eorundem, ib: Corpuſcula Rarefacientia unde proveniant? p. cit: 385, n. 5. Oppoſitiones variæ tolluntur, p. 387, n. 8. & p. 388, n. 10.

Reactio quid ſit? p. 397, n. 9. Reactiones, & repaſſiones dantur, ibid: n. 10. Objectioni obviatur, p. 398, n. 11. Conditiones neceſſariæ ad Reactionem, & repaſſionem, p. cit: 398, n. 12.

Renum humanorum anatomica deſcriptio, p. 349, n. 20. Eorum uſus, ib:

Replicatio an ſit poſſibilis? vide Locus.

Rerum omnium ad duas claſſes reductio, p. 210, n. 1. Res ſucceſſivæ quænam dicantur, & quæ permanentes? p. 234, n. 1. Res ſemel corruptæ an poſſint reproduci eædem numerô naturaliter, vel ſupernaturaliter? vide Corruptio. Res adhuc exiſtens nequit reproduci eadem numerô, p. 360, n. 12. Objectiones deſtruuntur, p. 361, n. 12. Res ſemel corruptæ utrùm redeant finitâ circulatione? vide Corruptio.

S.

S*Agittarij* ſignum explanatur, p. 273, n. 9.

Sanguis quid? p. 365, n. 10. Quomodo diſtribuatur per ſingulas partes corporis? ib: n. 11. Sanguis menſtruus quid? p. 341, n. 6.

Saturni Planetæ natura & influxus, p. 274, n. 2.

Satyri, Sirenes, Fauni an ſint monſtra? vide Monſtrum.

Scapulæ quid? p. 345, n. 5.

Scorpij ſigni natura, & influentiæ, p. 273, n. 8.

Seminis deſcriptio & ejus explanatio, p. 338, n. 2, & 3. Semen non deciditur ab omnibus membris, p. 339, n. 4. Secundum Medicos eſt corpus heterogeneum, ibid: n. 5. Non ſemper ineſt viventi, ib: n. 6.

Sexuum diverſitas unde proveniat? p. 344, n. 11.

Siccitas deſcribitur cum Philoſopho, p. 311, n. 4.

Signa Zodiaci quid & quot? vide Zodiacus.

Similia ſunt in quadruplici differentia, p. 393, n. 1, & p. 394. Simile in eadem qualitate, & gradu non agit in aliud, p. 394, n. 2. Objectis ſatisfit, ibid: n. 4. Bene tamen in gradu inæquali, p. cit: 394, n. 5.

Solis natura, operationes, & influxus, p. 275, n. 5. Solis maculæ quid? vide Macula. Solem quid ſit eſſe in auge, & oppoſito augis, in perigæo, & apogæo? p. 261, n. 3.

Spacia imaginaria non extant, p. 221, n. 5. Replica ſolvitur, ibid: n. 6. In Spaciis imaginariis ſi darentur Deus eſſet diffuſus

fuſus ſecundùm ſubſtantiam, ibid: n. 7. Oppoſitionibus reſpondetur, p. 222, n. 8.

Species intelligibilis quid ſit? p. 144, n. 5.

Sphæra in communi deſcribitur, p. 283 n. 1. Sphæræ circuli quid, & quot ſint? vide Circuli. Sphæra armillaris quid? p. cit: 283, n. 2. Sphæræ poli qui? vide Poli. Sphærarum varia ſyſtemata. Vide Syſtema infrà.

Splen quid? vide Lien.

Stellæ nomine quid intelligatur? p. 269, n. 1. Quid ſint Stellæ fixæ, quid erraticæ? ibid: n. 2. Numerus Stellarum viſibilium, ibid: n. 3. Diſtinctio Stellarum ab Aſtrologis aſſignata, p. cit: 269, n. 4. Qua ratione Stella globum terraqueum in magnitudine excedat? ibid: n. 5. Cur Aſtrologi Stellas fixas in imagines diſtribuerint, p. cit: 269, n. 6. Stellæ erraticæ, ſeu Planetæ, plures etiam Stellæ fixæ inter ſe differunt ſpecie, p. 268, n. 9. Stellarum ſcintillatio unde proveniat? p. 279, n. 9. Stellæ omnes illuminantur à Sole, p. 282, n. 8. Etiam propriam aliquam habent lucem, ibid: Stellæ an habeant primas qualitates in ſe formaliter? vide Cœlum. Stellæ quales influxus exerceant, in hæc inferiora? vide Planetæ.

Stomachus quid ſit? vide Ventriculus.

Subjectum inhæſionis, & denominationis quid ſit? p. 77, n. 2. Subjectum inhæſionis proximum & remotum quid? p. 78.

Sublunaria differunt genere metaphyſicô, non phyſicô, p. 24, n. 3.

Subſiſtentia triplex acceptio, p. 23, n. 6.

Subſtantia una an immediatè poſſit producere aliam? vide Cauſa. Subſtantia an ſit immediatè productiva aliquorum accidentium in ſeipſa, & in alieno ſubjecto? vide Cauſa efficiens ſubſtantialis. Subſtantia an efficienter producat quantitatem? vide Compoſitum. Subſtantia una creata immediatè producit aliam, p. 114. n. 2. Philoſophus explicatur, p. 115, n. 5. Thomiſtis reſpondetur, ibid: n. 7, & 8. Accidentia quomodo concurrant ad productionem Subſtantiæ? vide Accidentia.

Superficies an ſit ens reale poſitivum? vide Linea.

Syſtema ſphæræ cæleſtis Tychonicum proponitur, p. 258. Sub Litera B. Syſtema Ptolomæi affertur, p. 259. Sub litera C. Eſt omniū conformius rationi & retinendum, ibid: n. 7. Syſtema Copernicanum, p. 256. Sub litera A. Syſtema ſphæræ planetalis apponitur, p. 260. Sub litera D. Variæ opiniones de ſyſtemate ſphæræ cæleſtis, p. 256, n. 1.

T.

T*Auri* ſigni Zodiaci operationes & dominium, p. 271, n. 2.

Temperamentum variè deſcribitur à Medicis, p. 392. Clarior ejuſdem deſcriptio, ibid: n. 6. Temperamentum uniforme, & difforme quid? ibid: n. 7. Temperamentorum variæ ſpecies, p. cit: 392, n. 8. Cum uniformi Temperamento an poſſit generari mixtum? vide Mixtum. Quodnam Temperamentum ſit melius? p. 393, n. 10.

Tempus ab Ariſtotele quomodo definiatur, p. 230, n. 1. Variæ temporis diviſiones, ibid: n. 2. Tempus intrinſecum, ſeu duratio ſucceſſiva rerum datur, p. 231, n. 3. Quid formaliter importet Tempus, difficulter aſſignatur, ibid: n. 4. Tempus preſsè ſumptum formaliter dicit exiſtentiam entis ſucceſſivi, p. cit: 231, n. 5. Motus primi mobilis eſt Tempus univerſale, commune, & extrinſecum, ib: n. 6. Varia corollaria ex dictis, p. 231, n. 8. Thomiſtis reſpondetur, p. 232.

Terminus intrinſecus & extrinſecus magnitudinis & parvitatis quid ſit? p. 186 n. 2. Res animatæ habent Terminum magnitudinis & parvitatis intrinſecum, p. 187, n. 3. Objectis ſatisſit, ibid: n. 4. Res inanimatæ non habent Terminum intrinſecum magnitudinis, ibid: n. 5, Neque parvitatis, p. 188, n. 8. Philoſophus exponitur, ibid: n. 7. Terminus ad quem & à quo Generationis ſubſtantialis quiſnam? vide Generatio.

Terra an moveatur? vide Copernicus. Habet figuram rotundam, p. 301, n. 1. Terræ rotunditas non eſt perfectè ſphærica, p. 302, n. 5. Platonis doctrina explanatur, ibid: n. 6. Terræ accidentia, proprietates, dignitates, & emolumenta, p. cit: 302, n. 2. Terra occupat infimum locum, eſt ſicca & frigida, ſummè gravis, p. 317, n. 1. Eſt ſita in medio Univerſi, ib: n. 2. Quoad plures ſuas partes ſupereminet aquis, ib: n. 3. Subſiſtit immobiliter, p. 318, n. 4. Terra an ſtatim produxerit roſas cum ſpinis? ibid: n. 5. Dividitur phyſicè in planitiem, montes, & inſulas, p. cit: 318, n. 6. *Totum integrale* & totum per accidens an diſtinguatur à ſuis partibus unitis? vide Compoſitum.

Trachea quid, & quiſnam ejus uſus? p. 350, n. 25.

Tropicus cancri, & capricorni deſcribitur, p. 285, n. 11.

V.

V*Acui* variæ acceptiones, p. 222, n. 1. Ejuſdem deſcriptio, ibid: n. 2. Spectando abſolutè vires naturæ poſſet naturaliter dari Vacuum, p. 223, n. 3. Propter ordinationem tamen Authoris naturæ naturaliter non datur, ibid: n. 4. Objectis obviatur, p. 224, n. 7. Speciales duæ experientiæ P. Valeriani Magni diſcutiuntur, p. 225, n. 9. Deus poteſt facere Vacuum propriè dictum, ibid: n. 10. Quænam ſint cauſæ impedientes Vacuum, p. cit: 225, n. 11. Non repugnat motus fieri in Vacuo, p. 226, n. 1. Oppoſitiones tolluntur, ibid: n. 2. Motus in Vacuo non eſſet inſtantaneus, p. 226, n. 3. Ariſtoteles objectus exponitur, p. 227, n. 4.

Vaſa ſpermatica quænam? p. 349, n. 22. Vaſa umbelicalia ſunt quatuor, p. 350.

Ubicationum cauſa productiva, vide Locus.

Velocitas & tarditas motus quid ſint? vide Motus.

Venæ deſcribuntur, p. 346, n. 11. Earum munus quodnam? ibid: Organum Venarum in quo conſiſtat ſecundùm Ariſtotelem, in quo ſecundùm Medicos? ib: Vena portæ, & Vena cava quid? p. 347. Vena axilaris, item Vena Cephalica, & Baſilica quid? ibid:

Venus Planeta, p. 276, n. 6.

Ventriculi anatomica deſcriptio, p. 348, n. 14. Maſſa concoctiva Ventriculi eſt aliquid acidum, p. cit: 348, n. 14.

Vertebra hominis quid, & quot ſint? p. 345, n. 4.

Veſica bilaria, item canalis bilarius quid? p. 349, n. 18. Veſica humana deſcribitur, p. cit: 349, n. 20. Ejus uſus, ib:

Via lactea quid ſecundùm Veteres? p. 270, n. 9. Via lactea eſt in octava ſphæra congeries plurimarum ſtellarum, ib: n. 10.

Vinum nutrit, p. 364, n. 5.

Virginis ſigni Zodiaci influxus, p. 272. n. 6.

Virgula Fortunæ quid ſit? p. 97, n. 17. Ejus uſus videtur eſſe licitus, ibid: n. 18.

Virtutes variæ herbarum, & lapidum recenſentur, p. 95, n. 12, & 13.

Unionis variæ acceptiones, p. 62, n. 1. Ejuſdem deſcriptio, ibid: n. 2. Dantur Uniones phyſicæ, ibid: n. 3. Sunt quid ſuperadditum materiæ & formæ, p. 63, n. 4. Et realiter ab eis diſtinctæ, ibid: n. 5. Thomiſtis reſpondetur, ibid: n. 7. Unio phyſica non conſiſtit formaliter in ipſa indiſtantia materiæ & formæ, p. 64, n. 1. Objectis ſatisfit, ibid: n. 3. Nec importat formaliter aliquas diſpoſitiones prævias, ib: n. 4. Objecto reſpondetur, p. 65, n. 5. Unio phyſica non eſt formaliter aliquis modus abſolutus ſubſtantialis, ibid: n. 6. Rationes oppoſitæ ſolvuntur, p. 66, n. 8. Unio eſt formaliter quædam relatio prædicamentalis extrinſecus adveniens, ib: n. 9. Objectionibus reſpondetur, ibid: n. 11. Duplex Unio phyſica intercedit inter materiam & formam, p. 67, n. 1. Uniones ſunt relationes mutuæ, p. 68, n. 2. Et diverſæ rationis, ibid: n. 3. Objectis ſatisfit, n. 5. Unio non eſt de eſſentia compoſiti, p. 69, n. 6.

Unitas intrinſeca & extrinſeca quid ſit? p. 168, n. 7. Unitas motûs phyſici unde deſumenda? vide Motûs.

Ureteres quid ſint? p. 349, n. 21.

Z.

Z*Enonis* fundamentum negantis motum refutatur, p. 162, n. 2. Zenoniſtarum argumenta contra compoſitionem continui, ex partibus ſoluta, vide Continuum.

Zodiachicum cœlum quid? vide Cœlum.

Zodiacus quid? p. 270, n. 7, & p. 283, n. 6. Signa Zodiaci quot, & quænam? p. cit: 370, n. 7. Signa Zodiaci dividuntur in Septentrionalia, & Meridionalia, ibid: n. 8. Quodlibet ſignum Zodiaci dividitur in 30 gradus, p. cit: 270, n. cit: 8.

Zonæ quot? p. 285, n. 13. Zona torrida, frigida, & temperata quid? ibid:

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. E. EMANUELE

Digitized by Google